The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

1693

CURSUS

SCRIPTURAE SACRAE

AUCTORIBUS

R. CORNELY, I. KNABENBAUER, FR. DE HUMMELAUER

aliisque Soc. Iesu presbyteris

S. P. PIUS X

UT SANCTITATI SUAE OPUS HOC DEDICARETUR, BENIGNE CONCESSIT

COMMENTARIORUM IN VET. TEST. PARS II

IN

LIBROS DIDACTICOS

V

LIBER SAPIENTIAE

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

COMMENTARIUS

IN

LIBRUM SAPIENTIAE

AUCTORE

RUDOLPHO CORNELY S. I.

OPUS POSTUMUM

EDIDIT

FRANCISCUS ZORELL S. I.

Cum approbatione Superiorum

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

The Catholic Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

Indianapolis, Indiana

PARISIIS

SUMPTIBUS P. LETHIELLEUX, EDITORIS

10, VIA DICTA « CASSETTE », 10

1910

Omnia iura vindicabuntur

FRANCISCAN FATHERS
LIBRARY
INDIANAPOLIS, IND.

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

220.1
C977c
v.24

7331

PIO · X · PONTIFICI · MAXIMO

COMMENTARIOS · ISAGOGICOS · ET · EXEGETICOS
IN · OMNES · VETERIS · NOVIQVE · TESTAMENTI · SCRIPTVRAS
AD · SANCTORVM · PATRVM
ET · VETVSTIORVM · SCHOLAE · DOCTORVM
IVNIORVMQVE · INTERPRETVM
NORMAM · EXACTOS
ADHIBITIS · VBI · OPVS · FVERIT
RECENTIORVM . SCIENTIARVM · SVBSIDIIS
AVCTORES · OBSEQVENTISSIMI
SVMMO · ATQVE · INERRANTI · DIVINAE · VERITATIS · INTERPRETI
QVI · SINGVLARI · DIGNATIONE · BENIGNITATIS
ID · QVIDQVID · EST · OPERIS
NOMINI · SVO · INSCRIBI · PERMISIT
PIETATIS · ET · IMMOBILIS · FIDEI · PIGNVS · EXHIBENT
SEQVE · AC · SVA · STVDIA · OMNIA
ADDICVNT · DEVOVENT
SEDIS · APOSTOLICAE · DOCTRINAE · ADSERENDAE
SACRARVM · LITERARVM · AVCTORITATI
PRO · VIRIBVS · PROPVGNANDAE

Quum opus, cui titulus est : « *Commentarius in Librum Sapientiae,* auctore Rudolpho Cornely, S. I. » aliqui eiusdem Societatis revisores, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint, facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo muneris nostri munitas dedimus.

Exaten, die 6 mensis Aprilis, anno 1908.

Ern. THILL, S. I.
Praep. Prov. Germ.

IMPRIMATUR

Parisiis, die 15 Maii 1908.

† Leo Adolphus,
Archiep. Paris.

PRAEFATIO EDITORIS

Hic commentarius in Librum Sapientiae est ultimum opus, quod P. Rudolphus Cornely S. I., Cursus Sacrae Scripturae fundator, conscripsit atque ad finem perduxit. Inventus est quidem in scriptis, quae mortuus reliquit, inchoatus commentarius in S. Pauli Epistulam ad Ephesios datam; in quo tamen elaborando solum primum caput perfecit. Suum hoc opusculum postumum ut ego ederem, et ipse cupivit et Superiores mandaverunt. Quod quum praesto, liceat mihi in gratam piissimi ac doctissimi viri memoriam brevem vitae eius conspectum lectoribus proponere.

Rudolphus Cornely die 19 Aprilis 1830 in pago Bryell provinciae Rhenanae in Germania inferiore piis parentibus ortus est. Absolutis gymnasii studiis Düsseldorpii praelibatisque philosophicis atque theologicis studiis Monasterii Guestphalorum, die 15. Oct. 1852, quum se ad Societatem Iesu vocatum intellexisset, una cum decem aliis academiae Monasteriensis iuvenibus in domum probationis Friedrichsburgensem prope Monasterium sitam ingressus familiae religiosae Loyolanae nomen dedit. Post noviciatum biennem quum philosophiae discendae Paderbornae et Bonnae, sacrae eloquentiae Monasterii operam navasset experimentumque magisterii insigni cum laude in convictu Feldkirchensi cui nomen « Stella matutina » subiisset, studia theologiae diu interrupta Paderbornae resumpsit, ubi vertente anno 1860 sacerdos ordinatus est. Tum Superiores eum, quippe cuius ingenium ad exegetica studia inclinaret, ad linguas orientales perfectius addiscendas in Orientem mittere statuerunt. Quo profectus, in collegio Ghazirensi prope Berytum sito praesertim in libros arabicos, syriacos, samaritanos atque armeniacos legendos

incubuit. Quod cum quanta diligentia fecerit, indicia sunt et contractus illo tempore ad quinque horas somnus nocturnus et descripta integre atque exacte propria manu, quo profundius leges linguae Arabum menti infigeret, ambo volumina grammaticae arabicae Silvestri de Sacy (quod manuscriptum etiamnum in bibliotheca Valkenburgensi exstat). Occasionem sibi per eos annos oblatam lustrandorum sacrorum Palaestinae locorum non solum pietatis exercendae causa, sed etiam ad proficiendum in scientia biblica maximo opere sibi gratulabatur summumque sibi solacium aiebat fuisse. Aliquantisper dein in Aegypto versatus, triennio in plagis orientalibus completo, rediit in Europam primumque Parisios se contulit, ubi efflorescentia tunc aegyptologica studia exerceret. Tandem in suam provinciam germanicam reversus theologiam philosophiamque universam rursus brevi commentatus examen rigorosum ac deinceps consuetum Patribus S. I. « tertium probationis annum » inter exercitia ascetica transigendum subiit.

Sic diuturnis studiis experimentisque formatus autumno anni 1867 in Collegio S. Mariae ad Lacum exegesin et linguas orientales docere aggressus est, paulo ante, festo assumptae in caelum Deiparae, ultima ac sollemnia Societatis Iesu vota professus. Dum in hoc docendi munere versatur, postquam anno 1871 periodica « Stimmen aus Maria-Laach » evulgari coepta sunt, ipse quoque suos in ea labores contulit ac mox — praeter scholae bibliothecaeque curam — eorum edendorum munus tanquam « redactor » suscepit. Iesuitis ex Germaniae imperio proscriptis, P. Cornely cum nonnullis Patribus in oblatam hospitaliter partem castelli Tervuerensis prope Bruxellas confugit suaque periodica, abdicato docendi munere, audacter in lucem dare perrexit. Insuper aliorum libellorum « Die katholischen Missionen » conscribendorum ipse, apostolico spiritu impulsus, auctor ac suasor primusque editor fuit. Anno 1879 subito Romam vocatus est, ut in universitate Gregoriana de sacra Scriptura praelectiones haberet, utpote per multiplicem disciplinarum theologicarum, sacrarum Litterarum linguarumque scientiam nec minus per suam in fide ac doctrina solida constantiam commendatus. Ut antea non unum alterumve bonum librum edendum curaverat, sed periodica fun-

dare maluerat, ita nunc bonum quidem existimabat suos commentarios biblicos typis mandare, verum sacrae Scripturae Cursum aliquem integrum cum aliis creare iudicabat esse melius. Quapropter et ipse Introductionem in sacram Scripturam commentariosque in Epistulas Paulinas conscribere instituit et nonnullos sui Ordinis Patres socios ad hoc ingens opus in auxilium vocavit Quae volumina P. Cornely auctorem habent, quamquam suis imperfectionibus haud carent, tamen a maxima, quam prae se ferunt, eruditione, diligentia ac perspicuitate communem catholicorum laudem nacti sunt. Anno 1889 in Hollandiam concessit in noviciatuque Blijenbeekensi sedem fixit, anno vero 1902 Treviros transmigravit ac studia laboresque exegeticos, viribus senescentibus et consumpto paene oculorum lumine, fere usque ad mortem continuavit, quatenus valetudo id permittebat. Ultimo vitae anno adhuc ei contigit ut Epistularum ad Corinthios atque ad Galatas alteram editionem praepararet. Collatum ei est tandem munus Consultoris in Commissione biblica. Morienti ingenti solacio fuit conscientia transactae in vere utilibus Ecclesiae studiis et laboribus vitae ac defensae integerrime semper fidei traditionisque catholicae. Die 3 Martii 1908 in nosocomio Trevirensi piissime defunctus, quatriduo post, die festo S. Thomae Aquinatis, Treviris sepultus est. R. I. P.

P. Cornely, paulo ante quam moreretur, mihi hunc commentarium in Librum Sapientiae tradidit et a me petiit, ut eum publicarem libereque mutarem, si quid mutandum iudicarem. Manuscripto perlecto, in universum quidem aut nihil aut paucissima immutare decrevi, ut par erat; tamen, quum librum cognovissem nonnunquam in evolvenda ac proponenda multiplici doctrina in citandisque Patrum Ecclesiae et veterum exegetarum testimoniis esse praeter modum copiosum ac diffusum, hoc mihi aliquotiens sumpsi, ut plane superflua omitterem et nonnulla longius dicta contraherem, ne volumen in molem excresceret aequo maiorem. Praeterea, quum auctor in introductione commentarii quidem satis modeste Librum Sapientiae partim ipsi Salomoni regi deberi innuisset, quo magis autem opus procedebat, eo saepius ac confidentius alteram libri partem illi regi nominatim attribueret, quoniam nulla argumenta efficacia talis opi-

nionis allata esse putabam, e talibus locis nomen Salomonis ferme eliminavi. Adhuc brevius hic commentarius scribi potuit sine dubio ac fortasse debuit; sed quia P^is^ Cornely opus mihi edendum erat, non meum, praeter paucos locos in meliorem formam redactos et adnotationes nonnullas adiectas, nihil ultra mutare volui.

Restat ut P^i^ Bonifacio Felchlin S. I., qui et P^i^ Cornely hunc Commentarium praeparanti conscribentique diligentem operam praebuit et me edentem ac corrigentem cum fraterna caritate plurimum iuvit, hic nominatim maximas agam gratias.

Denique optamus atque speramus fore, ut hic Cursus sacrae Scripturae a P. Rudolpho Cornely fundatus mox et quam optime ab eius laboris sociis ac successoribus perficiatur ad maiorem Dei gloriam!

Valkenburgi, die festo S. Marci evangelistae, anno MCMIX.

Franciscus ZORELL, S. I.

PROLEGOMENA

In generali ac speciali Introductione Cursui S. Scripturarum praemissa introductoriae quaestiones etiam in librum Sapientiae satis quidem copiose et accurate tractatae videntur[1], nihilo tamen secius hoc in loco alias ex iis summatim repetendas, alias uberius pleniusque explanandas duxi, ut legentium utilitati consulens omnia, quibus ad scriptoris nostri cogitationem assequendam et voluntatem interpretandam indigent, uno volumine comprehensa iis traderem. Itaque tribus paragraphis primum de libri origine, compositione, auctoritate, deinde de sapientiae quae in eo commendatur notione, demum de praecipuis, quibus ipse in commentario elucubrando usus sum, subsidiis criticis et exegeticis ex ordine disseram.

§ 1. — *Quae libri Sapientiae origo, compositio, auctoritas.*

1. — Liber quem hodie cum Vulgata Clementina simpliciter *librum Sapientiae* appellamus, in graecis codicibus et editionibus Σοφία Σαλωμών (Σαλωμῶνος etc.), in antiqua Itala *Sapientia Salomonis,* in versione syriaca *Liber magnae Sapientiae Salomonis* inscribitur; pervulgata quippe olim erat opinio, eum sapientissimo regi Israelis Salomoni auctori deberi eiusque textus, qui hodie exstant, omnes ex hebraeo esse translatos. Licet autem haec opinio in opere ipso, quum inde a 6,24 Salomon ipse loquens inducatur et Sapientia simili modo quo in Proverbiorum libro celebretur, fundamentum haud spernendum habere videatur, de eius tamen veritate iam Patrum aetate dubitatum est. Etenim *S. Augustinus* (de civ. Dei XVII. 20, 1.) « duo libri, inquit, quorum unus Sapientia, alter Ecclesiasticus dicitur, propter eloquii nonnullam similitudinem ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo; non autem esse ipsius, non dubitant doctiores »; atque S. *Hieronymus* (Praef. in libr. salom.) « librum Sapientiae apud Hebraeos nusquam esse, quin et ipsum eius stylum graecam eloquentiam redolere » monet. Quos secuti interpretes catholici iuniores

1. *Cornely* Introductio spec. in libros Vet. Test. II. Ed. 2, p. 211-237; cfr *eiusdem* Introd. gener. in omnes libros sacros Ed. 2, Diss. I. cap. 2, § 4 passim.

plerique et moderni vix non omnes librum Salomoni abiudicant Iudaeoque multo recentioris aetatis attribuunt, qui eum graece conscripserit; acatholici haud pauci autem addunt, iudaicum quem et ipsi statuunt auctorem a patria sua religione defecisse maiorumque suorum doctrinas cum graecorum philosophorum erroribus multis commiscuisse. Qua criminatione reiecta nos quoque cum catholicis plerisque librum nostrum Salomoni deberi negamus, sed pio cuidam Iudaeo Hellenistae eum attribuimus, qui sacras gentis suae Scripturas optime cognitas habens earumque doctrinis revelatis fideliter inhaerens S. Spiritus instinctu graeca lingua eum ad contribules suos exhortandos et consolandos composuit; omnino tamen simul concedimus eum commentariis quibusdam a Salomone de sapientiae indole et utilitate conscriptis sed hodie deperditis usum esse eorumque doctrinam suis ipsius verbis fideliter tradidisse.

Inter modernos catholicos *I. A. Schmid* (D. Buch der Weisheit übers. Ed. 2, 1865, p. 41 sqq.) librum Salomoni auctori attribuere non dubitavit Patrum praesertim, ut videtur, auctoritate permotus; attamen iam Patrum aetate eius originem salomonicam addubitatam esse monuimus, et antiquiores Patres, qui eum nomine Salomonis addito allegant, ad solum titulum, quem in suis codicibus habuit, attendunt. Testimonia autem historica certa, quibus Salomonem esse auctorem demonstretur, plane deficiunt; quare ex operis ipsius indole et characteribus diiudicetur oportet, a quo sit exaratum. Iamvero nonnulla adesse non infitiamur quibus salomonica eius origo defendi videtur; inter quae praecipua sunt antiquus libri titulus, argumentandi disserendique ratio salomonicae affinis, Salomon ipse loquens inductus, exempla historica dumtaxat ex temporibus antesalomonicis allata. Verum tria ultima satis superque explicantur, si auctorem genuina quaedam opuscula Salomonis in suo libro elaborando adhibuisse et ex parte secutum esse admittitur; titulus autem « Sapientia Salomonis » (qui non est idem ac « liber Salomonis de Sapientia ») apte operi praefixus est, quod in sapientissimi regis sapientia explananda et inculcanda totum versatur. Nullum ergo adest certum argumentum, quo Salomon libri nostri auctor esse demonstretur; contra vero non desunt, quae hanc opinionem erroneam esse extra prudentem dubitationem ponunt. Inter quae primum ac praecipuum locum primigenia libri lingua tenet, quam non hebraicam fuisse sed graecam esse mox ostendemus.

Auctorem fuisse pium Iudaeum Hellenistam diximus; iudaicum enim scriptorem quum lingua libri prodit, quae quamvis graeca sit atque etiam colore graeco emineat, multis tamen hebraismis scatet,

et frequens parallelismi hebraicis carminibus proprii usus (cfr 1, 1-12, 18, exceptis 8, 19-21 et 10, 8-10), tum maxime accurata eius scientia Legis et historicarum propheticarumque Vet. Test. Scripturarum atque tota eius doctrina, quae cum sacrorum scriptorum doctrina non tantum apprime congruit, sed eam etiam ex parte excolit ac perficit, uti ex iis, quae in commentario dicemus, constabit. Quemadmodum autem hebraicis ita etiam graecis literis egregie excultum graecarumque rerum et doctrinarum nequaquam ignarum sese ostendit; quum infra hac de re sermo recurrat, probationis gratia id unum hic praelibamus, eum interdum ethnicorum modum loquendi (erroribus eorum utique repudiatis) imitatum esse (ex. gr. 1, 14 inferos ᾅδου βασίλειον et 19, 20 manna γένος ἀμόρσιας τροφῆς vocat etc.), interdum philosophorum graecorum dictiones adhibere (ex. gr. 11, 18 mundum « ex materia informi » ἐξ ἀμόρφου ὕλης procreatum dicit), semel etiam elegantissimo eum uti sorite (6, 18-21), qui scholam quasi sapit etc. Quibus similibusque, quae in commentario indicabimus, omissis, hoc in loco potissimum ostendendum nobis est, hodiernum nostrum *graecum* textum vere esse primigenium; id autem argumentis evincemus nonnullis, quae exemplis passim afferri solitis illustrabimus.

a) « Frequentissimae paronomasiae, homoeoptota aliaeque figurae verborum occurrunt, quae nec fortuito exoriri potuerunt nec ab interprete, nisi archetypum arbitrario et liberrimo modo reddere voluit, studiose inseri » (*Cornely* l. c. p. 222).

Exempla haec sunto : ἀγαπήσατε — φρονήσατε — ζητήσατε; ἐν ἀγαθότητι — ἁπλότητι 1,1; παροδεύσω — συνοδεύσω, 6,24. 25; εὐώδωσε — διώδευσαν 11,1. 2; ἀδόλως — ἀφθόνως 7,13; οὖς — θροῦς 1,10; ἀσεβοῦς — χνοῦς al. χοῦς 5,15; παισίν — ἐμπαιγμόν — παιγνίοις 12,25. 26; ποθοῦσιν — ἀπελθοῦσαν 4,2; ἀτραπόν — τρόπιος 5,10; στενοχωρίαν — στενάζοντες 5,3; βέλους βληθέντος 5,12; πανοπλίαν — ὁπλοποιήσει 5,18; ποταμοί — ἀποτόμως 5,23; προδοσία — προσδοκία 17,12. 13; προδοσίᾳ — ἀπροσδόκητος 17,14; ἰδίας ἰδιότητος, 2,23; δυσάλυκτον — ἁλύσει 17,16. 17; ἄδικα — ἐλέγχουσα ἡ δίκη 1, 8; ἔκδικος κατὰ ἀδίκων 12,12; δίκαιος — δικαίως — καταδικάσαι 12,13, κρίσιν — ἀνυπόκριτον 5,19; κρίσιν κρίνῃ 9,3; νοσούσης — ἐνόσουν 17,8; ἄλλος ἀλλαχῇ 18,18; ἀδρανέστατον — εὐδράνειαν 13,19; λαμπρῷ — κατελάμπετο 17,19; ἐν ὄψει — τὴν ὄψιν 14,17; ἀργά — ἔργα 14,5; τηκτὸν — εὔτηκτον 19,20 (cfr *Grimm* Das Buch der Weisheit, p. 7).

b) « Accedunt innumera fere vocabula composita, quae hebraice vix reddi possunt ideoque immerito ex hebraeo translata creduntur » (*Cornely* l. c.).

Id genus sunt : κακότεχνος 1, 4; φιλάνθρωπος 1,6; αὐτοσχεδίως 2,2; πολυχρόνιος — ὀλιγοχρόνιος 2,10; 9,15; πετροβόλος 5,23; παντοδύναμος, πανεπίσκοπος 7,23; ὁμοιοπαθής 7,3; πολύφροντις 9,15; πρωτόπλαστος 10,1 (quod vocabulum verosimilius ab ipso auctore formatum est); ἀδελφοκτόνος — νηπιοκτόνος 10,3, 11,8;

ὑπέρμαχος — ὁμοθυμαδόν 10,20; σπλαγχνοφάγος 12,5; δυσδιήγητος 17,1; γενεσιουργός — γενεσιάρχης 13, 5.3; κακόμοχθος — βραχυτελής 15,8. 9; ἀνεξικακία 2,19; ὁλοκάρπωμα 3,6; εἰδέχθεια 16,3; μετακιρνᾶσθαι 16,21 (cfr *Gr.* l. c. p. 6).

c) Totius quoque elocutionis ratio diversa est ab ea, quam interpretes alexandrini tenere solebant. Licet enim in nostro libro simpliciores enuntiationes sint frequentiores, neque ea adsit particularum frequentia, quibus graeci ideas inter se colligare atque longiores periodos efformare student, non desunt tamen verborum comprehensiones artificiosae constructionesque vere graecae, ita ut stylum graecam eloquentiam redolere S. *Hieronymus* iure merito asseruerit » (*Cornely* c.).

Inter alia laudantur 1,16; 2,2-3; 5,10 sqq.; 8,5-9 : anaphora, gradatio, interrogatioque artificiose coniunctae; 12,27 periodus satis implicata; 5,7 verborum traiectio; 17,17-19 dilucida enumeratio cum pluribus participiis. Præterea attendas ad 12,3-8 et ad 13,11-15 ubi una periodus habetur (cfr *Gutberlet* Das Buch der Weisheit p. 15).

d) Praeterea ad *graecarum* vocum locutionumque, quibus utpote frequenter recurrentibus auctor quasi delectari videtur, copiam attendere haud immerito iubemur.

Quorum exempla haec sunt : ἀπότομος 5,21. 23; 6,6; 11,11; 12,9; 18,15; ἐξετάζειν, ἐξέτασις 1,9; 6,4. 7; 11,11; συγκρίνεσθαι, σύγκρισις 7,8. 29; 15,18; σκολιοὶ λογισμοί, λογίζεσθαι οὐκ ὀρθῶς de rebus divinis 1,3. 5; 11,16; 2,1; πειράζειν et δοκιμάζειν = tentare, commutantur, vide 1,3; illud = experiri 2,25; 12,26; ἀπιστεῖν vide 1,2; γενέσεις = genera 1,14; 16,26; 19,11; παροδεύειν 1,8; 2,7; 5,15; 6,22; 10,8; ἔκβασις de eventu rerum humanarum 2,17; 11,15. cfr 8,8; ἐντρέπεσθαι 2,10; 6,8; παραπίπτειν 6,10; 12,2; συγγνωστός 6,7; 13,8; ἐν χειρὶ θεοῦ, qui Dei est, in eius tutela, ex eo pendet 3,1; 7,16; τρίβοι sensu translato 2,15; 5,7; 9,18; proprio 10,10; καταδυναστεύειν 2,10; 15,14; 17,2; ἐνεδρεύειν 2,12; 10,12; εὐτελής 10,4; 11,16; 13,14; 15,10; κνώδαλα 11,16; 16,1; 17,9; ὁμοθυμαθόν 10,20; 18,5. 12; κίβδηλος 2,16; 15,9; ἄξιος cum genetivo personae 3,5; 6,17; ὀξέως = celeriter 3,18; 16,11; ἐφίστασθαί τινι in malam partem 6,6. 9; 19,1; θηρίων θυμοί 7,20; 16,5; εὐκίνητος 7,22; 13,11; διέπειν 9,3; 12,15; pluralis θρόνοι de uno 9,4. 12; 18,15; εὐεργετεῖν 3,5; 11,6. 14; 16,2; διοδεύειν 5,7 : διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους; 11,2 : διώδευσαν ἔρημον ἀοίκητον καὶ ἐν ἀβάτοις; ἀνυπόκριτος de divino iudicio vel mandato 5,19; 18,16; φθάνειν cum infinitivo 4,7; 6,14; τήκεσθαι de vehementibus affectibus 1,16; 6,25; διοικεῖν de providentia divina 8,1; 12,18; 15,1; ταῦτα ἐλογίσαντα, ταῦτα λογισάμενος, quibus ad praecendentem quandam commentationem remittitur 2,21; 8,17; ἀρνεῖσθαι τὸν θεὸν εἰδέναι 12,27; 16,16 (cfr. *Gr.* p. 7).

e) Color vero hebraicus, qui in libro cernitur, auctorem in libris sacris probe versatum esse ostendit, sed librum ex hebraico esse translatum non probat, etsi aliquae sententiae ex libris hebraicis forte sint depromptae. Namque qui inveniuntur hebraismi « vocibus dictionibusque maxime constant, quae continua versionis alexandrinae lectione in usum communem Hellenistarum ita transierant, ut eaedem in libris V. T. graece conscriptis adhibitae sint ».

Exempla habes : *Sap.* 1,1 ἁπλότης καρδίας, cfr *Col.* 3,22; *Eph.* 6,5; — *Sap.* 2,9 et 3,14 μερίς et κλῆρος cfr *Act.* 8,21; *Col.* 1,12; — *Sap.* 2,15 τρίβος cfr *Matth.*; — *Sap.* 2,16; 3,17 λογίζεσθαι εἴς τι cfr *Act.* 19,17; *Rom.* 2,26 etc. Praeterea recte *Guth.* adnotat nonnullos parallelismos artificioriores esse, quam qui ex hebraeo exemplari desumpti sint [1].

Auctor ergo, uti temporum conditio ferebat, doctrinam traditam ita in novam formam redegit, ut vetus ex ea reluceat. Qua nova forma non obstante iure suo per maiorem libri partem regem Salomonem loquentem inducere potuit, ut eius nomine et auctoritate doctrinas ab eo vere traditas efficaciter commendaret, quare nullo modo nobis probatur, quod *I. A. Schmid*, uti ab initio diximus, antiquiorum Patrum testimonia, iuniorum dubitationibus ac negationibus neglectis, tantopere urgeat, quasi ex iis solis quaestio de auctore libri nostri definiri debeat. Nequaquam enim hic de dogmate aut de re ad fidem pertinente agitur, in quibus utique catholica traditio sedulo indaganda et servanda est; si autem de iis ageretur, ex testimoniis Patrum ea ratione, qua in nostra quaestione, dissentientibus ac magis minusve incertis argumentum certum deduci non posset.

2. — Ad *tempus* et *locum*, quo liber exaratus sit, quod attinet, omnes, qui graecam eius originem tenent, eum priori quam tertio saeculo a. Chr. attribuere non posse evidens est, neque asserere dubitant eum in Aegypto atque probabiliter Alexandriae, quae eo tempore graecarum litterarum et artium quasi sedes fuit, exortum esse. Imo vero historia aetatis ptolemaicae si accuratius consideratur, liber exeunte saeculo 3, tempore Ptolemaei IV Philopatoris, exortus recte dici videtur.

Praeprimis enim satis recentem originem tota libri indoles prodit. Namque auctor noster consuetudines respicit, quae non nisi diu post salomonicam aetatem viguerunt (cfr 4,2; 10,12 etc.); sacri autem auctores, etsi futura interdum divinitus annuntient, nunquam tamen similitudines suas aut exempla e rebus petunt, quae legentibus cognitae esse non poterant, ita ut ex. gr., si S. Paulus (1 *Cor.* 9,24) scribat : « Nescitis quod ii qui in stadio currunt omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? » ultro inferas haec in Palaestina Salomonis aut Isaiae aetate non esse scripta. Porro Sapiens perniciosas quoque doctrinas ex instituto refellit ac vitio acriter impugnat, quae per Epicurum eiusque asseclas inde a tertio saec.

1. « Im Uebrigen überwiegt das griechische Sprachelement dermassen, dass das Buch in dieser Beziehung zu den ausgezeichnetsten Erzeugnissen der biblischen Literatur gehört » (*Gr.* l. c.).

Alexandriae et in Aegypto docebantur ac spargebantur (cfr *Comment.* in c. 2). Quae multaque alia postulant, ut liber non tantum illa aetate, in qua litterae graecae florebant, exortus, sed illis quoque destinatus dicatur, qui in regione, in qua graecae litterae colebantur, residebant easque callebant; unde haud immerito inferes, etiam auctorem ibidem degisse opusque suum composuisse. Quae omnia ad Aegyptum atque Alexandriam nos remittunt; quo posito facilius quoque intelligimus, cur longiore digressione idololatriam impugnet et plagas aegyptiacas pluribus describat. Namque ex quo Alexander M. (356-323) Orientem sibi subiecit, sermo graecus ibidem divulgatus est. Dum autem « Iudaei palaestinenses, id quod ex Machabaeorum libris constat, patrium sermonem, quoad eius fieri potuit, retinere stŭdebant, fratres eorum aliis in terris atque praesertim in Aegypto degentes necessitate coacti illam linguam adoptaverant, quae tum temporis ubique fere intelligebatur i. e. hellenisticam. Ptolemaeorum igitur aetate in Aegypto a Iudaeo Hellenista librum Sapientiae esse exaratum consentiunt fere omnes » (*Cornely* l. c. p. 227).

Ut tempus ipsum autem accuratius definiatur, haec consideranda sunt. Ptolemaeorum tempore ingens numerus Iudaeorum in Aegypto domicilia collocarunt, qui ab initio magnis privilegiis donati secundum legem suam vivere permittebantur atque etiam Lege sua non obstante ad munera publica asciscebantur. At felix ille status haud diu perduravit clareque ex libro nostro apparet Iudaeos eo tempore, quo conscriptus est, gravissimis persecutionibus fuisse obnoxios. Namque auctor de hostibus loquitur, qui populum in potestatem redegerint et propter Legem, quam sequebatur, oppresserint; reges ac universim magistratus vehementer obiurgat, qui ministri Dei quum sint, legem Dei contemnant (6,1-9); quin etiam ut populum suum erigat, e rebus gestis ostendere cogitur, eius hostes gravissime, ut tandem intereant, ipsum vero velut filium, ut corrigatur, puniri (cfr 11,10. 11; 16, 6. 11; 18,20. 25 coll. 1,5). Itaque de contribulibus conqueri debet, quod a Deo recedentes (τοῦ κυρίου ἀποστάντες 3,10) sibi ipsis calamitates suas attraxerint; sapientiam enim et disciplinam qui abiicit infelix sit oportet (3,11). Alii quippe erroribus idololatrarum imbuti vel persecutionibus perterriti a paternis institutis defecerant, alii in periculo versabantur, ne deficerent. Neque ad nostra tempora attendens miraberis, quod ii ipsi Iudaei, qui publicis muneribus fungebantur, Legem maiorum contempserint. Quae omnia aliaque complura conditionem Iudaeorum piorum tristem fuisse ostendunt. Facile igitur intelligitur, quod suos consolaturus eis in memoriam revocet iustorum animas in manu Dei esse piisque dummodo ad patriam Legem vitam instituerint, magna praemia non esse defutura (3,1 sqq.; 4,7 sqq.; 5,16 sqq.), altera autem ex parte verbis tam minacibus quum in impios universim tum in principes rem publicam gubernantes invehatur.

Iam vero duplex quidem persecutio, altera Ptolemaeo IV Philopatore (222-205, al. 221-204), altera Ptolemaeo VII Physcone (170-164 et iterum 145-119) regnantibus saeviisse refertur; plerique autem librum tempori

Ptolemaei IV recte tribuunt. « Nam Philopatoris aetate luxuriam maximam libidinesque in Aegypto viguisse eundemque regem idololatriae addictissimum fuisse idololatriamque promovisse satis constat; Physcon autem avi crudelitatem quidem, sed non superstitionem aemulabatur. Prioris igitur regno magis convenit liber, qui una cum Epicureismo idololatriam fortissime impugnat, atque poenis, quibus olim aegyptii oppressores puniti sunt, beneficiisque, quibus oppressos Iudaeos Deus cumulavit, in memoriam revocatis Iudaeos consolari persecutoresque, ut ab incepto desisterent, absterrere studet. Exeunte igitur saeculo tertio librum nostrum esse exaratum probabilior tenet sententia » (*Cornely* l. c. p. 228)[1].

3. — Ex iis, quae diximus, Sapiens *eo consilio* librum composuisse dicendus est, « ut *suos* ad amorem sapientiae et perseverantiam in fide adhortaretur, contra infidelitatem et idololatriam muniret ac in rebus adversis consolaretur, simulque in eis spem libertatis excitaret » (*Zschokke,* Hist. sacra Ant. Test. p. 375). Quemadmodum autem ex iis, quae auctor noster tractat, intulimus, quo tempore scripserit, ita ex iisdem colligimus, quo consilio opus exaraverit ac praesertim, quibus proxime illud destinaverit et cur id genus res commemoret, quae a re sua aliena esse videntur. Iam vero dubium esse nequit, quin Sapiens contribules suos inducere voluerit, ut Legi divinae perfecte se conformarent, qua in conformatione, quae nostro in libro celebratur, sapientia vel iustitia consistit.

Res per se clara videtur; quia tamen inveniuntur, qui aliam sententiam teneant, eorum rationes paucis perpendemus, non quia eas alicuius momenti esse censemus, sed quia hac discussione consilium auctoris et operis dispositio accuratius innotescent.

Inter alios igitur G. *Smits* O. M. in Commentarii sui Prolegomenis (n. 85-89) librum nostrum regibus et magistratibus, qui rem publicam administrant, proxime et directe destinatum esse satis fuse demonstrare conatur. Quodsi obieceris, iuxta eius sententiam auctorem ergo ethnicos potissimum erudire voluisse, id omnino concedit. « Nam regium nomen, inquit, quo eos, quos instituendos suscipit, nonnunquam compellat, Iudaeis non

1. Similiter fere *Deane* (p. 32) libri originem inter a. 217 et a. 145 a. Chr. ponit; alii tamen eum exeunti saeculo secundo vel ineunti primo adscribunt : *Lesètre* (p. 9) intra an. 150 et 50; *Gr.* (p. 35) intra an. 145 et 50; *Siegfried* (I. p. 479) inter 100 et 50 eum exortum dicunt (de qua opinione cfr *Cornely* l. c.; *Gutb.* p. 24). Liber tertius Machab., qui de Philopatore agit, sine dubio res exaggerat ac falsa profert; sed *Gr.* et *Kautzsch* Die Apokr. und Pseudepigr. des A. T. Freiburg 1900. I. p. 120) iustos limites transgrediuntur, si nihil in eo inveniri nisi fictas commenticiasque narratiunculas insinuare videantur; si quidem illa, quae maxime ad rem causamque nostram faciunt, ipse *Gr.* tandem vera esse fateri cogitur.

competebat, qui illo, quo auctor scribebat, tempore regio diademate ac titulo carebant ». Attamen haec sententia nequaquam teneri potest. Iuxta totam enim suam indolem opus non infideles, qui proprie vocantur, sed fideles lectores ponit, qui Legem divinam eamque revelatam cognoscunt et fide cognitam tenent atque simul eos respicit, qui eam quidem professi erant, sed postea ab ea defecerunt. Iudaei porro, qui opprimebantur, ea ipsa adhortatione, quam in libro deprehendimus, eguerunt; ad reges autem oppressores libellus alius scribi non potest nisi supplex, quam formam opus nostrum non habet. Auctor quoque regem Salomonem plurima de sapientia disserentem inducit quae ab ethnicis intelligi nullo modo poterant plurimaque de pristinis populi electi rebus gestis, quae Iudaeorum animis consolandis confirmandis adhortandis quam maxime erant idonea, ab ethnicis autem, si ea legissent, velut inanes fabulae essent despecta. Deinde ut sapientiam efficaciter commendet, non solum argumenta ex eius indole petita affert, sed etiam ad conditionem legentium attendit et quae obstant, quominus eam sectentur, removere studet. Impedimenta autem tria ea aetate inveniebantur : effrenata libido, persecutio, atheismus cultusque idolorum. Iam vero *Smits* ex eo quod vitia illa vehementius reprehenduntur infert, librum ethnicis destinatum esse. Ad quid, inquit, sensa illa c. 2, quae non nisi ethnicorum sunt? Ad quid graphica illa et viva idololatriae, vanitatis illius ac stultitiae delineatio (c. 13-15)? Insolens est ecclesiastae operosius vitia redarguere, quae inter illos, quos imbuit, non grassantur : insolens longiore peccati cuiusdam suis nequaquam proprii exaggeratione ad oppositam eos exstimulare virtutem ... » Verum adversarius noster librum Iudaeis et Alexandrinis, qui inter eiusmodi homines degebant, destinatum esse non satis considerat. Perperam quoque in hunc modum argumentatur : « Sapiens plurimis discurrit de Chananaeorum, Aegyptiorum poena et exterminio, quibus amborum idololatriam ac horum in Israelitas saevitiam vindicaverat Deus. Quo haec respiciunt, nisi ut reges et principes illos, quorum imperio tunc premebantur Iudaei, et ab infando idolorum cultu et a tyrannide, quam in illos exercebant, revocaret? » Etenim semetipsum refutat, quum haec omnia etiam Iudaeis utilia fuisse diserte addat : « poterant, inquit, praeservari a lapsu, retrahi ab impiis ethnicorum opinionibus ac in iustitia stabiliri. Monebantur... ut eo cautius a gentilium caverent ritibus ac doctrinis, quo lucidius, ampliori sapientiae lumine illustrati, dementiam eorum et stultitiam intuebantur. Beneficia populo fideli praestita, impiorum poenas iustamque in omnibus divinae sapientiae mensuram alte deprehendunt etc., quae sane hominem quemlibet et in officio continent et ad virtutis sequelam quam maxime provocant ».

Eadem fere ratione de regum compellatione diiudicandum est[1]. Sapiens eos alloquitur, non quasi ad ipsos libellum dirigat, sed ut orationi vim ac ornamentum addat; atque hac ratione figuram, qua postea Salomonem

1. Accuratius de hac compellatione disseruimus ad 1,1 et 6,2.

loquentem inducit, apte praeparat. Quemadmodum antiqui prophetae in suis vaticiniis non raro exteras gentes compellant, imo longa quoque vaticinia eis interdum inscribunt et ad eas dirigere videntur, quamquam solis filiis Israel consolandis et exhortandis erant destinata nec unquam ab illis exteris nationibus legebantur, ita auctor noster quoque sermonem quidem suum ad reges principesque dirigit illosque alloquitur, sed eum contribulibus suis destinat fratresque suos ad sectandam sapientiam exhortatur » (V. *Cornely* l. c. p. 216). Ceterum in dubitationem non vocamus, quin etiam eos Iudaeos, qui ut diximus ad rem publicam se contulerant, respexerit. Neque gravissima regum admonitio quidquam insoliti habet, si ad primum auctorem S. Spiritum attenderis, qui tandem librum fidelibus non ea tantum, qua illam inspiravit, aetate viventibus, sed futuro etiam tempore victuris destinavit. Quid enim mirum, quod Spiritus S. regibus, utpote qui Dei sint ministri officia divinitus eis imposita inculcet, et quam opportuna omnibus deprehenditur illa admonitio eo tempore, quo fideles opprimebantur, prolata! Nonne fideles miro modo eriguntur, quum videant reges, etiamsi libidini indulgeant neque cuiquam subiecti sibi videantur, e Deo tamen pendere, cui rationem reddere severam debebunt? Itaque Sapiens ad contribules librum direxit, ut fidem eorum confirmaret eosque consolaretur.

4. — Consilio et fine auctoris etiam *unitas libri* potissimum constituitur atque constituta cognoscitur. Neque enim ex eo solo, quod opus aliquod ab eodem auctore sit conscriptum, vera iam habetur eius unitas; ad eam enim praeter argumenti quoque unitatem quam maxime requiritur rationum omnium, quibus argumentum ipsum explicatur confirmaturque et amplificatur, aptus delectus concinnusque ordo. In illis autem eligendis ac disponendis auctor ante omnia ad finem, quem sibi proposuit, legentiumque, quibus librum destinat, utilitatem attendere debet; quare nonnulla quoque inserere non prohibetur quae quamvis ab argumento suo aliena esse videantur, utilia censet ad finem suum in legentium animis obtinendum. Quae si perpenderis, unitatem libro nostro nequaquam deesse facile deprehendes.

Sapiens quippe noster philosophum agere non vult, qui stricta rigidaque argumentatione id unum agit, ut thesin suam veram esse demonstret, sed oratorem agit, cuius est non tantum mentes audientium instruere, sed etiam eorum voluntates ad id quod verum iustumque esse intellexerunt, amplectendum opereque exsequendum impellere. Quam ob causam thesin suam « omnes qui sapientiam sectentur esse beatos, miseros autem illos, qui eam repudient » variis rationum generibus excolit et confirmat. Illis enim quae ex ipsius sapientiae utpote divini doni, quod solis naturae viribus attingi ne-

quit, origine et indole petuntur, non neglectis pulchros iustitiae (i. e. sapientiae) fructus horrendosque impietatis seu insipientiae effectus maiore cum diligentia proponit, quia ad voluntatem movendam aptiores et opportuniores sunt. Sapientiae autem fructus impietatisque effectus alios quidem ex communi hominum vita iisque, quae quasi quotidie oculis spectamus, praecipuos tamen ex populi electi ipsius, quamdiu divinam sapientiam ducem fidelis sequebatur, impiorumque hostium eius sorte diversa desumit. Praeterea, ut sapientiam practicam, quatenus Dei donum est homini inhaerens eumque perficiens, fortius commendet, divinae sapientiae ipsius, a qua nostra quodam modo promanet, laudes celebrat eiusque naturam praeclarasque virtutes recenset. Similiter ut ab ea impietatis specie, quae tum temporis Iudaeis aegyptiacis maximo erat periculo, i. e. ab idololatria animos voluntatesque legentium efficacius avertat, longiorem digressionem de eius stultitia ac pravitate inserere non veretur. Quae diligentius persequi opus non est; brevem tamen operis conspectum hoc in loco adscribendum censemus, ut libri unitas facilius cognoscatur. Ad externam autem operis formam attendentes, quae a duabus personis (a graeci nimirum libri auctore et a Salomone) sapientiam commendari haud obscure docet, duas partes apte distinguere nobis videmur[1].

In priore parte enim (1,1-6,23) *auctor ipse principes ad sectandam iustitiam* (i. e. sapientiam practicam) *exhortatur*. Thesi enim sua, iustitiam colendam esse, proposita (1,1) animique dispositione descripta, sine qua sapientia non obtinetur (1,2-2,25), eam commendat opponens felici iustorum vitae vitam infelicem impiorum (3,1-19), morti iustorum felici infelicem impiorum mortem (4,1-20) gloriosaeque sorti, quae iustis post mortem contingit, funestam sortem eorum, qui in impietate sua moriuntur (5,1-24). Partem autem terminat altera exhortatione principum, quibus nisi iustitiam sectantur severius iudicium impendet (6,1-23).

Altera in parte autem (6,24-19,20) *Salomon, sapientissimus rex, sapientiae laudes celebrat.* — Se sapientiam cognoscere atque precibus a Deo impetrasse praefatus (6,24-7,14) Salomon divinae sapientiae attributis fructibusque enumeratis (7,15-8,1) accuratius describit, cur sibi sapientiam a Deo expetierit et qua precatione eam obtinuerit (8,2-9,19). Utilitatem eius deinde demonstrat ex historia quum patriarcharum (10,1-14) tum populi electi, quem Sapientia ex Aegypto multis in deserto patratis mira-

1. Eam fere libri divisionem tenemus, quam proposuimus in Introd. spec. in Vet. Test. (II. Ed. 2, p. 213 sqq.; cfr Synopses libr. sacr. p. 189 sqq.); quoniam autem singula membra suis in locis in Commentario diligenter expendemus hic extrema tantum lineamenta indicabimus; in libri indice autem accuratiorem eius habes synopsin.

culis liberavit, Aegyptios et Chananitas eodem tempore ob impietatem et idololatriam gravibus poenis castigans (10,15-12,27). Ab aegyptiacae et chananaeae idololatriae commemoratione ansam arripit, ut longiore in digressione stultitiam ac malitiam idololatriae universae carpat (13,1-15,19). Ad thema autem suum reversus Israelitarum felicem sortem cum Aegyptiorum plagis comparans ostendit, quam diversi sint sapientiae fructus et impietatis effectus (16,1-19,20).

Alii tamen interpretes ad argumenti amplificationem magis attendentes alias libri divisiones praetulerunt. Quorum plerique (ex catholicis ex. gr. *Welte* Einl. II. 3, p. 161, *Kaulen* Einl. Ed. 3, p. 331, *Zschokke* Hist. sacra V. T. Ed. 3, p. 374 etc.; ex acath. *Grimm* l. c. p. 4., *Keil* Einl. p. 754) tres partes statuunt, quas *Zschokke* his verbis indicat; a) « invitat auctor ad studium sapientiae, cuius vim magnificis verbis effert eamque hominibus, praecipue regibus et principibus commendat (1-5); b) assumpta Salomonis persona originem, impetrationem et commoda verae sapientiae pendit (6-9); c) efficaciamque sapientiae divinae ostendit exemplis, ex historia populi electi atque Patriarcharum a creatione usque ad Moysen petitis (10-19); praeterea de origine et turpitudine idololatriae disputat » (13-15). Quibus *Gutberlet* merito opponit primam et secundam partem argumentis, quae tractantur, haud satis inter se differre; quare duas partes, quarum alteram *speculativam* (1-9), alteram *historicam* vocat (10-19) distinguit. Sed historica quoque pars, quamquam in exemplis enarrandis potissimum versatur, speculativis expositionibus (ex. gr. in digressione de idololatria 13,1 sqq.) nequaquam caret, atque similiter prior pars speculativa ab initio c. 7 nonnulla saltem habet, quae historia vocari possunt. Quamobrem ex forma externa generalem divisionem desumere maluimus.

5. — Ob liberiorem ergo modum, quo Sapiens noster argumentum suum explicat, certa quidem et accurata divisio ex solo argumento desumi non potest; at divisionum propositarum varietas tanta non est, ut libri unitatem incertam dubiamque reddat. Eam ipsi moderni critici agnoscunt (cfr *Gr.* l. c. p. 9-15; *Siegfr.* I. 479 etc.) atque praedecessorum suorum labores, quibus maxime ineunte saec. 19. librum variis ex operibus quasi conflatum aut conglutinatum demonstrare voluerunt, irritos fuisse eorumque sententias hodie obliteratas esse fatentur. Quare memoriae tantum causa praecipuos eorum conatus breviter indicabimus.

a) Nonnulli in argumenti potissimum ratione causam invenerunt, cur librum variis auctoribus attribuendum dicerent.

Inter quos primus *Houbigantius* prima novem capita ipsi Salomoni, reliqua alteri auctori adiudicavit, qui idem priorem partem ex hebraeo in graecum reddidisse dicitur; hinc duo opera revera haberi censet, quae ideo tantum, quia continenter scripta sint, speciem unius prae se ferant. Attamen sententia, quae 9,18. 19. legitur, clausula terminati operis cuiusdam esse non potest, cui alterum alterius auctoris adiunctum sit, sed duas partes vel duo capita eiusdem operis intime coniungit : καὶ οὕτως διωρθώθησαν αἱ τρίβοι τῶν ἐπὶ γῆς, καὶ τὰ ἀρεστά σου ἐδιδάχθησαν ἄνθρωποι, καὶ τῇ σοφίᾳ ἐσώθησαν. Haec enim sententia evidenter thema omnium eorum, quae sequuntur exhibet, particulis autem καί — οὕτως ad praecedentia nos remittit. Alias duas partes *Eichhorn* distinguit, quae aut diversis auctoribus debeantur aut ab eodem quidem auctore sed neque eodem consilio neque eodem tempore conscriptae sint; ita ut duo adsint opera, quorum prius cpp. 1,1-11,1, alterum cpp. 11,2-19,20 complectatur. Quae libri diremptio pariter violenta est. Namque illa sententia : εὐώδωσε τὰ ἔργα αὐτῶν ἐν χειρὶ προφήτου ἁγίου (11,1) opus proprium non aptius concludit, quam altera : διώδευσαν ἔρημον ἀοίκητον, καὶ ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνάς (11,2) novum opus incipit; immo altera ipso subiecto caret, quod ex pronomine αὐτῶν sc. δικαίων praecedentis sententiae, qua primum opus absolvi dicitur, suppleri debet.

Iuxta *Bertholdt* altera pars vel potius alterum opus a 13,1. initium sumit, eius autem auctor primum imitatus est ad illudque suum accommodans utrumque in unum compegit. Sed legenti dubium non est, quin iis, quae 12,23-27 continentur, dissertatio de idololatria praeparetur, atque ipsa particula γάρ, qua 13,1 inchoatur, legentem ad praecedentia remittit. Praeterea omnia illa, quae 16,1-19,20 exponuntur, intime cum 11,15. 16 coniungi evidens est; illis enim argumentatio e rebus gestis petita et 11,5 incepta amplificatur clariusque ostenditur illa, quae Aegyptiis exitio fuerant, Israelitis saluti fuisse; neque profecto commentatio illa, quae 11,17-12,2 interposita est, contextum turbat, consilio autem Sapientis optime convenit.

b) Alii ob varium, quod in variis partibus inveniatur, scribendi genus varios auctores statuunt, quum non satis attendant eundem quoque auctorem eodem in opere pro argumenti parte, quam tractet, aut pro affectu, quo in hac vel illa parte scribenda regitur, aut pro fontium quibus utitur diversitate stilum suum interdum variare. His autem et similibus causis leves differentiae stili, quas nonnullis in locis inveniri non plane negamus, satis superque explicantur.

Immerito ergo *Bretschneider* ob sermonis stilique varietatem tribus diversis opusculis nostrum constare asserit, quorum primum (1,1-6,8) sit fragmentum maioris operis a Iudaeo palaestinensi tempore Antiochi Epiphanis hebraice conscripti, alterum (6,9-10,21) ab alexandrino quodam Iudaeo Christi ac Philonis aetate exaratum, tertium (11,1-19,20) item eius-

dem aetatis Alexandrino, quaeque omnia tria deinde a tertio Alexandrino, qui ex suis cp. 11 inseruit, in nostrum opus sint compacta. Quae placita ex eo probare conatur, quod in altera parte (6,9-10,21) scribendi genus valde artificiosum ac poeticum, quin etiam nonnullis in locis sublime ac splendidum sit, dictio autem primae partis (1,1-6,8) admodum simplex non tantum omni arte et ob graecarum particularum defectum colore vere graeco careat atque etiam continuis suis parallelismis frequentibusque suis hebraismis hebraicam suam originem prodat.

Quam obiectionem ab Houbigantio iam (saltem ex parte) factam egregie ipse *Grimm* in hunc fere modum refutat : Finge, inquit, elationem atque altitudinem orationis in altera tantum parte, ut iste putat, deprehendi, nonne ex argumento id satis declaratur? Auctor enim attributa, emolumenta virtutemque sapientiae celebrat, quae profecto nata apta sunt, ut auctorem, qui temperato orationis genere uti solet, divino quasi afflatu concitet abripiatque, praesertim quum eadem a maioribus iam tanta cum sublimitate et magnificentia descripta reperiantur (cfr *Prov.* 8,22-31; *Eccli* 1,1-14; 24,1-32). Porro in prima parte loci artificiose compositi sublimesque minime desiderantur. Quanta vis orationis in atheis se mutuo exhortantibus cernitur (2,1-19)! singula fere verba, quibus seipsos ad voluptates provocant, poetas graecos in memoriam reducunt (2-7). Accedunt imagines accumulatae, quibus Sapiens gloriam futuram iustorum, qui multa in hac vita pertulerunt, describit (3,1-8), progeniem impiorum numerosam, quamvis ad tempus efflоruerit, defecturam praenuntiat (3,16-18; 4,3-6), conscientiae stimulos amplificat, quibus impii pristinorum scelerum recordati in iudicio et altera in vita vehementissime mordentur (5,2-10). Contra etiam in altera parte vel opere, ubi preces referuntur (c. 9) et res gestae narrantur (c. 10), oratio, ut argumentum fert, simplex est et arte fere caret; atque temere quoque asseritur parallelismos in ea non reperiri (cfr 6,10-17. 24; 7,7-16; 8,9-18; 9,1-9; 10,18-21). In tertia utique parte parallelismus rarior invenitur; sed quis in ea rerum gestarum expositione, quae argumentationi inservire debet, idem dicendi genus quod in iucunda earum narratione exspectabit? Ceterum per totum librum eam constanter cernimus sententiarum coniunctionem, qua sequens effatum velut ratio praecedentis particulis γάρ vel ὅτι annectitur (cfr 6,15-18; 7,16. 17. 22-26. 28-30; 9,12-15; 11,9. 10. 12-15. 21-23; 12,11-13. 27-13,1; 14,8-15. 27-31; 15,2-4. 15-17; 16,24-29; 17,1-4). Eadem ratione etiam alia argumenta a Bretschneider allata *Grimm* egregie refellit p. (12-14).

Eichornium autem, qui ipse quoque opinionem suam de duobus auctoribus diverso eorum dicendi genere defendere voluit, *Gfroerer* eo iam tempore, quo rationalismo et criticismo plane erat deditus, non minore cum scientia quam vehementia impugnavit eiusque frivolas assertiones acerrima cum ironia carpens eum hominem doctum quidem sed miserum vocare non veretur (II. p. 200-206). Consulto autem haec rationalistarum testimonia attulimus, ut appareat, qua ratione Critici, si Sapientem nostrum impugnant, seipsos conterant.

Omnes prorsus limites *Nachtigall* (Das Buch der Weisheit. Halle 1799) quasi discerpendi libidine abreptus in diiudicando nostro libro transgressus est, quum eum anthologiam quandam diceret variarum de sapientia sententiarum, quae collectae sint ex disputationibus collegii cuiusdam sapientum hebraicorum. Sed haec similiaque ne com-

memoratione quidem digna videntur. Aeque parum de eorum conatibus loqui iuverit, qui *integritatem* libri nostri in dubium vocarunt. Nam hodie omnibus exploratum est, librum integrum, paucis forte sententiis, quae decursu temporis interciderint, exceptis, ad nos pervenisse. Si nonnulli conqueri videntur, quod argumenta dumtaxat ex rebus gestis populi israelitici ab eius ingressu in Palaestinam usque ad Salomonem sint petita, praeprimis respondemus, nostrum non esse auctori praescribere, quae operis argumento sufficere censeat; num forte opus integrum dici non potest, nisi testimonia historica usque ad suam aetatem prosequatur? Praeterea monemus, auctorem iuxta probabiliorem quam sequimur sententiam ex scriptis salomonicis suum tractatum composuisse neque proinde recentiora tempora attingere potuisse. « Ultimus demum versus, quo Deus semper et ubique populum suum magnificasse asseritur, longiorem historiae narrationem reddit inutilem atque totius historiae israeliticae veluti summam proponens aptissima est libri clausula » (*Cornely* l. c. p. 220).

6. — Restat, ut *de divina origine et auctoritate* seu *de inspiratione et canonicitate* libri Sapientiae nonnulla addamus. Cum antiquis Rabbinis palaestinensibus et hodiernis Iudaeis Protestantes eum inspiratum esse negant et inter apocryphos amandant. Attamen alexandrini Iudaei eum in suo canone habuerunt atque Apostoli eum velut divinum adhibuerunt ecclesiisque a se fundatis una cum reliquis Veteris Test. Scripturis in graecam linguam translatis tradiderunt. Hinc a primis fidei temporibus a tota Ecclesia catholica semper eiusdem auctoritatis divinae, atque reliqui libri sacri et canonici, est habitus et hodie habetur.

Alexandrinorum Iudaeorum canonem, qui praeter Scripturas a Palaestinensibus admissas (protocanonicas) etiam nonnullas post Esdrae aetatem conscriptas aut vulgatas (deuterocanonicas) complectebatur, ab Apostolis Ecclesiae traditum ab eaque fideliter per omnia saecula conservatum esse, alibi dissertatione satis ampla et copiosa demonstravi (Introd. gener. Ed. 2, p. 65-153). Ad illam igitur legentes remittens nonnulla adiiciam, quae ad nostrum librum solum spectant.

Eum Apostolis nequaquam incognitum, sed potius, ut ita dicam, frequenti et continuo usu non minus quam reliquas Scripturas S. familiarem fuisse, innumerae allusiones demonstrant, quae praesertim in apostolicis epistolis inveniuntur. Quod ut ostendam, rationalistici cuiusdam interpretis verba attulisse sufficiet. « Prima libri nostri vestigia, inquit *S. Davidson* (Introduction to the Old Test. III. p. 407

sqq.), ad aetatem apostolicam pertinent, quum varii scriptores Nov. Test. se illius scientiam habuisse prodant; etsi enim eum diserte non allegent, in suis tamen sententiis, dictionibus, similitudinibus se ab eo aliqua ratione dependere manifestant... Post diligentem Nitzschii inquisitionem (cfr Zeitschr. für christl. Wissenschaft u. christl. Leben 1870 *N.* 47-49) negare nemini amplius licet, multa adesse, quae nostro libro apocrypho (lege : deuterocanonico) cum scriptoribus apostolicis communia sunt, inter quae haec memoratu sunt digna. Sapientiae enim descriptio, quae *Sap.* cpp. 7-9 legitur, procul dubio praelusio quaedam est in evolutione (lege : ad revelationem) doctrinae apud S. Ioannem Apostolum de verbo Dei (cfr Sap. 8,3 sqq. et *Ioan.* 1,1; *Sap.* 9,1 et *Ioan.* 1,3 etc). Praeterea inter se conferri merentur *Sap.* 16,5 sqq. et *Ioan.* 3,14 sq.; — *Sap.* cpp. 13-15 et *Rom.* 1,20-32; *Sap.* 11,16 et *Rom.* 1,21; *Sap.* 15,7 et *Rom.* 9,21; *Sap.* 12,20 sq. et *Rom.* 9,22 sq.; *Sap.* 11,24 et *Rom.* 11,32; — *Sap.* 3,18 et 1 *Thess.* 4,13; — *Sap.* 7,26 et *Hebr.* 1,3; *Sap.* 7,22 sqq. et *Hebr.* 4,12 sq.; *Sap.* 9,8 et *Hebr.* 8,2 et 9,11; — *Sap.* 6,6. 24 sqq. et *Iac.* 2,13-16; *Sap.* 7,25 ac 1,4 et *Iac.* 3,15; — *Sap.* 3,5-7 et 1 *Pet.* 1,6 sq.; *Sap.* 3,7 et 1 *Pet.* 2,12. In hac autem textuum comparatione ad voces dictionesque (graecas) adhibitas non minus quam ad sententias ipsas attentio convertenda est; quod si fiet, facile apparebit, tam frequentem consensum inter auctorem Sap. et scriptores Novi Test. neque ex communi eorum iudaica educatione vel sentiendi ratione neque ex eorundem locorum Veteris Test. recordatione et usu exortum esse, uti *Grimm* (l. c. p. 35) sibi persuasit. »

Ultima haec assertio maximi est ponderis cum eaque consentiunt non tantum multi protestantici commentatores Novi Test., qui Apostolos librum nostrum cognovisse eiusque sententias nonnullas secutos esse suasque fecisse aut ad eas allusisse concedunt (cfr ex. gr. *B. Weiss* Comm. z. Römerbr. p. 87 sq. 470; *Heinrici* in 1 *Cor.* p. 160; in 2 *Cor.* p. 146; *W. Schmidt* in *Eph.* p. 311; *Abbot* in *Eph.* p. 184 sq.; *Klopper* in *Eph.* p. 181 etc.) sed etiam alii protestantici interpretes, qui Paulum prae reliquis Apostolis « Sapientiam Salomonis » adhibuisse diserte probant (cfr *Grafe* Das Verhältniss der paulin. Schriften zur Sapientia Salomonis, Freiburg 1892; *Schürer* Gesch. des jüd. Volkes Ed. 3, III. p. 381; *Thackeray* The Relation of St. Paul to contemporary jewish thought. London 1900, p. 223 sqq. etc.). Iamvero ex eo, quod Apostoli in suis epistolis tam frequenter, uti exempla a Davidson allata ostendunt, nostro libro usi sint, rite colligimus illum ab iis pro sacro et divino habitum esse; eos enim librum profanum, nedum apocryphum, continua lectione ita sibi quasi proprium reddidisse, ut

etiam non attendentibus sententiae similitudinesque eius quasi sua sponte occurrerent, nemo prudens facile concesserit.

Quapropter nemo quoque mirabitur, quod eos nostrum librum una cum reliquis alexandrini seu hellenistici canonis S. Scripturis ecclesiis a se fundatis tradidisse asseramus. Id enim satis demonstratur continuo eius usu in Ecclesia catholica, siquidem a primis fidei temporibus a SS. Patribus et ecclesiasticis scriptoribus semper eadem ratione, qua alii libri divini, pro auctoritate adhibebatur et allegabatur, uti etiam in coetibus ecclesiasticis una cum aliis S. Scripturis publice praelegi solebat. Id suo iam tempore contra Massilienses, qui argumentum ex Sap. 4,11 desumptum repudiarunt, *S. Aug.* (de praedest. sanct. 14,27 sq. *M.* 44,980) monuit : non debuit, inquiens, repudiari sententia libri Sapientiae, qui meruit in Ecclesia Christi de gradu lectorum Ecclesiae Christi tam longa annositate recitari et ab omnibus christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos fideles... cum veneratione divinae auctoritatis audiri. Certe enim si de divinarum Scripturarum tractatoribus, qui fuerunt ante nos, proferrem defensionem huius sententiae, quam nunc solito diligentius atque copiosius contra novum Pelagianorum defendere urgemur errorem... hi fratres, pro quibus nunc agimus, acquiescerent... Sed qui sententiis tractatorum instrui volunt, oportet, ut istum librum Sapientiae... omnibus tractatoribus anteponant; quoniam sibi eum anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testes adhibentes nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt. » Summo cum iure S. Augustinum id asseruisse facile probatur. Etenim in *Doctrina duod. Apost.*, quod opusculum ipsi aetati apostolicae originem debere iure creditur, saltem tres allusiones certae ad lib. Sap. iam habentur, atque multo plures in *S. Clementis Rom.* ep. 1 ad Cor.; satis probabiles autem neque in homilia quae *S. Clem. R.* 2 ad Cor. vocari solet, neque in *S. Hermae* Pastore desunt; ab auctore *fragm. Murat.* ita nominatur, ut dubium non sit, quin eum canonicum habuerit, et a *S. Irenaeo* non tantum in opere c. haer. saltem bis eius verba quaedam adhibentur, sed teste Eusebio etiam in altero opere hodie deperdito diserte allegabatur. Certum porro est, *S. Hippolytum, Tertullianum, Lactantium, S. Cyprianum, S. Luciferum Calarit., S. Ambrosium* eum velut propheticum et canonicum adhibuisse et Salomoni auctori (utique erronee) attribuisse. Similiter velut salomonicus et divinus frequenter a *Clemente Alex.* adhibetur et allegatur, atque frequentius velut divinus et canonicus ab *Origine,* qui de eius origine salomonica iam dubitavit; quos deinde ex Patribus graecis Augustino antiquioribus secuti sunt *Eusebius Caes., S. Methodius,*

S. Athanasius, *S. Epiphanius*, *SS. Basilius* et *Gregorius Naz.*, S. *Didymus Alex.*, *S. Chrysostomus* etc.; quorum singula testimonia referre supersedemus, quia, si quis iis indiget, collecta ea inveniet in nostra Introd. in Vet. Test. (Ed. 2, II. p. 229 sqq.) et ab E. *Schürer* (Gesch. des jüd. Volkes Ed. 3, III. p. 381 sq.).

S. *Hieronymus* quidem (in Praef. ad libros Salomonis) Sapientiam Salomonis non tantum pseudepigraphum dixit, sed etiam eam ad aedificationem plebis legi, at non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam « afferri » posse censuit, eiusque auctoritate nonnulli theologi mediae aetatis permoti sunt, ut de divinitate et canonicitate libri nostri dubitarent. Longe plerique tamen S. Hieronymi, qui ipse frequenter Sapientiam velut divinam et canonicam adhibuit et allegavit, exemplum quam theoreticam opinionem sequi maluerunt, atque omnes dubitationes evanuerunt, postquam ab Ecclesia in Conciliis *Florent.*, *Trident.*, *Vatic.* genuinus Vet. Test. canon definitus est. Haec autem accuratius non persequimur, quia ad historiam canonis potius pertinent; de difficultatibus autem, quae ex quibusdam libri nostri narrationibus et ex nonnullis sententiis, quibus errores philosophici doceri dicuntur, contra divinam eius originem a Protestantibus motae sunt ac hodie moventur, in Commentario disseremus.

§ 2. — *Quae sapientia commendetur.*

1. — Quaestionem hanc non tam contentiosa disceptatione, quasi adversarii essent convincendi aut refutandi, quam plana et pacata expositione eo consilio tractabimus, ut legentes veram sapientiae, de qua agitur, notionem edocti eam suis in locis facilius deprehendant ex iisque ipsi accuratius expoliant perficientque. Auctor autem noster sapientiam proxime tamquam virtutem practicam divinitus traditam commendat, qua homo ad ultimum suum finem, i. e. ad Deum, adducitur cum eoque coniungitur; unde sapientia ei etiam est ipsa perfecta conformatio vitae hominis ad divinam Legem sibi datam pleneque cognitam[1]. Quod assertum paucis evolvendum argumentisque, ubi opus est, confirmandum videtur.

1. Cf. *Knabenb.* in *Iob* 28,12. « Sapientia in sacris literis, praecipue in libris sapientialibus, multa complectitur; in universum quidem rerum cognitionem dicit amplissimam, sed eam, qua res singulae ad Deum auctorem et gubernatorem referuntur; magis proprie est rerum cognitio divinitus data vel inspirata, qua res ex norma divina rite perspectae et apte explicentur et ordine atque consilio ad usum adhibeantur; proponitur tamquam quaedam sapientiae et scientiae participatio a Deo ipso subministrata, qua amicos suos reddit insignes ».

a) Primum igitur Legem consideremus, quam Sapiens ante oculos habet. Nulla quippe lex non praecipit opera virtutum (alioquin non vera lex, sed corruptio legis est); quapropter qui legibus reipublicae obedit, perfectus civis habetur. Sapiens noster autem id agit, et molitur, ut contribules suos ad Legem maiorum observandam retinendamque inducat; neque enim legem commendat, quae ab homine lata bonos tantum cives efficit, sed Legem praedicat, quam Deus ipse populo electo constituit, quaeque non tantum de republica civili agit, sed potissimum de societate religiosa, cuius socii boni quidem cives, praeprimis autem homines vere sancti ac pii in Deum sint oportet; quare populus ipse quoque iustus ac sanctus vocari solet utpote ad cultum divinum singulari modo destinatus. Uti autem libris Moysis, qui corpus Legis quasi constituunt, ipsa praecepta continentur, ita in libris sapientialibus animus et consilium Legis magis exponitur, i. e. virtutes commendantur ac vitia vituperantur. Atque eas virtutes Sapiens maxime celebrat, quibus homo ad Deum recte disponitur, veluti fidem, spem, caritatem, humilitatem pietatemque in Deum; neque tantum crimina, quae societatem impetunt et lege humana puniuntur, sed peccata etiam interna, quae ipsa quoque Deum offendunt et lege divina prohibentur, insectatur. In hac igitur perfecta conformatione ad Legem quae summa perfectio hominis est, sapientia consistit, ita ut cognitione quidem Dei legumque divinarum nitatur, sed operatione i. e. fideli legum observatione, compleatur; id quippe proprium huius sapientiae est; neque enim, qui dumtaxat legem cognoscit, sed qui cognitam exsequitur, perfectus ac sapiens habetur.

b) Ad eandem sententiam perveniemus, si ad notionem sapientiae animum attenderimus. Qui causas cognoscit, ex quibus eclipsis solis oritur, eius scientiam habere, qui autem causas conditionesque universim tenet, a quibus cuncta eiusmodi phaenomena proveniunt, sapiens eo in genere dicitur. Et quum diversa sint genera rerum, multiplex quidem sapientia distinguitur, sapientissimus autem is est, qui Deum causam omnium summam contemplatur et ex ea cognita de rebus humanis iudicare solet. Verum ex usu communi sapientia vocatur, quae cum operatione coniuncta est seu operantem dirigit : sapientia inquam praecipue intelligitur, quae circa causam finalem versatur ad eandemque hominem adducit, quatenus eum impellit, ut aptis mediis finem obtineat; ducem enim sapientem vocamus, qui regulas suae artis callens et exercens victorias victoriis cumulat. Finis autem totius vitae humanae Deus est; is igitur vera sapientia pollet, qui Deo inhaeret et ab eo motus omnia sua opera ad eum refert.

Neque enim sapiens vocari meretur, qui finem ultimum cognovit, sed eum negligit; contra vero is homo pravus ac impius est.

Eum usum in sacris libris deprehendimus, ubi de sapientia (חָכְמָה) et sapiente (חָכָם) sermo est[1]; uti enim finis multiplex est, ita sapientia multiplici sensu accipitur. Namque ipse artium peritus iam sapiens dicitur (*Is.* 3,3; 40,20; 1 *Paral.* 22,15; 2 *Paral.* 2,7. 13; *Ex.* 31,6; *Ierem.* 10,9); simili modo nomine sapientiae peritia artificis significatur (*Ex.* 28,3; 31,6; 36,1. 2). Sensu magis usitato, qui non tam opera artis quam ipsam agendi rationem moresque respicit, utrumque nomen frequentius occurrit (cfr *Gen.* 41,8; *Prov.* 1,6; 10,1; 13,1; 2 *Reg.* 13,1; *Eccl.* 2,14; 12,11; *Iob* 11,6; 12,2. 12; 13,5; 15,8; 26,3). Prae ceteris autem sapientia *virtutem* (*Ps.* 36,30) et *pietatem* in Deum (*Ps.* 110,10; *Prov.* 9,10; 15,30) complectitur : « Ecce timor Domini est sapientia et recedere a malo intelligentia » (*Iob* 28,28). Praeclarissime iam Moyses ad populum : « scitis, inquit, quod docuerim vos praecepta atque iustitias, sicut mandavit mihi Dominus Deus meus : sic facietis ea in terra, quam possessuri estis : et observabitis et implebitis opere. Haec est enim vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa pracepta haec dicant : En populus sapiens et intelligens, gens magna » (*Deut.* 4,6 sqq.). « Hac nihil frequentius commendat Salomon in *Prov.* et Siracida in *Eccli.*, eam tamquam matrem inducentes ad sua monita suscipienda parvulos invitantem et ad legis Dei custodiam exhortantem et uti magistram docentem vias vitae, ut eas ingrediantur et vias mortis ut fugiant » (*Castro* Isagoge cap. 4).

c) Sapientia porro, quatenus homini inhaeret eumque perficit, saepe iustitia vocatur. Iustitia proprie quidem ad alterum dicitur et quoddam quasi vinculum est, quo rerum ordo continetur. Duplex autem ordo rerum, alter omnium ad Deum, alter rerum inter se distinguitur; priore ordine alter efficitur qui ipse deinde ad priorem refertur. Homines enim quando inter se bene sunt dispositi, alter alteri in fine ultimo procurando opem auxiliumque afferet; fieri autem non potest, ut bene inter se disponantur, quum primum eorum ordo ad Deum est perturbatus. Summa igitur hominis perfectio in eo est, ut ad Deum et ad proximum bene se habeat; quae quidem necessitudo nomine iustitiae directe exprimitur. Alia nomina, quibus sapientia significari solet, veluti φρόνησις 4,9; εὐσέβεια 10,12, expositione non indigent.

Iustus ipse vocatur sanctus, amicus Dei et simpliciter perfectus (4,13);

1. De quibus vocabulis hebr. cf. *Gesen.* Thesaur. ling. hebr. I. 472 sq.

sapientia « enim infinitus est thesaurus hominibus, quo qui utuntur, amicitiam cum Deo sibi conciliant » (7,14). Consequenter iustorum defunctorum animae dicuntur in manu Dei esse; « visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace » (3,1 sqq.; 4,7; 5,1 etc.). Attamen is, a quo sapientia abfuerit, etsi alioquin consummatus habeatur inter filios hominum, in nihilum computabitur (9,6). Neminem enim diligit Deus nisi eum, qui cum sapientia inhabitat (7,28); neque in malevolam animam introibit sapientia (1,4). Ultima nixus sententia rem novo argumento illustrat *Estius* (Annotationes in S. Script. in h. l.) : « Si sapientia, inquit, non esset aliud, quam cognitio nuda rerum divinarum et humanarum, qualis a Platone definita est, posset intrare in malevolam animam : sapientia ergo alia hoc loco intelligenda, scilicet rerum divinarum notitia affectuosa, eamque Scriptura sacra tum hic tum alibi commendat. De hac *Augustinus* : Hominis, inquit, sapientia pietas est. Ita enim scriptum est in *Iob* 28,28 : Ecce pietas ipsa est sapientia; pietas autem, inquit, ea intelligitur, quae graece dicitur θεοσέβεια, id est, cultus Dei. Colitur autem Deus fide, spe, caritate. Ita ille in Enchirid. c. 2 [1]. Ex quo manifestum est, quare sapientia non intret in malevolam animam nec habitet in corpore subdito peccato, nempe quia ubi est caritas, ibi malitia seu fraudulentia cordis esse non potest ».

Eadem quoque notio sapientiae inhaerentis seu iustitiae libris Novi Testamenti congruit. Procul dubio nomina sapientiae ac iustitiae variis significationibus a Novi ut a Vet. Test. scriptoribus usurpantur; attamen iustitia, de qua Paulus in epistola sua ad *Rom.* agit, re non differt a sapientia inhaerente, quam Sapiens contribulibus suis commendat. Duo tamen Apostolus, uti res fert, clarius accuratiusque inculcat : primum quidem iustitiam quam etiam Veteris Testamenti sanctos ex fide habuisse docet, non cum Vetere, sed cum Novo Foedere esse coniunctam, neque operibus Legis, quatenus Legis sunt, sed fidei deberi in Messiam venturum; deinde eam totam quantam meritis Christi tribuendam esse. Nihilominus donum illud coeleste, quod Lex vetus per se suis conferre non valebat, credentibus in Christum venturum largita est divina bonitas (cfr 16,17). Atque quemadmodum socii utriusque oeconomiae iisdem omnino actibus ad sapientiam vel iustitiam disponuntur, ita eosdem fructus per eam consequuntur : Liberati a peccato servi fiunt iustitiae, filii et haeredes Dei (*Rom.* 6,18; 8,17; cfr *infra* ad 7,14). Eadem igitur iustitia ab utroque celebratur.

d) Ex iis, quae diximus, efficitur, ut sapientia, quam auctor noster celebrat, intellectum voluntatemque perficiat et hominem cum Deo fine suo ultimo perfecte coniungat; fide enim nititur et caritate completur. Sed virtutes quoque, quae circa alia bona honesta versantur et morales vocantur, comprehendit (8,7. cfr 1 *Cor.* 13,4-8),

1. Non eadem verba sed sententiam S. Doctor l. c. (*M.* 40,231) tradit.

ut merito ἡ πανάρετος σοφία appellata sit[1]. Uti enim caritas omnibus virtutibus imperat, ita omnes ad eam ordinantur, et si quae virtus graviter laeditur, nec ipsa subsistere potest. Status autem iustitiae iuxta donum, quo nititur, status gratiae sanctificantis vocari solet. — Praeterea apparet, cur auctor omnia bona ex sapientia derivet et omnia ad eam referat, immo nonnulla ei tribuat, quae cum ea necessario coniuncta non sunt (7,11. 12. 17-21; 8,8-15). Quum enim « neminem diligat Deus nisi eum, qui cum sapientia inhabitat, quae per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei et prophetas constituit (7,27. 28), non mirum videri debet, quod Deus, sapientiae pater et fons, iis qui cum sapientia conversantur fontes aperiat sapientiae et naturae secreta, scientiarum cognitionem et artium facultates et omnia sapientiae mysteria largiatur et detegat » (*Castro* l. c.). Velut optimus orator Sapiens noster id quod persuadendum sibi assumpsit omni ex parte commendare studens, quum ea aetate litterae florerent, nihil aptius afferre potuit, quam ut Deum per sapientiam non tantum bonae vitae institutiones, sed etiam aliarum artium scientiarumque disciplinas Salomoni elargitum esse referat[2]. Quod autem caput est, sapientia dona naturalia aut ipsas divitias discipulo suo afferens, simul eum de recto eorum usu edocet.

De sapientiae efficacia plurima disserit S. *Augustinus* (de Trinit. XII. 7 et alibi), quae *Castro* (l. c. cp. 3) his verbis comprehendit : « Sapientia intendit rationibus supernis et conspiciendis et consulendis : conspiciendis quidem, secundum quod divina in seipsis contemplatur, consulendis autem, secundum quod per divina tanquam per divinas regulas iudicat de humanis actibus eosque ad Deum ordinat. Nam contemplando Deum altissimam omnium causam et finem, ita ei afficitur sapiens, ut iuxta illum affectum Deum praeferat rebus omnibus vera aestimatione et iudicet nihil cum illo aeque diligendum vel aestimandum et nullius respectu a divina regula, quae est Dei voluntas, unquam recedendum. Deinde res praefert et aestimat iuxta cognitionem, quam de illis habet collatis cum altissima causa, dum qua ratione propius accedunt ad Deum et ad eum promerendum magis conducunt, magis eas aestimat, quo vero longius impediunt, magis contemnit. Ideo virtutem omnibus aliis praefert, honores autem,

1. Quod *Lipsius* (de Clementis Rom. epist. ad Cor. disquisitio. Lipsiae 1855, p. 102) primus coniecit multique cum *Gr.* approbarunt, catalogo attributorum divinae Sapientiae, qui 7,22. 23 legitur, Patres adductos esse, ut sapientiam πανάρετον appellarent et titulo σοφίας παναρέτου libros Prov. Eccli. Sap. comprehenderent, id omni probabilitate destitutum esse patet; neque enim illo in loco de sapientia creata, sed de increata agitur neque quisquam inter Patres unquam locum illum de creata sapientia interpretatus est.

2. Ita fere *Smits,* qui iisdem confirmari censet « librum hunc ad principes gentiles directum esse » (l. c. n. 105), sed immerito, ut diximus.

divitias et voluptates, quae homines insipientes tanti faciunt, vir sapiens pro nihilo habet, quia iuxta regulas divinas Deo proximiorem similioremque reddit hominem ».

2. — « Sapientia, qua formaliter sapientes sumus, est participatio quaedam divinae sapientiae, quae est Deus » (S. *Thom.* Summ. theol. 2, 2, qu. 23, a. 2, ad 1). Hinc facile intelligitur, cur auctor noster sapientiam hominibus a Deo infusam commendans simul etiam ipsam divinam sapientiam celebrare voluerit, et quidem non tantum attributivam sed etiam personalem i. e. Verbum Dei. Revera enim non semper per meram prosopopoeiam sapientiam divinam loquentem agentemque inducit, sed haud paucis in locis Novo Testamento, quod Verbum Dei, aeterni Patris Filium aeternum imaginemque perfectam, nobis clarissime exhibet, certo modo proludens divinam sapientiam personam esse docet a Deo genitam (7,25. 26); neque alius est inter *V. T.* scriptores, qui mirabilem illam relationem originis, ex qua Filius, ratione personae habita, a Patre distinctus, ratione autem naturae ei coaequalis praedicatur, planius indicaverit. Praeterea divinae huius sapientiae illa attributa describit (uti *Scheeben* Dogmatik I. § 110 bene annotat), quae eam summa pulchritudine et amabilitate eminere et ad intimam necessitatem familiaritatemque cum hominibus ineundam inclinari aptamque esse ostendunt, ita ut tamquam mater ac magistra laudetur (cfr 7,21; 8,2 sqq.). Diligenter quoque attendas, virtutes ei attribui, quae et intellectum et voluntatem respiciunt, unde perspicitur, cur etiam sapientia infusa utramque facultatem pariter perficiat (cfr *supra* 1, *d,* p. 20).

Quoniam in libro nostro increata sapientia et creata eodem sapientiae nomine sine ullo addito designari solent atque de iis ita interdum agitur, ut transitus ab una ad alteram vix discerni possit, confusio quaedam exoriri dicitur, quae librum alioquin optime scriptum et insuper inspiratum non deceat. Quam difficultatem S. *Bonaventura* (Comm. in lib. Sap. Prooem. n. 8) iam animadvertit, sed accuratius non tractavit; similiter iuniores ac moderni plerique eam praetermiserunt; quare operae pretium videtur, pauca de ea adiungere.

Difficultas in eo non habetur, quod nonnullae sententiae, si nudae per se considerantur, de utraque sapientia apte exponi possunt; ex. gr. sententiola notissima : « in malevolam animam non introibit sapientia » (1,4), a plurimis de sapientia creata seu infusa intelligitur, quae per prosopopoeiae figuram in animam *intrare* et in ea *habitare* dicatur; alii tamen monent increatam quoque sapientiam sese cum anima iusta coniungere eique inhabitare, ita ut prosopopoeiam illis in verbis admittere non co-

gamur, si ea de sapientia increata intelligamus. Per se ergo duas habemus eiusdem sententiae aptas interpretationes, sed ex contextu satis apparet, utra sit praeferenda; quare confusio omnis evitatur. Neque exoriri patet confusionem eo quod iis in libri partibus, in quibus de rebus gestis agitur, modo sapientia (utique increata) modo Deus velut agens seu causa efficiens nominatur; divina enim sapientia Deus est. Alios tamen adesse locos negari nequit, in quibus subitus et inopinatus transitus statuendus videtur, qui quomodo explicandus sit, non satis constat. *Holcot* (in Comm. ad 10,6 sq.) difficultatem hanc iam attigit ac breviter expedivit : « Declarata gubernatione Sapientiae in liberatione Adae, Noe, Abrahae, in ista parte prosequitur Spiritus S. de mirabili liberatione ipsius Lot... ad declarandum, quantum valet colere Deum; cultum enim Dei vocat sapientiam... Unde indifferenter potest exponi, quidquid tam hic quam superius dicitur vel de sapientia increata, quae est Deus, vel de sapientia creata, id est : verus Dei cultus liberavit et gubernavit electos et sanctos dispositive et meritorie, quia fecit eos dignos gubernatione divina, sicut consuevimus dicere militi : strenuitas tua te fecit militem ». Qua in explicatione *Holc.*, nisi omnia nos fallunt, id ante oculos habuit, quod ab initio cum S. Thoma diximus, infusam seu creatam sapientiam participationem quandam esse ipsius increatae sapientae, quae Deus est. Sapientia quippe divina non tantum ea ratione cum iustis se communicat, ut sit velut cognitum in cognoscente et velut amatum in amante, sed etiam ita ut ipsa iustis vere inhabitare dicatur atque vera quaedam unio inter ipsam et hominem iustum habeatur. Qua unione posita nihil impedit, quominus hominis promotio ad finem ultimum divinae sapientiae velut causae principali et iusto ipsi velut causae meritoriae attribuatur. Ceterum auctor, ut ea quae sunt sapientiae creatae propria, efferat, consulto interdum alio nomine utitur, veluti si dicit : παντὸς δυνατωτέρα ἐστὶν εὐσέβεια (10,12); εὐσέβεια seu *pietas* quippe virtus illa est, qua homo Deo sese reverenter subiicit; quae notio illi contextui apprime convenit; iustus, qui Deo se subiicit, omni re superior probatur.

Haud dissimili modo *Corluy* quaestionem hanc tractat[1]; aliquantulum tamen, ut unam eandemque dicendi cogitandique rationem per totum librum servari clarius ostendat, rem exaggerat, quatenus relationem rerum ad divinam sapientiam universim considerans auctorem semper sapientiam increatam, licet alia atque alia ratione (formaliter, virtualiter, exemplariter, uti scholastici loquuntur), ante oculos habuisse asserat. Ex eius opinione divinae sapientiae modo ea, quae sunt ipsius naturae propria, modo res creatae, quatenus earum causa sive efficiens sive exemplaris est, attribuuntur. Tamquam causam exemplarem eam proponi arbitratur 7,17-21, quia « earum rerum rationes in Sapientia increata contineantur »; eodem modo explicari posse putat 6,10 (« ut discatis sapientiam ») et 7,13 (« quam sine fictione didici »); tamquam causam autem efficientem eam intelligi 8,7 (οἱ πόνοι ταύτης εἰσὶν

1. I. *Corluy* La Sagesse dans l'Ancien Test. (Congrès scientif. internat. des Cathol. Paris 1888, p. 61-92).

ἀρεταί); sed alterum sententiae membrum (8,8 καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζει), quod simul affert, de sola sapientia divina, quatenus omnia cognoscit, rectius intelligi videtur[1].

3. — Restat quaestio haud difficilis quidem sed parum iucunda cum modernis nonnullis adversariis acatholicis, qui auctorem nostrum acriter impugnant, sibi ipsis autem aperte contradicentes vel inviti honorificum ei testimonium ferre coguntur. Pro exemplo nominare liceat *Grimm*, quem saepe iam allegavimus et in Commentario saepius allegabimus; una enim ex parte plerasque Sapientis doctrinas egregia interpretatione illustrat summisque encomiis exornat, altera autem ex parte tot simul iniuriosa contra eum iactat, ut merito stupeas, quod tam eximia et tam absurda paucis in paginis a scriptore sanae mentis congeri putaverit. Contra *Eichhorn* ex. gr. non minus acriter quam recte asserit (p. 11) in libro Sapientiae amorem Dei omnia amplectentem gravissime praedicari (11,23-12,1), etiam in hoste dignitatem humanae naturae agnosci (12,8), officium dilectionis erga omnes homines inculcari (12,19. 22), nihilominus ad 7,27 opinatur Sapientem nationibus, per quas divina sapientia se transferat, non comprehendisse nisi solum populum electum; namque « odium, inquit, quo auctor flagrabat adversus exteras gentes, impedivit, quominus eas quoque intelligeret et comprehenderet ». Ubique praeterea repugnantia invenire vult; melius profecto fecisset, si antea in illa, quae requiruntur, ut vera contradictio adsit, diligenter inquisivisset. Iam hoc in loco propositum nobis non est, omnes singulasque captiones ac fallacias adversariorum discutere, sed solam methodum diiudicabimus, qua usi tot errores in nostrum auctorem confinxerunt.

a) Primo autem loco monuisse iuverit, adversarios nostros saepenumero iniustam et quodammodo praeiudicatam argumentandi rationem adhibere. Quasi a priori enim eis constat, Sapientem nostrum fere ubique a graecis suae aetatis philosophis dependere; itaque iuxta eorum opinionem, si sana veraque affert, quibus consona in

1. Eadem in Dissertatione haec addit : Ainsi la Sagesse apprise par Salomon et communiquée par lui aux hommes, ce serait la sagesse éternelle, non pas en elle-même, mais dans son image créée... N'est-ce pas ainsi que saint Paul dit de l'Esprit-Saint qu'habitant en nous, il crie dans le sanctuaire de l'âme fidèle : Mon père (*Gal.* 4,6)? Ce qui est dit de la Sagesse faisant son séjour parmi les hommes, tenant compagnie à l'âme fidèle et la guidant dans toute sa conduite, doit s'entendre sans figure. Ce n'est que la proposition anticipée de la sublime doctrine tant inculquée dans le Nouveau Testament, qui nous révèle l'Esprit-Saint et toute l'adorable Trinité venant en l'âme des justes, y établissant sa demeure et produisant en elle les actes méritoires de la vie éternelle (*Io.* 14,16. 17; *Rom.* 8,15. 16; *Gal.* 4,6 sqq.).

philosophorum libris leguntur, sua ex illis descripsit; si dictionibus graecam philosophiam redolentibus utitur, non eas solas, sed falsas simul Graecorum opiniones cum eis connexas adoptavit etc.; uno verbo adversarii nostri semper ad graecos philosophos provocantes perversis argumentationibus demonstrare conantur, Sapientem doctrinam a maioribus acceptam cum philosophicis commiscuisse erroribus.

Paucis exemplis rem illustrabimus. Ipsa sana ratio dictat, mentem improbam excelsioribus altioribusque disciplinis intelligendis aptam non esse; idem sacri libri tradunt (*Gen.* 6,3; *Ps.* 110,10; *Prov.* 1,7; 14,6; 24,7; *Ierem.* 8,9; *Baruch* 3,11-13, et passim in N. T. 1 *Cor.* 2,14); ridiculum ergo ac fere malitiosum est ad philosophos recurrere, ut ab iis auctorem id (1,4) mutuatum esse insinuetur; similiter quod dignitatem humanae naturae etiam in hoste agnoscat (12,8) ex doctrina Stoicorum petitum censetur. Porro Sapiens, si de « materia informi » loquitur (11,18), materiam aeternam, quae a Deo procreata non sit, statuisse dicitur; si Salomonem inducit affirmantem sese bonam sortitum animam ad corpus quoque incoinquinatum pervenisse, cum Platone praeexistentiam animarum docuisse asseritur, quasi is loquendi modus etiam hodie non sit receptus. Hac ratione optimo cuique auctori inepta affingi posse evidens est. Praeterea nomina notionesque, si ad Deum transferuntur, analogice ac saepe tropice sumi debere non attendentes haud raro ea, quae pulcherrime dicta sunt, pervertunt; ex. gr. si a Spiritu Domini omnia impleri dicuntur (1,7 cfr 7,24; 8,1; 12,1), verba recte explicari negant, nisi Stoicorum anima mundi in auxilium vocetur. Perperam quoque ex Sapientis silentio argumenta sua desumunt; si enim de corporum resurrectione tacet, animi autem immortalitatem commemorat, *Schürer* (l. c. III. p. 380) nescio quo ratiocinio nixus eum Iudaeorum doctrinam de resurrectione cum Graecis negasse infert.

Generatim moderni nostri adversarii placitis pantheismi plus minusve imbuti doctrinis, quas mens solis suis viribus percipere aut intelligere nequit, repudiatis omnique negata revelatione supernaturali, omnia in naturali quodam mentium processu reponunt, qui alia atque alia ratione pro variis aetatibus se prodens omnes necessitate quadam abripiat. Hinc in eorum animis perturbatio ac quasi confusio exoritur, quae efficit, ut ubicunque similia inveniunt, eadem adesse censeant eaque, quae ex revelatione hausta sunt, graecis philosophis, ubi similia habent, deberi proclament. Libenter utique fatemur Sapientem philosophiae graecae ignarum non fuisse eamque interdum adhibuisse, veluti in virtutum cardinalium distinctione (8,7), in attributis Spiritus qui est in divinae Sapientiae describendis (7,22-24) etc.; sed quid mirum, quod Iudaeus alexandrinus contribulibus suis, qui litteras graecas pariter callebant, veritates accommodate exponat, in novam formam, uti diximus, eas redigens, sed ne-

quaquam graecis erroribus eas corrumpens? Simili modo SS. Patres, ut dogmata christiana explicarent, institutis Platonis, scholastici doctrinis Aristotelis usi sunt. Erroribus, quos inveniri sibi persuasit, quasi non contentus *Grimm* (p. 22) tandem concludit auctorem nostrum non nisi primoribus, uti dici solet, labris philosophiam gustasse; ad quae respondemus, Sapientem placita philosophorum persequi noluisse, sed veris, quae dicunt, assumtis et ab omni errore emundatis altissima adiecisse, quae neque philosophis erant nota neque rationi sunt pervia neque ab adversariis, quamdiu praeiudiciis laborant, intelliguntur[1].

b) Altero in loco praecipuum adversariorum praeiudicium, ex quo plurimas obiectiones desumunt, reprehendendum censemus. Hypostaticam nimirum Sapientiam divinam, quam ex Deo genitam Sapiens noster celebrat, idem esse sibi persuadent, quod λόγος, quem eadem fere illa aetate, qua verum Dei Verbum cum hominibus in terra versari voluit, iudaeo-alexandrinus philosophus Philo sibi confinxit mediumque inter Deum, cuius esset filius natu maior, et mundum, Dei filium natu minorem, posuit. Hodie nemo amplius (uti olim nonnulli) librum nostrum Philoni auctori attribuit, at eius errorum vestigia et quasi semina adversarii in eo deprehendere volunt[2]. Ne in

1. Cfr *Corluy* (l. c.) : « Il est incontestable qu'il y a entre ces doctrines platoniciennes et philoniennes d'une part et les endroits du livre de la Sagesse de l'autre part, un accord frappant, affectant non seulement le fond de la pensée, mais encore l'expression. Il n'est pas possible que pareille concordance soit l'effet du hasard. Nous avouons donc volontiers que dans sa description de la Sagesse l'auteur sacré a fait des emprunts au platonisme et qu'il a, en suivant Platon, marché dans une voie à peu près parallèle à celle où entra plus tard l'Alexandrin Philon, mais en s'appropriant des notions platoniciennes, il ne les a pas copiées seulement, il les a épurées des erreurs qui y étaient impliquées, pour les faire servir à l'exposition sublime de sublimes vérités. Les saints Pères ne firent pas autrement, lorsqu'ils élaborèrent l'exposition approfondie des dogmes chrétiens à l'aide des concepts que leur avait fournis le célèbre philosophe. Au moyen âge, ce fut Aristote surtout qui apporta aux théologiens scholastiques toute une armure philosophique pour la défense et l'exposition de dogmes catholiques. Nous disions que le Sage épura les doctrines platoniciennes pour les adapter à l'exposition de la vérité. En effet, nulle part il ne prononce le nom de l'âme du monde; il n'insinue pas même que la sagesse s'unisse à la matière inerte pour lui communiquer le mouvement. Il se contente d'attribuer à la sagesse divine, créatrice et ordinatrice de l'univers et opératrice de la sanctification des âmes, certaines qualités possédées aussi par l'âme universelle en tant qu'elle est censée remplir des fonctions qui sont en réalité l'œuvre immédiate de la divinité. Et lorsqu'il parle de l'action de la Sagesse sur les âmes, l'auteur sacré dit qu'elle pénètre tous les esprits νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων. Elle fait donc une distinction : elle ne se donne qu'aux esprits intelligents, purs et subtils; et ailleurs, à tous les âges elle se transporte dans les âmes saintes, constitue les amis de Dieu (7,23. 27). Pareille restriction est tout à fait contraire au concept platonicien de l'âme du monde. La doctrine du Sage, ainsi entendue, est plus ou moins platonicienne dans son mode d'exposition, mais conforme en tout à la vérité, comme celle-ci nous est connue soit par la droite raison soit par la révélation divine ».

2. Cfr *E. Schürer* Gesch. des jüd. Volkes im Zeitalter Christi, Ed. 3, III. p. 381 : « Es ist

Commentario interpretatio nostra hisce obiectionibus continuo interrumpatur, quaestionem paucis hic expedire placet.

Sapientis nostri doctrinam a Philonis placitis longissime distare, usque ad medium fere saec. 19. omnibus interpretibus persuasissimum erat. *A. F. Gfrörer* sese primum arctam necessitudinem magnamque affinitatem inter Sapientiam divinam nostri libri atque Philonis λόγον θεῖον (divinum verbum) deprehendisse et in lucem protulisse gloriatur[1]; eum autem multi ex acatholicorum ac rationalistarum castris secuti sunt; quare quid de hac affinitate sentiendum sit, inquiramus oportet[2].

Inter omnes constat Philonem in multis suis operibus multa, quae inter se pugnant, statuisse, eique idem quoque in sua opinione de Logo divino exponenda accidisse ita ut quid proprie sibi velit difficillime cognoscatur, adversarii nostri non diffitentur[3]. Ubi de *humano* logo agit, diserte λόγον ἐνδιάθετον (verbum internum vel potius rationem) et λόγον προφορικόν (verbum prolatum seu sermonem) distinguit; neque dubium est, quin etiam eadem ratione suum λόγον θεῖον distinxerit, ita ut unus in Deo ipso sit et maneat, alter in mundo operetur. Ad hos utique epitheta ἐνδιάθετος et προφορικός ipse non adhibuit; ex eius tamen opinione illa etiam ad eos recte adhiberi

nicht daran zu denken, dass Philo selbst der Verfasser sei, was schon Hieronymus als Ansicht einiger erwähnt;... die Autorschaft Philo's ist durch die Verschiedenheit seines Gedankenkreises vollständig ausgeschlossen ». Nihilominus paullo antea p. 379 asserere non dubitavit : « Wir haben hier (in libro Sapientiae) schon die Elemente, aus welchen die philonische Lehre vom Logos als einer zwischen Gott und der Welt vermittelnden Hypostase gebildet ist. Denn die Weisheit hat bei unserm Verfasser auch der Welt gegenüber eine ähnliche Stellung wie der philonische Logos » etc.

1. *Aug. Fr. Gfrörer* Kritische Geschichte des Urchristenthums I. : Philo und die jüdisch-alexandrinische Theosophie. Stuttgart 1831, éd. 2, 1895, duo vol. Hanc partem Gfrörer (nat. 1803) iuvenis scripsit. Altera pars, quae de Evang. S. Ioan. agit, 1838 apparuit. Rationalismo mox abiecto sese studiis historicis dedit atque per ea paullatim eo adductus est, ut etiam protestantismo eiurato (1853) in sinum Ecclesiae reverteretur.

2. Pauca tantum de Philonis doctrina dicemus; qui plura desiderat, philosophi ipsius opera adeat. Hucusque melior eorum editio ea erat, quam *Thom. Mangey* graece-latine curavit (Londini 1742, 2. voll. fol.) cuius priorem partem repetiit *A. Fr. Pfeiffer* (Erlangae 1785 sqq. 5 voll. 8°). Egregiam editionem, quae multa fragmenta etc. recenter reperta continebit, nunc curant (sed graece tantum) *Leop. Cohn et Paul. Wendland* (Berolini 1896 sqq.; prodierunt iam voll. 1-5).

3. Cf. *Gfrörer* l. c. II. p. 1. « Das Ganze der philonischen Lehren bildet ein mürbes und loses Gewebe, kaum durch die Phantasie zusammengehalten. Der Verstand findet überall schneidende Widersprüche; denn fast jede Lehre streitet mit sich selbst und mit ihren Schwestern ». Enumeratis deinde per integram paginam erroribus et sententiis inter se pugnantibus concludit : « Wenn dies nicht ein Gewebe von Widersprüchen ist, so gibt es kein anderes » (l. c. p. 3). — Quot in Philonis doctrina de Logo inveniantur sententiae, quae inter se pugnent, refert *Schürer* l. c. p. 555 sqq. ex *Zeller* Die Philosophie der Griechen III. 2, Ed. 3, 1881, p. 378 sqq.

posse *Gfrörer* (l. c. I. p. 176) multis ostendit; quare iis nominibus utemur. Philoni igitur, omnibus sentientibus, logos divinus, cui epitheton προφορικός competit, est substantia inter Deum et mundum posita et ab utraque distincta, per quam Deus mundum creavit vel potius efformavit; exploratum quippe Philoni fuit, materiam esse ingenitam seu aeternam, malam, Deo contrariam, in quam Deus ipse agere nequeat, quia ab ea maculetur. Praeterea logos ille divinus προφορικός iuxta Philonem neque est ingenitus, sicut Deus, neque procreatus, sicut aliae res procreatae, atque filius Dei natu maior non vocatur nisi in oppositione ad mundum, filium Dei natu minorem. Licet his omnibus adversarii nostri consentiant, multi ex eis tamen animis pendent, utrum logos ille persona haberi debeat necne[1]. Sed quum una ex parte substantia esse dicatur et a Deo et a mundo distincta et altera ex parte nomen ipsum, (λόγον) quo appellatur, et munus (creatoris), quo fungi censetur, omnino postulant, ut distincta haec substantia ratione et voluntate praedita censeatur, non apparet, quomodo quis eum personam esse negare possit. Itaque Philonis λόγος θεῖος προφορικός est persona quaedam, etiam secundum naturam et essentiam suam a Deo distincta et intermedia inter Deum et mundum constituta[2].

Quod si quis hunc Logon philonianum cum divina Sapientia nostro in libro descripta comparare voluerit, sine ullo negotio videbit adversarios nostros a vero longe aberrare eaque, quae inter se plane diversa sunt, ob similitudinem qualemcunque eadem proclamare. Namque evidens est, Sapientiam ita describi ut eiusdem numero naturae cum ipso Deo exhibeatur, atque similitudines quoque, qui-

1. Iure merito *Gfrörer* (l. c. I. p. 243 sqq.) hac de re aeque parum dubitavit atque antiquiores interpretes. Mirum autem est, quod dubitaverit, num auctor noster Sapientiam divinam pro persona habuerit; Sapientem enim arbitratur substantiam quandam inter Deum et mundum ponere eique opera attribuere, quae soli personae conveniant, sed eum eousque non pervenisse, ut eius personalitatem clare cognosceret (II. p. 228). Scilicet Gfrörer ipse non vidit, ab auctore nostro discrimen in ipso Deo poni, quatenus duas personas divinas agnoscit, sed unam solam naturam divinam. Ceterum Sapientem etiam tertiam personam divinam S. Spiritum cognovisse ex nonnullis eius verbis rite colligimus, dummodo ea in Novi Testamenti luce legamus et iuxta novam revelationem interpretemur.

2. Neque ignoramus neque negamus satis multa in Philonis operibus inveniri, quibus logon non esse personam demonstrari videtur; pro more quippe suo philosophus iudaeus sententias, quae inter se pugnant, etiam de logi sui personalitate proponit. Nihilominus omnibus consideratis certum nobis esse apparet, ab eo Logon divinum (sc. προφορικόν) pro persona habitum esse et haberi debuisse. Ceterum haec quaestio in controversia cum adversariis nostris vix ullius est momenti; etenim si logon philonianum personam esse negant, unam ex qualitatibus ei auferunt, quibus eius similitudinem cum Sapientia divina, quae sine ullo dubio in nostro libro velut persona describitur, aliquo modo demonstrare possent.

bus Sapientiae relatio ad Deum illustratur, unitatem naturae perspicue indicant (7,21. 25. 26; 8,3. 4). Profecto creata persona omnium esse artifex, omnia posse, in se permanens omnia innovare, omnes creatos spiritus intime penetrare, omnia a fine usque ad finem fortiter attingere et suaviter disponere nunquam dici potest. Haec et similia soli Deo recte tribuuntur, qui seipsum supremum omnium finem et altissimam causam cognoscens omnia producit et producta ad seipsum ordinat dirigitque. Porro ea quae legatus iussu regis exsequitur, utrique quidem, nequaquam vero eadem ratione, tribui solent; atqui in libro nostro beneficia populo electo collata eodem prorsus modo nunc Sapientiae nunc Deo ita adscribuntur, ut Deus et Sapientia eodem in loco et numero ponantur et inter se exaequentur. Neque vero ita inter se adaequantur, ut Deus et Sapientia velut duo nomina eiusdem *personae* sumi queant; nam ex iis, quae paullo antea diximus evidenter apparet Sapientiam esse *personam*, quae a Deo (Patre) procedit ac proinde distincta est, ei tamen exaequatur, quatenus unam eandemque naturam habent. Nam Sapiens unitatem Dei inculcat, qui omnium artifex ex suis operibus cognoscitur (13,1), et sicut omnia creavit, ut essent (εἰς τὸ εἶναι 1,14), ita sua providentia omnia gubernat, ne vacua (i. e. vana et inutilia) sint suae Sapientiae opera (14,3. 5 cf. 7,21). Logo igitur philoniano, qui substantia est a Deo distincta, nullus in creatione et gubernatione mundi relinquitur locus; Deus autem philonianus, qui neque mundum creare neque in eum agere potest, quia timet, ne a materia maculetur, plane diversus est a Deo, quem liber noster per suam Sapientiam omnia creasse et semper gubernare docet.

Vix opus est, ut de illa criminatione quidquam addamus, qua Sapientia hypostatica velut anima mundi a libri nostri auctore describi asseritur. Utrum Philo cum Stoicis mundum esse ens vivum admiserit suumque logon prophoricon pro mundi anima habuerit necne, aliis relinquimus inquirendum, quia ad nos non pertinet. Quidquid enim hac de re statuitur, certum est ne unam quidem sententiam in toto libro nostro reperiri, quae mundum ens vivum et animatum esse ullo modo insinuet. Nam Sapientia, rerum omnium artifex (7,21; 8,6 etc.), auctori nostro procul dubio est mundi causa efficiens, atque omnis artifex operi suo quodammodo mentem suam imprimit omnisque causa efficiens cum effectibus suis aliquid communicat; sed adversarios nostros, si hinc concludunt Sapientiam esse mundi animam, causam formalem cum causa efficiente confundere evidens est. Verum hae quaestiones ad philosophos pertinent, quibus eas relinquimus, quoniam ne levissimam quidem ansam liber noster nobis dat ad eas tractandas.

c) Demum discrimen quoddam inter Sapientiam et Deum a nostro auctore statui obiicitur; at hanc obiectionem non negamus sed affirmamus. Revera enim Sapiens illud ipsum discrimen inter Sapien-

tiam et Deum, etsi non eadem cum claritate, statuit, quod primis Evangelii sui verbis S. Ioannes asseruit (« In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum »), unam docens esse naturam divinam, duas in eadem numero natura personas; immo vero Evangelista illud nomen λόγος, quo liber noster nunquam Sapientiam designat (de 9,1; 16,12; 18,15, quibus id fieri vulgo asseritur, cf. *Comment.*) adhibere non detrectavit, quamvis a philosophis alexandrinis excusum a Philone in pravum sensum esset detortum (cf. *Knabenb.* Comment. in S. Ioan. Evang. p. 65 sqq.). Mysterium nimirum SS. Trinitatis religionis christianae quidem est primum et altissimum dogma, quod primus Dominus Noster Iesus Christus clare et diserte proposuit Apostolique praedicationibus et scriptis suis propagarunt; at in Veteris quoque Test. libris adumbrata iam erat pluralitas personarum in eadem divina natura. Quae doctrina quum procedentibus temporibus paullatim cum maiore claritate revelaretur, mirum non est, quod in Sapientiae libro, qui unus ex recentissimis Veteris Test. est, iam clarius sit proposita. Nexum quendam inter Proverbia et Ecclesiasticum nostrumque opus etiam adversarii nostri agnoscunt atque progressum quoque quendam in nostro opere sese manifestare concedunt[1]; sed revelatione mysterioque SS. Trinitatis negatis ad Alexandrinos confugere malunt, ut auctorem nostrum sibi ipsi contradicere calumnientur, quasi aliis libris sapientialibus nixus unitatem Sapientiae ac Dei adeo extollat, ut unum idemque esse videantur, et opinionibus philosophorum graecorum suae aetatis fretus discrimen Dei et Sapientiae ita describat, ut Sapientia substantia a Deo distincta dici debeat. Omnino autem teneatur oportet, Sapientiam hypostaticam, quae in Proverbiis iam describitur, clarius revelari in Ecclesiastico et in libro Sapientiae, horumque librorum doctrinam nos ad Logon philonianum non adducere sed ad Dei Filium, qui est in sinu Patris ac perfecta imago substantiae eius (cf. 7,24 sq.).

Sapiens ergo noster a S. Spiritu illustratus et impulsus doctrinam a maioribus acceptam conservavit et excoluit, Philo autem philosophicis Graecorum erroribus eam deturpavit.

1. Cf. *Schürer* l. c. p. 379 : « Unserm Verfasser ist die Weisheit das höchste aller Güter. Indem er aber wie der Verfasser der Sprüche Salomons (*Prov.* 8 et 9) und wie Iesus Sirach davon ausgeht, dass diese Weisheit zunächst bei Gott vorhanden ist, wird dieselbe in seiner Vorstellung zu einer selbständigen Hypostase neben Gott. Seine Aussagen gehen zwar scheinbar nicht wesentlich über das hinaus, was wir schon *Prov.* 8 und 9 lesen. Aber was dort mehr poetische Personificirung der Weisheit ist, wird bei ihm zur philosophischen Theorie ».

§ 3. — *Quae subsidia critica et exegetica in commentario sint adhibita.*

1. — Interpretationis methodum a S. P. Leone XIII encyclicis literis *Providentissimus Deus* iterum commendatam, quam reliqui commentariorum huius Cursus scriptores diligenter servarunt, etiam in Sapientiae libro exponendo religiose retinere studui. Latinum itaque textum, quem velut authenticum *Vulgata Clementina* exhibet, proxime secutus sollerter ubique expendi. Attamen animadvertas velim, latinum Sapientiae librum non tantum ex antiqua versione latina (Itala) transsumptum a S. Hieronymo emendatum non esse, sed etiam imperito indisertoque, ut videtur, translatori deberi, ita ut nonnullis in locis obscurior impeditiorque sit atque vix intelligi queat nisi primigenio textu in auxilium vocato. Quapropter in Commentario graecum textum una cum vulgato latino typis describendum singulisque pericopis utrumque praemittendum duxi, ut latinum, ubi opus erat, ex graeco explicarem sensumque ex eodem accuratius definirem. Simile quid suo iam tempore (a. 1613) *Christoph. de Castro* S. I. necessarium censuit versionemque novam ex graeco adornavit et cum textu vulgato imprimendam curavit; namque « illud, inquit, lectorem praemonitum volo, consuevisse nos [aliis in Commentariis] textum vulgatae paraphrasi quadam illustrare; in hoc tamen libro pro paraphrasi novam ex graeco translationem adiecisse, ut nonnullam diversitatem inter utramque a multis non sine admiratione animadversam et explicemus et ratione addita ad eundum sensum respicere ostendamus » (l. c. cap. 7); immo iam antea (a. 1587) basiliensis editor praelectionum P. Roberti Holcoth de libro Sapientiae etiam novam (suam?) quandam versionem cum graeco textu singulis, quae explicantur, sententiis, praefixit.

Latinum textum ex vulgatae editione Taurinensi (a. 1851), quam S. Congregatio Indicis decreto a. 1856 lato « ceteris editionibus post Clementem VIII vulgatis praestare » declaravit, magna cum diligentia transcribendum curavimus; in commentario autem varias quoque latinas lectiones respeximus, quas ex antiquioribus Patribus et nonnullis codicibus latinis collectas *Fr. H. Reusch* in opusculo, cui titulus est : Observationes criticae in librum Sapientiae (Friburgi 1861) publici iuris fecit. Graecum porro textum iuxta sixtinam editionem (a. 1587) a Val. Loch accurate repetitam (Ratisbonae 1856, 1880) adscripsimus additis variis lectionibus, quas quum ex apparatu critico ab *W. I. Deane* commentariis suis in lib. Sap. inserto (the Book of Wisdom with an Introd., critical apparatus and a commentary. Oxford 1881) tum ex criticis editionibus a *Constant. Tischendorf* (vetus Test. graece iuxta LXX interpretes. Ed. 7 recognita et aucta ab Eber. Nestle. Lipsiae 1887) et ab *H.*

Barklay Swete (The Old Test. in Greek according to the Septuagint. Ed. 2, Cambridge 1896) curatis ita collegimus, ut eas solas reciperemus, quae sensum mutare videbantur, eas vero quae orthographiam tantum vel similes minutias spectabant aut apertae debebantur librarii negligentiae, praetermitteremus. Tischendorf in primis suis editionibus cum cod. *Vaticano* (B; saec. 4), quem Sixtus V iam secutus erat et Tischendorf accuratius in nonnullis reddidit, solum *Alexandrinum* (A; saec. 5) contulit; inde a 4. editione tamen aliquas varietates ex cod. *Sinaitico* (ℵ; saec. 4) et fragmentis cod. Ephrem rescr. (C; saec. 5) adiecit, Nestle autem in appendice ed. 7 diligentem collationem quatuor illorum codicum instituit. Swete in nostro libro solos B ℵ A adhibuit, Deane vero B ℵ A C et cod. *Veneto-Marcianum* (saec. 8 vel 9), qui quamvis uncialis sit siglo 23 designatur. Reusch in suis Observationibus criticis ad graeci quoque textus varias lectiones attenderat et praeter quinque codd. nominatorum lectiones etiam aliquorum minusculorum insigniorumque Patrum graecorum atque nonnullarum versionum, imprimis syriacae (*Syr.*), armenicae (*Arm.*), arabicae (*Ar.*) testimonia attulerat; at pleniorem versionum illarum, uti etiam copticarum (sahidicae [*Copt.*] et memphiticae [*Memph*]), aethiopicae (*Aeth.*), syrohexaplaris (*S hex.*), collationem nuperrime edidit *Fr. Feldmann* (Textkritische Materialien zum B. der Weish. Freiburg 1902); solius syriacae autem versionis varietates accuratissime collegit *Ios. Holtzmann* (Die Peschitta zum B. der Weish. Freiburg 1903). Quicunque autem varias lectiones allatas ea qua par est cura et diligentia comparaverit, latinam versionem, prout in Clementina editione legitur, vere egregiam esse fatebitur, licet suis naevis non minus careat quam ipse textus primigenius ex solis codd. graecis emendatus.

Adnotatio editoris. Cum ab auctore commentarii poetica indoles libri Sapientiae agnoscatur et passim de stichis, in quos aliqui versus dividantur, sermo sit, quoniam nec in editione graeca Sixtina nec in latina Clementina hi stichi distinguuntur, *editor huius libri curavit, ut tam in columnis graecis latinisque textus sacri quam in commentario ipso literis initialibus maiusculis initium uniuscuiusque stichi indicaretur.* In qua textus divisione secutus est, paucis locis exceptis, editionem Henrici Barclay Swete (Cambridge 1896).

2. Primis octo saeculis liber Sapientiae nullum invenisse videtur commentatorem, quamvis SS. Patres eum frequenter adhiberent atque nonnulli, praesertim SS. Ambrosius et Augustinus multas eius sententias in dogmaticis et homileticis suis operibus explicarent. *Cassiodorus* (Instit. div. lit. 5) quidem » presbyterum Bellatorem expositionem Sapientiae octo libris absolvisse Patresque Augustinum et Ambrosium nonnullas de ea homilias habuisse » refert; sed primus, qui totum librum accurato commentario illustravit, Rabanus Maurus, se ista non invenisse iam conqueritur. Inde autem a saec. 9. satis multi operam suam in nostro libro exponendo posuerunt; ex eorum igitur operibus praecipua, quae nobis usui fuerunt, recensebimus siglis adscriptis, quibus illa allegabimus.

Rabani Mauri († 840) Commentariorum in Sap. libri tres (*Rab.*) cfr Migne Patrol. lat. 109,671 sqq. — Card. *Hugo* a S. Caro († 1260) Postilla in l. Sap. (*Hugo C.*) cfr Opera omnia Lugduni 1669, III. 139 sqq. — *S. Bonaventurae* († 1274) Comment.

in l. Sap. (*Bonav.*); recentissimam adhibuimus editionem a Patribus Collegii a S. Bonav. curatam in Oper. omn. t. VII, Quarachi 1893. — *Nicolai Lyrani* († 1341) Postilla (*Lyr.*) cfr editionem Venetam 1588, III. — *Roberti Holcoth* O. Praed. († 1349) In lib. Sap. praelectiones ducentae tredecim (*Hol.*); editionem adhibuimus basiliensem a. 1587. — *Dionysii Carthusiani* († 1471) Enarrationes in Sap. et Eccli. (*Carth.*) Parisiis 1548. — *Petri Nannii* († 1557), Prof. Lovan., Scholia et comment. in lib. Sap. (Basileae 1551), quae rarissima sunt, aliquoties ex aliis laudavimus. — *P. Christophori de Castro* S. I. In Sapientiam brevis ac dilucidus Commentarius (*Castro*) Lugduni 1613. — *Ioan. Lorini* S. I. Commentarii in Sap. (*Lor.*), Coloniae 1624. — *Corn. a. Lapide* S. I. Comment. in l. Sap. (*Lap.*); editionem adhibuimus inter eius Opera omnia Parisiis tom. VIII receptam. — *Cornelii Iansenii Iprensis* episcopi Analecta in Prov. Eccle. Sap. (*Ians.*) exhibita in *Migne* Scripturae Cursus compl. t. XVII Parisiis. Auctor pater est Iansenismi ideoque caute nonnullis in locis legendus; (patruus eius Cornel. Iansenius, episcopus *Gandavensis*, quoque Annotationes in l. Sap. Antwerpiae 1589, 1614 edidit, sed eas invenire non potuimus); *Guil. Smits* Ord. min. Sapientia vulgatae editionis elucidata (*Smits*), Antwerpiae 1749; — *A. Calmeti* O. S. B. Comm. in omnes libr. sacr. tom. VII (*Calm.*), Wirceburgi 1792; — *Ioan. Maldonati* S. I. (*Mald.*), *Estii*, *Marianae*, *Em. Sa* S. I., *Thom. Malvendae* O. Praed. (*Malv.*), *Menochii* S. I., *Tirini* S. I., *I. B. Bossuet* (*Boss.*) scholia annotationesque ex tom. VII Bibliorum sacr. vulgatae editionis cum selectissimis commentariis (Venetiis 1751) desumpsimus. Eidem operi « accedunt Romanae correctiones ac lectionum varietates a Francisco *Luca Brugensi* observatae et notationes in loca variantia ab eodem concinnatae », quas Fr. Hr. Reusch in suis iam Observationibus adhibuit.

Saeculum 19. haud multa quae consuleremus nobis praebuit catholica; nam praeter scholia germanica, quae librorum sacrorum versionibus germanicis suis addiderunt *I. Fr. Allioli* (*All.*), Nürnberg 1830; Ed. 7. stereot. Regensburg 1887 atque *Val. Loch* et *W. Reischl* (*Loch*) Ed. 3, Regensburg 1885, soli nobis praesto fuerunt *I. A. Schmid* Das Buch der Weisheit übers. u. erklärt (*Schmid*), Wien 1858; — *Const. Gutberlet* Das Buch der Weisheit übers. u. erklärt (*Gutb.*), Münster 1874; — *H. Lesêtre* Le livre de la Sagesse (*Les.*), Paris 1880; — *I. K. Zenner* S. I. Der erste Theil des B. der Weisheit 1,1-6,24 (*Zenn.*) in Innsbr. Zeitschr. für Kath. Theol. 1898, p. 417-431; — *Ios. Corluy* brevem commentarium latinum auditoribus suis lithographice describendum curavit (*Corl.*), Lovanii 1874, quem etiam adhibere nobis licuit. Idem dissertationem egregiam edidit a. 1888 : La Sagesse dans l'Ancien Test. Congrès scientif. intern. de Paris 1888); antea iam *anonymus* quidam alia dissertatione doctrinam Sapientis nostri de natura hominis exposuerat (Die Anthropologie des B. der Weisheit in foliis periodicis : Der Katholik 1875, p. 225 sqq.) et *Franz Klasen* optimo opusculo Sapientiam in Vet. Test. libris descriptam cum Alexandrinorum Logo comparaverat (Die alttestam. Weish. und der Logos der jüdisch-alexandrin. Philosophie auf historischer Grundlage verglichen, Freiburg 1878).

Quoniam modernis nostris acatholicis liber Sapientiae non est canonicus, facile intelligitur non multam curam ei exponendo ab eis esse impensam. Accuratum tamen bonumque, dummodo rationalisticae satis multae, quibus deturpatur, opiniones seponantur, commentarium edidit *Wil. Grimm* Das Buch der Weisheit (*Gr.*), Leipzig 1860, quem per totum librum continenter haud sine fructu consuluimus. A Grimm et Gutberlet fere pendet commentarius a *W. I. Deane* editus, quem supra

inter criticos editores libri nostri laudavimus; minoris quoque pretii sunt scholia a *K. Siegfried* versioni suae germanicae adiecta (*Siegfr.*) in *E. Kautzsch* Die Apokryphen u. Pseudepigr. des A. T. 1890 (I, 476-507) et similia scholia, quae O. *Zöckler* (Z.) exhibet in *Strack* et *Zöckler* Kurzgef. Kommentar zum A. u. N. T. IX. Die Apokr. des A. T. 1891, p. 355-404). Breves quoque sed non inutiles sunt notae a *H. Bois* operi suo de philosophiae alexandrinae origine adiectae (Essai sur les origines de la philosophie judéo-alexandrine, Paris 1890 : Notes sur le texte de la Sapience, p. 378 sqq.). Aliorum opera, quae ad unam alteramque quaestionem elucidandam adhibuimus, suis in locis laudavimus.

Haud parvae demum utilitatis ad hellenisticam libri nostri linguam illustrandam nobis fuerunt non tantum « Novus thesaurus philologico-criticus in LXX et reliquos interpretes graecos et scriptores apocryphos » (lege : deuterocanonicos) a *Ioan. Friedr. Schleusner* quinque tomis congestus (Lipsiae 1820, 1821), sed etiam, quum hucusque grammatica hellenisticae linguae ab alexandrinis interpretibus et scriptoribus adhibitae desideretur, opera grammatica graecitatis Novi Testam. a *G. B. Winer* (*Win.* gr. i. e. Grammat. des neutest. Sprachidioms. Ed. 7. a Lünemann emend. et aucta Leipzig 1867), I. Th. *Beelen* (*Beel.* gr. i. e. grammatica graecitatis N. T. Lovanii 1857), *Alex. Buttmann* (*A. Butt.* gr. i. e. Gramm. des neutest. Sprachgebr. (Berlin 1859), *Friedr. Blass.* (*Bl.* gr. i. e. Gramm. des Neutest. Griechisch. Göttingen 1896) composita. Latinam autem linguam vulgarem, qua libri nostri interpres usus est, diligenter persecutus est *Fr. Kaulen* in suo Handbuch zur Vulgata (Mainz 1870) quod opus aliquoties allegavimus (*Kaul.* Handb.).

[Ex quo haec scripta sunt, in lucem prodiit *R. Helbing*, Grammatik der Septuaginta. Laut-und Wortlehre. Göttingea 1907. *N. editoris*].

« His utcunque in limine cognitis a Sapientiae discipulis, qui ad eius foras vigilant et pulsant, iam ad eius intima adyta vocati ingrediamur » (*Castro* l. c.).

COMMENTARIUS.

PRIOR LIBRI PARS

Sua ipsius auctoritate auctor studium sapientiae commendat (1,1-6,23).

Librum Sapientiae, si externa eius forma spectatur, sua quasi sponte in duas discedere partes in Prolegomenis (§ 1,4) iam diximus : Revera ab initio auctor sua auctoritate suisque verbis contribules suos ad diligens sapientiae studium invitat (1,1-6,23), deinceps vero usque ad operis finem Salomonem regem summo prae aliis omnibus hominibus dono sapientiae et intelligentiae a Deo ornatum eiusdem laudes praedicantem inducit (6,24-19,20). Cui libri bipartitioni argumenti quoque quod in alterutra parte tractatur, atque dicendi generis, quod in eis adhibetur, diversitas certo modo suffragatur. Etenim auctor ipse de sola sapientia creata agit totusque in eo est, ut eam singulis hominibus non tantum utilem, sed etiam ad aeternam beatitudinem obtinendam plane necessariam esse demonstret atque hac ratione ad eam sectandam omnes fortiter compellat; Salomon vero praeter creatam etiam increatam laudibus celebrat et utramque ita commendat, ut disertis exhortationibus fere omissis, potissimum quanta eius sit praestantia et virtus, quasi historice ex origine et natura atque ex initiis populi israelitici ostendat.

Prior pars igitur est de sapientia creata seu humana, de qua in Prolegomenis diximus (§ 2,1); imprimis enim felicibus sapientiae practicae, i. e. iustitiae ac pietatis, fructibus atque funestis insipientiae seu impietatis et improbitatis sequelis recensitis priorem sectandam, alteram fugiendam esse inculcat. Tribus autem sectionibus argumentum hoc absolvitur. Sapientiam nimirum commendaturus Sapiens ante omnia improbitatem quamcumque, quippe quae aditum sa-

pientiae praecludat mortemque afferat, vitandam esse docet (1,1-2,25). Deinde thema ipsum aggressus disparibus vel potius contrariis sapientium et insipientium sortibus inter se comparatis contribules suos commonefacit, ut sapientiae acquirendae diligentissimum studium impendant (3,1-5,24). Demum quasi in epilogo quodam principes (quo titulo in exordio iam, uti videbimus, omnes Israelitas Legem fideliter observantes complectitur) prae ceteris ob severius, quod eis propter maiora dona accepta immineat, iudicium sapientiam colere iubet, qua sola ad regnum aeternum pervenire possint (6,1-23). In tres igitur sectiones seu paragraphos hanc partem apte distribuemus.

§ 1. — *Sapientiae studiosis improbitas omnis, quia mortem affert, sedulo vitanda est* (1,1-2,25).

Prima hac sectione, quae introductio quaedam est in totum librum sed maxime in priorem eius partem, Sapiens praecipuum quod sapientiae studio obstat et officit impedimentum removere contendit. Brevissimo enim prooemio, quo libri argumentum universum indicatur et commendatur, praemisso (1,1. 2) hominem improbitate a sapientia, qua ad Deum perpetuamque vitam beatam pervenitur, prorsus separari et ad mortem adduci ostendit (1,3-16) atque improbos, qui animi immortalitate negata libidinibus sese tradunt atque Iustum ipsum opprimere conantur, propter impia et falsa eorum principia et consilia morte aeterna dignos declarat (2,1-25).

1. — *Libri prooemium* (1,1. 2).

1,1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram. Sentite de Domino in bonitate, Et in simplicitate cordis quaerite illum : 2. Quoniam invenitur ab his, qui non tentant illum; Apparet autem eis qui fidem habent in illum.

1,1. Ἀγαπήσατε δικαιοσύνην οἱ κρίνοντες τὴν γῆν. Φρονήσατε περὶ τοῦ Κυρίου ἐν ἀγαθότητι, Καὶ ἐν ἁπλότητι καρδίας ζητήσατε αὐτόν, 2. Ὅτι εὑρίσκεται τοῖς μὴ πειράζουσιν αὐτὸν, Ἐμφανίζεται δὲ τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ[1].

Contribules suos ad sapientiae amorem invitans auctor totum operis sui argumentum quasi inscriptione quadam (« de sapientia diligenda ») complectitur : 1,1. *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram*

1. *VV. LL.* — 2. τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ (non diffidentibus ei, vel uti vulg. habet : *eis qui fidem* i. e. fiduciam *habent in illum*) B ℵ 23, plurimi minusc., *Vulg. Syr.*; minus apte : τοῖς μὴ πιστεύουσιν αὐτῷ (eis qui non credunt illi) A solus cum verss. *Ar. Arm. Copt. Act. Sheæ.*; cfr *Comment.*; unus alterve minusc. habet : τοῖς πιστεύουσιν (credentibus).

(οἱ κρίνοντες τὴν γῆν); *Sentite de Domino in bonitate. Et in simplicitate cordis quaerite illum.* Dubitari nequit, quin prooemii compellatio *iudices terrae* simili epilogi appellationi (6,2 *reges... iudices finium terrae*) respondeat easdemque personas designet; quapropter verbum κρίνειν (*iudicare*) non arcto forensi sensu sententiae in tribunali ferendae, sed per hebraismum ab Alexandrinis transumtum latiore sensu regendi ac gubernandi sumatur oportet[1] (similiter ac hebr. שָׁפַט), ita ut οἱ κρίνοντες τὴν γῆν ii sint, qui publicis muneribus fungentes rempublicam administrant. Atqui contra antiquiores quosdam antea demonstravimus, librum nostrum ethnicis regibus aut magistratibus non esse destinatum, quia illum utpote innumeris refertum allusionibus ad Veteris Test. doctrinas ac personas intelligere non potuissent neque eius hortationibus monitisque aures dare voluissent. Inter illius contribules quaerendi sunt, quos in opere suo exarando ante oculos habuit; atque proxime de illis Iudaeis cogitare licet, quibus Ptolemaei in Aegypto et Seleucidae in Syria haud raro munera publica contulerunt. Verum solis magistratibus librum nostrum non esse conscriptum ex tota eius indole evidenter elucet; quare appellatione *iudices terrae* synecdochice illos saltem Iudaeos simul comprehendi oportet, qui sive ingenio et scientia sive rerum gerendarum peritia sive familiarum suarum nobilitate opibusque privatam quandam auctoritatem inter suos sibi compararunt. Immo vero nihil obstare censemus, quominus illo nomine Iudaeos omnes designari dicamus, quotquot Legem divinitus acceptam fideliter observare studebant; hi enim non tantummodo infelicibus illis idololatris, qui opera manuum suarum deos appellabant, ethnicisque philosophis, quibus non suberat

1. Nomine *iudicum terrae* οἱ κρίνοντες τὴν γῆν hoc loco « ordinem iudicum » (« den Stand der Richter » intelligi non posse etiam *Zenner*, recentissimus huius partis interpres (Innsbr. Zeitschr. 1898, p. 417-429), recte monet; parum recte autem verbum κρίνειν hoc in loco similiter ac *Iob* 7,18 hebraico בָּחַן (exploravit) respondere vult, stichum enim primum vertit : « Gewinnt die Wahrheit (δικαιοσύνην) lieb, ihr Erdenforscher », neque rectius sibi persuadet, nomine « *investigatorum terrae* » designari sapientes huius saeculi, qui rerum creatarum investigatione ad veri Dei cognitionem adduci debeant (id quippe insinuat allegatis nostri libri locis 9,1-3 et 13,4). Eiusmodi enim hominibus non magis quam ethnicis magistratibus Sapiens librum suum inscribere aut potuit aut voluit; ad eius opinionem autem refellendam sufficit annotasse *a*) verbum κρίνειν procul dubio ab Alexandrinis *Iob* 7,18 pro hebr. בחן adhiberi, at בחן ibi non investigandi, sed uti plerumque probandi ac tentandi vel etiam castigandi sensu usurpari; *b*) nomen δικαιοσύνη hic non valere *veritatem* aut *verum* (die Wahrheit), siquidem in toto nostro opere homines non ad speculativam veri investigationem, sed ad studium cultumque boni iustique i. e. ad practicam sapientiam invitantur; *c*) a P. Zenner non satis consideratam esse appellationum, quibus Sapiens in epilogo utitur (6,2.3 βασιλεῖς, δικασταὶ περάτων γῆς, οἱ κρατοῦντες πλήθους), cum nostra synonymiam.

scientia Dei quique a creaturis cognitis ad earum artificem ascendere non valebant, sed etiam illis suis contribulibus, qui ut ethnicos sibi redderent propitios Legem divinam abiecerant, longe superiores fuerunt meritoque eorum iudices appellari potuerunt secundum illud Siracidae : « qui audit sapientiam, iudicabit gentes » (ὁ ὑπακούων αὐτῆς sc. τῆς σοφίας κρινεῖ ἔθνη *Eccl.* 4,16); regia enim dignitate, quae iustis Legis observatoribus est promissa (cfr 3,8; 5,17), iam tempore vitae suae certo modo insigniuntur (cfr. *infra* ad 6,2). Itaque translato sensu Sapiens appellationes istas intelligi voluit, neque id quidquam admirationis habet, quoniam per totum suum librum ne uno quidem nomine proprio utitur sed omnes personas, populos, terras de quibus loquitur quasi aenigmatice proprietate earum quadam designat (cfr ad 10,1 etc.).

Propter translatam autem hanc compellationis (*iudices terrae*) significationem etiam nomen δικαιοσύνης (*iustitiae*) latiore sensu interpretemur oportet. Quodsi regibus et magistratibus dilectio iustitiae commendaretur, haud inepte quidem illam virtutem intelligeremus, qua ordo civilis continetur et « sine qua, inquit *S. Aug.* (de Civ. Dei IV, 4), magna regna non sunt nisi magna latrocinia »; quoniam vero Sapiens omnes Iudaeos qui Legi suae adhaerent ad diligendam iustitiam invitat, perfectam illam conformationem animi ad Legis divinae praecepta cognita designare dicendus est, quam alio nomine sapientiam practicam vocari diximus (cfr Proleg. § 2,1). Quam *iustitiae* explicationem hic admittendam esse ex epilogo apparet, in quo auctor ad nostrum locum respiciens exhortationem suam his verbis terminat : « ad vos, *reges*, sunt hi sermones, ut discatis *sapientiam*... Si delectamini thronis et sceptris, *diligite* (vel potius : *colite et veneramini* τιμήσατε) *sapientiam*, ut in perpetuum regnetis » (6,10.22). Eodem dicto simul edocemur, Sapientem ex duobus verbis, quibus amor in graecis Scripturis exprimitur (ἀγαπᾶν et φιλεῖν), prius non temere elegisse; quamvis enim illa haud raro sine ullo discrimine usurpantur, in eo tamen differunt, quod « ἀγαπᾶν (propter suam cum verbo ἄγαμαι *admiror* cognationem) proprie denotat benevolentiam, quae admiratione, veneratione bonaque existimatione nititur (uti latinum *diligere*), φιλεῖν autem animi inclinationem sensu et affectu concitatam » (cfr *Gr.* Lex. N. T.). Auctor igitur statim ab initio suo ἀγαπήσατε contribules suos iustitiam seu sapientiam altiore et puriore illo amore amplecti iubet, qui omnimoda perfectione et utilitate illius cognitis innixus hominem impellat, ut illam omni studio sibi expetat, quamdiu ea careat, obtentam autem et possessam sollerter custodiat.

Minus recte hac in sententia, uti etiam *infra* 6,12. 22, imperativi aoristi (ἀγαπήσατε, φρονήσατε ζητήσατε) loco imperat. praesentis adhibiti videntur. Namque « praesens, inquit *Herm.* (ad Viger. p. 748), et aoristus in ceteris praeter indicativum modis eo maxime differunt, quod praesens rem diutius durantem vel saepius repetitam, aoristus vero rem brevius absolutam aut semel factam indicat; unde inepte dices : γράψον βίβλον (scribe librum), quia hoc longi temporis opus est; recte vero : δὸς τὴν χεῖρα (da manum), quia hoc brevi temporis momento fit. » Hac igitur ex lege, quae a sacris quoque Scripturis graecis observari solet, omnino dicendum erat : ἀγαπᾶτε δικαιοσύνην..., φρονεῖτε... ζητεῖτε, quia de praeceptis agitur continuo per totam vitam servandis. Attamen profani non minus quam sacri scriptores haud admodum raro hanc regulam negligunt; re enim vera « saepissime ab arbitrio scriptoris pendet, utrum rem aliquam velit significare velut momentaneam et nunc agendam, an vero tamquam iam inceptam et continuandam; praeterea notandum est, aoristi imperativum in universum reputari fortiorem, leniorem autem imperativum praes. » (*Beel.* gr. p. 349, *Win.* gr. p. 293 sq. etc.; idem praeceptum, quod etiam totam vitam spectat, aoristo exprimitur : μείνατε ἐν ἐμοί *Ioan.* 15,4 et praesente : μένετε ἐν αὐτῷ I *Ioan.* 2,28). Sapientem igitur hoc in loco formis aoristi, ut maiore cum vi enuntiaret praeceptum, usum esse cum plerisque dicere licet; neque tamen dubium esse censemus, quin has formas ob eam quoque causam elegerit, ut tres sententiae nostrae stichos paronomasia vel potius parechesi imperativorum (ἀγαπήσατε... φρονήσατε, ζητήσατε) intimo nexu coniunctos esse significaret, similiter atque duos posteriores stichos, qui primo explicationis gratia pariter sunt subiuncti, altera parechesi (ἐν ἀγαθότητι... ἐν ἁπλότητι) inter se arctius coniunxit.

Duobus aliis stichis Sapiens viam indicat, qua ad iustitiae amorem perveniatur. Sicut enim postea accuratius expositurus est (8,2.20 etc.), sapientia non nisi a Deo obtinetur intimaque cum eo unione perficitur : sua ergo ex parte homo ut eam obtineat ad Deum accedat necesse est secundum illud Apostoli : « appropinquate Deo et appropinquabit vobis » (*Iac.* 4,8). Atqui non corporis motibus, sed intellectus voluntatisque actibus Deo appropinquamus; unde duo illa Sapientis praecepta (*sentite* vel cum *S. Hier.* Comm. in Is. 55,6 sq.; 56,10 sqq. etc. melius : *sapite de Deo in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum*), quae quamvis non omnes quibus ad Deum acceditur actus recenseant, satis complete tamen praeparationem requisitam tum intellectus tum voluntatis declarant; intellectus nimirum voluntati, ne haec a recta via aberret, facem praeferre, voluntas autem id, quod ab intellectu tamquam necessario appetendum proponitur, quaerere et amplecti debet. Praeprimis igitur homo de Deo φρονεῖν ἐν ἀγαθότητι iubetur; ex variis autem significationibus verbi φρονεῖν interpres noster suo *sentite* (vel *sapite*) eam hic praeferendam esse recte indicavit, qua eiusmodi actus intelligentiae designatur, in quo voluntas quoque suam habet partem; id quippe ex oppositione adverbiali ἐν ἀγαθότητι (*in bonitate*) elucet, si-

quidem ἀγαθότης (bonitas) non tam intellectus quam voluntatis rectitudinem denotat; in iudicando nimirum et aestimando intelligentia, nisi evidentiae vi ad unum determinatur, voluntatis pondere in unam potius quam in alteram partem inclinari potest. Quamobrem Sapiens contribules suos *in bonitate* i. e. animo candido et benevolo puraque cum intentione de Deo meditari et veram genuinamque divinorum attributorum ideam ex divinis operibus sibi formare iubet, ut deinde omnipotentia, benignitate, iustitia etc. Dei cognitis et agnitis etiam fiduciae, gratitudinis, admirationis etc. erga eum sensus in animis excitare, immo universum affectum in eum transferre valeant. Cum iunioribus quidem haud paucis (cfr *Nann. Lorin. Menoch. Calm.* etc.) etiam *Zenn.* ad Sapientis verba (14,30), quibus idololatras de Deo *male sentientes* (κακῶς φρονήσαντας) vituperat, velut parallela appellans dictionem ἐν ἀγαθότητι non de candido sinceroque animo, quo homo de Deo sapit, sed de obiectiva ideae quam sibi efformat veritate intelligendam esse arbitratur (« exigit veram de Deo sententiam orthodoxamque religionem » cfr *Menoch.*). Haud satis autem consideravit, etiam isto loco quem citat de nudo intelligentiae actu non agi, sed de iudicio, in quo voluntas suam habet partem eamque magnam. Etenim idololatrae iuste a Deo esse puniti ibi dicuntur idque quia *male* i. e. impio perversoque animo de Deo *sensissent,* sua ergo ipsorum culpa sibi falsam divinitatis ideam formassent. Quodsi solum intellectus errorem, culpa eorum omissa aut seclusa, in eis notare voluisset, auctor pro κακῶς ἐφρόνησαν probabiliter dixisset : οὐκ ὀρθῶς ἐλογίσαντο (*non recte cogitarunt* cfr 2,1).

Bonum porro istum usum intelligentiae, quo homo ad genuinam Dei, finis sui ultimi, cognitionem adducitur, similis sequatur oportet usus voluntatis, quo homo cum Deo uniatur; unde alterum explicationis membrum praecipit : *Et in simplicitate cordis quaerite illum* scil. Dominum. Dictio graeca ζητεῖν vel ἐκζητεῖν τὸν Κύριον, τὸν θεόν (quae hebraicis דָּרַשׁ אֶת־יהוה et בִּקֵּשׁ respondit) in Utroque Testamento frequens duplici sensu usurpata legitur; nam plerumque quidem valet « auxilium favoremque Domini unionemque cum illo sibi acquirere » (cfr *Exod.* 33,7 ὁ ζητῶν τὸν Θεὸν יהוה מבקש; *Deut.* 4,29; *Ierem.* 29,13; *Ps.* 13 [14], 12 et *Rom.* 3,11; *Hebr.* 11,6 etc.); aliquoties vero, maxime ubi de ethnicis agitur, idem fere est ac « Dei veri cognitionem sibi comparare » (cfr. infra 13,6; *Is.* 65,1 et *Rom.* 10,20; *Am.* 9,11 sec. vers. alex. et *Act.* 15,17 etc.). Quas duas significationes, si theologice considerantur, inter se vix differre patet; quandoquidem genuina veri Dei cognitio, quam sacri scriptores quaerendam esse docent, non illa est, quam homines naturalibus suis viribus ex rerum creatarum

contemplatione sibi comparant, verum illa fidei cognitio, quae supernaturali revelatione nititur hominemque ad supernaturalem unionem cum Deo disponere incipit. Iamvero nonnulli hanc secundam dictionis significationem praeferentes nostrum stichum praecedenti, qui nos de Deo in bonitate cogitare iubet, synonymum esse statuunt (cfr *Gr. Zöckl.* etc.). Quae interpretatio per se quidem admitti potest; concinnior tamen ac plenior erit oratio, si priorem ac frequentiorem significationem adoptantes duo explicationis membra non synonyma sed synthetico parallelismo connexa dixerimus, ita ut nostro sticho exponatur, ad quid fides, quae priore commendatur, hominem sit adductura; is quippe qui fide institutus genuinam veramque Dei ideam sibi efformavit, eo ipso iam impellitur, ut favorem Dei sibi conciliare et cum eo sese unire studeat. Eo magis autem haec interpretatio videtur praeferenda, quia Sapiens non ethnicos alloquitur, sed contribules suos, qui in verum Deum iam credunt sed cognitionem eius excolere et perficere iubentur. Neque minus huic interpretationi favet appositio adverbialis (*in simplicitate cordis* ἐν ἁπλότητι καρδίας), qua sicuti omnis duplicitas et astutia, ita omnis simulatio ac dissimulatio ab animo illius, qui Dei favorem quaerit, abesse debere docetur, si revera Dei favorem invenire cupit. Deus enim, uti statim dicetur (*v.* 6) severus est cordis scrutator neque illos secum unire potest, qui ipsum solum non quaerunt, sed per ipsum aut cum ipso caduca et terrena huius mundi bona velut ultimum suum finem obtinere student.

Itaque pia et candida puraque mentis meditatio de Deo viam quasi sternit ad sapientiae amorem atque ad unionem cum illa adducit sincera voluntatis Deum quaerentis intentio; brevi ergo hac sed gravi Sapientis exhortatione quodam modo dispositio illa describitur, quam *Conc. Trid.* (sess. 6 cp. 6) praeparationem necessariam esse docet ad iustificationem. Ut autem praecepto suo maiorem tribuat efficaciam, Sapiens fieri non posse addit, ut benignissimus Deus animum respuat, qui hac ratione sese praeparavit : 2. *Quoniam invenitur* (εὑρίσκεται) *ab his qui non tentant illum* (τοῖς μὴ πειράζουσιν αὐτόν), *Apparet* (ἐμφανίζεται) *autem eis qui fidem habent in illum* (ad gr. text. : τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ proprie : *eis qui non diffidunt ei,* qui ergo fidem i. e. fiduciam in eo ponunt). Prout nimirum homo sese habet ad Deum, ita Deus se habet ad hominem secundum illud Azariae prophetae dictum (2 *Paral.* 15,2), ad quod auctor forsitan respexerit : « Deus erit vobiscum sicut vos eritis cum eo (parum recte *S. Hier.* vertit : *quia fuistis* cum eo) ; *si quaesieritis eum, invenietur a vobis; si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos* ». Duo nostri stichi duobus prae-

cedentibus chiastice subnexi sunt (cfr *Gutb.* — *Deane*); nam prioris stichi nostri verbum (*invenietur*) imperativo immediate praecedenti (*quaerite*) omnino respondet, ac secundi stichi verbum (*appareɪ*) priori imperativo (*sentite* i. e. meditamini); unde etiam prioris dictio (*non tentantibus eum*) velut explicatio quaedam est appositionis immediate praecedentis (*in simplicitate cordis*) atque altera dictio (*fiduciam ponentibus in eo*) ad priorem appositionem (*in bonitate*) referatur oportet. Qui nexus quam sit aptus facile intelligitur; si quis enim animo candido ac benevolo de Deo meditatur, eius benignitatem et misericordiam cognoscat necesse est ac proin sua sponte fiduciam in eo ponit; uti e contrario is qui perverso dolosoquo animo de Deo cogitat, in eo non videt nisi severum tyrannum, cui fidere nequeat; similiter autem qui in cordis simplicitate i. e. recta et pura intentione Deum solum quaerit, is longe abest a Deo tentando, uti iterum e contrario is qui in cordis duplicitate Deum non tam quaerit quam quaerere simulat, is ipsa sua astutia ac simulatione iam Deum tentat, quasi experimentum faciens, an perversam hanc intentionem cognoscat necne[1]. Sapiens igitur duabus illis negativis dictionibus duas appositiones adverb. accuratius definit, ut legentes melius etiam intelligant, cur de Deo in bonitate meditari et cur eum in simplicitate cordis quaerere debeant. Ceterum locutio εὑρίσκειν τὸν Κύριον (*invenire Dominum*) dupliciter, sicut ζητεῖν τὸν Κύριον in Vetere ac Novo Test., tum de iis usurpatur, qui favorem gratiamque Dei (cfr *Deut.* 4,29; *Ierem.* 29,13 etc.), tum de iis, qui eius cognitionem ac scientiam (cfr infra 13,6; Is. 65,1 et *Rom.* 10,20 etc.) quaerunt et inveniunt; nostro autem in loco priorem significationem admittendam esse ex iis quae antea diximus elucet. Ad verbum ἐμφανίζεσθαι (*apparere*) porro quod attinet, Moyses quum Deum facie ad faciem videre desideraret, eum

1. *S. Thom.* Summ. th. II. II. qu. 97 a. 1 « *tentare*, inquit est proprie experimentum sumere de eo qui tentatur. Sumimus autem experimentum de aliquo et verbis et factis : verbis quidem, ut experiamur, an sciat quod quaerimus, vel an possit aut velit illud implere; factis autem, q um per ea quae facimus exploramus eius prudentiam vel voluntatem vel potestatem... Sic ergo homo tentat Deum quandoque verbis, quandoque factis : verbis quidem colloquimur orando, unde in sua petitione expresse aliquis Deum tentat, quando ea intentione aliquid a Deo postulat, ut exploret Dei scientiam, potestatem vel voluntatem; factis autem expresse aliquis Deum tentat, quando per ea, quae facit, intendit experimentum sumere divinae potestatis vel pietatis vel scientiae; quasi interpretative vero Deum tentat, qui etsi non intendit experimentum de Deo sumere, aliquid tamen petit aut facit, quod ad nihil aliud est utile nisi ad probandam Dei potestatem vel bonitatem vel scientiam ». — Sapiens procul dubio ad Domini praeceptum respexit : « non tentabis Dominum Deum tuum » (*Deut.* 6,16) variasque tentationes legentibus cognitas esse supponit, quibus populus divinam iram provocaverat (*Exod.* 17,7; *Num.* 11, 4 sqq.; 14,22; 21,5 sqq. etc.).

rogavit : ἐμφάνισόν μοι σεαυτόν (ostende te i. e. appare mihi), nostro tamen in loco de externa Dei apparitione non agi sed de interna manifestum est; eiusmodi ergo Dei cognitio intelligitur, quam ipse animis pie de ipso meditantibus infundit, quamque Christus Dominus quoque Apostolis omnibusque fidelibus promisit (*Ioan.* 14,21). De hoc divinae apparitionis genere Sapiens postea pluribus disseret (cfr 6,13-17; 8,2-9 etc.), quare hic adnotasse sufficit eum de apparitione per gratiae infusionem loqui.

Quamvis duo hi stichi aperti et clari esse videantur, nonnulli tamen cum *Gr.* contextu totius sententiae aut non considerato aut non perspecto id quod auctor docere vult, haud recte definiunt. Priorem enim stichum de impiis interpretantur, qui quum vitiis peccatisque suis divinam iram provocent, quodammodo explorant, utrum Deus peccatores punire possit ac velit annon. Attamen Sapientem non nisi de iis loqui evidens est, qui saltem aliquo modo Deum quaerant; illi vero qui perversis pravisque suis operibus vindictam divinam lacessunt, tantum abest, ut Deum quaerant, ut ab eo longissime recedant. Similiter in altero membro summum diffidentiae gradum intelligere non licet; qui enim fide fiduciaque in Deum omnino abiecta desperat, is a Deo fugit seseque ab eo libere separans quaerentibus eum nequaquam accenseri potest. Quapropter Sapiens eos proxime alloqui dicendus est, qui quum Deum oraturi adeant ac proinde se non omni fide in eum carere ostendant, eodem tamen tempore animo haesitant fluctuantque, num Deus ea quae promisit re sit daturus. Qua de animi dispositione S. Iacobus ad nostrum locum forte respiciens « si quis, inquit, indiget sapientia, postulet a Deo qui dat omnibus affluenter;... *postulet autem in fide nihil haesitans*; qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur; non ergo aestimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino » (*Iac.* 1,5 sqq.). Ambo autem sententiae nostrae stichi arcte ita sunt connexi, ut prior altero quasi explicetur, neque immerito *Castro* ad nostrum locum adnotat : « est epexegesis frequens in Scripturis, qua obscure dictum statim clarius redditur ». Duobus autem argumentis *Gr.* erroneam suam opinionem confirmare conatur; nostrum enim τοῖς μὴ πειράζουσιν parallelum poni praecedenti ἐν ἀγαθότητι et insuper probari sequente sententia, quae perversas recenset cogitationes, quibus homo a Deo separetur; unde tam late tentationem Dei esse intelligendam concludit, ut universam impietatem complectatur. Quae ut refutemus, ad genuinum loci contextum appellamus; *Gr.* enim duos nostros stichos duobus prioribus *chiastice* opponi non consideravit, atque ideo illud μὴ πειράζουσιν non prioris stichi dictioni ἐν ἀγαθότητι sed illi ἐν ἁπλότητι parallelum poni, sicuti εὑρίσκεται non priori φρονήσατε sed alteri ζητήσατε respondet; ille enim revera in duplicitate animi quaerit Dei favorem, qui eo ipso tempore, quo gratiam a Deo postulat, animo simul pendet ac dubitat, num Deus eam sit daturus. Similiter auctor sequentem sententiam non adiecit, ut nostram de omni vitae pravitate intelligendam esse probaret, sed ut ad praeceptum suum principale explicandum et inculcandum transiret : « *Diligite iustitiam* etc., *perversae enim cogitationes a Deo separant* ac proinde impediunt, ne quis de Deo in bonitate sapiat eumque in simplicitate cordis quaerat ». Neque tamen negamus auctorem insinuare voluisse, etiam illam de qua loquitur tentationem Dei perversis cogitationibus adnumerari posse; id quod homines, qui sine debita fiducia precantur, non satis considerant.

In *v.* 2[b] exponendo cum aliis omnibus libri nostri interpretibus, antiquioribus iunioribusque ac modernis, consuetam lectionem graecam (ἐμφανίζεται δὲ τοῖς μὴ ἀπιστοῦσιν αὐτῷ apparet autem *iis, qui non diffidunt illi*) velut certam admisimus stichumque de Deo iustos gratiis suis ditante interpretati sumus. Eo maiore autem cum iure lectionem hanc retinere nos posse censuimus, quia praeter testes criticos in *VV. LL.* iam citatos, inter quos duo antiquissimi codd. (B ℵ) et duae antiquissimae versiones (*Vulg. Syr.*) sunt, eandem etiam aliqui Patres magnae auctoritatis tuentur (cfr *Orig.* Exc. in Ps. 13; Schol. in Luc. 1,14. *M.* 17,108. 317; — *Didym. Alex.* in Ps. 9,11. *M.* 39,1193; — *S. Hier.* Comm. in Is. 55,6 sq.; Comm. in Zach. 8,21 « apparet his *qui non sunt increduli ei* »). Quibus accedit, quod verbum ἀπιστεῖν, ut *Deane* recte annotat, ea quam hoc in loco habet significatione auctori nostro satis sit usitatum (cfr 10,7; 12,17; 18,13) ac praesertim quod stichus, si ita legitur, aptissime ad nostram sententiam quadret neque minus apte cum iis quae sequuntur connectitur. Nihilominus *Zenn.* (Innsbr. Zeitschr. 1898 p. 418 sq.) et cum eo *Feldm.* (p. 41) alteram lectionem (ἐμφανίζεται δὲ τοῖς μὴ πιστεύουσιν αὐτῷ apparet autem [minaciter] *iis qui non credunt ei*), quamvis ex omnibus codd. graecis solus A et ex versionibus iuniores quaedam (cf. *VV. LL.*) eam exhibeant, non tantummodo praeferunt, sed eam « nexu sententiarum omnino postulari » asserunt. Duos quippe *v.* 2. stichos antithetico parallelismo inter se opponi *Zenn.* arbitratur iisque duas libri partes ita distingui, ut priore (invenitur ab his qui non tentant eum) secundae partis (6,12-19,20), altero autem (minaciter apparet iis qui ei non credunt) prioris partis (1,3-6,11) argumenta indicentur. Quam opinionem ut probabilem reddat, praeprimis verbum ἐμφανίζεσθαι (*apparere*) etiam 6,5 (6) et 17,4 eodem modo de minaci Dei apparitione adhiberi monet. At in priore loco (6,5[6]) non legitur ἐμφανίσεται sed ἐπιστήσεται, neque tamen hunc errorem urgere volumus, quum id unum adnotasse sufficiat, minacem apparitionem ista in sententia addito adverbio φρικτῶς (*horrende* apparebit) esse expressam. Altero deinde in loco (17,6) de Dei apparitione non agitur, minacem autem apparitionem non verbo ἐμφανίζεσθαι, quod de omni re quae sese praebet conspiciendam, dicitur, sed ipso subiecto sententiae declaratur (φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο *spectra tetricis vultibus miserabilia* sese conspicienda praebuerunt). Nudum igitur verbum ἐμφανίζεσθαι nostro in loco de minaci Dei apparitione explicari debere aut posse istis exemplis non probatur. Parum recte quoque *Zenn.* duobus *v.* 2. stichis, quos inter se opponi vult, diversa duarum quas distinguit partium argumenta indicari asserit; in priore enim parte (1,3-6,11), in qua ex eius opinione solus secundus stichus, priore neglecto, exponitur, non minus de Deo iustis gratiose ac benigne apparente sermo est (cfr 3,1-9; 4,1 sq. 7-17; 5,1 sqq.), quam in secunda parte, quae priorem stichum explanare dicitur, de Deo impios apparitione sua terrente et puniente agitur, id quod *Zenn.* ipse fatetur omnesque qui librum vel obiter legerint fateri coguntur. Ex solo igitur argumento duas partes distinguere non licet. Praeterea in tota priore illa parte nequa-

quam probatur, Deum impiis minaciter apparere, sed potius hominem peccatis quibuscumque a Deo separari ac divelli. Quae quum ita sint, internis quoque rationibus solitaria ista cod. A lectio reprobatur.

2. — *Improbitas omnis, utpote sapientiae impedimentum et causa mortis, vitanda* (1,3-16).

Quod in exordio asseruit, sapientiam qua ad Deum pervenitur non nisi candide et sincere eam quaerentibus concedi, id auctor nunc quasi a contrario demonstrat (attende in *v.* 3 ad particulam γάρ *enim*), quum improbitate quacunque hominem non tantummodo a sapientia et proinde a Deo divelli ac separari, verum etiam ad mortem adduci ostendat. Omnia nimirum peccata, prout cogitatione aut sermone aut opere committuntur, tribus classibus comprehensa gradatione quadam ex ordine recenset, ut primo in loco peccata cordis et oris, quae Deum omnipraesentem et omniscium latere nequeant, vitanda esse moneat (1,3-11) ac deinde legentes ab externis peccatis mortem impiis comminatus avertat (1,12-16).

1) *Cordis et oris pravitas vitanda* (1,3-11).

1,3. Perversae enim cogitationes separant a Deo, Probata autem virtus corripit insipientes. 4. Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, Nec habitabit in corpore subdito peccatis. 5. Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum, Et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu, Et corripietur a superveniente iniquitate. 6. Benignus est enim spiritus sapientiae, Et non liberabit maledicum a labiis suis, Quoniam renum illius testis est Deus, Et cordis illius scrutator est verus, Et linguae eius auditor. 7. Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum, Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis. 8. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere, Nec praeteriet illum corripiens iudicium. 9. In cogitationibus enim impii interrogatio erit : Sermonum autem illius auditio ad Deum veniet Ad correptionem iniquitatum illius. 10. Quoniam auris zeli audit omnia,

1,3. Σκολιοὶ γὰρ λογισμοὶ χωρίζουσιν ἀπὸ Θεοῦ, Δοκιμαζομένη τε ἡ δύναμις ἐλέγχει τοὺς ἄφρονας. 4. Ὅτι εἰς κακότεχνον ψυχὴν οὐκ εἰσελεύσεται σοφία, Οὐδὲ κατοικήσει ἐν σώματι καταχρέῳ ἁμαρτίας. 5. Ἅγιον γὰρ πνεῦμα παιδείας φεύξεται δόλον, Καὶ ἀπαναστήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων, Καὶ ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀδικίας. 6. Φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφία, Καὶ οὐκ ἀθῳώσει βλάσφημον ἀπὸ χειλέων αὐτοῦ, Ὅτι τῶν νεφρῶν αὐτοῦ μάρτυς ὁ Θεὸς Καὶ τῆς καρδίας αὐτοῦ ἐπίσκοπος ἀληθὴς Καὶ τῆς γλώσσης ἀκουστής. 7. Ὅτι πνεῦμα Κυρίου πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην, Καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνῶσιν ἔχει φωνῆς. 8. Διὰ τοῦτο φθεγγόμενος ἄδικα οὐδεὶς μὴ λάθῃ, Οὐδὲ μὴν παροδεύσῃ αὐτὸν ἐλέγχουσα ἡ δίκη. 9. Ἐν γὰρ διαβουλίοις ἀσεβοῦς ἐξέτασις ἔσται, Λόγων δὲ αὐτοῦ ἀκοὴ πρὸς Κύριον ἥξει Εἰς ἔλεγχον ἀνομημάτων αὐτοῦ. 10. Ὅτι οὖς ζηλώσεως ἀκροᾶται τὰ πάντα, Καὶ θροῦς γογγυσμῶν οὐκ ἀποκρύπτεται. 11. Φυλάξασθε τοίνυν γογγυσμὸν ἀνωφελῆ, Καὶ ἀπὸ καταλαλιᾶς φείσασθε γλώσσης· Ὅτι

Et tumultus murmurationum non abscondetur. 11. Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, Et a detractione parcite linguae, Quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit : Os autem, quod mentitur, occidit animam.

φθέγμα λαθραῖον κενὸν οὐ πορεύσεται, Στόμα δὲ καταψευδόμενον ἀναιρεῖ ψυχήν [1].

Ab illis igitur peccatis, quae quia alios plerumque latent neque legibus humanis attinguntur facilius frequentiusque committi solent, exorsus Sapiens primo loco cordis peccata i. e. perversas cogitationes vitari iubet, quoniam hominem a Deo separent et S. Spiritum ex eius animo expellant (*vv.* 3-6ª). Quasi per transitum deinde S. Spiritum, utpote omnipraesentem atque omniscium, neque cordis neque oris peccata latere posse legentibus in memoriam revocans (*vv.* 6ᵇ-8) non minus quam perversas cogitationes sermones cunctos perversos sedulo vitandos esse docet (*vv.* 9-11).

Animo candido atque pura simplicique intentione Deus quaerendus et adeundus est, si quis vere eum invenire eiusque donis ditatus cum eo uniri cupit : 3. *Perversae enim cogitationes* (σκολιοὶ γὰρ λογισμοί) *separant a Deo; Probata autem virtus corripit insipientes*, vel ad gr. textum : δοκιμαζομένη τε ἡ δύναμις ἐλέγχει τοὺς ἄφρονας accuratius et clarius : *virtusque* (sc. divina) *si tentatur convincit impios*. Quam concinne duo hi stichi praecedentibus duobus, dummodo in 2ᵇ consueta retineatur lectio, respondeant, demonstratione non indiget. Nimis vage tamen latinus interpres graecum nomen λογισμοί latino *cogitationes* reddidit; λογισμοί (α λογίζεσθαι computare vel ratiocinari) enim proprie valet *ratiocinia* (seu consilia) atque illa quidem hoc loco

1. *VV. LL.* — 4. καταχρέῳ ἁμαρτίας (ei qui subditus est peccato) est communis graecorum codd. lectio; duo tamen minusc. cum *Eus. S. Athan.* et cum *Vulg. Syr.* habent καταχρέῳ ἁμαρτίαις (*subdito peccatis*), sed prior lectio retinenda. — 5. πνεῦμα παιδείας (*spiritus disciplinae* B ℵ 23, aliqui minusc. *Orig. Eus. S. Athan. S. Bas., Vulg. Syr. S hex. Ar. Aeth.*; minus apte : πνεῦμα σοφίας (spiritus sapientiae) A, aliqui minusc., *S. Cyr. A., Arm. Copt.* — 6. πνεῦμα σοφία (spiritus [est] sapientia) B ℵ, aliqui minusc., *S hex.*; sed πνεῦμα σοφίας (*spiritus sapientiae*) A 23, aliqui minusc., *Didym. A., Vulg. Syr. Arm. Copt. Aeth. Ar.*; utra sit praeferenda cfr *Comment.* — καὶ τῆς γλώσσης (et linguae) pronomine αὐτοῦ omisso, B ℵ, multi minusc., *Did. A.*; sed καὶ τῆς γλώσσης αὐτοῦ (*et linguae eius*) A, aliqui minusc., *Vulg. Arm. Copt. Ar.*; pronomen αὐτοῦ, quod *Deane* in suum textum recepit, *Feldm.* et *Reusch* conformitatis causa a librariis additum esse haud improbabiliter censent. — 8. οὐδὲ μὴν (neque sane) ex librarii cuiusdam ut videtur errore solus B; lege οὐδὲ μὴ (*neque*) cum ℵ A 23, minusc., *Vulg.* et aliis vers., quae lectio etiam grammaticae magis respondet (de particula οὐ μή cum coniunctivo cfr *W.* Gr. p. 471).

(uti 9,14; 11,16 cfr *Rom.* 2,15) proxime intelligenda sunt, quibus morum regula generalis ad singulas actiones refertur; nequaquam enim de nudis intellectus actibus Sapiens loquitur sed de eiusmodi, in quibus voluntas quum iis consentiat suam habet partem. Qui λογισμοί per metaphoram vocantur σκολιοί i. e. *curvi* seu *tortuosi* (cfr *Deut.* 32,5 et *Ps.* 77,8 γενεὰ σκολιά generatio perversa; *Prov.* 4,24 σκολιὸν στόμα curvum os i. e. pravum os etc.), quatenus animum a recta via detorquent et corrumpunt (unde recte vertas : *perversa* ratiocinia). Perversis autem istis consiliis efficitur, ut animus Deo diffidens ipse sese a Deo separet. Prior igitur hic stichus immediate praecedentem (*v.* 2[b]) explicat et confirmat atque simili modo is qui sequitur ad priorem *v.* 2. stichum refertur, ut iterum chiasticam habeamus constructionem : *virtus* (divina) *si tentatur convincit impios.*

Antiquiores interpretes quum solum haberent latinum textum (*probata autem virtus corripit insipientes*), ad genuinum sententiolae sensum non pervenerunt; nomen *virtutis* enim sensu ethico interpretati alii explicant, « qui in virtute (discretionis, iustitiae etc.) bene exercitatus est, idoneus est ad increpandos imperitos qui ex ignorantia potius et infirmitate, quam ex malitia peccant » (cfr *Lyr. Carth.*), alii : « virtus probata i. e. fides operans per dilectionem, coarguit conscientiam insipientium de ingratitudine erga Deum » (cfr *Holc.*) etc. Attamen *virtus*, quum graeco δύναμις hic respondeat, agendi potestatem valet, et quum articulum habeat praefixum, designat virtutem per excellentiam i. e. virtutem divinam (similiter ac *v.* 8 ἡ δίκη iudicium divinum). Iuniores quoque et modernos haud paucos Vulgata in errorem induxit, quum participium δοκιμαζομένη latino *probata* redderet, quasi agatur de potentia divina, quae effectibus suis sese probaverit aut probet (*Lorin. Lap. Ians. Ipr. Calm.* etc., *Loch Corl.* etc. — *Grot. Heydenr.* etc.). Verum nullo exemplo verbum δοκιμάζεσθαι reflexive (i. q. sese probatum manifestare) usurpari demonstratur; constat autem δοκιμάζειν synonymum esse verbi πειράζειν (*tentare* cfr *Cremer* Bibl. theol. Wörterbuch s. v. πειράζειν) atque haud raro duo haec verba aut duabus in sententiis immediate sese excipientibus aut in duobus eiusdem sententiae membris sine ulla significationis differentia adhiberi (cfr 2,17 et 19; 3,5 et 6; 11,10 et 11; *Ps.* 95,9; 2 *Cor.* 13,5 etc.); quapropter cum *Tirino* (« potentia Dei *tentata et lacessita* infidelitate et diffidentia impiorum ») moderni plerique hanc tentandi significationem iure praeferunt (cfr *Gutb. Schm. Les.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.), ita ut auctor hoc membro ad 2[a] et consequenter ad 1[c] respicere atque *insipientes* eos vocare dicendus sit, qui in duplicitate et astutia cordis Deum quaerentes eum tentant et lacessunt quique ab eo insipientiae suae convincuntur, quum ab eis non inveniatur. Disputant interpretes, utrum verbum ἐλέγχειν hic propria sua *convincendi* et arguendi significatione, an derivata *corripiendi* et castigandi (cfr *v.* 8 etc.; *Ps.* 37,2; *Prov.* 3,11; 2 Paral. 26,20 etc.) sumendum sit; utraque per se apta est, sed nulla apparet ratio, cur a propria recedamus, quum ipsa insipientiae convictio iam poena sit (cfr *Gutb.*).

Continuam hic usque ad *v.* 11 habemus argumentationem, in qua sequens sententia, uti particulae γάρ et ὅτι satis docent, praecedentem semper explicat et confirmat; ita etiam quae *v.* 3 dicta sunt, perversis

scilicet ratiociniis hominem a Deo separari, *vv.* 4-6ª accuratius exponuntur : 4. *Quoniam* (ὅτι) *in malevolam animam* (εἰς κακότεχνον ψυχήν) *non introibit sapientia* (σοφία sine articulo), *Nec habitabit in corpore subdito peccatis* (ἁμαρτίαις, lege ἁμαρτίας *peccato* cfr *VV. LL.*). Nomen σοφία hic practicam sapientiam significat et, quamquam articulo caret, idem valet quod δικαιοσύνη *v.* 1. nominata ac proinde omnes virtutes complectitur. Haec autem sapientia, uti *S. Thom.* (Summ. th. II. II. qu. 45 a. 4) ad nostrum locum respiciens eumque quasi explicans docet, « facit rectitudinem iudicii circa res divinas vel per regulas divinas de aliis ex quadam connaturalitate, sive unione ad divina, quae quidem est per caritatem, et ideo sapientia praesupponit caritatem ; caritas autem non potest esse cum peccato mortali; unde relinquitur quod sapientia non potest esse cum peccato mortali ». Egregie non introitura dicitur εἰς κακότεχνον ψυχήν i. e. *in animam quae malis artibus utitur* seu mala versatur ac machinatur; sed Spiritus S. « prius, inquit *S. Bas.* nostro pariter loco allato (hom. 12. in princ. *Prov.* n. 4), animas eorum qui sunt collocuturi cum sapientia, per divinum timorem expurgat; nam in vulgus mysteria salutis proiicere et omnes ex aequo recipere, eos quoque qui nec vita pura sunt ornati neque accuratam vivendi rationem tenent, perinde est ac si quis unguentum pretiosissimum in vas sordidum infuderit ». Neque minus egregie altero sticho parallelo sapientia non habitatura dicitur ἐν σώματι κατα χρέῳ ἁμαρτίας i. e. *in corpore quod obnoxium sit peccato,* vel ut paulina dictione utamur : « quod venumdatum sit sub peccato » (cfr *Rom.* 7,14), κατάχρεος enim proprie dicit « debitorem aere alieno oppressum », qui creditoris igitur velut servus est empticius. *Animam* et *corpus,* quae constitutivae hominis sunt partes, utroque in membro synecdochice pro toto homine poni multi censent (cfr *Lap.* etc. — *Heydenr.* etc.) neque quidquam hanc explicationem admitti vetat, quum similia exempla in Scripturis legantur (cfr *Prov.* 13,25; 15,30 etc.). Nihilominus eorum videtur sententia praeferenda, qui duo haec membra distingui volunt, ut maiore cum vi sanctitas omnimoda studioso sapientiae commendetur; quem in sensum bene *Calm.* : « corpus, inquit, per se sapientiae sedes esse nequit; quum vero corpus et anima arctissimo nexu iungantur, hinc fit, ut quod alterum agit et patitur ab altero sentiatur, et impurum corpus animam vitiet, uti impura mens corpus inquinat; merito igitur utriusque puritatem Sapiens postulat in iis qui sapientiam quaerunt.

Satis mirum est quod *Gr.*, quamvis nomina *corpus* et *anima* in Scripturis haud raro ad totum hominem designandum coniungi concedat (ipse allegat 2 *Mach.* 7,37;

7231

14,38; 15,30 et alia multa allegare potuit), nihilominus ex eo, quod corpus hic peccato obnoxium dicitur, auctorem nostrum concludat cum Philone aliisque philosophis alexandrinis consensisse, qui malum morale fontem suum sedemque in materia (scil. in corpore) habere statuerunt. Verum ex auctoris nostri doctrina materia per se nequaquam mala est neque mali fons, siquidem Deum omnia (τὰ πάντα) ut essent, ergo etiam materiam, creasse diserte docet (*v.* 14); « Deus autem diligit omnia quae sunt (τὰ ὄντα πάντα) neque quidquam eorum quae fecit odio habet » (cfr 11,15); ergo etiam materia quam Deus creavit pura dicenda est, quia secus Deus eam amare non potuit. Ceterum si Sapiens, quia corpus hominis peccato originali infecti « peccato obnoxium » vocat, Philonis asseclis annumerandus est, idem titulus profecto Apostolo debetur, qui corpus nostrum vocat *corpus peccati*, utpote eius dominio subiectum eiusque quasi proprietatem, et *in corpore nostro mortali peccatum regnare* dicit (*Rom.* 6,6,12), aut de *corpore mortis huius* loquitur, quod inordinatis suis motibus hominem ad mortem spiritualem adducit (*Rom.* 7,23) etc.

Tempora futura hac in sententia adhibita (εἰσελεύσεται, κατοικήσει, *introibit, habitabit*), uti in sequente (φεύξεται, ἀπαναστήσεται, ἐλεγχθήσεται, *fugiet, auferet se, corripietur*), uti saepe in sententiis normam quandam generalem exhibentibus, id hic exprimunt quod perpetuo fit, immo non fieri nequit. Absoluta igitur repugnantia asseritur inter sapientiam et peccatum, atque eadem habetur inter peccatum et S. Spiritum : 5. *Spiritus enim sanctus disciplinae* (ἅγιον γὰρ πνεῦμα παιδείας) *effugiet fictum* (δόλον melius : *fictionem* uti 4,11; 14,25 cfr 7,13 seu *dolum*), *Et auferet se a cogitationibus quae sunt sine intellectu* (ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων *a ratiociniis insipientibus*), *Et corripietur a superveniente iniquitate* (rectius : *vincitur adveniente iniquitate*). Praecedentem sententiam Sapiens confirmat et auget, quum omni peccato (mortali) non solum sapientiam sed ipsum quoque sapientiae auctorem i. e. Spiritum sanctum ex animo fugari et expelli doceat. Trium autem stichorum synonymorum coacervatione simul horrorem indicat, quo *sanctus* Spiritus sese ab omnibus iis avertit, qui simplicitate cordis carentes perversis cogitationibus delectantur, atque singularem, qua iustos secum coniungit, amicitiam subito abrumpit, quum primum peccato se tradunt. Per anthropopathiam hic fugam S. Spiritus describi (*Lap.* etc.) vix opus est monere, siquidem id loquendi genus per totam Scripturam tam frequens est, ut nemini difficultatem creare queat; nisi enim ea, quae proprie hominis sunt (uti poenitere *Gen.* 6,7; contristari *Eph.* 4,20; irasci *Is.* 63,10 et similia multa) analogice ad Deum transferre liceret, quomodo de Deo ineffabili loqueremur?

Tertiam igitur SS. Trinitatis personam hic nomine S. Spiritus designari eamque cum emphasi (attende ad locum, quem ἅγιον in principio sententiae graecae occupat) *sanctam* appellari censemus non

tantummodo ut impio omni quod aversatur, maiore cum vi opponatur, sed etiam ut eius sanctitatem non participatam sed essentialem esse significetur, ex qua omnis sanctitas in creaturas derivetur. Procul dubio ἅγιον πνεῦμα interdum etiam donum creatum vocatur, quo homo sanctus constituitur et cum Deo coniungitur (cfr *Ps.* 50,13 τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν σου μὴ ἀνταναίλῃς ἀπ' ἐμοῦ *spiritum sanctum tuum* ne auferas a me); at totius *huius* loci contextu eam de divina persona interpretari cogimur, quoniam statim (*v.* 7) omnia virtute sua continere et conservare omnibusque praesens adesse asseritur, id quod solius Dei est. Accedit autem, quod ἅγιον πνεῦμα sine articulo sit positum, certo igitur modo velut nomen proprium consideretur, similiter ac in multis Novi Test. locis, in quibus de tertia SS^{mae} Trinitatis persona agi constat (cfr *Matth.* 1,18.20 etc. — *Win.* Gr. p. 116). Unde in hac appellationis explicatione cuncti quos consulere nobis licuit commentatores catholici consentiunt; neque tamen altissimum pluralitatis personarum divinarum mysterium his verbis tam clare designari censent, ut ex iis solis omnimoda cum certitudine cognoscatur aut demonstretur, sed illos, qui de hoc dogmate Novi Test. revelatione iam edocti nostrum librum legunt, illud hic indicatum iure deprehendere dicunt; ipso quippe S. Spiritu instigante ac dirigente auctorem hanc appellationem hic elegisse, ut doctrinae quae postea clare revelanda erat cognitio quasi praepararetur. Hinc etiam inter eos non convenit, utrum ipse claram explicatamque Spiritus tamquam tertiae personae divinae notionem habuerit; alii id affirmant, quia Sapiens etiam secundam personam clare cognoverit et diserte commemoraverit (*Corl.* etc.), plerique tamen (forte rectius) id negant; sed hanc quaestionem, quia neque certo definiri potest neque ad libri ipsius intelligentiam quidquam confert, omittere licet.

Addito porro genetivo παιδείας (*disciplinae*) S. Spiritus hominibus velut paedagogus esse significatur, qui utpote sanctus eos ad sanctos mores educat. Pauci quidem genetivum istum sequenti accusativo (παιδείας δόλον) adiungere malunt atque hac dictione *disciplinam fallacem* sive doctrinam sophisticam significari arbitrantur, quam S. Spiritus fugiat (*Osor.* apud *Lap.* — *Gaab*, *Heydenr.* ap. *Gr.*); sed uti moderni recte monent (cfr *Gutb.* — *Gr.*), vocabulorum collocatio non minus quam analogia similium dictionum (πνεῦμα σοφίας 7,8; πν. συνέσεως *Eccli.* 39,8; πν. χάριτος *Hebr.* 10,29 etc. spiritus sapientiae, intelligentiae, gratiae etc.) omnino suadent, ut communiorem nexum retineamus ac genetivo munus, quo S. Spiritus apud homines fungitur hic designari dicamus. Sicuti enim gratiis suis collatis iniustos

facit iustos, ita iustos erudit atque educat ad maiorem iustitiam. Nomen παιδείας nimirum, quo Alexandrini hebr. מוּסָר reddunt quodque interpres noster latino *disciplina* vertere solet[1], eodem modo quo illud hebraicum (de quo cfr *Gesen.* Thesaur. II. p. 605), tum castigationem valet, qua Deus homines, uti pater filios, admonendo, increpando, puniendo a malo avertit (cfr *Prov.* 1,8; 4,1; 5,12 etc.), tum eruditionem et institutionem, qua Deus hominum velut filiorum suorum animos novis doctrinis imbuit et ad bonam vitam agendam adducit (cf. 6,17 [18]; 7,14; *Prov.* 1,2; 4,13; 23,23 etc.). Universam igitur quasi educationem significat qua Spiritus S. homines praeparat, ut ultimum ad quem creati sunt finem attingant. Egregie vero ista duo pius libelli de imitatione Christi auctor complectitur Deum animam alloquentem inducens : « dupliciter soleo electos meos visitare, tentatione scilicet et consolatione; et duas lectiones eis quotidie lego : unam increpando eorum vitia, alteram exhortando ad virtutum incrementa » (Imit. Chr. III. 3.5). Hic igitur paedagogus, qui simplicem animum libenter inhabitat, *fugiet fictionem,* i. e. fraudes machinationesque omnes ad alios sub boni specie decipiendos et circumveniendos adhibitas (cfr 4,11), neque cum animo qui illis delectatur sese coniungere vult. Immo vero *auferet se* (ἀπαναστήσεται i. e. discedet pristino domicilio relicto in aliud migraturus) *a cogitationibus insipientibus* (ἀπὸ λογισμῶν ἀσυνέτων) i. e. ab anima eiusmodi consilia agitante ac fovente. Animadvertere oportet, graecum ἀσύνετος interdum hebraico נָבָל respondere (*Deut.* 32,21), licet frequentius eius synonymis ἄφρων et μωρός alexandrina versione reddatur, atque Hebraeos, ut nomine חָכְמָה (*sapientia*) simul virtutem ac pietatem, ita nomine נְבָלָה (insipientia seu stultitia) simul nequitiam et impietatem comprehendere, ita quidem ut Siracidae dictiones ἄνθρωποι ἀσύνετοι (homines *insipientes*) et ἄνδρες ἁμαρτωλοί (viri *peccatores*) sint synonymae (*Eccli.* 15,7 text. graec.). Unde elucet, consilia quae hic insipientia vocantur, eadem esse quae *v.* 3. λογισμοὶ σκολιοί (consilia tortuosa seu perversa). In tertio membro interpretando (*corripietur adveniente iniquitate* ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀδικίας) antiquiores a vero longe aberrarunt; praeeunte enim *S. Aug.* (c. Adamant. 7,1), qui velut subiectum verbi *corripietur* nomen *homo* supplevit, aliud subiectum supplendum esse arbitrati ex primo sticho nomen *fictus* transumpserunt : « fictus talis, qui per suam malitiam fugat Spiri-

1. A latino tamen interprete etiam graecum ἐπιστήμη aliquoties *disciplina* vertitur, sed plane alia significatione cfr *Eccli.* 19,19 (22) : οὐκ ἔστι σοφία πονηρίας ἐπιστήμη « non est sapientia nequitiae disciplina » i. e. nequitiae exercendae scientia seu peritia.

tum S., certe non evadet finaliter poenam sed *corripietur* i. e. per rationem recte damnabitur » etc. (*Holc.* cfr *Rhab. Bonav. Carth.* etc.), attamen iuniores omnes *S. Spiritum disciplinae* eodem modo quo in duobus prioribus stichis subiectum esse recte tenent, quia contexta oratio id postulet. Procul dubio veteres ideo subiectum mutari sibi persuaserunt, quia non viderunt, qua ratione S. Spiritus *corripi* adveniente iniquitate diceretur. Attamen ἐλέγχεσθαι proxime significat *convinci,* unde aliqui explicant : « Spiritus S. superveniente iniquitate (i. e. quando homo inique agit) convincitur qualis sit (scil. cognoscetur quantopere abhorreat a peccato) et quidem poenis, quas peccatori infligit » (cfr *Menoch.* etc.); melius vero alii ad praecedentia verba (*effugiet... auferet se*) attendentes similem quoque significationem derivatam verbo ἐλέγχεσθαι competere monent; idem quippe interdum est atque *vinci et expelli* vel etiam *pudore affectum recedere* (cfr *Lap., Ians. G. Men.*[2], *Tirin.* etc. *Gutb. Zenn.* etc. — *Hasse, Gaab, Gr.* etc.); S. Spiritus igitur, qui in hominis alicuius animo habitat, eo peccante quasi expellitur et victus recedere cogitur[1].

A cordis peccatis, quae hominem a Deo separant ac Spiritum S. fugant, auctor iam ad oris peccata progressurus pro transitu legentes monendos censet, neque perversas cogitationes neque sermones blasphemos S. Spiritum omnipraesentem omnisciumque posse latere atque ideo etiam suis poenis meritis non esse carituros (*vv.* 6-8). Ita autem transitum facit, ut simul explicet, cur S. Spiritus, non obstante eius amore, quo cum hominibus coniungi impellitur, ab eis peccantibus recedat : 6. *Benignus* (φιλάνθρωπον i. q. hominum amans) *est enim spiritus sapientiae* (πνεῦμα σοφίας, melius sec. alteram lectionem in *VV. LL* indicatam : *hominum enim amans Spiritus est sapientia* φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφία), *Et non liberabit* (οὐκ ἀθῳώσει clarius : *impunem esse non sinet*) *maledicum a labiis suis; Quoniam renum illius testis est Deus, Et cordis illius scrutator est verus, Et linguae eius auditor.* Qui sola externa duarum lectionum primi membri testimonia consideraverit, Vulgatae lectionem (Spiritus sapientiae πνεῦμα σοφίας), utpote quae duorum bonorum codicum (A. 23) omniumque versionum auctoritate innitatur, praeferendam esse facile dixerit; verum altera

1. A *Pind.* (Pyth. 11,49) aliisque poetis classicis ἐλέγχειν sensu *vincendi* iam adhibebatur; quam consueta autem scriptoribus posterioris temporis haec verbi significatio fuerit, ex S. *Chrys.* homiliis satis constat; cfr in *Matth.* homil. 50 (al. 51), 2 : τοιοῦτον ἡ ἀνθρωπίνη φύσις· πολλάκις τὰ μεγάλα κατορθοῦσα ἐν τοῖς ἐλάττοσιν ἐλέγχεται (talis est humana natura; saepe magna superans in *minoribus vincitur*); homil. 58 (al. 59), 4 : ἐὰν πόλεμος καταλάβῃ, κἂν λοιμὸς κἂν ἕτερον ὁτιοῦν, πάντα ἐλέγχεται ταῦτα τὰ τῆς εὐγενείας φυσήματα (quod si bellum ingruat, si fames, si quodvis aliud, *evanescunt hi nobilitatis tumores*) etc. cfr *Suiceri* Thesaur. eccles. I. 1082.

lectio (πνεῦμα σοφία *Spiritus* [est] *sapientia*), quam Sixtus V. in suam textus graeci editionem recepit, non tantum duorum vetustiorum codicum (B ℵ) testimonio fulcitur, sed aptiorem quoque huius loci, qui interpretum ingenia multum vexavit, permittit explicationem. Quare eam praeferimus primoque in loco exponemus, pauca postea de aliis interpretationibus addituri.

Dubitari vix potest, quin in hac sententiola φιλάνθρωπον πνεῦμα subiectum, σοφία autem, verbo substantivo (ἐστίν) suppleto, praedicatum constituant; id enim verborum ordo suadet, quum subiectum, nisi specialis ratio (cuius hic non habetur vestigium) logicum ordinem servari vetet, praedicato praemitti soleat; id ipse quoque contextus suadet, quum in toto hoc loco πνεῦμα sit subiectum (cfr *vv.* 5 et 7), ita ut sine gravi ratione in *v.* 5 aliud subiectum admittere non liceat. Praeterea argumentatio idem exigit, quandoquidem non ex eo quod sapientia amet homines, sed ex eo quod S. Spiritus sit sapiens, probatio theseos desumitur. In praecedentibus quippe satis indicatum erat, Deum seu Spiritum esse hominum amantissimum, quia cum eis, dummodo ab eis candide ac sincere quaeratur, sese coniungere desideret; at etiam indicatum est, eum ab hominibus, si perversis indulgeant cogitationibus, non obstante suo amore recedere. Quomodo ergo haec duo inter se concilientur, auctor nostra sententiola docet monens Spiritum, qui homines amat, simul esse sapientiam seu ipsa sua natura sapientissimum, quem ergo cum impiis conversari non deceat. Amor quidem ad unionem impellit, sapientia autem amorem regit modumque ei imponit, unde Spiritus ita homines diligit, ut simul sanctitati suae consulat; atque hinc est, quod ab iis, a quibus pie et candide quaeritur, sese inveniri sinat et cum iis se coniungat, ab aliis autem, qui diffidentia et impietate sua ipsum tentant, sese avertat et recedat. Sed hinc etiam est, quod suo hominum amore non obstante οὐκ ἀθῳώσει βλάσφημον ἀπὸ χειλέων αὐτοῦ, i. e. *non liberabit* (potius : *liberum non declarabit* vel accuratius ex graeco : *impunem non dimittet,* quod per diminutionis figuram significat : gravibus poenis afficiet) *maledicum* (i. q. contumeliosum quum in proximos tum maxime in Deum) *a labiis suis* (i. q. propter culpam, quam labiorum suorum malo usu sibi contraxit).

Aptissime igitur brevi illa sententia, qua Spiritum esse asseruit ut hominum amantem ita sapientissimum, a cordis ad oris peccata transiens duas illas classes arcte inter se connectit; sicuti Spiritus utpote sanctissimus, sua sapientia a *mente improba* sese avertere cogitur, ita consequenter *linguam blasphemam* impunem dimittere vetatur. Illud καί (*et*) igitur, quo altera sententia (καὶ οὐκ ἀθῳώσει...) praecedenti

adiungitur, est consecutivum (*atque ita*). Similiter in sequenti membro, quod statim exponemus auctor Deo seu Spiritui neque cogitationes perversas neque contumeliosos sermones occultari posse monet.

Verbum ἀθῳοῦν (ab ἀθῷος = α privat. et θωή poena statuta) profanis quidem scriptoribus non usitatum, ab Alexandrinis autem satis frequenter ad hebr. Piel נִקָּה (i. q. insontem declaravit vel impunem dimisit) reddendum adhibitum est (cfr 3 [1] *Reg.* 2,9; *Ioel* 3,21; *Nah.* 1,3; *Ierem.* 18,13; *Prov.* 6,29). Hebraicum autem נִקָּה praepositione מִן (ἀπό ab) crimen, cuius aliquis insons declaratur, sibi adiungit; hinc illud ἀθῳοῦν ἀπὸ χειλέων i. e. a crimine labiis commisso. — Mirantur aliqui, quod βλάσφημον hic, quamvis tota classis contumeliosorum designatur, articulo careat; sed id apud auctorem nostrum non admodum raro fit (cfr *v.* 9 et 5,15 ἀσεβοῦς; 2,10 πένητα δίκαιον; 4,7 δίκαιος etc.; aut in plurali 1,16 ἀσεβεῖς, 3,2 ἄφρονες, 3,1 δίκαιοι etc.); immo vero idem apud reliquos quoque scriptores sive sacros sive profanos obtinet, licet non apud omnes eadem cum frequentia; scilicet magis minusque a scriptoris arbitrio (uti in germanica ita in graeca lingua) pendet, utrum totam aliquam classem articulo posito quasi collective uno determinato membro istius classis, an articulo omisso eandem quasi distributive aliquo uno pluribusve designare velit. — Nomen βλάσφημος (= βλάξ stolidus et φήμη fama, iuxta alios = βλαψί-φημος laedens famam) uti eius derivata per se quidem de iis enuntiari potest, qui contumeliosa sive contra Deum sive contra homines loquuntur, in Scripturis tamen fere semper de iis dicitur, qui reverentiam Deo vel personis rebusque ad eum pertinentibus debitam verbis laedunt. Parum recte ergo hoc in loco nonnulli βλάσφημον solum eum intelligere volunt, qui proximos conviciis lacessunt; nulla enim est ratio in contextu, quae significationem hanc in Scripturis tam raram postulet.

Iam de reliquorum interpretationibus nonnulla addamus. Nostrae vicina est illa, quam *Gutb.* proponit; eandem enim sequitur lectionem eodemque modo eam construit, ut φιλάνθρωπον πνεῦμα sit subiectum et σοφία praedicatum; hac autem sententiola membrum immediate praecedens (πνεῦμα... ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀδικίας) potissimum demonstrari arbitratur hunc in modum : « Ubi primum homo pravis cogitationibus adhaeret, Spiritus probro afficitur et recedit; namque idem Spiritus sapientia est, quam nihil praeterit et cui vel sola interna peccata infidelitatis ac diffidentiae sunt contumeliosae vociferationes ». Verum ex hac explicatione non apparet, cur Spiritus hac in sententia non sine emphasi vocetur φιλάνθρωπον; praeterea σοφία (*sapientia*) non idem est quod γνῶσις (*scientia*) atque Spiritus non tam recedit, quia se probris affici *cognovit*, quam quia sanctitate sua cum impio cohabitare prohibetur. Sapientia scilicet cognitionem significat, quae honestum decorumque respiciens dirigit operantem, atque hic denotat, Spiritum, qui in principio *v.* 5 cum emphasi dictus erat *sanctus*, propter suam sanctitatem ab impiis recedere. — Longius a nostra sententia recedit *Gr.*; quamvis enim eandem ac nos lectionem sequatur, alia tamen ratione sententiolam construit, quum nomen σοφία velit esse subjectum : « sapientia enim est spiritus hominum amans ». At hanc constructionem neque grammaticae neque contextui consonare diximus; accedit autem quod aptum sensum non praebeat. Utique *Gr.*, uti nos, hac sententiola omnia quae praecedunt (*vv.* 1-5) confirmari asserit; sed quum secundum eius constructionem solus amor affirmetur, solae duae priores sententiae (*vv.* 1.2) probantur, tres reliquae autem velut paren-

thesis inutilis, uti bene *Gutb.* obiicit, tractantur. Eandem lectionem etiam acath. *Bois* et *Siegf.* sequuntur, sed pro moderno Criticorum more sententiolam, cuius explicatio difficultatem eis creat, per errorem quendam hoc in loco insertam proclamant eamque inter *vv.* 13 et 14 inseri iubent; praeterea *Bois* etiam praecedens membrum (καὶ ἐλεγχθήσεται ἐπελθούσης ἀδικίας) inter *vv.* 8 et 9 transponendum esse declarat; arbitrariis autem his violentisque textus traditi mutationibus immorari opus non est, quoniam sententiolam aptissimum tenere locum ex interpretatione nostra apparet.

Ad eos porro quod attinet, qui consuetam Vulgatae lectionem (« Benignus est enim Spiritus sapientiae ») retinuerunt, omnes in particula *enim* explicanda haerent. Nonnulli eam hic non causalem esse sed sermonem dumtaxat continuare (i. q. *porro*) arbitrantur (cfr *Smits Corl. Les.* etc.); sed si haec particulae significatio daretur (dari autem nequit), semper remaneret quaestio, quid sibi velit assertio benignitatis divinae mediis in sententiis, quae de Deo peccatorum vindice agunt. Quod ut probabile reddant, alii causalem particulam in concessivam transmutant : « *quamvis* benignus sit spiritus sapientiae, tamen non impunem dimittet blasphemum » (cfr *Lap.* 1, *Glaire* etc. — *Heydenr.* etc.); alii causalem significationem retinentes eam non ad praecedens sed ad sequens membrum confirmandum insertam putant, ut id valeat quod *quia*, atque sensus sit : « *quia* benignus est spiritus sapientiae, ideo impunem non dimittet blasphemum, sed castigatione aut ipsum blasphemum ad meliorem frugem revocabit aut saltem alios ab eodem peccato retinebit » (cfr *Ians. Ipr. Est.* etc.); sed eiusmodi expositiones contra primam ac supremam interpretationis regulam peccare manifestum est. — Alii quidem causali particulae γάρ significatione, uti decet, retenta sententiolam nostram ad solum *v.* 5 retulerunt, cuius tria membra Spiritum ab impiis recedere asserunt, atque adiectivo φιλάνθρωπος significationem *mitis*, quae ei utique competit, attribuentes eam hoc modo explicarunt : « Spiritus sapientiae enim mitis est seu vim non facit vitiis se expellentibus neque in mente habitat invitis hominum voluntatibus » (*Houbigant.* — *Engelbr.*). Recte autem *Gr.* obiicit, non tantum hanc sententiam tam longe esse quaesitam, ut vix quisquam eam illis contineri verbis suspicari potuerit, sed etiam coniunctione καὶ indicari nexum sententiolae nostrae cum sequentibus, quem haec explicatio plane negligit.

Ne tamen impii sibi persuadeant, perversas suas cogitationes blasphemosque sermones suos Deum vel Spiritum posse latere, Sapiens per metonymiam aliis quoque sacris scriptoribus familiarem Deo vel intimas cogitationes mentium et affectiones voluntatum et linguarum occultissime dicta innotescere asserit assertique vim descriptione quadam per partes auget : *Quoniam renum illius scrutator est Deus, Et cordis illius testis* seu *inspector est verus* (ἐπίσκοπος ἀληθής) *Et linguae eius auditor.* Quod his verbis affirmat, id versu proximo diserte demonstrat, Deum non qualicumque sed perfectissima ratione cuncta cognita habere, quia omnibus praesens adsit ac proinde omnia intueatur; inspector enim proprie dici nequit nisi qui rei gestae adfuerit. Iure igitur inspector *verus* appellatur, ἐπίσκοπος ἀληθής (i. q. ἀληθινός), qui non tantummodo inspectoris nomen habet et speciem, sed

veram naturam et indolem, quae nomini congruit; simili modo Sapiens *Deum verum* (Θεὸν ἀληθῆ) opponit diis falsis, quos ethnici deos putabant (οὓς θεοὺς ἐδόκουν **12,27**; cfr etiam *Ioan.* 6,55, ubi graviores testes legunt : ἡ σάρξ μου ἀληθής ἐστιν βρῶσις « *caro mea est cibus verus* » non putatus aut fictus). Sunt quidem qui adiectivo ἀληθής hic eum denotari opinentur, qui falli nequeat neque errori sit obnoxius; sed adiectivum hac significatione usurpari certis exemplis non demonstratur (cfr. *Gr.*). *Cordis* porro metonymia ad animi affectiones, quae libero voluntatis arbitrio reguntur ab eoque indolem moralem accipiunt, designandas, apud multas gentes vulgata est ac facile intelligitur, quia affectus isti quodammodo cor afficiunt eoque sese manifestant. Hebraeis autem propria est altera metonymia *renum* (νεφρῶν כִּלְיוֹת), qua appetitus maxime uti videtur inferiores comprehendebant, quasi ex renibus originem suam traherent [1]. Unde haud raro in Scripturis, ubi de omniscientia divina agitur, *cor* et *renes* uti in nostro loco coniungunt, ut Deum omnia et singula, quae animus agit, intime perspicere clarius quasi per partes exprimant (cfr. *Ps.* 7,10; 25,2; *Ierem.* 11,20; 17,10; 20,12; *Apoc.* 2,23). Scrutatio autem renum et cordis soli Deo in Scripturis ita attribuitur, ut eum solum omnia quae animo cogitamus, sentimus, volumus, cupimus, cognita habere iure inferamus; neque tamen scrutari Deus dicitur, « ut quod nesciat inveniat, sed quia nihil relinquit omnino quod nesciat » (*Gl. ord.* in 1 Cor. 2,10 ex *S. Aug.*); scrutari ergo corda et renes idem valet atque omnia quaecumque in animo latent perspicere et perfectissime novisse (cfr ad 7,22).

Omnia autem perspicit Deus omniaque audit propter suam immensitatem : 7. *Quoniam spiritus Domini* (πνεῦμα Κυρίου articulis omissis) *replevit orbem terrarum* (πεπλήρωκε τὴν οἰκουμένην), *Et hoc quod continet omnia* (καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα scil. πνεῦμα, quare omnino legatur oportet : *et qui continet omnia* sc. Spiritus Domini) *scientiam habet vocis* i. e. intelligit ea quae homines loquuntur. Verbo perfecti temp. πεπλήρωκε (*implevit*) actio seu conditio indicatur, quae praeterito tempore incepta nunc perdurat quaeque adeo non nisi suum initium in praeterito habet; quare pro praesente hic usurpatum dici potest (cfr *Win.* Gr. p. 256, *Beel.* Gr. p. 290 etc.) atque idem est quod

1. Cfr *Theodor.* in Ps. 7,10 : νεφροὺς ἐνταῦθα τοὺς λογισμοὺς ὀνομάζει· ἐπειδὴ γὰρ τὰς ὑπογαστρίους ὀρέξεις οἱ νεφροὶ διεγείρουσιν, ἐντεῦθεν δὲ λοιπὸν κινοῦνται τῆς ἐπιθυμίας οἱ λογισμοί, νεφροὺς τροπικῶς τοὺς λογισμοὺς προσηγόρευσεν. Ad eundem locum *Genebr.* annotat : « affectuum et cupiditatum sedes est in renibus, et cogitationum sedes in corde »; similiter *Bellarm* : « corda i. e. cogitationes, et renes i. e. desideria »; *Hoen* autem renum nomine designari vult « delectationes, concupiscentias, quasvis male affectas passiones hominis ».

« completum tenet ». Locutio autem τῆς οἰκουμένης sc. γῆς proxime quidem et etymologice terram habitatam dicit; latiore tamen sensu saepe quoque ab Alexandrinis pro אֶרֶץ et תֵּבֵל adhibetur, ut totam terram significet (sim. in N. T. cfr *Luc.* 4,5; 21,26; *Act.* 24,5 etc.); quin etiam universitatem rerum creatarum (τὰ πάντα) declarat, uti *Hebr.* 2,5 (cfr *v.* 8) et nostro in loco, quum ei in altero sticho dictio τὰ πάντα substituatur. *Continere* (συνέχειν) autem omnia Spiritus dicitur, quatenus omnia in suo esse conservat atque prohibet ne dilabatur aut quidquam ex eo pereat; sua igitur omnipotentia omnibus adesse significatur. Deus quippe non velut homo artifex tantummodo materiam iam antea productam immutat ac disponit, sed eam secundum totam suam substantiam producit, ita ut res creatae continuo ab eius operatione pendeant eoque ne in nihilum recidant conservatore indigeant, conservatio autem et creatio non nisi ratione distinguantur (cfr *S. Thom.* Summ. th. I. qu. 104, a 1).

Quae Sapiens hoc in loco de omnipraesentia Dei vel Spiritus Domini tradit, ea haud raro ab aliis ss. scriptoribus exponuntur (cfr *Ps.* 32,6; 138,7 sqq.; 3 *Reg.* 8,27; *Is.* 40,12 etc.). Nihilominus *Gr.* ad 7,24 provocans auctori gravem errorem affingere non veretur, quasi ille platonicas stoicasve nugas de anima mundi omnia pervadente et vivificante cum Veteris Test. doctrina de Deo ubique praesente et agente permiscuerit. Similem in verbis his explicandis errorem *S. Aug.* (de divers. quaest. ad Simplic. II. 1,5) iam notavit ac reiecit; etenim « illud etiam, inquit, quod scriptum est : *quoniam Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, non desunt, qui eundem spiritum (scilicet « quo, sicut nonnulli volunt, mundi moles universa ista corporea velut animetur ») velint accipi, invisibilem scilicet creaturam cuncta visibilia universali quadam conspiratione vegetantem atque continentem. Sed neque hoc loco video quid impediat intelligere Spiritum Sanctum, quum ipse Deus dicat apud prophetam (*Ierem.* 23,24) : *coelum et terram ego impleo*; non enim sine suo Spiritu S. Deus implet coelum et terram. Quid ergo mirum, si de Spiritu S. eius dictum est : *replevit orbem terrarum...*; aliter enim replet sanctificante gratia sicut quosdam sanctos, aliter attestante et ordinante praesentia, sicut omnia » (cfr etiam *S. Basil.* c. Eunom. V. *M.* 29,769; *S. Cyr. Alex.* c. Iulian. VIII; *M.* 76,921 sq.). Utique *Gr.*, ut suam obiectionem confirmet, ad 7,24 et 8,1 appellat; at illis in locis auctor Sapientiam seu Spiritum Domini « propter suam munditiem » i. e. propter omnimodam ac perfectam simplicitatem, omnia atque ipsos subtilissimos spiritus pervadere docet; qua in doctrina profecto nihil est stoici. Nostro autem in loco eum de Spiritu Domini seu de Deo loqui, *Gr.* ipse fatetur; neque igitur in eo magis quam in *Ierem.* 23,24 de anima mundi agi concedere cogitur. Ceterum si Sapiens mundum anima esse praeditum atque insuper ipsum Spiritum Domini animam mundi esse admisisset, mundum non tantummodo animatum sed etiam Deum esse docuisset; ubi autem in toto nostro libro vel levissimum invenitur vestigium tam inepti ac turpis erroris?

Verbum συνέχειν (*continere*) auctor a philosophis graecis forsitan transumserit, a quibus haud raro *conservandi* significatione adhibetur; ita *Arist.* (de mundo 6) de causa omnia *continente* i. e. conservante loquitur (ἡ τῶν ὅλων συνεκτικὴ αἰτία),

similiter *Xenoph.* (Memorab. IV. 3,13) de mundi universi ordinatore et *conservatore* (ὁ τὸν ὅλον κόσμον συντάττων τε καὶ συνέχων cfr Cyrop. VIII. 7,22 : θεοὺς..., οἳ καὶ τήνδε τὴν τῶν ὅλων τάξιν συνέχουσιν ἀκριβῆ καὶ ἀγήρατον καὶ ἀναμάρτητον) atque *Philo* (de vita Moysis III 31 de universi factore, qui coelum et terram, aquam et aërem... *continet* (conservat) et sustinet (ὁ ποιητὴς τῶν ὅλων, ὁ γῆν καὶ οὐρανόν, ὕδωρ τε καὶ ἀέρα... συνέχων καὶ διακρατῶν); inter Latinos autem *Cic.* (de nat. deor. I. 15,39) Stoicorum deum vocat « communem rerum naturam universam atque omnia *continentem* » (cfr Gr.). Contextu porro considerato *Nann.* apposite annotat, verbum συνέχειν ab auctore ideo quoque hic adhibitum videri, ut causam, cur Spiritum S. nihil eorum quae dicuntur lateret, quodammodo significaret. Etenim « sicuti, inquit, vehiculo aëris omnes voces ad aures perferuntur, ita nihil dici potest, quin vehiculo S. Spiritus ad eum perferatur, qui continet omnia et voces omnes intelligit; ex eo enim quod dicitur *continet*, videtur significari, omnes voces quasi intra ambitum complexumque Dei fieri, non extra; quare illum nihil latere potest, ne vel tenuissimum murmur ».

8. *Propter hoc,* quia nimirum virtute sua S. Spiritus ubique praesens est, *qui loquitur iniqua non potest latere* (φθεγγόμενος ἄδικα οὐδεὶς μὴ λάθῃ proprie : *nemo iniqua loquens ullo modo latebit*) *Nec praeteriet* (οὐδὲ μὴ παροδεύσῃ rectius : *neque ullo modo praeteribit*) *illum corripiens iudicium* (ἐλέγχουσα ἡ δίκη). Utroque in sticho auctor emphatica negatione (οὐ μή c. aor. coni., de qua cfr *Beel.* Gr. p. 506; *Win.* Gr. p. 491 etc.) utitur, ut pari modo certissimum esse doceat, Deum omnes et singulos iniqua loquentes tum pro sua omniscientia cogniturum tum pro sua iustitia puniturum esse. Utrum dictionem ἡ δίκη divinum iudicium an divinam iustitiam interpreteris parum interest, quum utraque significatio sententiae congruat; verbum ἐλέγχειν autem hic non (uti *v.* 3) valere *convincere* sed potius *corripere* et *castigare,* tam clare ex contextu apparet, ut omnes in hac explicatione consentiant. Neminem autem ex impiis meritam suam poenam effugiturum esse Sapiens confirmat severo descripto examine, quo Deus eorum et consilia et verba scrutaturus sit : 9. *In cogitationibus* (ἐν διαβουλίοις proprie : *de consiliis*) *enim impii interrogatio* (ἐξέτασις) *erit; Sermonum autem eius auditio* (λόγων δὲ αὐτοῦ ἀκοή, clarius : *sermonum autem eius fama* seu *notitia*) *ad Deum veniet, ad correptionem* (εἰς ἔλεγχον) *iniquitatum illius;* 10. *Quoniam auris zeli* (οὖς ζηλώσεως) *audit omnia* (ἀκροᾶται τὰ πάντα proprie : *auscultat omnia* i. e. ad omnia quae dicuntur attendit), *Et tumultus murmurationum* (θροῦς γογγυσμῶν rectius : *susurrus murmurationum*) *non abscondetur* (οὐκ ἀποκρύπτεται *non manet absconditus*). Nomen διαβούλιον (cfr διαβουλεύεσθαι deliberare) proxime deliberationem aut etiam sententiam deliberatam i. e. consilium denotat (cfr. *Pape* Lexic.) et a Siracida ad facultatem deliberandi et decernendi transfertur (*Eccli.* 15,14; 17,5); noster vero

auctor plurali nominis (διαβούλια) cum alexandrinis interpretibus (cfr *Ps.* 92,2; *Ezech.* 11,5; *Os.* 4,9; 5,4; 7,2) sensu sinistro de perversis impiorum consiliis utitur, de quibus Deus quaestionem eamque accuratam (ἐξέτασις : praepositione ἐξ praemissa vis nominis ἔτασις augetur) instituturus sit, ne vel minima culpa iniudicata relinquatur. In altero sticho nomen ἀκοή, uti saepe, passive sumatur oportet (i. q. hebr. שְׁמוּעָה quod auditum est); neque tamen recte a nonnullis (*Deane* etc.) nostra locutio (λόγων ἀκοή) idem valere censetur quod λόγοι ἀκουσθέντες (sermones auditi) quasi scriptum sit λόγοι ἀκοῆς (cfr 1 *Thess.* 2,13); sed auctor *sermonum notitiam* seu scientiam ad Deum iudicem venire docet, i. e. omnes sermones ab eo audiri et intelligi, ut si perversi sint similiter ac reliquae iniquitates corripiantur et castigentur. Ut porro nullum plane sermonem S. Spiritum latere posse clarius ostendat, apto tropo eum gloriae suae zelatorem esse addit, qui sollicite invigilet, ne obedientia sibi debita ullo modo a creaturis violetur. *Aurem* quippe *zeli* vel zelotypiae (οὖς ζηλώσεως i. e. *aurem zelotypam*) ei attribuit, metaphora desumta a marito zelotypo, qui omnia quaecumque uxor sua loquitur audire studeat, ut praecaveat ne a quoquam seducatur. « Nam quoniam, inquit *S. Aug.* (c. Adim. Manich. 6,4), zelando solent mariti uxorum pudicitiam custodire, Scripturae potestatem et disciplinam Dei, qua fornicari animam impune non sinit, zelum Dei vocaverunt ». Duplici autem modo divinus zelus sese manifestat; « *Zelare* enim, inquit *S. Eucher. Lugd.* (de formul. spirit. intellig. 1), dicitur Deus, quum creaturam suam quam non vult perire, saepe castigat et flagellat et flagellando ad se reducit, aut etiam quum nullum malum impunitum vult relinquere; iustus enim est et ideo omnis iniustitia illi est exsecrabilis, quam ut dictum est impunitam relinquere nullo modo patitur ». Priore modo saepe Deus populum quem sibi peculium elegit, zelasse dicitur, quando eum poenis ad Legis observationem reduxit aut eum ab hostibus tuitus est (cfr *Exod.* 20,5; 34,14; *Is.* 42,13; 63,15 etc.); de altero autem, quo Deus gloriam suam, quam nequit relinquere alteri (*Is.*42,3), zelans nihil omnino, quo illa laeditur, impunitum relinquit quemque Psalmista igni omnia comburenti comparat (*Ps.* 78,8 cfr *Deut.* 29,19 sqq. etc.), Sapiens nostro in loco loquitur. Aure igitur, quam zelus acuit sagacioremque reddit, Spiritus S. ἀκροᾶται τὰ πάντα, auscultat seu explorat omnia quae dicuntur, neque quidquam, ne levissimus quidem *susurrus murmurationum* (θροῦς γογγυσμῶν), attentionem eius fugit aut fallit. Nomen θροῦς (a θρέω sonitum edo), quod auctor paronomasiae causa (οὖς-θροῦς) procul dubio elegit, saepe quidem tumultuantium clamorem designat

(unde noster interpres : *tumultum murmurationum*), aliquoties tamen etiam suppressum murmurantium fremitum seu susurrum murmurationum denotat (*Xenoph.* Hellen. VI. 5,35; Cyrop. VI. 1,37 etc.) ; unde ab *Hesych.* uno in loco θόρυβος (tumultus), in altero ψιθυρισμός (susurrus) explicatur, quae altera significatio ad nostri loci contextum magis quadrat.

Ex iis autem quae dixit sua sponte consequitur admonitio : **11.** *Custodite ergo vos a murmuratione, quae nihil prodest, Et a detractione parcite linguae* (i. e. continete linguam, φείσασθε γλώσσης; cfr *Iob* 7,11; *Prov.* 17,27; *Ps.* 33,14 coll. 1 *Pet.* 3,10), *Quoniam sermo obscurus* (i. e. clam prolatus) *in vacuum non ibit : Os autem, quod mentitur, occidit animam.* Populum electum in murmurationes proclivem fuisse nemo ignorat (cfr *Exod.* 16,1; *Num.* 14,27 etc.); eiusmodi igitur querelas etiam eo tempore, quo hic liber scriptus est, considerata Iudaeorum conditione, frequentes fuisse nemo mirabitur. Ceterum nomine murmurationis omnis fere reverentiae erga Deum ac Legis observantiae defectus, qui potissimum murmurando se manifestat, comprehenditur[1]. Detractio (καταλαλιά cfr 2 *Cor.* 12,20; 1 *Pet.* 2,1) quoque inter homines valde vulgata est; qua de re S. *Hieron.*, quem omnes fere h. l. laudant : « Pauci admodum, inquit, sunt, qui huic vitio renuntient, raroque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprehendant alienam : tantaque huius mali libido mentes hominum invasit, ut etiam, qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in illud tamen quasi in extremum diaboli laqueum incidant » (ep. 148,16 ad Celant.)[2]. A quibus, ut absterreat, murmurationem inutilem (ἀνωφελῆ *quae nihil prodest* : est litotes) dicens eam fore funestam comminatur; atque sermones huiusmodi in occulto prolatos (λαθραῖον) in vacuum quidem abituros veluti verborum inanium crepitum, audiri tamen a supremo iudice et punitum iri[3].

1. « Murren ist die konkrete Form, unter welcher in der Geschichte Israels die Gleichgiltigkeit gegen Gott und Religion (Weisheit) und das Widerstreben gegen ihre Forderungen zu Tage getreten ist » (*Zenner*).

2. Monemus tamen epistolam hanc iam antiquitus S. Hieronymo abiudicatam esse atque hodie a nonnullis S. Paulino, ab aliis Sulpicio Severo, ab aliis Pelagio haeresiarchae attribui (cfr Vallarsi in ed. S. Hier. apud *M.* 21 c. 1201; *Fessler-Jungmann* Patrologia II. 1, p. 180).

3. Sicut commode *Gr.* adnotat, cum verbis, quae notionem *inutilis* habent, litotes saepe coniuncta est, veluti ἀνωφελής *Tit.* 3,9; ἀλυσιτελής *Hebr.* 13,17; ἄχρηστος *Eccli.* 16,1; *Philem,* v. 11; ἄκαρπος *Sap.* 15,4; *Eph.* 5,11; ἀργός *Matth.* 13,36; de ultimo dubitaveris. Idem alteram sententiam : φθέγμα λαθραῖον κενὸν οὐ πορεύσεται alios s. Scripturae locos intuitus ita interpretatur : « Sermo obscurus ex ore non procedet impunitus » (cfr *Deut.* 8,3; *Iudic.* 11,36; *Ierem.* Lam. 3,37; *Matth.* 4,4; 15,11 etc.). Quod vero, inquit, his locis ἐκ στόματος additum est, id nostro loco omitti potuit, quum γλῶσσα praecedat, στόμα autem sequatur.

Porro auctorem, quum os contra Deum et proximum mendaciter loquens (καταψευδόμενον) *occidere animam* (ἀναιρεῖ ψυχήν) asserit, de quocunque mendacio non agere, sed de sermone sive in Deum sive in proximum graviter iniurioso clarum est. « Sicut in Scriptura, inquit *Estius*, fere non agitur nisi de veritate religionis et cultus divini, quando de veritate sermo est, ita mendacium iam dictis locis (*Ps.* 5,7; *Apoc.* 21,8) potissimum accipiendum est, quod tali veritati contrariatur : sub quo mendacio etiam continetur illud, quod est in iniuriam proximi, quem Deus iubet diligi ».

Act. 5,1-10 habemus exemplum, morte corporis subita grave mendacium esse punitum, quippe quod non in homines sed in Deum, in Spiritum S. commissum esset. Ceterum nostro in loco, quum vocabulo ψυχῆς saepe *vita* significetur et dictio ἀναιρεῖν ψυχήν id valeat, quod *vitam auferre*, quaeritur, quo sensu hic anima occidi dicatur; quaestio autem haec intime cum altera cohaeret, quanam de morte *vv.* 12 et 16 agatur. Quatuor in sententias, quarum tres priores *Corl.* iam refert, discedunt interpretes; sunt autem hae :

a) *Castro* auctoris verba « maxime de morte *corporis* seu quovis exitio a Deo immisso intelligenda esse arbitratur, quoniam in sequentibus de corporis sola morte agatur; grave quoque supplicium, lapidationis nimirum poenam, in hominem blasphemum et Deo maledicentem Lege esse statutum (*Lev.* 24,11 sqq.) monet; unde hoc in loco doceri concludit, hominem eiusmodi se in exitium coniecisse et suae vitae interitum adduxisse. » Quae interpretatio in eo iam peccat, quod gratis supponat, dictione στόμα καταψευδόμενον (os quod mentitur) eum solum designari, qui Deum Deique providentiam calumnietur; id enim secundum *Lev.* 24,11 sqq. morte puniendum erat. Deinde Sapiens, si ad contextum, ad quem *Castro* provocat, attenderis, non de hoc illove mortis genere, quod homini propter certa peccata eveniat, loquitur, sed mortem ipsam inculcat esse poenam peccati seu idipsum peccato tribuit, quod homo universim morti subiectus sit. Quae duo, licet quam maxime inter se distent a *Castro* non satis distingui videntur. De sola morte temporali sententiam quoque accipit *Smits* ad *Num.* 31,19 provocans, sed accuratius eam non exponit.

b) Altera interpretatio utramque vitam intelligit et temporalem et aeternam, quae tollatur, et ita quidem ut mors corporis consideretur « tamquam aditus ad interitum sempiternum, qui et ipse a Sapiente metaphorice *mors* dici solet. Itaque mors impii ea est, quam post corporis ruinam vita beata non excipit; iusti mori videntur, sed eorum exitus *mors* dici non meretur; nam altera eos exspectat vita beata (cfr 3,1-4; 4,19; 5,16) ». Ita *Corluy*, qui hanc interpretationem praefert, quia congruit doctrinae propriae Sapientis, sed et Novo Testamento « (*Rom.* 5,12; 6,21. 23; *Io.* 11,25. 26; *Apoc.* 21,4. 8). Cui nos pariter subscribimus.

c) Tertia interpretatio, quae mendacio vitam animae, i. e. Dei gratiam, tolli asserit, a S. *Aug.* (de mendacio, 6,9) iam est proposita. « Illa, inquit, mors, quam stulte timent homines, qui peccare non timent, non animam sed corpus occidit, sicut Dominus in Evangelio docet (*Matth.* 10,28); unde praecipit, ne ipsa timeatur; os autem quod mentitur, non corpus sed animam occidit; his enim verbis apertissime scriptum est : Os quod mentitur, occidit animam » (cfr etiam de natura et gratia 15,6). Magna autem sancti Doctoris auctoritate probabiliter factum est, ut plerique iuniores eandem sententiam tuerentur (cfr *Bonav. Holc. Carth. Lor. Lap.*

Ians. Ipr. etc. *Schmid. Les.* etc.). Attamen hic loquendi modus, qui nunc in Ecclesia viget, Veteris Test. scriptoribus ac speciatim Sapienti nostro sine sufficienti ratione attribuitur (cfr *Corl.*). Mors animae enim in V. T. Scripturis mortem corporis connotat, Sapiens autem nusquam gratiam sanctificantem esse vitam animae indicat. Ex analogia igitur doctrinae catholicae auctores illi locum interpretati videntur. *Corl.* ad v. 15 recte quidem monet, iustitiam in utraque vita quantum ad animam immortalitatem conferre, unde consequitur, ut immortalitas, quam iustitia per se confert, peccato gravi auferatur; at id Sapiens verbis suis non significavit.

d) Tertiae vicina est quarta interpretatio a *Gutb.* et *Gr.* proposita, qui beatam vitam, quae auferatur, intelligendam esse censent, immo *Gutb.* diserte ad h. l. annotat, nomine θανάτου in toto hoc loco non physicam mortem, sed aeternum interitum designari, idque etiam ex eo confirmari arbitratur, quod nomina ὀλέθρου, ἀπωλείας etc., quibus aeternus interitus exprimitur, in parallelismo velut synonyma adhibeantur. Quae sententia cur nobis non probetur, ex infra dicendis (ad *vv.* 12.16) elucebit.

Dictio ἀναιρεῖν ψυχήν etiam apud Siracidam (*Eccli.* 21,3) occurrit, ibi autem a *Gr.* de morte corporis explicatur, sed haud recte. Etenim eo in loco Siracida a peccato sicut a facie colubri fugiendum esse monet (φεῦγε ἀπὸ ἁμαρτίας) et ad monitum suum inculcandum addit : nam *dentes leonis dentes eius* (αὐτῆς, ergo ἁμαρτίας *peccati*, non τοῦ ὄφεως serpentis) *interficientes animas hominum.* Quibus ex verbis profecto non sequitur eodem modo peccatum et leonem occidere eandemque vitam a leone et peccato auferri. Comparationem quippe habemus abbreviatam : sicut leo corpus occidit, ita peccatum animam. Ac profecto leo tamquam causa efficiens eaque physica corpus interimit, peccatum autem tamquam causa moralis ac meritoria animam occidit; nam peccatum, utpote Dei offensio, directe animo quidem, sed non corpori hominis nocumentum infert; quis enim furtum vel periurium per se corpori nocivum dixerit? Itaque vis ac potestas comparationis in eo est, quod sicut leo directe et per se corpus interimit, ita peccatum directe et per se vitam animae aufert. Licet autem peccatum, quatenus Dei offensio est, corpori per se non noceat, nihil tamen obstat, quominus etiam moralis causa mortis corporis recte appelletur, quia hominem simul dignum reddit, qui morte plectatur. Atque in hoc ipso Sapiens doctrinam Siracidae complet, quod hominem peccato non solum mortem mereri, sed etiam immortalitate, qua ab initio donatus erat, privatum mortalemque factum esse asserit.

2) *Ab operibus quoque pravis, quum omnia peccata mortem adducant, declinandum* (1,12-16).

1,12. Nolite zelare mortem in errore vitae vestrae, Neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. 13. Quoniam Deus mortem non fecit, Nec laetatur in perditione vivorum; 14. Creavit enim, ut essent omnia, Et sanabiles fecit nationes orbis terrarum : Et non est in illis medicamentum exterminii, Nec inferorum regnum in terra. 15. Iustitia enim perpetua est et immortalis. 16. Impii autem manibus et verbis accersierunt

1,12. Μὴ ζηλοῦτε θάνατον ἐν πλάνῃ ζωῆς ὑμῶν, Μηδὲ ἐπισπᾶσθε ὄλεθρον ἔργοις χειρῶν ὑμῶν. 13. Ὅτι ὁ Θεὸς θάνατον οὐκ ἐποίησεν, Οὐδὲ τέρπεται ἐπ'-ἀπωλείᾳ ζώντων· 14. Ἔκτισε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, Καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου, Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν αὐταῖς φάρμακον ὀλέθρου, Οὔτε ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς. 15. Δικαιοσύνη γὰρ ἀθάνατός ἐστιν. 16. Ἀσεβεῖς δὲ ταῖς χερσὶ καὶ τοῖς λόγοις προσεκαλέσαντο αὐτὸν, Φίλον ἡγησάμενοι αὐτὸν ἐτάκησαν, Καὶ συνθήκην ἔθεντο πρὸς

illam, Et aestimantes illam amicam defluxerunt Et sponsiones posuerunt ad illam : Quoniam digni sunt, qui sint ex parte illius.

αὐτὸν, Ὅτι ἄξιοί εἰσι τῆς ἐκείνου μερίδος εἶναι[1].

Unam alteramve speciem ex mentis orisque peccatis Sapiens velut reliquorum quasi specimina acrius corripuerat; ad prava autem opera transiens nullum speciatim nominat, sed cuncta nomine *erroris vitae* complexus omnibus qui errori illi se dederint mortis poenam denuntiat. Mortem enim, quam S. Paulus quoque *peccati stipendia* nominaturus erat (*Rom.* 6,23), primitus a Deo non esse statutam, quippe qui omnia ut essent creasset neque viventium interitu delectaretur, sed a Deo vindice homini reo esse inflictam ostendit (12-14) idque propter culpam, uti postea docebit, ab homine contractam suadente diabolo, cuius ergo invidiae origo mortis debeatur (cfr 2,24) quique ideo mortis imperium teneat (cfr *Heb.* 2,14). Iustitiam deinde immortalem manere praefatus (*v.* 15) acerrima ironia impios perstringit, qui omnibus quodammodo viribus mortem arripere eamque velut amasiam quandam foedere sibi iungere studeant (*v.* 16). Quinque autem hos versus, antiquorum Latinorum, qui solum vulgatum textum exposuerunt, interpretationibus parum rectis omissis, continenter ex ordine explicabimus et in fine de aliorum opinionibus nonnulla addemus.

A gravissimo monito Sapiens exorditur : 12. *Nolite zelare* (μὴ ζηλοῦτε *nolite sectari* seu *studiose appetere*) *mortem in errore* (ἐν πλάνῃ i. q. *errore*) *vitae vestrae, Neque acquiratis* (μηδὲ ἐπισπᾶσθε accuratius :

[1] *VV. LL.* — 12. ἔργοις (operibus), praepositione ἐν omissa, B ℵ, nonnulli minusc.; sed ἐν ἔργοις (*in operibus*) A et nonnulli minusc. cum *Vulg.*; utram lectionem praeferas, ad sensum nihil refert. — 13. Similiter parum refert, utrum τέρπεται ἐπ' ἀπωλείᾳ cum omnibus codd. (excepto A qui per librarii errorem habet : ἐπ' ἀγγελείᾳ), an cum *Orig.* aliisque PP. nonnullis legas τέρπεται ἐν ἀπωλείᾳ (*in perditione*); τέρπεσθαι enim utramque praepositionem sensu vix diverso admittit. Neque ullius quoque est momenti, quod latini aliqui PP. pro *laetatur in perditione* legant *delectatur in perditione.* — 14. σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου (salutaria sunt genera mundi) ita omnes codd. et PP. graeci *Vulg.* autem et PP. latini : *sanabiles fecit* (vel : voluit) *nationes orbis terrarum*; qua de differentia cfr *Comment.*; illud unum addimus, teste *Vercellone* (cfr Reusch, p. 13) antiquiores codices latinos verbum *fecit* vel *voluit* non exhibere atque Sixtinos correctores illud expungere voluisse; revera S. *Hieron.* (Comment. in Zach. 12,9. *M.* 25,1513) nostrum v. 14 legit : *creavit ut essent omnia, et salutares generationes mundi, et non erit eis venenum mortiferum.* — 15. De secundo sticho : « *iniustitia autem est mortis acquisitio,* quem Sixtina Vulg. cum nonnullis bonis codd. latinis tuetur, cfr *Comment.* — 16. συνθήκην (foedus vel sponsionem) B ℵ A et plerique minusc.; sed συνθήκας (*sponsiones* vel foedera) pauci minusc. cum *Vulg. Arm.*; prior lectio retinenda.

neve vi vobis attrahite) *perditionem* (ὄλεθρον potius : *interitum*) [in] *operibus manuum vestrarum.* Apte impii vita, quae tota in pravis operibus consumitur, *error* appellatur, non tam intellectus utique quam *voluntatis* a recto tramite aberrantis (πλάνη ζωῆς i. q. πλάνη ὁδοῦ *Iac.* 5, 20 cfr ad *Rom.* 1,27). Cursori quippe similis, qui metam in stadio attingere cupiens longissime ab illa aberrat, impius felicitatem quidem assequi contendit, sed perversam viam ingressus morti occurrit atque in vitae fine fateri cogitur : « ergo a via veritatis aberravi et lumen iustitiae non luxit mihi » (5,6). Studiose igitur *mortem* appetere dicitur, quia illa appetit, quae certam mortem ei sunt allatura; « stultum enim, inquit *S. Thom.* (in II. Phys. lect. 7), est dicere, quod aliquis intendat aliquid et non intendat illud, quod ei frequenter vel semper adiungitur ». Attentione quoque digna est alterius stichi locutio : μηδὲ ἐπισπᾶσθε ὄλεθρον, siquidem verbum ἐπισπᾶσθαι proprie valet *sibi vi et labore attrahere.* Homine enim, qui montem praeruptum saxisque et cautibus impeditum summo cum labore sed non minore cum vitae periculo ascendere conatur, multo stultior impius viam Domini ignorans summa cum defatigatione difficillimas iniquitatis vias ingreditur, quae non nisi ad interitum ferunt (cfr 5,7). Haud male totum monitum *Castro* his verbis circuit : « Ne ingenti desiderio expetatis neque ingenti studio quaeratis et persequamini rationem vitae a via recta deerrantem, remotam a timore Dei et disciplina Spiritus S., quam certa mortis pernicies comitatur, ne eodem desiderio studioque videamini mortem ipsi accersere ».

Quoniam autem hoc monito ab impii voluntate pendere vitae aut mortis electionem supponit, Sapiens pro confirmatione statim addit, mortem nequaquam a Deo esse in mundum invectam : 13. *Quoniam Deus mortem non fecit, Nec laetatur in perditione vivorum.* Cum emphasi dicit *Deum* mortem non fecisse (ce n'est pas Dieu, qui a fait la mort), sed *impiis* eam tribuendam esse; idemque altero membro parallelo declaratur, Deum nimirum vivorum interitu non delectari. Neque enim delectamur nisi bono; malo autem, quum privatio boni sit, laetari non possumus; Deus autem est causa omnis boni et omnia bona similitudinem divinae bonitatis prae se ferunt; et quia unumquodque gaudet suo simili tamquam convenienti (cfr *Eccli.* 13,19), consequens est, ut Deus omni bono gaudeat, vel ut accuratius dicam sua bonitate, quatenus eam in rebus creatis relucentem intuetur. Mors autem hominis tantum abest, ut sit bonum, ut privatio summi boni naturalis sit sc. vitae. Quapropter Deus vivorum interitu delectari nequit neque mors « ad primam naturae institutionem, qua hominem suo modo fecit immortalem » (S. *Thom.* de Pot. q. 1, a. 6,

ad 11.) referenda, sed impiis et eorum culpae adscribenda est, quos ut castiget mortem tanquam iustam poenam infligit. Neque vero Deus poenas hominum propter seipsas vult, sed propter ordinem iustitiae, qui ut poenae decernantur, requirit.

Itaque mors Deo adscribenda non est veluti primo auctori naturae, sed ab eo tamquam iudice ordinem culpa violatum restituente est constituta : 14ª *Creavit enim, ut essent omnia.* Significantior et clarior est sententia graeca : ἔκτισε γὰρ εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα, ad quam accuratius exprimendam, Vulg. Clementinae interpunctio ita est corrigenda, ut commate inter *essent* et *omnia* posito illud *omnia* velut obiectum a verbo *creavit* pendere indicetur. Creare proprium Dei est; neque enim materiam tantum ad aliorum artificum instar immutat, sed rem totam ex nihilo producens rebus ut simpliciter sint communicat, seu terminus creationis, uti dicunt, est ipsum *esse.* Ne igitur, ut *Gutb.* bene adnotat, tautologia quaedam enascatur, illud εἰς τὸ εἶναι cum emphasi legi et sensu quodam praegnanti accipi debet. Namque in omnibus rebus, eo ipso quod sunt, duo deprehendes : alterum, quod res ad ea, quae nondum sunt, sed pro natura sua fieri possunt, appetitu quodam naturali tendunt; quare materia, ut veteres loquuntur, appetit formam et semen in arborem tendit; alterum, quod res ea, quae sunt vel quae iam habent, naturaliter amant et tota virtute conservare student; recte quippe *Boethius* (de consol. phil. III. pr. 11, *M.* 63,774) : « Dedit, inquit, divina providentia creatis a se rebus hanc vel maximam manendi causam, ut quoad possunt, naturaliter manere desiderent. Quare non est, quod ullo modo queas dubitare, cuncta quae sunt, naturaliter appetere constantiam permanendi devitareque perniciem » (cfr S. *Thom.* de Verit. q. 21, a. 2). Quibus consideratis argumentum clarum est : Deus omnia fecit, ut essent permanerentque et suam perfectionem consequerentur; morte autem ipse homo perit et natura humana dissolvitur. Tantum igitur abest, ut Deus ipse mortem fecerit, ut hominem immortalem condiderit.

Quam argumentationem Sapiens a posteriori quodammodo confirmat : 14ᵇ *Et sanabiles fecit nationes orbis terrarum, Et non est in illis medicamentum exterminii* (φάρμακον ὀλέθρου). Uti mortem Deo tribuere non licere ex eo probavit, quod Deus omnia protulerit, ut essent, ita hominem fuisse immortalem ex eo illustrat, quod singulari Dei beneficio nulla res fuerit, quae mortem homini inferre potuerit. Prius membrum ex graeco verte : *Et salutaria sunt genera mundi* (καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου) vel cum S. *Hieron.* (cfr *VV. LL.*) : *Et salutares generationes mundi*[1]. Nomine graeco γενέσεις uti latino

1. *Generationis* quippe nomen quominus latiore sensu *generis* sumatur, nihil obstare

nationes hic rerum genera vel species designantur (cfr ad 12,10), quae Sapiens altero membro omnia salutaria fuisse inculcat, quum ullum inter ea inveniri negat, quod sit mortiferum. Nomen φάρμακον porro uti medicamentum, quod saluti procurandae est idoneum (cfr *Eccli.* 6,16 φίλος πιστὸς φάρμακον ζωῆς; amicus fidelis medicamentum vitae), ita venenum significat quod exitium infert; quo altero sensu hic accipi debet ob genet. ὀλέθρου adiunctum. Iam eodem sensu etiam vulgatae lectionem *sanabiles nationes* intelligere nobis licet; siquidem *Plinius* quoque *rerum genera* appellat *nationes* (cfr Hist. nat. 22,24 « *mellis nationes* », 24,6 « cera pura, *natione pontica* » etc.) atque adiectivum *sanabilis* aliquoties africanis scriptoribus idem valet quod salutaris vel salubris[1]. Ceterum ad sensum quod attinet, cum nonnullis nativam vocabuli significationem retinere et ipsa initia rerum intelligere poteris. Quod enim ipsa procreatione rebus inditum est, permanere censetur, et origine imprimis communicatur natura, unde γενέσεις per metonymiam ipsae species rerum, quae harum naturis definiuntur, appellari videntur. Itaque si verba ipsa intueris, « sensus germanus est, in rebus creatis nullum fuisse factum venenum exitiosum aut mortiferum, vel in mundi originibus atque natalibus nullum fuit malum mortiferum, siquidem omnes fuere, ut dixerat, salutares » (*Castro*).

Quodsi mors a Deo non est facta, sed culpam consecuta, consequens est, ut ante peccatum 14ᶜ. *Nec inferorum regnum in terra* (οὔτε ᾅδου βασίλειον ἐπὶ γῆς) fuerit. A nonnullis βασίλειον hic explicatur *regia domus* (cfr *Luc.* 7,25 ἐν τοῖς βασιλείοις) sed rectius *regnum* intelligitur (cfr 5,16.17; 3 *Reg.* 14,8; 2 *Mach.* 2,17). Vocabulo ᾅδου alexandrini interpretes hebr. שְׁאוֹל iam interpretati sunt, quo nomine sacri scriptores universim locum eum designant, in quo animae corpore solutae resident a Deo, fine suo ultimo, remotae; nomen ᾅδου autem (compos. ex α privat. et ἰδεῖν *videre*), huic sedi lumine beatitudinis destitutae optime convenit. Nonnulli inferorum regnum idem esse ac mortis imperium censent, quasi dicatur : mortem illo tempore in homines

censeo; id enim quod *generatum* est = id quod *genitum* est; cfr *Eccli.* 24,26 (18), ubi latinum *generationes* graeco γεννήματα (i. q. terrae vel agrorum proventus varii) respondet; saepe autem Alex. nomine γεννήματα τῆς γῆς, τοῦ ἄγρου omnia fructuum genera in agro producta complectuntur (cfr *Gen.* 47,25; *Exod.* 23,10; *Deut.* 14,22; 22,9. etc.).

1. Antiquam versionem latinam in Africa exortam esse communis hodie est sententia; iamvero apud africanos quoque scriptores reperimus exempla, quibus adi. *sanabilis* non solum passivo sensu (is qui sanari potest) usurpari constat; cfr S. *Aug.* sermo 18,5, ubi de damnatorum poenitentia agens, postquam *Sap.* 5,8 sq. allegavit « videtis, inquit, quia poenitebit eos (sc. damnatos), sed ista poenitentia *cruciabilis, non sanabilis est* » (cruciat sed non sanat); item *Coel. Aurelian.* (medici saec. 5. in Numidia nati) Chronic. passionum IV, 8,123 : « erit *sanabilius* ergo, ut » etc. i. e. erit ergo salubrius vel utilius.

nullum obtinuisse dominium, neque ullam potestatem exercuisse (cfr *Smits, Corl.*). Qui sensus nimis ieiunus esse videtur. Etenim, ut omittamus, a Sapiente non *mortis* sed inferorum *regnum* dictum esse, mortis domo autem (si hac figura uti velimus) non inferos sed sepulchrum significari (cfr *Iob* 30,23; *Ps.* 48,12), attendas velim iuxta illam explicationem nihil aliud doceri, nisi mortem ab initio nondum fuisse, a qua illa sedes animis defunctorum frequentaretur; accedit quod illa sedes, si homo non peccasset, omnino non exstatura fuisset; quoniam igitur Sapiens mortem physicam effectum peccati esse asserit, haud male *Castro* ait, egregia quadam hypotyposi inferni dominatum describi in omnes homines super terram habitantes, ex quo in Adam peccaverint. « Sicut enim, inquit, ex quo peccavit Adam, peccatum suum regnum erexit in mundo, et mors quoque regnavit ab Adam usque Moysen (*Rom.* 5,12), ita etiam regnavit infernus. Nam quemadmodum peccatum dicitur regnare in mundo, quia omnes obnoxii peccato nascuntur, et mors itidem, quia omnes morti obstricti sunt, sic ab Adam usque ad Christum omnes infernis tenebris obnoxii [1] decedebant, quum nemini tunc aditus pateret in coelum — ita infernus suum imperium exercebat in homines media morte ». Id S. Ioannes quoque indicat quarti sigilli mysterium describens : Et ecce, inquit, equus pallidus, et qui sedebat super eum, nomen illi mors, et infernus (ὁ ᾅδης) sequebatur eum etc. (*Apoc.* 6,8). — Mentem autem Sapientis plene expresseris, si infernum *speciatim* locum damnatorum intelligi dices et simul indicari diabolum, caput damnatorum, cui suasori peccatum et mors tribui debeat (2,24). Homo peccato Deum offendens et ab eius servitute quasi recedens, diaboli, cui consentit, servitutem incurrit, Deo iusto iudice propter offensam in se commissam id permittente. Diabolus autem, cui non tamquam legitimo domino, sed tamquam tortori poenam summi iudicis exsequenti subiectus est homo, velut princeps huius mundi constitutus eius dominium tenuit, donec Christus D. sua morte imperio eius destructo, homines a timore mortis liberavit, quo per totam vitam tenebantur (*Hebr.* 2,14.15; cfr S. *Thom.* Summa 3, q. 48, a. 4, ad 2).

Nonnulli in prima sententia aliquam difficultatem inveniunt, quatenus ex ea inferri videtur, reliqua quoque animantia immortalitatem consecuta esse; at id non recte infertur. Namque Sapiens de homine agit hominisque mortem proxime non ad Dei creantis voluntatem sed ad hominis peccantis culpam referendam esse contendit; hominem ergo conditum esse immor-

1. Interpretem de Veteris Test. tempore loqui patet, quo illi quoque, qui iusti decedebant, ad visionem beatificam, i. e. ad lucem aeternam, nondum pervenerunt.

talem. Neque naturalibus, uti apparet, principiis nixus id demonstrat, sed tantum rationem congruam, cur factum sit, affert ad impetum rebus inditum provocans, quo seipsas conservare student. Caste igitur et ad mentem auctoris sententia accipi debet. Iam vero homo, quum ratione praeditus sit, divinae amicitiae et beatitudinis capax est; non igitur mirum est, quod homo etiam corpore incorruptibilis sit conditus. Sed alia animantia ad Deum ipsum pertingere non possunt, sed ad hominem, ut ei inserviant, sunt ordinata; ergo ut singula permaneant opus non est (immovero inepte id affirmaretur) sed sufficit, ut genera conserventur. Idem deinde Sapiens, ut diximus, a posteriori confirmat. Neque enim, ut aliqui sumunt, inferiora inter se comparat, sed ea cum homine comparans asserit, nullum fuisse homini mortiferum; id autem affert, ut hominem conditum esse immortalem ostendat, neque aliud ex eo inferre licet. Quibus praemissis sententiam auctoris bene a *S. Thom.* exponi patet, quum huiusmodi a principio homini non fuisse nociva, sed postea per peccatum ei facta esse nociva doceat (2 Sent. dist. 1, q. 2, a. 3, ad 4). Sapiens non negat aliquas creaturas inferiores ita ab initio esse conditas, ut secundum naturam suam homini etiam ante culpam nocere *potuerint* (ut ignem), sed id unum asserit, nullam creaturam homini, quamdiu in statu innocentiae et integritatis permansit, de facto nocituram fuisse, Deo nimirum sua providentia id impediente. Incassum igitur nonnulli contenderunt, nescio quam physicam rerum inferiorum immutationem post hominis lapsum factam esse. Neque difficultatem creat, quod Sapiens tempore praesenti (οὐκ ἔστι) utitur; quae enim facta sunt, ea nobis, uti fieri solet, quasi praesentia exhibet.

Novo argumento Sapiens Deum mortem non fecisse confirmat : 15. *Iustitia enim perpetua est et immortalis,* vel accuratius ex graeco : *iustitia enim* est *immortalis* (adjectivum *perpetua* nimirum aut ex altera versione latina est additum aut glossa explicativa, quae ex margine in textum sacrum irrepsit). Nomine iustitiae hic specialem illam virtutem designari, quae voluntatem ad uniuscuiusque ius strictum servandum inclinet, perperam cum S. *Aug.* (de Trinit XIV. 9,12. *M.* 42,1046) etiam S. *Thomas* (Summ. 1. 2, q. 67, a. 1) arbitratus est; toto enim contextu iustitiam hic (uti *v.* 1. Diligite iustitiam) latissimo sensu esse sumendam evincitur, prouti est omnium virtutum collectio idemque quod tota et integra rectitudo moralis seu sapientia practica. Nomen porro abstractum iustitiae hic positum est pro concreto *iusti,* ut sensus sententiolae sit : « iusti vi iustitiae eis divinitus datae sunt immortales »; simili modo Paulus quoque Christianos dicit fieri « iustitiam Dei » i. e. eos iustos fieri vi iustitiae propter Christi merita eis misericorditer a Deo infusae (2 *Cor.* 5,21). Argumentum autem, quod Sapiens solummodo indicat, hoc fere syllogismo proponere poteris :

« Deus fecit hominem rectum (i. e. *iustum* יָשָׁר cfr *Eccl.* 7,30); atqui iustus homo est immortalis, ergo Deus mortem non fecit seu origo mortis a Deo non est ». Utique argumentum eo sensu completum non est, quod non simul undenam sit mors declarat; animadvertatur autem oportet, in Sixtina Vulgatae nostrae editione et in *Polygl. Complut.* alterum stichum sequi, quo argumentum completur : *iniustitia autem est mortis acquisitio* i. e. possessio, quod recte a *Gr.* graece redditur : ἀδικία δὲ θανάτου περιποίησις, quodque ad praecedentem stichum respicientes interpretari possumus : « iniusti autem vi iniustitiae suae sunt possessio mortis » i. e. morti sunt obnoxii. A clementinis quidem correctoribus stichus iste est expunctus et cum eis etiam iuniores interpretes multi (*Ians. Gand. Luc. Brug. Reusch Gutb. Feldm.* etc.) propter graecorum ac vetustiorum latinorum codicum auctoritatem eum spurium declarant; alii tamen quum catholici (*Nann. Kaulen* Einl. Ed. 3, p. 337. *Zenn.* etc.) tum acatholici (*Thilo, Gr. Siegfr.* etc.) eum casu quodam ex graeco textu excidisse arbitrantur, atque internis potissimum rationibus nixi eum pro genuino haud immerito habent. Recte enim eum a parallelismo, qui per totam hanc pericopen accurate sit observatus, postulari aiunt; neque minus recte ad contextum provocant, siquidem non tantum argumentatio hoc sticho omisso incompleta esset et manca (uti iam monuimus), sed etiam in *v.* 16 pronomen αὐτόν (sc. θάνατον, *illam* sc. mortem) nostro sticho expuncto non haberet, ad quod referretur; parum apte enim, etsi id fieri per se posse non negamus (cfr *Beelen* Gramm. p. 143, *Winer* Gramm. Ed. 7, p. 137) ad nomen θάνατος, quod ex adiectivo ἀθάνατος supplendum sit, referri dicitur. Iure ergo *Zenn.* hunc stichum, utpote ad contextum restituendum maxime necessarium, ex sixtina Vulgata in graecum textum esse inserendum affirmat.

Cui sticho suppleto apte sequens adnectitur sententia, qua explicatur, quomodo iniusti facti sint praeda ac possessio mortis; ironiam nimirum, qua impios iam ne avide appeterent mortem exhortatus erat (*v.* 12), acerrimo sarcasmo terminans eos quasi amore desiderioque mortis tabescentes describit : 16. *Impii autem* (vel potius *scilicet;* particula enim δέ hic uti saepe est explicativa cfr *Beelen* Gramm. p. 467 sq. *Winer* Gramm. p. 412) *manibus et verbis accersierunt illam* (sc. mortem) : *Et aestimantes illam amicam, defluxerunt* (seu *tabuerunt* ἐτάκησαν), *Et sponsiones* (melius : *sponsionem* seu foedus συνθήκην cfr *VV. LL.*) *posuerunt ad illam* (ἔθεντο πρὸς αὐτόν i. e. inierunt cum illa) : *Quoniam digni sunt, qui sint ex parte illius* (i. e. qui ex illius partibus stent seu illius participes fiant). Aoristos (παρεκαλέσαντο, accersiverunt, ἐτάκησαν tabuerunt, ἔθεντο posuerunt) hic esse

gnomicos, qui id quod fieri solet exprimunt, per se patet; ita autem hic adhibiti videntur, ut primum peccatum, quo mors in mundum est invecta, quodammodo connotent. Sarcasmo suo autem Sapiens impiorum oculis subiicit, quantopere in vitia sint proclives et quam arcte cum peccato mors coniuncta sit. Qui enim, uti antea diximus (*v.* 13), actionem ponit, quam ut plurimum aliquis effectus sequitur, is ipsum effectum velle censetur. Quapropter Sapiens non vitia improborum enarrat, ut eis mortem comminetur, sed admodum efficaci et ingenioso modo eos tamquam mortis amore tabescentes inducit, qui omni conatu et studio, sicut amans amasiam, eam arcessant et quasi connubium quoddam cum ea attentent. Vulgatus interpres συνθήκην *sponsionem* reddidit, quo latino vocabulo obligatio sollemniori modo confirmata significatur, ac proinde id quod contractui ac foederi proprium est effertur. Ultimo demum membro Sapiens impios plane dignos esse dicit, qui mortis consortio utantur. Et profecto quum foedere cum Deo vivente, qui quaerentibus se vitam immortalem largiturus est, sese coniungere aspernati rebus terrenis ac voluptatibus adeo inhaereant ut morte omnia finem habitura glorientur, omnino digni sunt, qui pereant.

Restat, ut ad eam difficultatem quam antea attigimus (ad *v.* 11) revertentes accuratius explicemus, quem sensum Sapiens hoc in loco nomini θανάτου (*mortis*) attribuat. Maioris claritatis causa autem haec praemonenda ducimus : Secundum Sapientis doctrinam Deus non est mortis auctor, sed omnia fecit ut essent (1,13. 14), ac speciatim hominem iuxta suam similitudinem ad beatam immortalitatem (ἐπ' ἀφθαρσίᾳ) creavit (2,23); diaboli autem invidia mortem in mundum introduxit (2,24); neque tamen omnes morti sunt obnoxii, siquidem iusti sunt immortales (1,15) expertesque tormenti mortis in pace et in honore apud Deum in perpetuum vivent (3,1 sqq.; 5,16); impii vero sua impietate sibi ipsi mortem attrahunt (1,12. 16) eamque experientur (2,25), neque tamen integri peribunt, sed conscientiae stimulis cruciati (5,2 sqq.) omnique spe orbati (3,18; 5,14 sq.) in perpetuum in contumelia et in dolore (ἐν ὀδύνῃ *Vulg.* gementes) erunt inter mortuos (4,19) et infelicem suam sortem cum beatitudine iustorum comparantes desperabunt (5,1 sqq.). Qua Sapientis doctrina exposita satis, ni fallor, iam apparet eum nomine θανάτου hic illam mortem designare, quae aditus sit ad aeternam infelicitatem (cfr *supra* ad *v.* 12); piorum autem mors Sapienti mors proprie dicta non est, sed dumtaxat transitus ad feliciorem vitam, quae finem habitura non sit. Etiam longiore demonstratione non indiget, parum recte a nonnullis hic nomine mortis intelligi amissionem gratiae sanctificantis, quae vera sit animi vita, aut aeternam damnationem, quae in Apocalypsi (20,14; 21,8 etc.) secunda mors vocetur. In impiis enim mors corporis intime cum eorum aeterna damnatione coniuncta

est, quum utraque ex eorum culpa proveniat. Efficaci igitur argumento Sapiens impios perstringit, quum eos sibi ipsos mortem avide expetere asserat, quoniam pravis suis cogitationibus, sermonibus, operibus ipsi eam sibi parent. Deum quippe non esse, qui aeternam mortem fecerit, sed eam non nisi propter culpam infligi, eius non erat dicere; bene autem effertur, non Deo qui hominem immortalem condiderit, sed invidiae diaboli (2,24) et culpae hominis mortem corporalem deberi.

At mortem omnibus hominibus, piis non minus quam impiis ob primum primi parentis peccatum esse communem obiiciunt. Id utique verissimum est; at consideretur oportet, nihil obstare, quominus eadem res duplici titulo debeatur. Omne peccatum mortale per se ratio sufficiens est, ut homini mors ut poena infligatur. Enimvero si propter peccatum Adami et ipsi ut singulari personae et omnibus posteris, quia caput generis fuit, mors infligi potuit, pari cum iure singuli propter sua peccata morte puniuntur; « qui talia agunt, digni sunt morte » (*Rom.* 1,32). « Dignum est enim, quod anima, quae deserit Deum, a corpore suo deseratur per mortem corporalem, et finaliter deseratur a Deo per mortem aeternam » (*S. Thom.* in ep. ad *Rom.* c. 1, lect. 8). Procul enim dubio si Adam non peccasset, illi ex eius posteris, qui peccassent, mortales effecti essent (cfr. *S. Thom.* de Malo qu. 5, a. 4, ad 8). Addunt alii, quod impiis mors praematura in poenam scelerum infligatur : Viri sanguinum non dimidiabunt dies suos (*Ps.* 54,24). Quum igitur mors duplici titulo impiis debeatur, Sapienti pro suo fine instituto omnino licuit, illum unum titulum, qui ad singulos impios spectat, altero universali omisso, inculcare.

Secundo in loco quaeritur, quaenam iustitia immortalis dicatur et quae immortalitas intelligenda sit. Interpretes plerosque re quidem inter se non multum dissidere, nonnullos tamen sententiam non omni ex parte satis expendere arbitramur; itaque varias sententias ita exponemus, ut simul quid verba per se valeant, inquiramus atque difficultatibus occurramus. Omittere autem licet interpretationem a *Castro* commemoratam, iuxta quam ea iustitia appellatur immortalis, « quam servat Deus, dum tribuit rebus iuxta insitam naturam, quod illis proprium est, ad earum perpetuitatem ». *Schmid* quidem eam sequi videtur, quum iustitiam appellet « legem vitae » ab initio rebus inditam, quae sit perpetua; satis tamen obscure loquitur atque sententia ipso contextu iam refutatur. Melius ab aliis cum *Castro* iustitia illa intelligitur « in qua creati sunt homines, quae non sinebat possessorem suum venire sub mortis imperium, sed perpetuae vitae illi causa erat, nisi ille se decipi atque in barathrum peccati coniici pateretur » (cfr *Mald. Lap. Sa, Men. Tirin.*). Neque tamen verba de sola iustitia originali explicare licet; namque id iam nudum iustitiae nomen prohibet ab auctore sine ullo addito adhibitum; praecipue autem nexus cum sequentibus huic explicationi obstat. Si enim de sola originali iustitia ageretur, solum Adae peccatum, quo illa sublata est, illi opponendum erat; atqui eo praetermisso Sapiens iustitiae, quam immortalem vocat, impiorum in genere opera prava, quibus mortem sibi accer-

sant, opponit. Quapropter iustitiam originalem procul dubio includit, siquidem mortem ab initio non fuisse ac proinde iustitiam originalem, in qua est animae vita, et vitam corporis ab initio arcte coniunctas fuisse docet; at eam, quatenus primo homini velut donum in eius posteros transfundendum erat collata, neque speciatim commemorat neque solam intelligit, quia secus, uti iam diximus, etiam Adae peccatum, quo illa transfusio impedita est, solum nominare et intelligere debuit. Recte igitur iustitiam generatim intelligimus, quae vocatur immortalis, quia causa est immortalitatis, quum homines ad aeternam beatitudinem adducat. Hoc autem sensu sententiam esse interpretandam confirmatur altero, quod ex sixtinae Vulgatae editione recipiendum diximus, membro, quippe quo iniustitia in genere (i. e. iniusti universim) mortis acquisitio seu praeda et possessio vocatur. Immortalitas autem iustitiae, uti cum antiquioribus *Carth.* recte monet, non dicit iustum non posse iustitiam amittere vel perdere, sed iustitiam ex sua natura perpetuo manere, quum eius subiectum, i. e. immortalis voluntas, etiam in patria perseveret quantum ad actus suos perfectos, quemadmodum caritas, quae nunquam excidit, atque iustus ipse quoque habeat propositum iugiter adhaerendi iustitiae et permanendi in ea, sine quo proposito nemo est iustus (cfr *Bonav. Holc. Malv. Loch*).

Verum nonnulli sententiam ad solius animae vitam beatam diserte restringere videntur, inter quos *Corl.* : « iustitia, inquit, *veram* confert immortalitatem in vita futura, atque adeo in utraque vita *quantum ad animam.* » Quam interpretationem duobus argumentis confirmare nititur, quorum prius ei Sapientis loquendi usus suppeditat, qui etiam auctoribus N. T. valde familiaris sit. Etenim eos loqui ait « de morte temporali iustorum ac si esset apparens tantum (cfr *Sap.* 3,1-3; *Io.* 11,26; 8,51.), siquidem sit aditus vitae aeternae; de morte vero impiorum, ac si post eam omnia de eis interirent istorumque mortem nulla nova vita exciperet; hinc eos resurrectionem quoque corporum non nisi de iustis commemorare et fere cum beata immortalitate confundere » (cfr *Sap.* 4,19; 5,19; 2 *Mach.* 7,14; *Io.* 6,40; 1 *Cor.* 15,21-23.). Alterum vero argumentum ex contextu desumi posse arbitratur. Nam « sicut, inquit, *vv.* 12. 13. intelligimus mortem quidem, sed quatenus connexam cum aeterna, ita et h. l. immortalitas est vita praesens in aeternum duratura, quam mors temporalis non est censenda interrumpere ». Quae interpretatio sine dubio difficultatem removet atque sententiae *v.* 15 expressae, si nuda spectatur, satis congruit; contextui tamen non omnino satisfacere videtur, siquidem nostro in loco de corporis morte agitur; quemadmodum ergo impii pravis suis operibus non solum animae sed etiam corporis mortem incurrere dicuntur, ita iustos non solius animae sed etiam corporis vitam beatam consecuturos esse iuxta argumentationem exprimendum erat. Ac profecto Sapiens, ut ad sectandam iustitiam legentes inducat, eam immortalem esse praedicat, sicuti etiam eis, ut a pravis operibus eos absterreat, praeter mortem animae comminatur corporis mortem, utpote qua magis commoveantur; quod argumentum omni ex parte efficax non esset, nisi

per iustitiam etiam corpus a morte servari significaretur. Beatitudo ergo animae et corporis quasi una consideratur; nihil autem impedit, quominus animae vita proxime efferri dicatur. Quae quum ita sint, immortalitatem corporis eamque beatam simul esse intelligendam censemus, ita ut corporum resurrectio, quum iusti de facto moriantur, a Sapiente doceatur; doctrinam enim hanc in Vetere Test. iam fuisse revelatam et ab antiquis Iudaeis (Sadducaeis exceptis) creditam, nemo ignorat (cfr *Iob* 19,25 sqq.; 2 *Mach.* 7,14; *Matth.* 22,23 sqq.). Explicationem autem nostram ipsum argumentum priore in loco a *Corl.* allatum confirmat. Namque scriptores Novi Test. mortem iustorum velut apparentem considerare recte monet; sed quo cum iure id facerent, nisi iustorum resurrectionem supponerent, ita ut eorum mors, utpote aliquid transitorii, somnus potius quam vera mors vocari mereretur? Similiter Sapiens, si apostolico loquendi usu quasi praeoccupato impiis mortem (aeternam) comminatur, iustos autem immortales dicit, apte non esset locutus, nisi iustorum resurrectione supposita vitam eorum ad breve tantum tempus interruptum iri significare voluisset, quod ad totam, qua corpore iterum vestiti victuri sint, aeternitatem comparatum in considerationem non veniat. Iustitia igitur ex sententia Sapientis beatos nos reddit mente et corpore; id vero quomodo futurum sit, ex parte notum ponit et ex parte aetati messianicae declarandum relinquit. Porro quod *Corl.* altero in argumento affert, vitam animae, quae his in terris incipiat, morte non interrumpi sed potius compleri, id verissimum est; attamen iusti, nisi eis vita corporis restitueretur, saltem ad corpus quod attinet, cum impiis eiusdem essent conditionis.

3. — *Impii propter impia sua principia et consilia morte sunt digni* (2,1-25).

Ultimam sententiam, qua impios mortem velut amasiam arcessentes satis mordaciter irrisit, Sapiens terminavit assertione eos morte esse dignos. Quod assertum ut probet, eos ipsos inter se colloquentes ac perversa sua principia et consilia iactantes inducit, ut stultis eorum erroribus reiectis eos morte a diabolo invecta dignos esse ostendat. Tria autem membra apte distinguimus, quatenus impii praeprimis negationem immortalitatis hominis tamquam normam statuunt, ad quam vitam suam dirigere velint (2,1-5); secundo in loco ex funesto suo principio haud minus funestas vivendi et agendi regulas derivant (2,6-20); Sapiens demum ipse nefariam eorum stultitiam graviter reprobans eos velut diaboli asseclas morte per illum invecta dignos declarat (2,21-26).

1) *Impia impiorum placita* (2,1-5).

2,1. Dixerunt enim cogitantes apud se non recte : Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae, Et non est refrigerium in fine hominis, Et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis : 2. Quia ex nihilo nati sumus, Et post hoc erimus tamquam non fuerimus; Quoniam fumus flatus est in naribus nostris, Et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum : 3. Qua exstincta, cinis erit corpus nostrum, Et spiritus diffundetur tamquam mollis aer, Et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, et sicut nebula dissolvetur, Quae fugata est a radiis solis, Et a calore illius aggravata : 4. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus, Et nemo memoriam habebit operum nostrorum. 5. Umbrae enim transitus est tempus nostrum, Et non est reversio finis nostri, Quoniam consignata est, et nemo revertitur.

2,1. Εἶπον γὰρ ἐν ἑαυτοῖς λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς· Ὀλίγος ἐστὶ καὶ λυπηρὸς ὁ βίος ἡμῶν, Καὶ οὐκ ἔστιν ἴασις ἐν τελευτῇ ἀνθρώπου, Καὶ οὐκ ἐγνώσθη ὁ ἀναλύσας ἐξ ᾅδου· 2. Ὅτι αὐτοσχεδίως ἐγενήθημεν, Καὶ μετὰ τοῦτο ἐσόμεθα ὡς οὐχ ὑπάρξαντες· Ὅτι καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν, Καὶ ὁ λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν, 3. Οὗ σβεσθέντος τέφρα ἀποβήσεται τὸ σῶμα, Καὶ τὸ πνεῦμα διαχυθήσεται ὡς χαῦνος ἀήρ. 4. Καὶ τὸ ὄνομα ἡμῶν ἐπιλησθήσεται ἐν χρόνῳ, Καὶ οὐθεὶς μνημονεύσει τῶν ἔργων ἡμῶν, Καὶ παρελεύσεται ὁ βίος ἡμῶν ὡς ἴχνη νεφέλης, Καὶ ὡς ὀμίχλη διασκεδασθήσεται Διωχθεῖσα ὑπὸ ἀκτίνων ἡλίου Καὶ ὑπὸ θερμότητος αὐτοῦ βαρυνθεῖσα. 5. Σκιᾶς γὰρ πάροδος ὁ βίος ἡμῶν, Καὶ οὐκ ἔστιν ἀναποδισμὸς τῆς τελευτῆς ἡμῶν, Ὅτι κατεσφραγίσθη, καὶ οὐδεὶς ἀναστρέφει [1].

Deus omnia produxit, ut essent et suam quodque propriam perfectionem obtineret; quare defectu naturali suppleto hominem immortalem condidit et ad finem supernaturalem evexit. Itaque summa sapientia in eo est, ut homines Deo per fidem, spem et caritatem inhaereant, donec praeparati ad vitam beatam et gloriosam transferantur. Quae vera sapientia iustorum est. Impii vero supremam suam sapientiam in cognitione et agnitione futuri interitus completi seu ut ita dicamus annihilationis hominis reponunt; ad quam famosam sapientiam hac fere argumentatione se pervenisse gloriantur : « Rerum

1. *VV. LL.* — 1. ἐν ἑαυτοῖς (*apud se* vel inter se) B𝔑A cum plerisque minusc., *Vulg. Syr.* etc.; minus recte aliqui minusc. praepositionem ἐν omittunt. — 2. ἐγεννήθημεν (geniti vel *nati sumus*) 𝔑A etc.; sed lectio ἐγενήθημεν (facti sumus), quam B prima manu habuit, omnino videtur praeferenda, quum de ipsa creatione hominis agatur. — ὡς οὐχ ὑπάρξαντες (*quasi non fuerimus*) BA etc.; minus recte ὡς οὐχ ὑπάρχοντες (quasi non simus) 𝔑 cum nonnulis. — ὁ λόγος (*sermo* vel mens) B𝔑A etc., male ὀλίγος (parvus) C, quam lectionem *Nann.* aliique immerito defendunt. — In *vr.* 3.4. stichi alio ordine in textu graeco, alio in *Vulg.* dispositi sunt; cfr *Comment.* — 4. Utrum ὁ βίος (*vita*) an ὁ καιρός (tempus) legendum sit, non constat, quum neque codd. graeci neque verss. inter se consentiant; ad sensum haud multum refert, aptior tamen prior lectio (ὁ βίος) videtur.

finis origini earum congruit; atqui homo non secus atque reliqua animantia casu exortus est : ergo non secus atque reliqua omnino pereat necesse est, et quando corpus dissolvitur, totus interit. Ac profecto si corpore destructo ipse remanere dicèretur, id secundum animam vel mentem eius intelligendum esset; sed mens vel anima, quae separata exsistere possit, res est ficta et commenticia. Namque cogitationes, quae menti vel animae deberi dicuntur, motu cordis producuntur, similiter atque scintillae lapidis percussione eliciuntur. Nemo quoque unquam spiritum vidit aut experimento cognovit neque ullum unquam corpus ad vitam reversum est. Immo vero uti totus homo ipse, ita eius memoria quoque procedente tempore oblivioni omnimodae datur et plane perit ». Qua ex argumentatione practicam deinde derivant conclusionem, fruendum esse hac vita eiusque bonis, quamdiu id fieri possit, atque ad eam confirmandam altiusque mentibus infigendam similitudines congerunt, quibus quam velociter transvolet vita nostra fluxa et instabilis ostendant.

Materialismum hunc putidum, qui Epicuri doctrinam sapit ac probabiliter per eius discipulos inter nobiliores ditioresque Iudaeos Alexandriae sectatores cultoresque invenerat, impii illi profitebantur, quos Sapiens ultimis sententiis praecedentibus, ne vitiis suis sibi ipsi avide arcesserent mortem, exhortatus est; siquidem illos ipsos quos modo est allocutus, nunc suam sapientiam haud sine ostentatione praedicantes inducit : **1.** *Dixerunt enim cogitantes apud se non recte : Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae, Et non est refrigerium in fine hominis, Et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis.* Sententiolam introductoriam ex graeco (εἶπον γὰρ ἐν ἑαυτοῖς λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς) accuratius hac ratione reddimus : *dixerunt enim inter se, haud recte cogitantes;* nam iuxta graecum vocabulorum ordinem illud ἐν ἑαυτοῖς (*apud se* vel *inter se*) ad verbum εἶπον (*dixerunt*) trahatur oportet. Iamvero procul dubio per hebraismum *apud se dicere* (i. q. *in corde suo dicere* cfr *Ps.* 13,1; Eccle. 2,1 etc.) idem valet quod *cogitare;* immerito autem recentissimus libri nostri interpres acath. (*Siegfr.*) ad nostram sententiolam explicandam illum loquendi modum attraxit, quoniam evidens est, impios hic non induci velut singulos de vitae fine meditantes ac philosophantes, sed velut congregatos inter se de hac quaestione colloquentes ac disserentes (cfr *v.* 9 *nemo nostrum* etc.). Quapropter recte plerique dictionem ἐν ἑαυτοῖς hic, uti saepe, pro ἐν ἀλλήλοις (inter se, alter ad alterum) positam esse censent[1]; unde sensus est, impios mutuo colloquio ea effutire, quae

1. De frequenti hac pronominis ἑαυτῶν significatione apud classicos scriptores et in SS. Scripturis cf. *Blass* Gramm. p. 166.

perverse et vitiose excogitaverunt; scilicet *non recte cogitantes* vel ratiocinantes (λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς) invenerunt illas *perversas sententias* (τοὺς σκολιοὺς λογισμούς) hominem a Deo avertentes, quibus se nunc alter ad alterum ad pessimam suam vitam continuandam exhortantur.

A tribus autem assertionibus exordiuntur, quarum duae priores verissimae sunt et quarum tertia sua saltem specie veritatis non caret, quae autem omnes eis pro fundamento perversarum suarum conclusionum inserviunt. Verissimum est, quod primo in loco ponunt, *exiguum et cum taedio* (vel clarius : *breve et triste* ὀλίγος καὶ λυπηρός) *esse tempus vitae nostrae.* Id enim antiquitus Iacob iam est conquestus (*Gen.* 47,9); at brevitate et molestiis vitae humanae consideratis David, ut unicam suam spem in Domino repositam esse profiteretur (*Ps.* 38,6-8), Iob autem, ut divinam misericordiam imploraret (*Iob* 14,1 sqq.) impulsi sunt; impii vero hac eadem consideratione abuntur, ut se invicem ad totam hanc vitam voluptati ac libidinibus impendendam excitent. Similiter verum est secundum eorum assertum, hominem non posse mortem effugere; id enim eorum verba : *non est refrigerium* (ἴασις) *in fine hominis* significant, dummodo attenderis a Vulgatae interprete graecum nomen ἴασις, quod latino *sanatio* proprie respondens apud Alexandrinos aliquoties i. q. *medicamentum* valet (cfr *Ezech.* 20,21; *Eccli.* 3,28; 21,3), haud recte latino *refrigerium* esse redditum, quo nomine alibi status quietis ac felicitatis pie defunctorum (ἀνάπαυσις 3,1) vel ex magno periculo liberatorum (ἀναψυχή cfr *Ps.* 65,12) aut salutis messianicae (ἀνάψυξις cfr *Act.* 3,19) designatur. Qua versione antiquiores quidem latini interpretes, quibus graecus textus libri ignotus erat, in errorem inducti ab impiis futuram beatitudinem, quae piis post mortem promissa est, negari arbitrati sunt (cfr *Bonav. Holc. Carth.* etc.); attamen iuniores modernique sententiam recte interpretantur, *in fine hominis,* i. e. eo tempore, quo secundum naturae legem (i. e. secundum providentiae divinae vel potius hic, quum impii loquantur : secundum caeci fati decretum) *homini finis* seu mors imminet, *ei reliquum non esse remedium,* quo illam avertat. Minus apte alii praepositionis ἐν vi neglecta vertere malunt : « *contra finem hominis,* i. e. contra eius obitum, *non est remedium* » iuxta vetus illud adagium : « contra vim mortis non est medicamen in hortis ».

Iam vero impii, postquam brevem esse vitam humanam omnibusque hominibus statutum esse mori recte dixerunt, tertio suo asserto ad errorem quem stabilire volunt propius accedentes totum hominem morte corporis interire non tam affirmant, quam subdole indicant,

siquidem eorum verba : οὐκ ἐγνώσθη ὁ ἀναλύσας ἐξ ᾅδου, si per se considerantur, rectam interpretationem admittunt. Quoniam verbum ἀναλύειν duplici significatione usurpatur, transitiva *resolvendi* seu etiam *liberandi* ac *reducendi* (cfr 5,13; 16,14; *Eccli.* 3,15; ita praesertim apud profanos, cfr *Hom.* Odys. 2,105; 9,178; 12,200 etc.) et intransitiva *revertendi* vel *discedendi* (cfr *Tob.* 2,9; 2. *Mach.* 9,1; *Luc.* 12,36; *Phil.* 1,23), duae proponuntur explicationes. Si cum modernis nonnullis (*Loch, Zenn.* — *Gr. Siegfr.* etc.) prior significatio praefertur, vertendum erit : *non cognitus est,* i. e. non innotuit seu non visus est *ille qui ex inferis* (mortuos) *reducit* seu *revocat;* id autem per se, quum solus « Dominus mortificet ac vivificet, deducat ad inferos et reducat » (1 *Reg.* 2,6), ante Christi Domini, qui in carne apparens mortem devicit eique praedam eripuit, adventum ab impiis vere asseri potuit, sicut a filiis Core (*Ps.* 48,8) indicatum est. Si autem cum *Vulg. Syr. Arm.* antiquioribusque et iunioribus interpretibus cath. et acath. alteram significationem praetuleris, interpreteris oportet : *non est agnitus* seu non innotuit, *qui ex inferis sit reversus;* ad quae verba *Lap.*, iam per Eliam et Eliseum mortuos ad vitam revocatos esse praefatus, adnotat : « vera tamen sententia est hoc sensu, quod *illa ipsorum* (sc. impiorum) *aetate* pauci et forte nulli a morte et inferis ad vitam redierint ». Secundum utramque ergo interpretationem sententia veritatis specie non caret, at impii prorsus alio sensu, uti ex contextu constat, eam intelligi voluerunt, ita ut iuxta eos interpretandum sit, aut « non innotuit, qui ab inferis mortuos reduxerit, neque unquam innotescet » aut « non innotuit hucusque neque unquam innotescet, qui ex inferis ad vitam reversus sit ». Id enim eis est propositum, ut in morte hominis una cum corpore etiam principium vitae seu animam rationalem plane interire doceant et vocabulum ᾅδου, quod retinent, nihil aliud eis quam mortem et interitum significat.

Quid veteres Iudaei nomine ᾅδου = שְׁאוֹל intellexerint, *Corl.* (i. h. l.) breviter sed satis clare in hunc modum exponit : « Generatim designabant hoc nomine locum, ubi degebant homines post mortem. Quum autem corpora terrae mandarentur, nequit concipi Scheôl nisi locus animarum corporibus superstitum. Non debet confundi cum sepulchro, quod dicebatur קֶבֶר; 65ies legitur vox שְׁאוֹל in V. T. et 61ies vertitur ᾅδης a Septuaginta, et in Vulgata *infernus* (48ies) seu *inferus* vel *inferi* (17ies). Eo descenditur (*Gen.* 37,35) per portam (*Iob* 17,16) seu os (*Is.* 5,14), quod dilatari in immensum valeat (ib.). Est locus profundus (*Iob* 11,8), obscurus et tenebrosus (*Iob* 10,21. 22), horrendus et absque ordine (ib.), vastus (*Hab.* 2,5), insatiabilis (*Is.* 5,14; *Prov.* 1,12; 30,16). Loca habet ceteris profundiora (*Deut.* 32,22). Omnes omnino homines eo descendunt, domus est omni viventi (*Iob* 30,23). Incolae

eius saepe vocantur רְפָאִים (i. q. quieti), uti *Is.* 14,9, quo in loco in occursum regis Babylonis venisse dicuntur. Mali et boni ibi degunt. Num ibi agere putati sint non liquet : certe dicit Ezechias : quia non infernus confitebitur tibi (*Is.* 38,18; cfr *Ps.* 6,6; 113,17). Deus, non homo, potest ab inferno reducere (1 *Reg.* 2,6; *Ps.* 87,11). Tota haec doctrina clare ostendit Hebraeis fuisse persuasum, non omnia in homine cum corpore interire, sed animam corpori superstitem ab inferis suscipi (*Ps.* 15,10 animam meam = נַפְשִׁי, id quo homo vivit, *Gen.* 2,7, et est imago Dei *Gen.* 1,26. 27). Animas in inferno praemiis vel poenis affici in sacris libris hebraicis non legimus » (cfr Revue des questions historiques. Oct. 1873 p. 465 sqq.).

Quod praecedente sententia, qua hominem ex inferis liberari aut reverti posse negabant, subdole et occulte insinuarunt, totum scilicet hominem non minus secundum animam quam secundum corpus in morte interire, id impii nunc aperte proclamant ac satis mire velut probationem praecedentis asserti afferunt : 2ª *Quia ex nihilo* (αὐτοσχεδίως) *nati sumus* (ἐγεννήθημεν) vel melius : *facti sumus* (ἐγενήθημεν cfr *VV. LL.*), *Et post hoc erimus tamquam non fuerimus.* Latina dictio *ex nihilo fieri,* qua hic graecum αὐτοσχεδίως γενηθῆναι redditur, ideam creationis ex nihilo nobis suggerit; at cave ne eam eadem ratione atque in verbis matris Machabaeorum (2 *Mach.* 7,28 « *ex nihilo* [ἐκ οὐκ ὄντων] Deus omnia fecit ») explices; de vera enim creatione impii, utpote athei, neque cogitaverunt neque cogitare potuerunt. Neque tamen versionem *ex nihilo* hic erroneam dicere licet (uti *Gr.* censet), siquidem *ex nihilo* (uti vicinum *de nihilo*) id valere potest quod *sine causa ac temere,* ita ut sine Dei consilio ac providentia sed casu et fortuito exorti dicamur. Id autem graecum αὐτοσχεδίως quoque significat; nam αὐτοσχεδίως id fieri dicitur, quod praeter agentis intentionem accidit, veluti si quis sepulchrum fodiens invenit thesaurum. Si autem illa videntur necessitate quadam accidere, fato attribuuntur; atqui ex impiorum opinione omnia fato eveniunt neque altiori causae, quae omnia sapienter disponat ac regat, adscribi possunt. Itaque nos quoque casu et fortuito vel si mavis caeco fato exorti dicimur, ac similiter morimur casu vel caeco fato; sicut ante ortum omnino nihil fuimus, ita post mortem omnino nihil erimus; *erimus tamquam non fuerimus*[1].

Novum autem hoc assertum confirmaturi impii primum animam cum corpore interituram non probant, sed variis similitudinibus il-

1. Bene iam *Cicero* (Tusc. disput. I. 49) contra hunc materialistarum errorem : « Non *temere,* inquit, nec *fortuito* sati et creati sumus, sed profecto fuit vis quaedam, quae generi consuleret humano, nec id gigneret aut aleret, quod quum exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum : portum potius paratum nobis et perfugium putemus! »

lustrare conantur (*v.* 2ᵇ. 3), secundo ipsam quoque nostram apud posteros memoriam plane desituram affirmant (*v.* 4), tertio mortuos nullo pacto ad vitam reverti posse proclamant (*v.* 5). Sciscitantibus nimirum, undenam constet, nos post mortem futuros tamquam numquam fuerimus, respondent : 2ᵇ. *Quoniam fumus flatus est in naribus nostris, Et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum;* 3. *Qua exstincta, cinis erit* (vel *evadet* ἀποβήσεται) *corpus nostrum, Et spiritus* (τὸ πνεῦμα) *diffundetur tamquam mollis aer...* Duo priora membra ab interprete tam obscure sunt reddita, ut antiquiores (*Bonav. Holc. Carth.* etc.) ea intelligere non potuerint; ex graeco clarius verte : *quoniam fumus* (seu vapor καπνός) *est spiritus* (vel halitus ἡ πνοή) *in naribus nostris, et sermo* (ὁ λόγος i. e. mens sermone se prodens, vel si mavis : mentis operatio) *est scintilla in motu* (ἐν κινήσει vel per motum) *cordis nostri* (producta). Impii enim, quid sit vita, pro suo materialismo definire volunt; vita autem in motu et operatione sita est atque duplici modo iuxta eos se manifestat, respiratione et cogitatione (vel mentis operatione in genere); ad prius quod attinet, respirationem seu spiritum vel halitum nihil esse aiunt nisi fumum vel vaporem in naribus nostris, alterum autem, sermonem vel mentis operationem, nihil esse nisi scintillam quandam, quae cordis motu producatur (vel uti hodie nostri materialistae loquuntur, nihil esse nisi vibrationem quandam cellularum cerebri). Qua pulcherrima definitione data totum hominem morte perire facile probant; famosa enim illa scintilla exstincta (scilicet quia cor non amplius movetur aut cellulae cerebri non amplius vibrant) corpus nostrum dissolvitur et in cinerem redigitur, atque spiritus (τὸ πνεῦμα, quod eis idem est atque ἡ πνοή) velut *aër mollis* (ἀὴρ χαῦνος i. e. aër qui se expandit vel aër tenuis) usquequaque diffunditur, neque quidquam amplius superest hominis [1].

1. Non fictos errores impiis hic a Sapiente attribui, sed eos in philosophorum scholis antiquitus esse traditos, multis testimoniis constat (cfr *Schmid* Das Buch der Weish. p. 150 sq.); duo tantum afferimus, quibus auctorem nostrum etiam terminos scientificos, quibus philosophi illi utebantur, cognitos habuisse apparet. Prius ex *Platon.* Phaed. 14 (ed. Steph. p. 70 A.) desumimus, ubi Cebes Socrati obiicit : « Quantum ad animam spectat, valde ambigunt homines, annon illa, quum a corpore separatur, nusquam sit ulterius, sed ea ipsa die, qua homo mortem obierit, intereat statimque disiuncta a corpore, *dissolvatur atque egrediens dissipetur quasi ventus vel fumus sese diffundens* (καὶ ἐκβαίνουσα ὡς πνεῦμα ἢ καπνὸς διασκεδασθεῖσα οἴχηται διαπτομένη) neque usquam amplius sit ». Alterum nobis *Lucretius*, epicureus poeta, suppeditat in suo op. de rerum nat. (III. 232 sqq.) :

> Nec tamen haec (sc. mentis animaeque) simplex nobis natura putanda est;
> *Tenuis* enim quaedam moribundos deserit *aura* (cfr ἀὴρ χαῦνος)
> Mista *vapore* (cfr καπνός vel ἡ πνοή), vapor porro trahit *aera* secum,
> Nec calor est quisquam, cui non sit mistus et aër;
> Iam triplex *animi* est igitur natura reperta.

In graeco textu duo sequuntur stichi illi, quibus nomen quoque hominis interire et oblivioni dari monetur; aptior autem Vulgatae ordo videtur, iuxta quam antea totius hominis interitus duabus similitudinibus quasi illustratur : 3ᵇ. *Et transibit vita nostra tamquam vestigium nubis, Et sicut nebula dissolvetur, Quae fugata est* (διωχθεῖσα; melius participium solum in textu latino ponitur : *sicut nebula fugata*) *a radiis solis, Et a calore illius aggravata.* Haud sine ratione in prima similitudine impii non *nubem* ponunt, siquidem eius particulae velut vestigia remanere possunt, sed hominis interitum, ut eum completum esse significent, cum ultimis vestigiis vel reliquiis nubis evanescentibus comparant, quibus dissipatis nihil omnino superest. Similiter in altera similitudine ut completam dissolutionem nebulae inculcent, eam partim quidem a radiis solis fugari, partim vero a calore solis aggravari et quasi in terram deprimi dicunt. Itaque non celeritas, qua vita nostra transit; cum celeritate transitus nubis vel nebulae comparatur (uti plerique quum antiquiores tum moderni interpretes tenent), nam nubes non semper celeriter transit et nebula plerumque lente dissolvitur; sed vis comparationis est in omnimodo et pleno exitio vel potius annihilatione vitae humanae. Dictio « nebula a calore solis aggravata » nonnullis difficultatem creat; « quid sibi haec velint heic, inquit *Corl.*, difficile dictu est. Putaverintne antiqui illi nebulas lucente sole ideo quandoque dissipari, quod calore gravatae versus terram deprimerentur? Epicurus certe et Democritus *calorem* habebant ut *materialem* adeoque *gravem* substantiam ». Nihil obstare arbitror, quominus menti istorum impiorum, qui certe ex Epicuri grege erant, illam magistri sui opinionem obversatam esse dicamus; facilior autem et aptior alia est explicatio. Quoniam enim nebula calore solis crescente revera frequenter versus terram descendere et quasi deprimi videtur, poetis profecto non minus dicere licet eam calore solis aggravari quam eam solis radiis fugari; meram ergo habemus metaphoram.

Hominis ipsius interitu nondum contenti impii nunc ipsum quoque hominis nomen oblivioni datum iri totamque eius memoriam disparituram addunt; scilicet ne famae quidem suae apud posteros pudore

Animus igitur ei non est nisi compositum quoddam ex aere, vapore et calore; hinc etiam postquam « gigni pariter cum corpore et una crescere pariterque senescere mentem » exposuit (*vv.* 445 sqq.), pro sua sapientia concludit (*vv.* 455 sqq.) :

> Ergo *dissolvi* quoque convenit *omnem animai*
> *Naturam, ceu fumus* (καπνὸς vel ἡ πνοή) *in altas aeris auras;*
> Quandoquidem gigni pariter pariterque videmus
> Crescere et, ut docui, simul aevo fessa fatisci.

a libidinibus et criminibus, quibus vitam suam impendere volunt, sese retineri posse significant : 4. *Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus* (ἐν χρόνῳ labente vel procedente tempore), *Et nemo memoriam habebit operum nostrorum* (cfr *Eccl.*2,16; 9,5). Quae memoria apud posteros ceteroquin magni habita est (4,1; 8,13; 10,14; *Ps.* 111,7; *Prov.* 10,7; *Eccli.* 37,29; 39,13; 41,15.16; 44,7 sqq. etc.); at mirum non est, quod impii, qui se totos interituros sperant, famae memoriaeque suae curam non habeant vel potius habere nolint. Hinc etiam, si operum suorum (τῶν ἔργων ἡμῶν) memoriam perituram dicunt, procul dubio de omnibus suis operibus loquuntur. Uti enim opera ex memoria hominum elabi dicunt, ita quod alia bona, alia mala vocantur, vanae opinioni tribuunt. Cur igitur, inquiunt, illis studeamus, haec timeamus? Ea agamus, quae voluptati conducunt.

Demum ultimum quoque, quo impediri possint, ne totos se libidinibus dedant, excludentes fieri posse negant, ut homo mortuus ad vitam iterum revertatur : 5. *Umbrae enim* (γάρ = sane) *transitus est tempus nostrum, Et non est reversio finis nostri* (ἀναποδισμὸς τῆς τελευτῆς ἡμῶν); *Quoniam consignata est* (κατεσφραγίσθη) *et nemo revertitur.* Similiter fere *Iob* (7,9 sq.) conqueritur : « sicut nubes consumitur et pertransit, sic qui descenderit ad inferos, non ascendet, nec revertetur in domum suam », atque Siracides quoque « non esse reversionem » (οὐ γάρ ἐστιν ἐπάνοδος *Eccli.* 38,22) docet. Plane diverso autem sensu impii rem intelligunt, quum *tempus nostrum* (i. e. iuxta eos : tempus fato nobis assignatum ὁ καιρὸς ἡμῶν, vel iuxta alteram lectionem : *vitam nostram* ὁ βίος ἡμῶν) transitui umbrae comparant. Namque umbra in se nihil est et re, quae lucis radios intercipiebat, ablata vel lumine ipso remoto plane disparet, ne minimo quidem sui vestigio relicto. Hinc nova hac similitudine impii nequaquam celeritatem, qua vita transit, illustrare volunt, quamvis alibi hoc sensu apte adhibeatur (cfr 1 *Paral.* 29,15; *Eccle.* 7,1), sed eam adhibent, ut completum hominis interitum iterum inculcent ac simul novum suum assertum quasi praeparent. Etenim umbra, quae disparuit, eadem reverti plane nequit; eodem iam modo hominis, qui totus interiisse cuiusque ipsum nomen quoque completae oblivioni datum esse supponitur, reditus omni ex parte impossibilis est. Haec est eorum argumentatio; ad singula autem quod attinet, dictio *reversio finis nostri* (ἀναποδισμὸς τῆς τελευτῆς ἡμῶν) ab antiquioribus et iunioribus plerisque, quasi genetivus *finis* sit obiectivus, de reditu ex morte i. e. ex inferis ac statu mortis intelligitur, qui fieri omnino non possit. Verum attendatur oportet, nomine τελευτῆς non statum mortis, sed ipsum obitum vitaeque finem significari; quare rectius cum modernis

plerisque (*Loch. Gutb. Zenn.* — *Gr. Siegfr.*) genetivum subiectivum admittentes vertemus : « non est repetitio mortis » i. q. homo bis mori nequit[1]. Similiter S. Paulus hominibus statutum esse ait *semel* tantum mori (*Hebr.* 9,27); sed Apostolus, quum statim addat « et post hoc iudicium », simul fideles sibi cavere iubet, ne imparati moriantur, siquidem aliud tempus, quo ad iudicium se praeparent, eis non sit futurum. Impii vero mortem repeti non posse proclamantes cum morte omnia plane finiri contendunt, ut eorum quae mortem sequantur curam homini non esse habendam ac proinde ante mortem omne tempus, quod ei a fato conceditur, in voluptatibus ac libidinibus consumere licere insinuent. Porro *reversionem finis nostri* (ἀναποδισμὸς τῆς τελευτῆς ἡμῶν) non esse confirmant addentes : *Quoniam consignata est et nemo revertitur* (ὅτι κατεσφραγίσθη καὶ οὐδεὶς ἀναστρέφει). In graeco textu verbum κατεσφραγίσθη quum ad nominativum ἀναποδισμός (reversio) tum ad genetivum τελευτῆς referri potest; *Vulg.* priorem nexum praetulit (« quoniam consignata est » scil. reversio nostra), qui aptus est, si verbum κατασφραγίζεσθαι (consignari vel obsignari) hic idem valere concedis quod κατακλείεσθαι (occludi), quum antiqui id saepe obsignarent, quod nos occludere solemus (*Dan.* 6,17; *Matth.* 27,66), vel etiam id quod occluserant maioris securitatis causa sigillo munirent (*Dan.* 14,10; Apoc. 20,5); unde iuxta *Hesych.* : κατεσφραγίσθη i. q. κατεκλείσθη, atque reversio obsignata vel occlusa dicitur, quia impossibilis est (*Gr.*). Planior tamen erit sententia, si pro subiecto verbi κατεσφραγίσθη nomen τελευτή (finis) *quoniam consignatus est* sc. finis noster. Sigillo enim apposito decretum aliquod confirmatur et in perpetuum ratum ac irrevocabile declaratur (cfr *Esth.* 6,8). Hac enim explicatione admissa sensus est : « non est repetitio finis nostri, quia finis noster irrevocabiliter in perpetuum est fixus et nemo revertitur, ut iterum moriatur[2] ».

2) *Impia impiorum vivendi et agendi ratio* (2,6-20).

Iisdem fere, quibus impii, imaginibus ac similitudinibus etiam sacri scriptores, sicut in superiore explicatione passim iam indicavimus, haud raro utuntur, ut vitae humanae brevitatem aut molestias, quibus homines hac in terra premuntur, aut celeritatem, qua tempus eis concessum transvolat, legentibus sub oculos subiiciant et quasi

1. Verbum ἀναποδίζειν etymologice id est quod pedem referre seu redire vel reverti, sed etiam sensu repetendi usurpatur. Unde ἀναποδισμός vel ἀνάποδισις proprie reditus ac deinde repetitio.

2. Cum impiis consonat *Lucretius* Epicureorum poeta (De rerum nat. III. 924 sqq.).

depingant; neque alio modo SS. Patres quoque loquuntur. Attamen vivis suis descriptionibus hi id unum intendunt, ut hanc miseram terram non veram nostram esse patriam neque brevem ac molestam hanc vitam, quam nunc vivimus, veram ad quam creati ac destinati sumus esse vitam doceant; ultima autem, quam ex sua doctrina nos colligere volunt, conclusio ea est, ut « inter mundanas varietates ibi fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia », et « sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus aeterna »; mundi quippe bona, utpote transeuntia, nobis non esse data ut iis fruamur, sed ut iis ad vera bona obtinenda utamur; sic enim nos hoc mundo uti vult Apostolus ac si non utamur, quia figura huius mundi praetereat (1 *Cor.* 7,31).

Verum omnino diversa est impiorum doctrina ac proinde non mirum, quod eorum conclusiones prioribus sint contrariae. Etenim querelis de huius vitae brevitate et molestiis non contenti morte omnia finiri asserunt, quum homo praeditus non sit anima spirituali, quae corpore mortuo superstes maneat veraeque beatitudinis perpetuae sit capax. Itaque facile intelligitur, cur breve, quod hac in terra sibi a fato concessum sit, temporis spatium totum, omnibus abactis molestiis, appetitibus suis inferioribus et cupiditatibus satiandis impendendum esse concludant. Duo autem sibi ex doctrina sua deducunt praecepta, quorum prius privatam quodammodo vivendi, alterum publicam agendi rationem spectat; praeprimis enim quam suavissimam (utique secundum inferiores suos appetitus) vitam agere sibi proponunt (2,6-9), utque id quiete facere queant, pauperes cunctos, quorum solo iam aspectu turbari videntur, opprimere, imprimis autem Iustum, quem sibi suisque perversis studiis contrarium esse vident, omni qua possunt ratione impugnare, vexare, occidere volunt (2,10-20).

Conferri merentur, quae *Lactantius* (Instit. III. 17, *M.* 6,403) contra Epicurum disputat, ut funestis negatae immortalitatis sequelis expositis ipsam eius doctrinam funestam et absurdam esse probet.

a) Impii ad vitae delicias perfruendas inter se exhortantur (2,6-9).

2,6. Venite ergo, et fruamur bonis, quae sunt, Et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter. 7. Vino pretioso et unguentis nos impleamus, Et non praetereat nos flos temporis. 8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant : 9. Nullum pratum sit, quod non per-

2,6. Δεῦτε οὖν καὶ ἀπολαύσωμεν τῶν ὄντων ἀγαθῶν, Καὶ χρησώμεθα τῇ κτίσει ὡς νεότητι σπουδαίως. 7. Οἴνου πολυτελοῦς καὶ μύρων πλησθῶμεν, Καὶ μὴ παροδευσάτω ἡμᾶς ἄνθος �έρος. 8. Στεψώμεθα ῥόδων κάλυξι πρὶν ἢ μαρανθῆναι· 9. Μηδεὶς ἡμῶν ἄμοιρος ἔστω τῆς ἡμετέρας ἀγερωχίας· Πανταχῇ καταλ!-

transeat luxuria nostra. Nemo nostrum exsors sit luxuriae nostrae : Ubique relinquamus signa laetitiae, Quoniam haec est pars nostra et haec est sors.

πωμεν σύμβολα τῆς εὐφροσύνης, Ὅτι αὕτη ἡ μερὶς ἡμῶν καὶ ὁ κλῆρος οὗτος[1].

A vivida invitatione, qua summam suam voluptatum produnt cupidinem, impii exordiuntur : 6. *Venite ergo* (δεῦτε οὖν) quum post mortem nostram omnia sint finita, *et fruamur* (ἀπολαύσωμεν) *bonis, quae sunt* (τῶν ὄντων ἀγαθῶν), *Et utamur creatura tamquam in iuventute celeriter* seu studiose (σπουδαίως). Conclusionem hanc non esse meram fictionem neque impiis, qui loquentes inducuntur, a Sapiente temere aut arbitrario attribui, multis ethnicorum poetarum atque philosophorum sententiis similibus satis constat; unus audiatur *Petronius,* Neronis « arbiter elegantiae » (i. e. maître de plaisir), qui eadem prorsus ratione exclamat : « Heu, heu, nos miseros! quam totus homo nihil est! sic [sc. nihil] erimus cuncti, quando nos auferet orcus! *ergo* vivamus, dum licet bene esse » (fragm. 34). Ceterum eandem argumentationem iam in impiis suae aetatis Israelitis *Isaias* (22,13) increpavit eandemque S. Paulus repetiit, ut quam absurda esset resurrectionis (ac proin immortalitatis humanae) negatio, Corinthiis ostenderet (1 *Cor.* 15,32. cfr nostrum Comment. in 1 *Cor.* p. 486 sq.). Iam vero quid nomine *bonorum quae sunt* (τῶν ὄντων ἀγαθῶν) ab impiis intelligatur, clarum est. Quoniam casu quodam vel caeco fato sese exortos esse et morientes annihilatum iri sibi persuadent, bonis spiritualibus, quae pii hac in terra ex virtutis exercitio colligunt, aeternisque, quae iidem utpote divinitus sibi promissa in altera vita se obtenturos certo sperant, velut imaginariis inanibusque commentis spretis et irrisis, impii ea sola vere *esse* iactant bona, quae corporis sui sensibus percipere, oculis videre, manibus attrectare, palato gustatuque explorare valent,

1. *VV. LL.* — 6. χρησώμεθα τῇ κτίσει (*utamur creatura*) B𝔑 cum nonnulis minusc. omnibusque verss.; minus recte (per itacismum, ut videtur) plerique maiusc. et minusc. gr. : χρησώμεθα τῇ κτήσει (utamur possessione). — ὡς νεότητι (tamquam [in] iuventute) B. 23. et minusc. nonnuli; ὡς νεότητος (tamquam tempore iuventutis 𝔑A C et minusc. multi; ὡς ἐν νεότητι (*tamquam in iuventute*) *S. Athan.* et haud pauci minusc. Omnes tres lectiones sensum temporalem admittunt, quem etiam verss. exprimunt et qui aptissimus est; quare locum coniecturis vexare plane superfluum est; cfr *Comment.* — 7. ἄνθος ἀέρος (flos aëris) B𝔑 aliqui minusc. Syr.; at aptius legitur ἄνθος ἔαρος (flos veris) cum A. multis minusc. et *Arm.*; de *Vulg.* lectione : *flos temporis* cfr in *Comm.* — 8. ῥόδων κάλυξιν (rosarum calicibus) omnes codd. gr. omnesque versiones; minus apte *Vulg.* nudum exhibet *rosis.* Alter autem stichus, quem sola *Vulg.* habet : *nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra,* velut genuinus videtur retinendus et casu quodam in graecis codd. praetermissus (cfr *Comm.*).

viles igitur dumtaxat materialis naturae res, quae infimis eorum appetitibus respondent. His autem in humilibus citoque transituris rebus totam suam ponunt beatitudinem iisque non tamquam instrumentis ad altiora aeternaque bona consequenda uti volunt, sed iis ad suam voluptatem perfrui (ἀπολαύειν) student. Idem alter stichus parallelus exprimit, in quo utpote synonymo verbum χρῆσθαι, quamvis plerumque de recto usu vel honesta fruitione adhibeatur, eodem sensu quo ἀπολαύειν explicatur oportet (uti etiam interdum alibi, cfr *Eccli.* 26,10 [13], ubi nudum verbum χρῆσθαι de usu libidinoso intelligendum est), et nomen κτίσεως (*creatura*) iuxta usum loquendi materialistatum, qui praeter materiam nihil cognoscunt, solas res materiales complectitur.

Unum tamen altero sticho additur : bonis istis nimirum, quae sola existimant, impii perfrui volunt *tanquam in iuventute celeriter* (vel studiose seu ardenter σπουδαίως). De loci huius lectione non satis constare diximus (cfr *VV. LL.*). Ex iis qui codicis B lectionem (ὡς νεότητι) praeferunt, nonnullis hanc dictionem eadem ratione qua priorem τῇ κτίσει a verbo χρησώμεθα dependere volunt : « fruamur creatura sicut iuventute celeriter » vel studiose, quia utraque cito praetervolat (cfr *Castro, Lap. Calm. Gutb.* etc. — *Hasse, Gaab* etc.); qui sensus aptus quidem est, sed ad eum exprimendum articulus, qui priori nomini praefixus est, ante alterum nomen omnino repeti debuit (τῇ κτίσει ὡς τῇ νεότητι). Rectius ergo nudo dativo (νεότητι) hic, uti saepe (cfr *Blass* Gramm. p. 118) non minus quam aliis lectionibus (ἐν νεότητι, νεότητος) temporis durationem designari dicemus. Porro particula ὡς a plerisque hic de congruentia sumitur, ita ut dictio ὡς (ἐν) νεότητι quodammodo rationem indicet, cur impii rebus creatis celeriter vel ardenter uti velint : « fruamur creatura, quamdiu (vel quia adhuc) iuventus durat, et quidem ardenter et velociter, quia praetervolat » (cfr *Vat. Ians. Loch* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.); licet autem hanc explicationem verbis convenire non negemus, eam tamen ad contextum non quadrare censemus. Quapropter particulae ὡς comparativam suam significationem reliquentes sententiam interpretari malumus : « voluptatibus fruamur, quasi in iuventute ardenter » i. e. quasi adhuc iuvenes essemus (cfr *Rom.* 13,13 ὡς ἐν ἡμέρᾳ quasi in die seu quasi plenus dies iam adesset). Obiicit quidem *Gr.* exhortationem ad voluptates capiendas iuvenibus potius quam viris vel senibus convenire; id nos quoque fatemur, sed ad contextum attendendum esse monemus, in quo haec exhortatio legitur. Iamvero iuvenes, ut se invicem ad voluptates invitent, philosophicis argumentis neque indigent neque uti solent, sicut etiam de brevitate vitae non cogitant

nequedum molestias vitae plerumque experti sunt. Praeterea ea quoque quae de iusto impugnando, opprimendo, occidendo sequuntur, a iuvenibus utpote auctoritate carentibus dici non potuerunt. Tota igitur exhortatione considerata dicendum videtur, a Sapiente viros vel senes graves, qui opibus divitiisque non minus quam auctoritate valent, loquentes induci.

Generalem suam ad delicias fruendas voluptatesque capiendas exhortationem accuratius sequentibus sententiis exponunt, atque primo in loco se invicem ad luxuriosam compotationem vel comissationem invitant : 7. *vino pretioso* (οἴνου πολυτελοῦς i. e. vino quod magno stat pretio) *et unguentis nos impleamus* (καὶ μύρων πλησθῶμεν), *Et non praetereat nos flos temporis* (melius *veris* ἔαρος). Iuxta *Castro vini* et *unguentorum* nominibus hic reliqua comprehenduntur, « quae delicias afferant et voluptatem generent » ; quae explicatio improbabilis non est, dummodo ea sola comprehendi dicantur, quae in lautis symposiis usitata sunt. Ad constructionem quod attinet, alii dictionem οἴνου καὶ μύρων πλησθῶμεν (*vino et unguentis nos impleamus*) per hendiadyn exponunt : « vino unguentis condito » (cfr *Lap. Zenn.*) idque haud improbabiliter, siquidem vinum aromatibus condire Iudaeis antiquitus iam erat usitatum (nam *Isaias* 5,22 impios ignavosque contribules iam increpat, quod heroes sint ad siceram miscendam i. e. vina condienda) atque Graecis Romanisque quoque, teste *Plinio* (Nat. hist. XIV, 15) vina myrrhae odore condita erant lautissima et pretiosissima (cfr etiam *Aelian.* Var. hist. XII. 31). Alii tamen plerique zeugma admittere malunt, et verbum *impleri,* quod proprie de copioso et nimio usu vini intelligi potest, improprie de unguentis intelligunt : « impleamus nos vino et unguentis corpora nostra abundantissime perfundamus ». Quae explicatio, quum usus unguentorum in conviviis semper apud Iudaeos (cfr *Am.* 6,6; *Iudith* 16,10 etc.; *Luc.* 7,46; *Matth.* 26,7 etc.) uti apud Graecos Romanosque frequentissimus esset, aptior iure habetur, maxime quia varia, quae ad potationum voluptatem augendam conferunt, hic quasi congeri videntur. Namque altero sticho exhortatio sequitur ad flores vernos sollicitissime colligendos (« ne ullus quidem, quem ver praebet, flos a nobis relinquatur »), ut iis nimirum symposia sua exhilarent.

Sequitur enim : 8. *Coronemus nos rosis* (vel ad gr. text. ῥόδων κάλυξιν accuratius : rosarum calycibus), *antequam marcescant; Nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Iudaeos quidem antiquos coronas florum in conviviis gestare aut triclinia sertis florum exornare solitos fuisse, certis testimoniis non constat (cfr tamen *Is.* 28,1-5), Graecis Romanisque vero (atque Aegyptiis quoque, ut vide-

tur) id usitatissimum fuisse nemo ignorat; ab his autem Seleucidarum et Ptolemaeorum aetate multae nobiliores ditioresque familiae iudaicae continuo suo cum istis regnis commercio praeter alios, patria sua Lege ipsa despecta, mores ethnicos (cfr **1** *Mach.* **1,12** sqq.) etiam hunc conviviorum celebrandorum ritum receperant. Mirum ergo non est, quod impii, qui a graecis philosophis materialisticam doctrinam receperant, florum quoque pulchritudine suavique odore in conviviis suis frui voluerint[1]. Calycibus autem rosarum capita sua coronari desiderant, quia rosae plane apertae cito marcescunt, calyculi autem, dum sensim folia sua explicant, diutius durant ac suaviorem quoque densioremque odorem spirant. Neque vero rosis quibus coronantur contenti, omnia prata perlustrare volunt, ut quaecunque ibi pulchra suaviaque invenerint, ad luxuriam suam i. e. libidinum intemperantiam satiandam impendant. Itaque per figuram quandam efferunt nullam esse voluptatem, quam non expetant.

Quaedam de variis lectionibus addenda restant. In altero sticho *v.* 7. lectionem ἄνθος ἔαρος (flos veris) adoptavimus, quae sufficiente criticorum auctoritate nititur (cfr *VV. LL.*) et significatione sua sese commendat. Critici quidem editores (*Tisch. Swete*) lectionem codd. B et ℵ (ἄνθος ἀέρος flos aëris) cui similis est Syri lectio (frondes aëris) receperunt, sed quo apto sensu exponi possit, non apparet; quare iure a modernis omnibus interpretibus praetermittitur. Utique *Calm.* cum antiquioribus nonnullis asserit :

« *Aër* pro *vita* saepe usurpatur » atque dictio *flos vitae* haud incongrue i. q. iuventus valere potest; at ubinam nudum nomen aëris metaphorice vitam significet, neque *Calm.* neque alius quisquam nobis prodit. Vulgatae lectio *flos temporis* varie exponitur; alii tempus vernum intelligunt, utpote pulcherrimam anni partem, alii iuventutem velut felicissimos vitae annos, alii cum *Castro* « quidquid in tempore deliciosum floridumque inveniatur, ne scilicet ulla occasio labi sinatur, nulla opportunitas praetereatur, in qua voluptate frui concedatur » ; itaque omne id quod iucundum et delectabile singula ferunt tempora, nomine floris temporis comprehenditur (cfr *Lap.* [4]). Quae tertia explicatio, etsi ipsa quoque satis sit arbitraria, duobus prioribus procul dubio est praeferenda et admitti mereretur, si lectionem hanc, quae solis in Vulgatae codicibus invenitur, recipere liceret.

Secundus quidem *v.* 8 stichus (*nullum pratum sit* etc.) et ipse in sola Vulgata hodie legitur, at non deest vestigium, quo eum olim in graeco textu adfuisse demonstretur. Etenim *Thilo* in codice Coisliniano 394 librum Sapientiae graecum una

1. Cfr quomodo *Lucret.* de eiusmodi convivio philosophico amicorum suorum loquatur (De rer. nat. III. 910 sqq.) :

> Hoc etiam faciunt, ubi discubuere tenentque
> Pocula saepe homines et inumbrant ora coronis,
> Ex animo ut dicant : « brevis hic est fructus homullis;
> Iam fuerit, neque post unquam revocare licebit ».

cum eiusdem glossario graeco invenit, in quo nomen λειμών (*pratum*) cum aliis est recensitum[1]; atqui in toto libro Sap. hodierno nomen hoc non invenitur; quare haud improbabiliter concluditur, glossarii auctorem codice graeco usum esse, in quo noster stichus a verbis μηδεὶς λειμών (nullum pratum) inchoabatur (cfr *Schm. Gutb. Zenn.* etc. — *Fritzsche, Gr.* etc.). Accedit quod *v.* 8, si noster stichus omitteretur, mancus videretur, siquidem reliqui omnes versus, qui praecedunt et qui sequuntur, distichi sunt, prior autem *v.* 8 stichus non tantum habet ponderis ac gravitatis, ut solitarius inter eos poni potuerit. Quare etiam moderni interpretes longe plerique, iis non obstantibus quae *Reusch* in contrariam partem congerere studuit, stichum pro genuino habent (cfr *Schm. Gutb. Zenn.* etc. — *Fritzsche Gr.* etc.).

Exhortationem ad vitam deliciis voluptatique impendendam impii generali, uti eam inchoarant, sententia terminant : 9 *Nemo nostrum exsors* (vel expers ἄμοιρος) *sit luxuriae* (ἀγερωχίας) *nostrae : Ubique relinquamus signa laetitiae; Quoniam haec est pars nostra, et haec est sors.* « Iucundissimum esse impio socios habere peccandi » accommode *Ians.* adnotat; uti enim S. *Aug.* (*Conf.* II, 9,17 — *M.* 32,682) habet : quod peccator solus non faceret, id facit quum dicitur : Eamus, faciamus : nam pudet eum non esse impudentem. Eodem animo impii etiam hic, ubi libidinibus habenas permittere volunt, nullum ex suis deesse desiderant, ut mutua societate firmati omnem facilius pudorem excutiant. De nominis ἀγερωχίας accurata significatione ambigitur; etenim apud *Hom.* antiquioresque graecos scriptores ἀγέρωχος virum honestum honorisque studiosum significat; inde autem a 3. ante. Chr. saeculo sensu iniquo sumitur idque valet quod superbus vel insolens et intemperans; altera haec significatio etiam nomini ἀγερωχίας competit (superbia, intemperantia). Iuxta contextum autem nostro in loco intemperantiam ita significat, ut voluptatum studium connotet atque a latino interprete nomine *luxuriae* recte reddatur. Impii quippe, qui hic loquuntur, ubique *signa laetitiae* relinquere volunt, sed suam laetitiam, uti ex praecedentibus patet, proxime in gulae ventrisque servitio deliciarumque exquisitarum usu reponunt, remote autem, ut sequentia docent, in pauperum iustorumque crudeli persecutione : viri ergo sunt non minus superbi insolentesque quam voluptuarii. Ceterum quum petulanter exclamant : *relinquamus ubique signa laetitiae*, nihil aliud dicere volunt nisi : « ubique et quidem publice, ita ut omnes id videant et audiant, libidinibus nostris indulgeamus ». Quoniam enim nomen suum prorsus periturum confidunt (*v.* 4), de laetitiae suae monumento in perpetuum duraturo neque cogitant neque cogitare possunt. Omnia enim

1. In glossario illo legitur : λειμὼν ἀνθηφόρον πεδίον (i. e. pratum, *floridus campus*), quae interpretatio procul dubio ad priorem stichum respicit.

eis cito sunt transitura, ideo hic et nunc omnibus quantum id fieri potest deliciis frui volunt neque alium finem sibi praefixum norunt; « nam haec est pars nostra et haec est sors ». Dictio *pars et sors* (ἡ μερὶς καὶ ὁ κλῆρος, חֵלֶק וְנַחֲלָה) haud infrequenter in Lege ad haereditatem Israelitis divinitus assignatam designandam adhibetur (*Deut.* 10,9; 12,12; 14,17 etc.); irridentes igitur impii isti Iudaei apostatae illam usurpant, ut unicam quam sibi ipsi elegerunt hereditatem declarent.

b.) Impii iustum opprimere inter se constituunt (2,10-20).

2,10. Opprimamus pauperem iustum, Et non parcamus viduae, Nec veterani revereamur canos multi temporis. 11. Sit autem fortitudo nostra lex iustitiae : Quod enim infirmum est, inutile invenitur. 12. Circumveniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis; Et contrarius est operibus nostris, Et improperat nobis peccata legis, Et diffamat in nos peccata disciplinae nostrae. 13. Promittit se scientiam Dei habere, Et filium Dei se nominat. 14. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. 15. Gravis est nobis etiam ad videndum, Quoniam dissimilis est aliis vita illius, Et immutatae sunt viae eius. 16. Tamquam nugaces aestimati sumus ab illo, Et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, Et praefert novissima iustorum, Et gloriatur patrem se habere Deum. 17. Videamus ergo, si sermones illius veri sint, Et tentemus, quae ventura sunt illi, Et sciemus, quae erunt novissima illius. 18. Si enim est verus filius Dei, suscipiet eum, Et liberabit eum de manibus contrariorum. 19. Contumelia et tormento interrogemus eum, Ut sciamus reverentiam eius, Et probemus patientiam illius. 20. Morte turpissima condemnemus eum : Erit enim ei respectus ex sermonibus illius.

2,10. Καταδυναστεύσωμεν πένητα δίκαιον, Μὴ φεισώμεθα χήρας, Μηδὲ πρεσβύτου ἐντραπῶμεν πολιὰς πολυχρονίους. 11. Ἔστω δὲ ἡμῶν ἡ ἰσχὺς νόμος τῆς δικαιοσύνης, Τὸ γὰρ ἀσθενὲς ἄχρηστον ἐλέγχεται. 12. Ἐνεδρεύσωμεν δὲ τὸν δίκαιον, ὅτι δύσχρηστος ἡμῖν ἐστι, Καὶ ἐναντιοῦται τοῖς ἔργοις ἡμῶν, Καὶ ὀνειδίζει ἡμῖν ἁμαρτήματα νόμου, Καὶ ἐπιφημίζει ἡμῖν ἁμαρτήματα παιδείας ἡμῶν. 13. Ἐπαγγέλλεται γνῶσιν ἔχειν Θεοῦ, Καὶ παῖδα Κυρίου ἑαυτὸν ὀνομάζει. 14. Ἐγένετο ἡμῖν εἰς ἔλεγχον ἐννοιῶν ἡμῶν· 15. βαρύς ἐστιν ἡμῖν καὶ βλεπόμενος, Ὅτι ἀνόμοιος τοῖς ἄλλοις ὁ βίος αὐτοῦ, Καὶ ἐξηλλαγμέναι αἱ τρίβοι αὐτοῦ. 16. Εἰς κίβδηλον ἐλογίσθημεν αὐτῷ, Καὶ ἀπέχεται τῶν ὁδῶν ἡμῶν ὡς ἀπὸ ἀκαθαρσιῶν· Μακαρίζει ἔσχατα δικαίων, Καὶ ἀλαζονεύεται πατέρα Θεόν. 17. Ἴδωμεν, εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς, Καὶ πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ. 18. Εἰ γάρ ἐστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ, ἀντιλήψεται αὐτοῦ, Καὶ ῥύσεται αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἀνθεστηκότων. 19. Ὕβρει καὶ βασάνῳ ἐτάσωμεν αὐτόν, Ἵνα γνῶμεν τὴν ἐπιείκειαν αὐτοῦ, Καὶ δικάσωμεν τὴν ἀνεξικακίαν αὐτοῦ. 20. Θανάτῳ ἀσχήμονι καταδικάσωμεν αὐτόν, Ἔσται γὰρ αὐτοῦ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτοῦ [1].

1. *VV. LL.* — 10. πρεσβύτου (senis; vulg. minus apte : *veterani*) est communis lectio codd. graec.; solus, ut videtur, A habet πρεσβυτέρου (senioris). — 12. ἁμαρτήματα παιδείας ἡμῶν (peccata disciplinae nostrae) B cum omnibus fere testibus; ἁμαρτήματα παιδίας ἡμῶν (peccata infantiae nostrae) seu forte παιδιᾶς (ludi nostri) ℵ A; prima

Qua ratione impii, qui hucusque ad voluptates sectandas inter se exhortati sunt, subito praeter omnium opinionem eo pervenerint, ut pauperes opprimere et iustum occidere apud se constituant, egregie S. *Aug.* (in *Ps.* 52. Enarr. n. 3. *M.* 36,114) explicat : « Incipit corruptio a mala fide, inde itur in turpes mores, inde in acerrimas iniquitates : gradus isti sunt [sc. impietatis]. Quid enim apud se dixerunt cogitantes non recte? *Exiguum et cum taedio est vita nostra.* Ab hac mala fide sequitur illud, quod et Apostolus dixit : manducemus et bibamus, cras enim moriemur (1. *Cor.* 15,32); ibi autem latius luxuria ipsa describitur : *coronemus nos rosis, antequam marcescant; ubique relinquamus signa laetitiae nostrae.* Post illam descriptam latius luxuriam, quid sequitur? *Occidamus pauperem iustum.* Lenia videbantur iam dudum loqui; *coronemus nos rosis, antequam marcescant.* Quid delicatius? quid lenius? Sperares de hac lenitate cruces, gladios? Noli mirari; lenes sunt et radices spinarum; si quis eas contrectat, non pungitur; sed id quo pungeris, inde nascitur. » Tribus igitur quasi gradibus impiorum oratio progreditur; ab atheismo et materialismo suo asserendo exordiuntur, inde ad luxuriam pravosque mores suos, qui immediate malam fidem sequuntur, prodendos transeunt, atque tandem ad aliorum oppressionem, ad rapinam, ad crudelitatem, quae quasi totidem filiae sunt luxuriae, exercendam perveniunt. Similiter nexum *Lap.* cum aliis indicat : « Amor enim rei concupitae, inquit, acuit iram in eos, qui voluptati fruendae obsistunt, et ferociam in eos, quos spoliare quis vult, ut habeat, unde suo ventri et veneri, aut pompae et fastui satisfaciat; quare cupido saeva est, et quo magis gliscit cupido, eo magis quasi pari passu crescit ira et saevitia ».

Itaque abrupte pro sua protervitate a voluptatis studio expresso ad crudelitatem suam manifestandam transeunt : 10. *Opprimamus* καταδυναστεύσωμεν i. q. violenter supprimamus; cfr *Iac.* 2,6) *pauperem iustum, Et non parcamus viduae, Nec veterani revereamur canos multi temporis;* ultimum membrum accuratius ex graeco verte : *nec senis revereamur canos longaevos* (πολιὰς πολυχρονίους). Quam vere Salomon « viscera impiorum crudelia » dixerit (*Prov.* 12,10), impii nostri his

lectio ob testium auctoritatem omnino praeferenda. — 17. Quid de ultimo *Vulg.* sticho (*et sciemus quae erunt novissima eius*), qui in aliis textibus desideratur, sit sentiendum, cfr *Comment.* — 18. εἰ γάρ ἐστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ in hodierna *Vulg.* redditur : *si enim verus est filius Dei;* at accuratius antiquitus legebatur : *si enim iustus est filius Dei,* cfr S. *Aug.* De civ. Dei XVII. 20 (*M.* 41,555). — 19. δικάσωμεν (diiudicemus) solus B; reliqui, ut videtur, omnes : δοκιμάσωμεν (*probemus*), quae lectio merito retinetur, licet prior sensu haud multum differat.

verbis clarissime ostendunt; haud minus enim abiectos crudelesque quam impios se produnt, quum ad illa tria hominum genera violenter opprimenda se invicem cohortentur, quorum non tantum misera conditio per se iam omnis hominis ingenui animum ad misericordiam commovere solet, sed quorum specialis quoque cura disertissime et frequentissime divinitus in Lege erat commendata et per prophetas toties repetita (cfr *Exod.* 22,24 sqq.; *Deut.* 16,14; 24,17 sqq.; *Is.* 10,2; *Ierem.* 7,6 etc. — *Levit.* 19,32 etc.). Cum irrisione autem de pauperibus *iustis* loquuntur, ut iustitiam, quam pii sectentur, nihil esse neque quidquam suis sectatoribus prodesse insinuent.

Quid enim eis nomen *iustitiae* sit, satis sequenti sententia manifestant, qua suam erga alios agendi normam proponunt : 11. *Sit autem fortitudo nostra* (ἡμῶν ἡ ἰσχύς) *lex iustitiae; Quod enim infirmum est, inutile invenitur* (vel potius : *inutile esse convincitur* ἄχρηστον ἐλέγχεται). Homo iustus et timoratus legem ut normam ac mensuram inviolabilem, quam Deus imponit, considerat, cui tota agendi ratio ac mores conformari debeant, qua quidem conformatione ipsa iustitia continetur. Cui impii cum ironia reponunt : Iustum et legitimum id esse statuimus, quod vires nostrae (ἡ ἰσχύς) efficere et rapere possunt; ius in armis nostris est repositum, unde iuste ac legitime nostrum esse proclamamus, quodcunque vi ac violentia obtinere valemus. Novam hanc normam irridentes *legem iustitiae* appellant, ut ipso nomine eam verae illi legi iustitiae opponant, quam Deus omnium hominum cordibus inscripsit Israelitisque speciatim in monte Sinai sollemniter promulgaverat. Novae autem huius legis nuda assertione non contenti eam etiam rationi consonam probare volunt : *Quod enim infirmum est* (τὸ ἀσθενές) *inutile invenitur* vel rectius *demonstratur* seu esse convincitur. Neutrum (sing. vel plur.) adiectivi nonnunquam de personis adhibetur, ubi totam quandam classem scriptor generali modo designare vult (cfr *Blass* Gramm. p. 81; *Win.* Gr. p. 167; *Beel.* Gr. p. 178). Impii igitur infirmos imbecillosque quoscunque sua ipsorum infirmitate et imbecillitate sese plane inutiles demonstrare declarant, quia ne se suaque quidem defendere valeant; unde sequi volunt, eos iuste ac legitime a validioribus opprimi. Eadem ratione latrones tyrannique argumentantur, qui ius vi obruentes eum qui corporis viribus vel astutia praevalet, etiam auctoritate ac dignitate praevalere statuunt, eos autem qui corporis viribus destituti validiori resistere nequeunt, ad nihil valere declarant, nisi ut potentioris fiant praeda; eandem quippe legem, quam inter bestias obtinere videmus, ut ferociores callidioresque imbecillioribus dominentur easque dilanient, inter homines quoque locum habere asserunt. Neque

incredibile videri potest, quod impii, qui hic loquuntur, eiusmodi axioma statuant; qui enim immortalitate negata se ipsos cum bestiis aequant, eos mores quoque bestiarum imitari, quid admirationis habet? Ceterum eandem semper et ubique impiorum esse normam historia docet; iuxta eandem ethnici olim Christianos quiete degentes velut « negotiis infructuosos », i. e. inutiles, crudelissime persecuti sunt (cf. *Tertull.* Apol. 42, *M.* 1, 490 sqq.); neque immerito *Lap.* eandem normam suo saeculo a Machiavello renovatam dixit, « quippe qui religionem virtutemque ac iustitiam censuit subservire debere potentiae ac libidini dominandi, ut iis utaris, quantum ad ditiones tuas propagandas conducant, non utaris, quantum id impediunt ». Immo vero cum impiorum nostrorum doctrina nonnullae sententiae plane consonant, quae hodie quoque propagantur ac velut verae sapientiae dictamina venditantur[1].

Impiorum consilium crudele quod exposuimus ad cunctos pauperes infirmosque persequendos et opprimendos sese extendere demonstratione non indiget; minus autem clarum videtur, num in sequentibus impii idem consilium generale tractare pergant accuratiusque exponant, an illo relicto iam in unius solius iusti, cuius acerbiore et vere inexorabili odio pectora eorum flagrant, necem et interitum coniurent. Interpretes vix non omnes, qui nobiscum librum Sapientiae divinitus inspiratum et canonicum esse credunt, in sequentibus verum vaticinium messianicum haberi unanimi consensu tenent; haud tamen inter eos convenit, utrum literali sensu totus locus de Christo sit interpretandus, ita ut proxime ac directe Iudaeorum coniuratio in Christi mortem praenuntietur, an typico sensu, ita ut directe quidem de populo israelitico ab impiis oppresso, remote autem de Christo, utpote populi antitypo, eiusque passione agatur, an demum sensu eminente, ita ut omnia, quae dicuntur, de omnibus quidem iustis suo modo valeant, at plenum perfectumque suum sensum non consequantur, nisi de iusto κατ' ἐξοχήν, i. e. Christo, a Iudaeis morti tradendo potissime intelligantur[2]. Acatholicos interpretes autem, quum

1. Cfr « *Syllabum* praecipuorum nostrae aetatis errorum » a *S. P. Pio IX* a. 1864 damnatorum : « 59. Aliae vires non sunt agnoscendae, nisi illae quae in materia positae sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis. — 60. Ius in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane et omnia humana facta vim iuris habent. — 61. Auctoritas nihil est, nisi numeri et virium materialium summa. — 62. Fortunata facti iniustitia, nullum iuris sanctitati detrimentum affert. » Fortasse aliquantum cautius atque eruditius sententiae hae sunt expressae, sed re eandem impiam absurdamque materialistarum doctrinam proponunt.

2. De variis S. Scripturae sensibus cfr nostram Introd. gener. Ed. 2, Diss. III. §§ 2. 3.

librum nostrum inspiratum esse negent, verum vaticinium in eo deprehendere aut agnoscere non posse patet; quare etiam totum hunc locum de iustorum in genere persecutione, eadem ratione ac sententiam praecedentem, interpretantur atque ad summum concedunt, nonnulla ad coniurationem Iudaeorum contra Christum accommodari posse. Haec de variis variorum interpretationibus huius pericopes praemittenda duximus, ut ad ea in singulis impiorum dictis, quae continenter et accurate explicabimus, iam attendentes maiore cum certitudine postea, quid de prophetico loci sensu sit sentiendum definiamus.

Pergunt igitur impii : 12 *Circumveniamus* (vel *insidiis insectemur* ἐνεδρεύσωμεν) *ergo* (lege : *autem* iuxta gr. δέ) *iustum, quoniam inutilis* (melius : *molestus* δύσχρηστος) *est nobis, Et contrarius est* (ἐναντιοῦται) *operibus nostris, Et improperat* (i. q. *improbrat* seu exprobrat ὀνειδίζει) *nobis peccata legis* (ἁμαρτήματα νόμου), *Et diffamat in nos* (ἐπιφημίζει ἡμῖν) *peccata disciplinae nostrae* (παιδείας ἡμῶν). Interpres Vulgatae haud recte conclusivam particulam (*ergo*) genuinae adversativae (δέ) substituit, quasi novum hoc consilium speciale in priore generali (v. 10) contineretur ex eoque legitime derivaretur. Plane diversa autem sunt; nam secundum ipsam impiorum descriptionem iustus ille determinatus (ὁ δίκαιος), quem nunc circumvenire sibi proponunt, nequaquam unus est ex pauperum iustorum numero, quos ob eorum infirmitatem velut inutiles despiciunt et impune vi opprimi posse putant. Neque enim hunc tamquam infirmum et *inutilem* (ἄχρηστον) despiciunt et contemnunt, sed potius tamquam gravem adversarium, qui sibi sit *molestus* (δύσχρηστος), verentur ac timent, neque aperta vi eum aggredi et opprimere audent, sed ei *insidias struere* (ἐνεδρεύειν) volunt, quibus eum ad probrosam mortem adducant (v. 20). Procul dubio ipsa iusti praesentia peccatoribus iam molesta est (cfr. ad. *vv.* 14.15); verum Iustus, de quo hic agitur, non tantum tacita eorum condemnatione eis molestus est, sed aperte quoque *operibus eorum* (pravis) *est contrarius* vel rectius sese opponit (ἐναντιοῦται). Conqueruntur enim, quod *peccata legis* (ἁμαρτήματα νόμου), i. e. peccata, quibus legem transgrediuntur, sibi *improperet* (ὀνειδίζειν), i. e. velut probra et dedecora obiiciat[1] et *peccata disciplinae suae* (ἁμαρτήματα

p. 539 sqq.; de variis speciebus vaticiniorum messianicorum Introd. spec. in Vet. Test. Ed. 2, II. p. 117 sqq.

1. Verbum *improperare* ex sermone rustico vel plebeio, uti aliae multae voces et constructiones, a latino interprete desumtum recte dicitur; corruptum autem est ex verbo quodam *improbrare* (i. q. exprobrare seu opprobrare), quod utique in libris latinis superstitibus non est conservatum. (De plebeia vel rustica indole sermonis in latina nostra versione adhibiti cfr *Kaulen* Handbuch zur Vulg. p. 3 sqq.).

παιδείας), i. e. peccata, quibus institutionem divinitus acceptam violant, *diffamet* (ἐπιφημίζειν), i. e. cum sua infamia et ignominia divulget. Legem, cuius transgressiones sibi exprobrari conqueruntur, Legem esse mosaicam, iure merito plerique tenent; neque huic interpretationi omissio articuli (ἁμαρτήματα νόμου) obstat, quoniam haec omissio et apud Alexandrinos et in epistolis S. Pauli frequentissima est (cfr *Beelen* Gramm. p. 119; *Win.* Gramm. p. 117); « νόμος sine articulo, inquit *Gr.*, in libris iudaicis semper mosaicam Legem designat, ita ut impii, qui hic loquuntur, velut Iudaei apostatae ab auctore traducantur ». Veteres sententiam de lege Dei universim exponunt omissa quaestione, de quanam lege agatur; *Castro* autem cum nonnullis legem intelligit illam, quam impii ipsi mox statuerunt. Quae interpretatio per se iam omni prorsus probabilitate caret neque verbis ipsis consonat, quia ad hanc legem designandam articulus deesse non posset. Porro si ad parallelismum (ἁμαρτήματα νόμου — ἁμαρτήματα παιδείας ἡμῶν), quo auctor libenter utitur, animum attenderis, deprehendes re idem utroque membro ab impiis efferri; quae nimirum contra legem disciplinamque suam committant, a iusto sibi exprobrari et cum ipsorum infamia divulgari (ἐπιφημίζει); nomen παιδείας igitur sensu obiectivo accipi debet, quasi dicant : Iustus de peccatis nos obiurgat, quae contra summam praeceptorum, quibus ad vitam religiosam instituti sumus, commisimus (cfr *Gutb.*). Ad varias lectiones (παιδείας, παιδίας, παιδιᾶς) quod attinet, primam testium auctoritatem praeferendam esse diximus (cfr *VV. LL*), eademque sola parallelismo respondet. Praeterea animadverte, nomen παιδίας proprie *infantiam* significare atque haud recte a nonnullis pro synonymo νεότητος (*iuventutis*) haberi; quid autem παιδιά i. e. *puerorum ludus* hic sibi velit, nemo intellexerit; arbitrarie enim παιδιά i. q. *petulantia* valere dicitur, licet pluralem παιδιαί in hanc significationem trahere liceat.

Liceat hic ponere eorum Patrum nomina ac testimonia, qui aut haec Sapientis verba aut sententias quae *vv.* 19-21 leguntur, directe ad Christum eiusque mortem referunt; sunt autem *S. Hippol.* (c. Iud. 9, *M.* 10, 793), *Orig.* (in *Exod.* hom. 6,1, *M.* 12,332), *Eus. Caes.* (Eclog. proph. IV. M. 22, 1200), *S. Athan.* (Epist. fest. 11,5, 19,5, *M.* 26, 1406, 1427), *S. Cypr.* (c. Iud. II. 14, M. 4, 108), *Lactant.* (Instit. div. IV. 16, M. 6,497), *S. Aug.* (De civ. Dei XVII. 20, qui in toto hoc loco *vv.* 12-21 « passionem Christi *apertissime* prophetari » asserit; cfr etiam c. Faust. XII. 44; in *Ps.* 63 enarr. n. 3. *M.* 41,554; 42,278; 36,762), S. *Max. Taur.* (serm. 90, *M.* 57,714); quibus adde *Ps. Chrys.* Op. imperf. in *Matth.* (hom. 43, *M.* 56,878). Magnus igitur primis sex saeculis numerus Patrum nostra verba pro directo vaticinio messianico agnovit.

Rationes porro, cur Iustum illum adeo vereantur timeantque, ut ad ignominiosam mortem eum suis insidiis adducere velint, impii sequentibus accuratius exponunt : 13. *Promittit* (ἐπαγγέλλεται melius : *proclamat*) *se scientiam Dei habere, Et filium Dei* (potius : *servum Domini* παῖδα Κυρίου) *se nominat.* Verbum ἐπαγγέλλεσθαι aliquoties quidem promittendi significationem admittit (cfr 2 *Mach* 4,27); proprie tamen promulgandi seu sollemniter annunciandi vim habet, neque ulla est ratio, cur illam hic relinquamus; haud incongrue quoque S. *Bonav.* verbum cum *Gl.* interpretatur « firmiter asseverat. » *Scientiam Dei* (γνῶσιν Θεοῦ) hic non esse mere speculativam, sed practicam Dei cognitionem, vix opus est monere; bene *Lap.* : « Iustus publice et passim praedicat, se Deum veramque Dei fidem ac religionem, i. e. modum Dei recte pieque colendi illique serviendi ac placendi, nosse et docere ».

Disputant interpretes, utrum appellatio παῖς Κυρίου aptius *puer* vel *servus* an *filius Domini* reddatur; quae quaestio parvi quidem videtur momenti, quum utraque appellatione haud raro in Scripturis simul et dependentia a Deo et familiaritas cum eo (licet non eodem gradu) exprimatur; nihilominus nequaquam est negligenda. Qui cum *Vulg.* significationem *filii* praeferunt, Sapientem nostrum appellationes παῖδες Θεοῦ et υἱοὶ Θεοῦ velut plane synonymas eodem in contextu variare (cfr. 12,19-21) ac praeterea hoc in loco statim Deum diserte *patrem* Iusti et Iustum filium (υἱόν) Dei appellari (*vv.* 16.18) monent (cfr. *Lap.* etc. — *Gr.* etc.). Sed his res non est definita, quandoquidem nihil obstat, quominus eadem persona et *servus* et *filius* Domini vocetur, prout aut eius dependentia a Deo aut eius intima cum eo coniunctio magis videtur efferenda. Probe autem animadvertatur oportet, in alexandrina versione appellationem παῖς Κυρίου hebraico עֶבֶד יהוה (*servus Domini*) frequenter respondere, maxime iis in locis, in quibus appellatione hac Messias designatur (cfr. *Is.* 42,1; 43,10; 49,6; 50,10; 52,13 etc.), unde dicere licet eam quodammodo factam esse nomen proprium Messiae, et quidem Messiae pro nobis passione sua Deo satisfacturi [1]. Probabile igitur esse censemus Sapientem, quum impios contra Iustum coniurantes introduceret, ad *Is.* 52,13-53,12 respexisse, quippe quae pericope tota est de Messiae, *iusti servi Domini,* passione, atque ex ea nomen παῖς Κυρίου transumsisse. Quae sententia duplici consideratione confirmari videtur. Praeprimis enim in illo vaticinio isaiano fore praedicitur, ut Iustus, servus Domini, sapientia emineat eaque multos ad iustitiam adducat (52,13 יַשְׂכִּיל עַבְדִּי συνήσει ὁ παῖς μου *sapiens erit servus meus;* 53,11 בְּדַעְתּוֹ יַצְדִּיק צַדִּיק עַבְדִּי לָרַבִּים in sapientia sua *iustificabit iustus ser-*

1. De *servo Domini* apud Isaiam cfr *Knabenbauer* Comment. in Isaiam II, p. 325-33 eiusque explicationes ad 52,13; 53,9. 11.

vus meus multos); simili modo *Iustus* ab impiis hic accusatur, quod se sapientem proclamat (utique praedicationibus suis, quibus homines ad sapientiam et iustitiam reducere conatur). Deinde Isaias, quamvis potissimum in passione, qua servus Domini pro nobis satisfacturus sit, praedicenda versetur, eius glorificationem tamen, gloriosam scilicet eius sepulturam et divites quos reportaturus sit fructus una cum hostium suorum confusione, innuere non praetermittit (53,9-12); similiter Sapiens quoque triumphum, quam Iustus de impiis suis adversariis acturus sit, mox clarissime exponet (5,3 sqq.)[1]. Quae quum ita sint, versionem *servus Domini* hic omnino praeferendam esse ducimus.

Neque vero Iusti verbis tantum impii ad iram odiumque excitantur, sed totam eius vitam, utpote a sua ipsorum vita tam discrepantem, tamquam continuam affectuum suorum studiorumque accusationem et condemnationem aversantur : **14.** *Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum* (εἰς ἔλεγχον ἐννοιῶν ἡμῶν); *Gravis est nobis etiam ad videndum* (καὶ βλεπόμενος); **15.** *Quoniam dissimilis est aliis vita illius, Et immutatae* (ἐξηλλαγμέναι i. e. diversae) *sunt viae* (αἱ τρίβοι) *eius*. In versuum distinctione a *Vulg. Clem.* discedens secundum sententiae membrum ad *v.* 14 traxi, quia cum primo arctius cohaeret; duo quippe duobus his versibus habemus disticha, quorum alterum (stichi tertius et quartus) rationem affert prioris (stichorum primi et secundi). Antiquiores interpretes primo membro impios conqueri putant, quod occultae suae cogitationes (pravae) a Iusto, qui eas cognovit, manifestentur populoque carpendae vituperandaeque proponantur, atque elucidationis gratia ad *Matth.* 9,4, *Luc.* 6,7 similesque Evangelii locos provocant, quibus Christus cogitationes scribarum ac pharisaeorum cognovisse et manifestasse refertur (cfr *Holc. Castro, Ians. Ipr.* etc.). Verum dictio εἰς ἔλεγχόν τινι γίνεσθαι (*in traductionem alicui fieri*) nequaquam idem valet quod nudum verbum ἐλέγχειν) *traducere* i. e. convincere et confundere seu pudore afficere) neque rationes *v.* 15 additae ad eiusmodi revelationem quadrant. Impii potius Iusto ideo irascuntur, quia solam eius praesentiam iam suae ipsorum pravitatis sufficientem convictionem et condemnationem esse sentiunt, ita ut eius vitam agendique rationem cum suis ipsorum moribus comparantes non erubescere non possint. Egregie *S. Ambr.* (in *Ps.* 36,12,13. *M.* 14,978) « insidiatur, inquit, peccator iusto, quia invidet; iusti enim vita redarguit peccatorem, quem tacitus maiore auctoritate condemnat, quam si clara voce

1. Haud satis recte *Vulgata* isto in loco singularem in pluralem transmutavit, quasi de iustis in genere haec essent dicta; cfr *infra* a. l.

loqueretur ». Hanc ob causam impii etiam ne aspectum quidem Iusti ferre possunt : *gravis* (βαρύς hic melius *odiosus*) *nobis est etiam ad videndum*, vel ex graeco (καὶ βλεπόμενος) clarius « *odiosus* nobis iam est, si vel oculis eum videmus ». Cuius acerrimi odii radicem altero disticho illam produnt, quam mox exposuimus. Iusti enim *vitam dissimilem aliis*, i. e. dissimilem aliorum vitae[1], *eiusque vias* (τὰς τρίβους) *immutatas*, i. e. cogitandi, sentiendi agendique rationem ab illa quae communiter teneri solet discrepantem ac singularem sese ferre non posse aperte fatentur. Scilicet « aegris oculis, uti habet *S. Aug.* (*Conf. VII.* 16, *M.* 32,744), odiosa est lux et iustitia displicet impiis », id quod Salomon iam docuit : « abominantur impii eos qui in recta sunt via » (*Prov.* 29,27). Apposite quoque nonnulli illud *Senecae* philos. (ep. 7. ad Lucil.) afferunt : « qui vivit in multitudine, aut similis multis sit oportet, aut iis exosus est »; optimam tamen huius loci illustrationem nobis ipsius Domini Apostolos alloquentis verba praebent : « Si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit; si de mundo essetis, quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus ». (*Ioan.* 15,18 sq.). Animadvertas autem velim, participium ἐξηλλαγμένος inde ab Aristotelis aetate graecis scriptoribus idem fere valere quod latinum *singularis ac stupendus* (cfr *Polyb. XV.* 19,5; *Diod. Sic.* I. 94); unde id quod supra innui, confirmari videtur, impios non de iusto qualicunque neque de iustis in genere, sed de Iusto κατ' ἐξοχήν loqui.

Tandem odii sui rationem ex alia repetunt criminatione, qua se simul Iudaeos apostatas esse confirmant : 16. *Tamquam nugaces* (lege : *tamquam spurii* vel *pro spuriis* εἰς κίβδηλον) *aestimati sumus ab illo, Et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis*, (*Et*) *praefert novissima* (lege : *beata praedicat novissima* μακαρίζει ἔσχατα) *iustorum, Et gloriatur patrem se habere Deum* (melius : *et Deum iactat patrem suum*, καὶ ἀλαζονεύεται πατέρα Θεόν). Adiectivum κίβδηλος proprie de metallo (maxime auro) a scoriis nondum mundato praedicatur, ad omne autem deinde adulterinum indicandum transit, unde ab Alexandrinis pro hebr. שַׁעַטְנֵז usurpatum est, quo nomine in Lege (*Lev.* 19,19; *Deut.* 22,11) vestimenta ex lana et lino contexta (quae quoniam falsam aut lini aut lanae speciem prae se ferebant

1. Nemini difficultatem creaverit compendiaria comparatio (« vita dissimilis aliis » pro « vita dissimilis vitae aliorum »), cuius alterum exemplum *infra* 7,3 et multa apud alios sacros (*Ioan.* 5,36; *Apoc.* 9,10; 13,11 etc.) et profanos scriptores invenies; de ea cfr *Beelen* Gramm. p. 253; 540 sq.; *Win. Gr.* p. 230; 578 sq.; *A. Buttm.* Gr. p. 146,154 etc.

filiis Israel erant prohibita) designantur; a Sapiente autem κίβδηλα appellantur idola lutea, quae a figulo colore aureo vel argenteo sunt obducta, ut externam speciem idolorum pretiosorum et artificiosorum prae se ferant (15,9, ubi *Vulg.* haud recte vertit *res supervacuas*). Itaque hoc loco impii conqueruntur, quod pro spuriis adulterinisque filiis populi sui, i. e. pro Iudaeis apostatis, a Iusto habeantur. Cui criminationi sua sponte altera adnectitur, quod *ab eorum viis se abstineat tamquam ab immunditiis*, quod illos ipsos igitur, quum sint apostatae, et mores illorum incircumcisis gentibus earumque moribus aequiparet, a quarum utique familiaritate et consuetudine filii Israel ob earum immunditiam sese abstinere debebant. Minus vero clarum est, quis internus sit secundi, quod nunc sequitur, distichi cum praecedente nexus; primigenius textus asyndete illud adiungit et *Vulg.* ex suis copulam (*et*) inseruit; apte autem, ni fallor, nexum causalem ita statuimus, ut secundum distichon (similiter atque in *vv.* 14-15) prioris afferat rationem ac proinde Iustus impios eorumque mores luxuriamque ideo aversari accusetur, quia alia altioraque gaudia cognoscat et quaerat, quatenus nimirum *beata praedicet novissima iustorum* ad eaque se perventurum confidat tamquam filius *Dei quem patrem habere glorietur* vel iactet. *Novissima iustorum* impii hic ipsam iustorum mortem una cum beatitudine intelligunt, quam iusti, quamvis multa his in terris passi fuerint, post mortem sibi promittunt; eiusmodi autem beatitudinem, quum totum hominem morte interiturum sibi persuaserint, agnoscere nequeunt ideoque Iusto irascuntur, quia eam sua doctrina confirmet. Probe quoque animadvertatur, impios secundo loco Iustum accusare, quod se Deum habere patrem *iactet* (ἀλαζονεύεται) i. e. iactabunde mentiatur; ea quippe est verbi ἀλαζονεύεσθαι vis, ut una cum gloriandi etiam mentiendi notionem complectatur (*Hesych.* : ἀλαζονεύεσθαι, ψεύδεσθαι· ἀλαζών, ὑπερήφανος ψευστής; similiter *Etymol. M.* : ἀλαζών, ὁ ἀπατεὼν καὶ κομπαστής i. q. deceptor et iactator; cfr *Suic.* et *Schleusn* s. v.). Unde apposite *Vulg.* particula *ergo* inserta, eorum consilium Iusti persequendi velut conclusionem praecedentis accusationis introducit.

17. *Videamus ergo,* quia scilicet Iustus novissima iustorum beata praedicat et Deum habere patrem gloriatur, *si sermones illius veri sint, Et tentemus, quae ventura sunt illi, Et sciemus quae erunt novissima illius* (πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ). Sicut antea (cfr *VV. LL.*) iam adnotavimus, ultimi membri, quod inde a *S. Augustini* (de Civ. Dei XVII. 20) tempore in Vulg. nostra legitur, authentia in dubium vocatur, quia non tantum in graeco textu nihil quod ei respondeat adesse videatur, sed etiam in antiquioribus latinis codicibus defuerit,

uti ex *S. Cypriani* (c. Iud. Test. II. 14) et *Lactantii* (Instit. div. IV. 16) allegationibus apparet. Attamen non tam novam sententiolam arbitrario insertam quam duas diversas eiusdem textus graeci versiones in unam contractam esse, *Ians. Gand.* haud improbabiliter coniecit (cfr *Reusch*). Ac profecto versio, quam *S. Cypr.* et *Lact.* sequuntur (*tentemus quae ventura sunt illi*), graecum textum haud accurate reddit, quum illud ἐν ἐκβάσει (in exitu) fere negligat; quare mirum non est, quod alii, ut illud quoque exprimerent, dicere maluerint : *sciemus* (vel tentemus) *quae erunt novissima illius*, atque demum iuniores utramque versionem coniunxerint. Genuinus autem alterius stichi sensus est : « exploremus, quae in exitu (seu morte) illius eventura sunt »; ex circumstantiis scilicet mortis Iusti cognoscere volunt, primum quidem rectene an false novissima iustorum beata praedicaverit; deinde etiam utrum Iustus revera sub speciali tutela Dei, quem patrem suum vocet, fuerit necne.

At misero sophismate, uti *Gutb.* bene monet, impii se ipsos fallunt, quum ex solis externis, quas oculis suis spectare possunt, circumstantiis duplicem illam quaestionem definire velint, siquidem aliam Dei tutelam praeter eam, qua quis a morte imminente liberetur manibusque adversariorum suorum eripiatur, non agnoscant, neque ad beatam sortem iustis altera in vita promissam et ad gloriam, quam Iustus post mortem consecuturus sit, attendant; unde etiam postea errorem suum deplorare coguntur (5,3 sqq., ubi singularem [*hic est* etc.] pro plurali [*hi sunt* etc.] legendum esse iam monuimus). Fallax igitur est eorum argumentum : 18. *Si enim est verus filius Dei* (cum *S. Aug.* l. c. lege : *Si enim iustus est filius Dei* iuxta graecum : εἰ γάρ ἐστιν ὁ δίκαιος υἱὸς Θεοῦ cfr *VV. LL.*), *suscipiet eum* (vel succuret ei ἀντιλήψεται αὐτοῦ), *Et liberabit eum de manibus contrariorum* (vel adversariorum ἀνθεστηκότων). Non dubitantes neque serio inquirentes haec proferunt, sed irridentes simili modo, quo postea principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus de Christo Domino in cruce pendente dicturi erant : « Alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei; confidit in Deo, liberet nunc si vult eum; dixit enim : Quia filius Dei sum » (*Matth.* 27,41 sqq.). Dubium autem vix esse potest, quin impii nostri ea ante oculos habuerint, quae olim iam David prophetico spiritu posuerat in ore Christi patientis : « Omnes videntes me deriserunt me et moverunt caput : Speravit in Domino; eripiat eum, salvum faciet eum, quoniam (vel si mavis *si* hebr. כִּי) vult eum » (*Ps.* 21,8 sq.); arcte igitur haec quoque sententia cum vaticinio diserte messianico cohaeret eoque nititur; aeque atque im-

piorum querelam, quod Iustus specialem sibi sapientiam attribuat et pro servo Domini haberi velit (*v.* 13), ab alio vaticinio de Messiae passione (*Is.* 52,13 sqq.) dependere monuimus.

Suis ipsorum fallaciis in errorem inducti impii nunc suum persecutionis et explorationis consilium accuratius explicant (*vv.* 19.20); ab extremis quippe et crudelissimis experimentis non abhorrent, ut quae sit Iusti virtus et veritas explorent. Atque primum quidem internis externisque cruciatibus eum afficere sibi proponunt, ut eius mansuetudinem atque constantiam in duobus vaticiniis ad quae respiciunt descriptam (*Is.* 53,7 sqq.; *Ps.* 21,10 sqq.) periclitentur : 19. *Contumelia et tormento* (ὕβρει καὶ βασάνῳ) *interrogemus* (vel : examinemus ἐτάσωμεν) *eum, Ut sciamus reverentiam* (lege : *mansuetudinem* τὴν ἐπιείκειαν) *eius Et probemus patientiam illius* (τὴν ἀνεξικακίαν αὐτοῦ). Recte *S. Gregor. M.* (Dialog. I. 5. *M.* 77,180) « qualis, inquit, quisque apud se lateat, contumelia illata probat », siquidem contumelia ipsum quoque prudentem sapientemque gravat (cfr *Eccli.* 21,27). Iam vero ὕβρις, quod nomen proxime superbiam ac proterviam valet, frequentissime contumeliam significat a superbo protervoque illatam, uti habet Salomon : « ubi superbia, ibi erit et contumelia » (*Prov.* 11,2). Nomine βασάνου autem tormenta, quibus reus in quaestione iudiciaria ad crimen suum fatendum adigi solebat, externi igitur cruciatus et quidem gravissimi designantur; unde etiam cruciatus, quibus improbi post mortem puniuntur, βάσανοι appellantur (cfr 3,1; *Luc.* 16,23. 28). Porro ἐπιείκεια, quamvis aliis in Scripturae locis clementiam potissime significare videatur (cfr *Cornely* Comm. in 2 Cor. et Gal. p. 259 *n.*), hic tamen potius animi lenitatem et mansuetudinem denotat; revera iuxta *S. Chrys.* (in Act. hom. 48; in Gen. hom. 52. *M.* 60,336; 54,459) ἐπιείκεια ea quoque virtus est, qua homo iniuriam contumeliamque, maxime ab inferioribus sibi illatam, pacatus et tacitus tolerat (cfr *Suid.* s. v.). Eundem fere sensum latina lectio (*reverentiam*) praebet, si eam cum *S. Bonav. Holc.* aliisque antiquioribus interpretaris « *humilitatem, qua Iustus Deum reveretur* scilicet in contumeliis tormentisque ferendis »; nescio tamen annon haec explicatio coacta longiusque quaesita sit dicenda (cfr etiam *Lap.*). Uti autem ἐπιείκεια mansuetudinem, ita ἀνεξικακία vi etymologiae suae (ἀνέχεσθαι κακόν) constantiam fortitudinemque in malis tolerandis ostendit. Quibus vocabulorum significationibus declaratis satis patet totius sententiae sensus, quem iam indicavimus. Ad eam autem, quamvis eam non alleget, *Tert.* (de pat. 3. *M.* 1,1254) respexisse iure dicitur, ubi de Christi patientia hunc in modum loquitur : « Numquid tamen subeundae morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed saginari voluptate

patientiae (Dominus) discessurus volebat : despicitur, verberatur, deridetur, foedis vestitur, foedioribus coronatur. Mira aequanimitatis fides! Qui in hominis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est. *Hinc vel maxime, o pharisaei, Dominum agnoscere debuistis : patientiam huiusmodi nemo hominum perpetraret.* »

Quasi Iustus iudiciaria illa per contumelias tormentaque quaestione gravissimi criminis sit convictus, impii ad alterum statim experimentum, quo quae eius futura sint novissima cognoscant (*v.* 17), ad mortem scilicet ei iuferendam transire constituunt : 20. *Morte turpissima* (seu probrosa ἀσχήμονι) *condemnemus eum.* Neque tamen prioris experimenti exitus solus ad mortis sententiam excusandam eis sufficere videtur, siquidem aliam rationem adiungunt, qua eam iuste ac legitime latam esse probent : *Erit enim ei respectus ex sermonibus illius* (ἔσται γὰρ αὐτοῦ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτοῦ) ; sed de huius sententiolae causalis interpretatione non constat. Etenim nomen ἐπισκοπή, profanis scriptoribus vix semel, alexandrinis autem interpretibus sacrisque scriptoribus (etiam Nov. Test.) haud infrequenter usitatum, varias admittit significationes. Pro etymologia sua proxime valet id quod *inspectio* vel visitatio inspiciendi et explorandi causa, Alexandrinisque inservit reddendo hebraico nomini פְּקֻדָּה (ut verbum ἐπισκέπτεσθαι hebraico פָּקַד respondet) ; verum ex hebraici nominis imitatione eam quoque visitationem significat, qua Deus hominum mores factaque non tantum explorat sed simul pro re cognita eis pro eorum merito aut mala aut bona decernit et confert. Unde tres vocabuli ἐπισκοπῆς significationes praecipuae ac tres sententiolae nostrae interpretationes.

Etenim sumpta generali significatione *explorationis* antiquiores nonnullique iuniores nihil nisi experimentum quod impii in Iusto de eius sermonibus facere velint, exprimi arbitrantur. Ac secundum alios quidem improbi Iusto occidendo explorare velle dicuntur, num ille vere praedixerit se a mortuis resurrecturum (v. *Rab.*, sim. *Gl. Bonav. Holc. Lyr. Carth.* etc.) ; secundum alios ex sermonibus, quos Iustus in morte patienter aut impatienter perferenda proferet, impii iudicare volunt, num sit Iustus an iniustus (cfr ***Mald. Lorin.*** cum *Osor. Menoch. Boss.* etc. — sim *Luth.* etc.). Verum talis explicatio neque in contextum quadrat neque est rationi sentiendi et agendi illorum impiorum consentanea. — Supposita significatione *castigationis* alii interpretantur : damnabitur seu punietur propter eius sermones, i. e. sumpta ex eius verbis ac doctrinis occasione (*Calm.* al. ; cfr *Vatabl.*). At enim primum nomen ἐπισκοπῆς nusquam dicitur nisi de divina ac iusta peccatorum castigatione, non de humano, nedum de iniusto ac tumultuario arbitrarioque iudicio. Porro qui ita locum exponunt etiam contextum impiorumque argumentationem omnino negligunt ; namque impii condemnatione non minus quam praeviis contumeliis tormentisque Iusti experiri volunt, verine sint eius sermones, quibus iustorum novissima beata praedicavit seque filium Dei appellavit ; itaque morti eum non addicunt *quia* eum mortem sermonibus suis meruisse putant, sed morte eum plectentes videre volunt,

quid in arbitrariae suae sententiae exsecutione eventurum sit. Persuasum scilicet habent, Iustum neque a morte liberatum neque in morte adiutum iri, atque ideo sperant se hac iniusta occisione novum habituros suorum principiorum argumentum. Longe demum a vero *Corl.* aberrat, si hanc fuisse impiorum argumentationem addit : « Merito illum sic poterimus tractare (i. e. turpi morte condemnare) ; nam aut est filius Dei, et Deus eum incolumem servabit, aut non est filius Dei, et morte dignus est, quia se filium Dei iactat ». Plane enim neglexit *Corl.* et quasi oblivioni totam praecedentem impiorum descriptionem dedit, qui solis luxuriis libidinibusque dediti de iustitia aut iniustitia actionum suarum ne cogitant quidem, et tantum abest ut iuste et honeste agere velint, ut pro sua superbia et crudelitate omnia impedimenta, quae suae proterviae se opponunt, omni honestatis ratione seposita superare conentur.

Tertiam igitur significationem praeferentes nomen ἐπισκοπῆς hic in bonam partem sumendum esse censemus, ut visitatio divina intelligatur, quam non tantum propter Dei promissiones Iustus exspectat, sed ad quam tamquam filius Dei etiam speciale ius habet, ergo visitatio Dei efficax auxilium ei offerentis. Hoc sensu longe maior iuniorum et modernorum interpretum numerus (cfr *Sa, Castro, Lap. Ians. Ipr. Tirin. Smits* etc., *Schmid, Gutb. Les. Zenn.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.), qui omnes consentiunt, impios his verbis Iusto irridere. Sarcastice quippe loquentes quasi dicunt : « Singulare Dei auxilium sibi praesto fore semper ita est gloriatus, ut iure nunc mortem ei infligentes tum eius probitatem tum specialem quam sperat Dei tutelam ante omnium oculos exponamus : addicamus eum morti et turpi quidem morti, ut clarius appareat divinum auxilium; nam sicut ipse semper iactavit, bene ei a Deo providebitur ». Eadem cum ironia duobus fere saeculis, postquam impiorum verba a Sapiente composita sunt, Iudaei Domino N. in cruce pendenti illudentes acclamarunt capita sua moventes : « Vah qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas : salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce... Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce et credimus ei; confidit in Deo : liberet nunc, si vult, eum; dixit enim : Quia Filius Dei sum » (*Matth.* 27,39-43).

Appendix de prophetica huius pericopes indole.

Obvio totius loci sensu exposito haud difficile erit definire, quis nomine *Iusti* in eo intelligendus sit. Quicunque enim animo a praeiudiciis vacuo totam pericopen attente perlegerit singulasque eius sententias cum iis comparaverit, quae una ex parte antiquiores prophetae, *David* (*Ps.* 21) et *Isaias* (52,13-53,12) de futura Messiae passione praedixerunt, et altera ex parte Evangelistae de Iesu Christi condemnatione et morte narrarunt, Sapientem antiquioribus vaticiniis niti illaque quasi continuare accura-

tiusque expolire atque cum evangelica narratione ita consentire fateatur necesse est, ut in nonnullis non tam futura praenuntiare quam praeterita narrare vel praesentia describere videatur. Tam apertus est hic cum Evangeliis consensus, ut *Grotius* (Praef. in l. Sap.), quum divinam libri Sapientiae originem agnoscere nollet, nostrum locum iudaico libro postea per Christianum quendam insertum vel assutum coniiceret (cfr *Lap.*), recentior vero rationalista quidam (*Noack* Ursprung des Christenthums. Leipzig 1857, II. p. 222.237) totum librum a Christiano confictum assereret, *Calovius* tamen aeque atque ipse *Lutherus* vaticinium genuinum admitterent. Ad catholicos porro interpretes quod attinet, magnum SS. Patrum numerum iam recensuimus, qui unanimi consensu locum nostrum pro diserto ac directo vaticinio habuerunt (cfr supra ad *v.* 12); cum iis autem mediae aetatis interpretes consonant (cfr *Rab. Gl. ord. Bonav. Lyr. Holc. Carth.* etc.), quos iuniores vix non omnes (cfr *Vat. Mald. Sa, Est. Malv. Mar. Lorin. Ians. Ipr. Menoch. Boss.* etc.) ac moderni plerique sequuntur (cf. *Glaire, Schmid, Les. Corl.* etc.). Verum inter iuniores modernosque nonnulli inveniuntur, qui aut inter tres, quas *supra* (p. 92) exposuimus, propheticas explicationes ipsi quae praeferenda sit non audeant definire liberamque electionem legentibus relinquant (uti *Gutb.*), aut Sapientem proxime vel de iustis in genere vel de populo Israel, qui iustus in oppositione ad ethnicos vocetur, ita loqui arbitrentur, ut Christum *simul* vel tamquam Iustum κατ' ἐξοχήν vel tamquam antitypum ante oculos habuerit (uti *Castro, Tirin. Calm. Loch, Reusch* etc.). Libenter quidem fatemur, unanimem Patrum consensum de prophetico ac messianico nostrae pericopes charactere per se non obstare, quominus quis iuniorum ac modernorum horum sententiam sequatur, dummodo pericopen nostram vere propheticam atque a S. Spiritu ideo inspiratam esse concedat, ut futura Christi Domini passio praesignificaretur; neque enim inferioris dignitatis neque certitudinis minoris est vaticinium indirectum (typicum vel eminens) quam directum seu literale, simulatque de typico seu eminente loci illius sensu constat (cf. nostram Introd. gener. in U. T. libr. sacr. Ed. 2, p. 559 sqq. 564 sqq.); nihilominus illos iuniores ac modernos a vero aberrare censemus, quoniam neque ad huius pericopes nexum cum praecedentibus ac sequentibus neque ad vim potestatemque verborum ac sententiarum eius satis attendunt.

Secundum eorum enim sententiam nova haec pericope (*vv.* 12-20) amplificatio quaedam seu uberior explicatio consilii illius dicenda est, quod impii *vv.* 10.11 de pauperibus seu si mavis de iustis in genere opprimendis ceperunt, ita ut iustus determinatus (ὁ δίκαιος), contra quem nunc coniurant, quodammodo omnium pauperum, quos illi sibi subigere proposuerunt, personam tantum gerat; at id erronee supponi *supra* (ad *v.* 12) iam monuimus et in commentario passim ostendimus. Maioris tamen claritatis causa praecipuas quas strictim significavimus rationes in unum colligere diligentiusque exponere haud inutile erit.

Cunctos utique pauperes iustos, quum seipsos ne defendere quidem

valeant, impii despiciunt et contemnunt, immo etiam illos omnes vi opprimere sibi fas esse existimant; verum quis bona fide sibi persuaserit, impios homines in eos omnes, a quibus nullum sibi periculum imminere optime sciunt, tam acerbo atrocique odio flagrare, ut omnes contumeliis tormentisque onerare ac turpi morti addicere velint? Accedit quod impii in hac pericope non amplius de arbitraria quadam oppressione (cfr *v.* 10 καταδυναστεύσωμεν) iusti loquantur, sed sese velut iudiciaria auctoritate et potestate ornatos exhibeant, qui legitimo iudicio in eum inquirere eumque legitime condemnare possint (cfr *v.* 20 καταδικάσωμεν). Atqui scribas pharisaeosque sibi in Christum iudiciariam auctoritatem arrogasse constat, quum eum in synedrio testibus auditis secundum Legem suam mortis reum declararent et tamquam duces populi procuratorem romanum cogerent, ut eum in crucem ageret; verum num eo tempore quo liber Sapientiae scriptus est, impiis Iudaeis in Aegypto datum erat arbitrium vitae necisque in contribules suos, qui Legi suae fideliter inhaeserunt? Contra hoc argumentum *Guth.* obiicit, non solos impios Iudaeos, sed gentiles quoque libidinosos et atheos, penes quos tunc in Aegypto imperium summaque potestas erat, a Sapiente loquentes induci; pace tamen cl. viri dixerim, eum oblivioni dedisse videri, quae ipse paucis paginis antea recte monuit omnesque fere interpretes iure tenent, Iusti adversarios in hac pericope esse Iudaeos impios; hi enim soli conqueri poterant, quod sibi peccata contra Legem et institutionem suam (iudaicam) a Iusto obiicerentur (*v.* 12) quodque ab eo pro spuriis populi sui membris haberentur (*v.* 16) etc.

Porro praecipua causa odii impiorum adversus Iustum secundum hanc pericopen illa fuit, quod se *filium* (vel *servum* παῖδα עֶבֶד) *Domini* diceret seque *Deum* habere *patrem* assereret; ter enim in his paucis sententiis hanc causam in medium afferunt (*vv.* 13.16. 18). Atqui optime id intelligitur, si in hac pericope vaticinium directum de futuro Iudaeorum in Christum Dominum odio proponi conceditur, nulla vero ratione explicari videtur, si hic proxime ac directe de impiorum Iudaeorum odio contra pios suos contribules sermo esse asseritur. Namque Christum odium scribarum pharisaeorumque in se concitasse, quia se Messiam esse proderet Deumque appellaret patrem suum, eumque contumeliis tormentisque oneratum ac turpi morti esse addictum, quia se Filium Dei esse iuridice interrogatus fateretur, Evangelistae testantur. Attamen quamquam nos Christiani a Domino N. edocti Deum velut patrem nostrum invocare atque S. Spiritu adoptionis, in quo clamemus Abba Pater, donati nos filios Dei appellare amamus, pii Israelitae non Patris sed Domini nomine Deum invocabant neque se filios Dei appellare solebant. Totum utique populum Israel, quem sibi prae aliis nationibus in peculium elegerat, Deus ratione huius electionis habita aliquoties « filium suum » vel « filium suum primogenitum » vocavit (*Exod.* 4,22 sq., *Deut.* 14,1 sq.; 32,6; *Os.* 11,1; *Ez.* 1,2; *Ierem.* 31,9. 20; *Mal.* 1,6); unde etiam sacri scriptores, ubi de Israelitis universis loquuntur, interdum eos « filios » « vel filios filiasque Dei »

nominant (*Sap.* 9,7; 12,19. 21; 16,21; 18,4 sq.), immo prophetae una alterave vice quasi totius populi personam gerentes Deum nomine patris invocare ausi sunt (*Is.* 63,16; 64,8; *Ierem.* 3,19 cfr etiam *Eccli.* 23,1). Hinc iure quidem S. Paulus « adoptionem filiorum » inter populi Israel privilegia recensere potuit (*Rom.* 9,4); probe tamen considerandum est, Deum sese singulorum Israelitarum patrem nusquam appellare, nisi ubi aliquem velut typum Messiae, unigeniti Filii sui, designare velit (2 *Reg.* 7,14 sq.; *Ps.* 88 [89] 27 sq.[1]), neque singulos Israelitas privato suo nomine se « filios Dei » appellare aut Deum velut « patrem suum » invocare consuevisse, uti recte iam *S. Hippol.* (c. Iud. 9, *M.* 10, 793) ad nostrum locum adnotavit; nam « audi, inquit, o Iudaee : Nemo ex iustis vel prophetis vocavit se filium Dei ». Magna igitur differentia inter Veteris Test. adoptionem imperfectam, ex qua totus populus appellabatur filius Dei et quae ad impios aeque atque ad pios Israelitas se extendebat (cfr *Is.* 1,2 sq.; *Mal.* 1,6 sq.), et longe perfectiorem adoptionem Novi Test., ad quam Pater Spiritu Filii sui misso singulos fideles exaltat, ut singuli filii Dei vere nominentur et sint, cuiusque, quum gratia sanctificante nitatur, soli iusti participes fiunt, non minus quam longa distantia inter statum servitutis, in qua Israelitae sub Lege custodiebantur conclusi in eam fidem quae revelanda erat (*Gal.* 3,23), et statum libertatis, in quam Christus morte sua omnes in ipsum credentes a lege mortis solutos vindicavit (*Rom.* 8,2), omnino prohibent, quominus hanc pericopen de iustis generatim sumptis interpretemur. Novi enim Test. gratias et dicendi modos in Vetus Test. transferunt, qui impios Iudaeos aetatis Ptolemaeorum odio contra pios suos fratres ideo flagrasse arbitrantur, quia hi sese filios Dei Deumque patrem suum appellassent.

Neque magis nobis eorum probatur interpretatio, qui similiter atque praecedentis opinionis fautores singulare substantivum *iusti* in hac pericope collectivo sensu sumendum esse putant, sed eo nomine populum Israel gravissima quadam persecutione afflictum tanquam typum Christi ab inimicis suis morti ignominiosae traditi proponi tenent. Contra hanc ultima utique, quam contra praecedentem explicationem attulimus, ratio minoris ponderis efficaciaeque esse videri potest; etenim populus Israel universe spectatus, etiamsi haud paucos omni tempore numeraret impios, propter suam electionem, fidem suam in unum verum Deum suamque Legem divinitus in monte Sinai acceptam sine ullo dubio in oppositione ad ethnicas nationes, quae vias suas ingredi a Deo permissae (Act. 14,15), ad absurdum polytheismum absurdioremque idololatriam ac turpissimam morum corruptionem delapsae erant, non tantum Iusti nomine designari, sed seipsum quoque filium Dei Deumque patrem suum vocare potuit, quin etiam propter divinas promissiones sibi haud semel repetitas speciale prae gentibus ius habuit ad divinam protectionem, quotiescumque

1. Huc *Ps.* 2,7 quoque trahi debet, si quis — utique erronee — ibi proxime de Davide sermonem esse putat.

sive Legis suae sive cultus sui religiosi causa vexabatur. Verum animadvertatur oportet, in hac pericope nequaquam de persecutione *a gentibus* contra populum Israel excitata sermonem fieri neque ullo modo gentes et Israelitas inter se opponi; namque sicut saepius iam monuimus et accuratius in praecedentis expositionis refutatione repetivimus, Sapiens impios quos contra Iustum coniurantes eique tormenta mortemque molientes inducit, satis clare velut eiusdem populi, ad quem Iustus ipse pertinet, membra (utique indigna) ac proinde velut Israelitas degeneres ac spurios describit. Iusti igitur nomine, si hoc collectivo sensu sumendum esset, non iam totus populus Israel, sed sola eius pars quaedam designaretur, scilicet Iudaei pii, qui ab impiis suis contribulibus vexati soli essent typus Christi patientis. Contra hanc autem interpretationem ultima nostra ratio, de qua agitur, non minus quam contra praecedentem efficax est.

Eadem causa, quae tam multos iuniores modernosque cath. commentatores potissimum permovit, ut pericopen nostram literali ac directo sensu de futura Christi passione interpretari haesitantes ad indirectam, eminentem vel typicam, explicandi rationem confugerent, ab acatholicis plerisque exegetis affertur, ut hunc locum ullo modo propheticum esse negent. Tam arcte nimirum pericopes initium (*v.* 12) cum *vv.* 10.11. connecti aiunt, ut accusativum singul. τὸν δίκαιον (Iustum *v.* 12) eodem modo quo nomina sing. πένητα δίκαιον, χήρας, πρεσβύτου (pauperem iustum, viduae, veterani *v.* 10) collective sumere cogamur; idque eo magis, quia statim (*v.* 22; 3,1 sqq.) pluralis sequatur, neque ullum sit dubium, quin *animae sanctae* (*v.* 22) et *animae sanctorum* (3,1 sqq.) nomine sing. *Iusti* (12-20) comprehendantur; namque in ipso illo contextu iterum a Sapiente saltem semel singularem numerum poni monent (3,10 οἱ ἀμελήσαντες τοῦ δικαίου, qui neglexerunt Iustum) atque similiter inde a 4,7 singulari numero sermonem continuari. Cum *Gr.* alii deinde acatholici addunt, omni tempore omnique in loco relationem hominum impiorum atheorumque ad pios Dei cultores *eandem* esse; nihil miri igitur in eo iuveniri, quod descriptio persecutionis ab impiis Iudaeis in Aegypto contra pios suos contribules excitatae ad historiam Iesu, quippe qui summus fuerit iustus, accommodari queat; quin etiam ex similitudine duarum relationum, impiorum ad pios et Iudaeorum incredulorum ad Christum, similitudinem accusationum iudaicarum contra Christum cum sermonibus impiorum in hac pericope relatis plene ac perfecte explicari (*Gr.* p. 80).

Cuius obiectionis prior pars abunde, opinor, iis iam est refutata, quae in commentario diximus. Adversativa enim coniunctione versum 12. cum praecedentibus *vv.* 10.11. non tam connecti quam potius quodammodo opponi monuimus atque Iustum statim in principio ac deinceps in tota pericope ita describi ostendimus, ut pauperum iustorum, qui ab impiis despiciantur, numero comprehendi nequeat, sed plane singularem locum teneat. Nemo sane ignorat, nomen sing. numeri, non obstante articulo quo determinatur, collective sumi posse ac saepe sumi ad totum designandum personarum vel rerum genus aliquod; sed ex grammatica hac quaestione sensus huius loci nequaquam pendet. Illud potius adversariis nostris demonstrandum erat, descriptionem Iusti nostra in pericope (*vv.* 12-20) uberius explicatam ad totum iustorum illorum genus apte convenire, quorum utpote imbecillium et inutilium oppressionem impii *vv.* 10.11. velut licitam sibi proponunt. Id autem demonstrare nequeunt; quare iure nostro etiam negamus, nomine Iusti *vv.* 12-20 « animas

sanctas » (*v.* 22) et « iustorum animas » (3,1 sqq.) comprehendi, licet haud inepte, uti suo loco videbimus, genetivus sing. τοῦ δικαίου (3,10) iterum de Iusto κατ' ἐξοχήν, i. e. de Christo Domino explicatur. Infra (4,7 sqq.) autem ex articuli omissione non minus quam ex contextu clare elucet, non tam de iusto determinato ac multo minus de Iusto κατ' ἐξοχήν aut de toto iustorum genere, quam de aliquo ex iustis vel si mavis de aliqua iustorum classe, scilicet de iis qui praematura morte abripiuntur, sermonem fieri (ὁ δίκαιος ὃς ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι κτλ. i. q. aliquis ex iustis si praemature mortuus fuerit etc.). Paullo post utique (sc. 5,1-5) nomen ὁ δίκαιος revertitur, at illa quoque in pericope non omnes iustos, sed Iustum κατ' ἐξοχήν intelligi oportere, quin etiam illum locum cum nostro arcte cohaerere nostrumque quodammodo continuare et complere omnino tenemus, ita ut ex illo argumentum ad interpretationem nostram confirmandam desumere nobis liceat. Revera enim idem ille Iustus i. e. Christus Dominus, quem impii nostro in loco circumvenisse et ad ignominiosam mortem adducere voluisse referuntur, ibi in futuro iudicio suis persecutoribus tanta cum gloria appariturus asseritur, ut ipsi studiorum conatuumque suorum inanitatem et inutilitatem fateri cogantur (cfr *infra* 5,1 sqq.). Ceterum quicunque Deum futura nobis revelare posse ac multa revelasse cum fidelibus omnibus Iudaeis ac Christianis concedit atque ex propheticis libris varios, quibus et Deus cum prophetis futuros eventus pro suo beneplacito communicavit et prophetae ipsi eosdem a S. Spiritu impulsi ac directi literis mandarunt, modos cognovit[1], is nullam in eo inveniet difficultatem, quod Sapiens, quum impiorum mores describeret, a divino Spiritu illustratus et quasi abreptus subito a criminibus impiorum suae aetatis enarrandis ad multo gravius illud crimen exponendum transierit, quod idem incredulorum Iudaeorum genus contra Christum erat commissurum.

Altera porro obiectionis pars non tantum rationalisticis principiis inniti recte asseritur (cum rationalistis enim *Gr.* « in orthodoxa prophetiae definitione » multas magnasque invenit difficultates, quas tamen accuratius non indicat, ita ut eas refutare nequeamus), sed etiam in se haud magni est momenti atque vix refutatione indiget. Etenim relatio impiorum ad pios procul dubio omni in loco et omni tempore *eadem* est, quatenus impii semper et ubique pios iustosque aversari odioque habere solent; at neque aversionis odiique gradus neque modi aversionis manifestandae et odii explendi semper et ubique iidem sunt; imo vero diversissimi esse solent, ita ut plane non intelligatur, quomodo quis sibi persuadere possit, variarum calamitatum, quibus impiorum odium pios afflixit, descriptiones omnes ita inter se convenire, ut una ad alteram accommodari possit. Vix autem non improbabiliorem dixeris modum, quo *Gr.* summam illam similitudinem explicare conatur, quae inter sermones a Sapiente impiis Iudaeis aegyptiacis attributos atque sermones scribarum pharisaeorumque in mortem Christi coniurantium intercedit. Eodem enim immo maiore cum iure illam nescio cui casui fortuito attribueres, quam similitudini persecutionis a libidinosis illis ac petulantibus Iudaeis contra pios nonnullos fratres suos, quos velut abiectos contemnebant, excitatae cum machinationibus, quibus synedrium ierosolymitanum suo dominatui timens odioque atroci in Messiam, qui suis praeiudiciis non respondebat, flagrans in Christum Dominum interimendum conspiravit.

Literali igitur sensu pericope haec de futura Domini N. passione interpretanda est; cum *Tert.* (c. *Marc.* III. 22, *M.* 2.352) addere tamen licet : « Sapiens Christum praedicens passurum aeque iustos eius eadem passuros, tam apostolos quam et dein-

1. De hac quaestione videsis *Cornely* Introd. spec. in Vet. Test. II. Ed. 2, p. 272 sqq.

ceps omnes fideles prophetavit ». Christus enim exemplar est, ad quod omnes qui eius membra viva esse desiderant, sese conforment oportet, siquidem ut quis cum Christo conglorificetur, antea cum eo compati debet (*Rom.* 8,17).

3) *Sapiens impiis ob impiam eorum vitam mortem denuntiat* (2,21-25).

2,21. Haec cogitaverunt et erraverunt : Excaecavit enim illos malitia eorum. 22. Et nescierunt sacramenta Dei, Neque mercedem speraverunt iustitiae, Nec iudicaverunt honorem animarum sanctarum. 23. Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem, Et ad imaginem similitudinis suae fecit illum. 24. Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum : 25. Imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.

2,21. Ταῦτα ἐλογίσαντο καὶ ἐπλανήθησαν· Ἀπετύφλωσε γὰρ αὐτοὺς ἡ κακία αὐτῶν, 22. Καὶ οὐκ ἔγνωσαν μυστήρια Θεοῦ, Οὐδὲ μισθὸν ἤλπισαν ὁσιότητος, Οὐδὲ ἔκριναν γέρας ψυχῶν ἀμώμων. 23. Ὅτι ὁ Θεὸς ἔκτισε τὸν ἄνθρωπον ἐπ' ἀφθαρσίᾳ, Καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος ἐποίησεν αὐτόν. 24. Φθόνῳ δὲ διαβόλου θάνατος εἰσῆλθεν εἰς τὸν κόσμον, 25. Πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες[1].

In multis gravissimisque erroribus refellendis Sapiens non immoratur; communem potius omnium istorum errorum radicem acerrima reprehensione castigat, cordis dico malitiam, quae impii mentem occaecat, ut veritatis lucem non amplius percipere queat : 21. *Haec cogitaverunt et erraverunt* (ἐλογίσαντο καὶ ἐπλανήθησαν); *Excaecavit enim illos malitia* (ἡ κακία) *eorum*. Aoristos (ἐλογίσαντο etc.) hic (simili modo atque **1,16**) gnomicos esse non est quod dicamus; singula quasi quae facta sunt comprehendunt, ut id quod fieri solet indicent; haud male autem *Gutb.* adnotat, duo verba *cogitaverunt et erraverunt* arcte (hendiadys) ita connectenda esse : « longe a vero aberrantes haec cogitaverunt » (cfr *supra v.* **1** λογισάμενοι οὐκ ὀρθῶς cogitantes non recte). Usitata porro metaphora intellectus excaecari dicitur a malitia, quatenus *malitia* (ἡ κακία), i. e. voluntatis perversitas et inclinatio ad malum, rationem intellectusque iudicium ad se trahit

1. *VV. LL.* — 22. μυστήρια Θεοῦ (*sacramenta* vel mysteria *Dei*) B ℵ A etc. communis est lectio codd. graec. et verss. atque omnino retinenda, quamvis nonnullorum codd. gr. lectio a *Sw.* nescio cur recepta : μυστήρια αὐτοῦ (mysteria *illius*, sc. Iusti) ad directam nostram explicationem messianicam egregie quadret. — 23. τῆς ἰδίας ἰδιότητος (suae ipsius proprietatis) B ℵ A etc. antiquiorum codd. gr. est lectio, quam iam *Clem. Alex.* (Strom. VI. 12. *M.* 9,317) exhibet et nonnullae veteres verss. exprimunt; correctori probabiliter cuidam, qui hoc in loco maxime aeternitatem divinam spectari vidit, debetur lectio : τῆς ἰδίας ἀϊδιότητος (suae ipsius aeternitatis), quam cum multis codd. minusc. habent iuniores plerique Patres; alteri correctori probabiliter, qui ad *Gen.* 1,26 respexit, debetur lectio quam *Vulg.* et Pesch. cum paucis minusc. habent : τῆς ἰδίας ὁμοιότητος (*similitudinis* suae) cfr *Comment.* — 25. πειράζουσι (tentant) omnium codd. graec. et verss. est lectio, ita ut *Vulg.* quoque illam ante oculos habuisse, sed suo *imitantur* liberrime expressisse dicenda sit.

illaque vitians ac corrumpens efficit, ut ratio ob speciem boni delectabilis apparentem id iudicet esse eligendum velut melius, quod detestandum est velut peius. Ita *Lap.* qui quadruplicem hic errorem impiorum notari arbitratur, quod nimirum voluptatem bonaque caduca aeternis praeferant, de poenis quas sibi attrahant non cogitent, e contra morte hominem plane interire sibi persuadeant, demum Iustum (puta Christum) quem ex vitae sanctitate, vaticiniis miraculisque esse filium Dei agnoscere poterant ac debebant velut castigatorem suorum vitiorum oderint et crucifixerint. Probe autem animadvertas velim, Sapientem eo ipso, quod impios sua ipsorum malitia se excaecasse dicit, etiam dicere eorum errores esse culpabiles et sequelas vel potius poenas malitiae; eandem igitur doctrinam tradit, quam postea S. Paulus traditurus erat, quando ethnicos « veritatem in iniustitia detinere », i. e. veritatem sponte quasi se eis offerentem mentibusque eorum illucescentem ipsa suorum malitia velut captivam reprimere dicens, eorum ignorantiam culpabilem esse totamque eorum idololatriam ex hac ignorantia exortam radices suas in voluntate perversa habere perversaeque voluntatis poenam esse docet (*Rom.* 1,18 sqq.; cfr *Cornely Comment.* in ep. ad Rom. p. 79 sqq.). Hinc recte quoque *S. Thomas* (Summ. theol. 2, 2, qu. 15, a.1), tribus mentalis seu intellectualis visionis principiis distinctis « aliud, inquit, principium intellectualis visionis est aliquod lumen habituale naturali lumini rationis superadditum; et hoc quidem lumen interdum privatur ab anima, ac talis privatio est caecitas, quae est poena, quatenus privatio luminis gratiae poena quaedam ponitur; unde de quibusdam *Sap.* 2 dicitur : excaecavit illos malitia eorum » (cfr etiam 1, 2, qu. 78, a. 3).

Iam quanta sit impiorum caecitas et ignorantia, Sapiens paucis exponit : 22. *Et nescierunt sacramenta Dei* (μυστήρια Θεοῦ), *Neque mercedem speraverunt iustitiae* (ὁσιότητος integritatis vel sanctitatis), *Nec judicaverunt honorem* (γέρας praemium) *animarum sanctarum* (ἀμώμων inculpatarum). Coniunctio καί (et) hic epexegetica est explicationemque affert praecedentis asserti. Caecitas quippe culpabilis impiorum in eo se manifestat, quod nescierunt vel potius non cognoverunt (οὐκ ἔγνωσαν) μυστήρια Θεοῦ. Nomen μυστηρίου, quod a Vulgata plerumque retinetur et raro tantum neque satis feliciter, uti hic, latino *sacramentum* redditur (in Vet. Test. non nisi *Dan.* 2,18; 4,6; *Tob.* 12,7, in Nov. Test. autem quinquies), proprie significat rem arcanam quamcunque quae celanda est, atque hac generali significatione a profanis scriptoribus saepe, a sacris raro (cfr *Prov.* 20,19; *Tob.* 12,7; *Eccli.* 23,27) usurpatur; in Scripturis enim veritatem per se creato

intellectui ita absconditam, ut sola revelatione divina cognoscatur, denotare solet atque pro contextu de variis, uti patet, doctrinis divinitus revelatis intelligi debet. Quoniam autem in Nov. Test. nomine mysterii divina consilia de salute hominibus per Christum acquirenda et conferenda potissimum comprehenduntur (cfr *Cornely* Com. in Rom. p. 610 sq. 797 sq. etc.), antiquiores interpretes etiam nostro loco hanc significationem attribuerunt illudque divinum consilium intellexerunt, quo ut Christus D. N. sua morte mortem nostram destruat omnesque qui eum sequuntur per passionem et mortem ad vitam immortalem adducat statuitur. « Sacramentum consilii Dei, inquit *Rab.*, invidi et dolosi percipere non valebant, quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, neque intelligere potuerunt, quod mors Christi honor est et salus animarum sanctarum, quoniam per ipsum mercedem sperant iustitiae et introitum percipiunt regni coelestis » (simil. *Bonav. Holc. Carth.*). Ad hanc interpretationem, quae probabiliter etiam novae lectioni μυστήρια αὐτοῦ (mysteria *eius* i. e. Iusti cfr *VV. LL.*) ansam dedit, antiquiores adducti videntur vaticinio praecedente de futura Christi passione; at non satis attenderunt Sapientem non eadem ratione ac *Is.* 53, de satisfactorio ac propitiatorio valore passionis dominicae egisse. Rectius illa divina consilia hic designari dicemus, quibus Deus pro admiranda sua providentia iustos hac in terra variis calamitatibus ac tribulationibus ad beatam vitam immortalem praeparat et adducit, quum eos nimirum Christo patienti et sic in gloriam suam intranti similes reddat. Cuius explicationis amplificationem v. ap. *Castro.*

Hoc sensu lectionem *mysteria Dei* hic intelligendam esse duo alia membra confirmant, quibus Sapiens impiis exprobrat, quod neque ipsi sibi *mercedem iustitiae sperent,* neque *honorem animarum sanctarum*, uti per est, *aestiment.* In priore membro graecum nomen ὁσιότης, quamvis proprie *integritas* seu sanctitas vel *puritas* valeat, latine *iustitia* recte est redditum dummodo iustitia lato suo sensu sumatur (cfr ad 1,1). Namque δίκαιος (*iustus*) et ὅσιος (*sanctus*) a profanis quidem scriptoribus inter se ita distinguuntur, ut priore nomine ille, qui erga alios homines, altero ille vocetur, qui erga deos officia sua debita implet (cfr *Platon.* Gorg. 507 B.; *Polyb. XXIII* 10,8 etc.); quibuscum fere consentiens *Theophyl.* (in *Tit.* 1,8) δίκαιον definit eum, qui in eis quae ad homines spectant personas non accipit (i. e. externas hominum conditiones non respiciens a partium studio vacuus est), ὅσιον vero eum, qui pius in rebus divinis nihil eorum, quae ad Deum spectant, omittit; verumtamen alibi (in *Hebr.* 8,26) ὅσιος ei is est, qui nihil omnium quae facere debet omittens

omnemque iustitiam implens proprie iustus est. In alexandrina porro hebraicarum Scripturarum versione ὅσιος aliquoties quidem hebraeo זַךְ (purus), טָהוֹר (mundus munditie levitica), תָּם (perfectus) respondet, sed vix non semper reddendo חָסִיד inservit, quo nomine pius Israelita designatur, quatenus ob fidelem totius Legis observationem recte se habet ad Deum eique ob suam immunitatem ab omni delicto gratus acceptusque est ac proinde *sanctus* vel *iustus* vocari meretur. Hoc sensu nomen ὁσιότης quoque hic (uti 9,3; 14,30 atque ὁσιότης καρδίας *Deut.* 9,5; 3 *Reg.* 9,4, ubi *Vulg.* habet : aequitas cordis et simplicitas cordis) sumendum omnino est. Item altero in membro latinum *animae sanctae* non nisi in universum graeco ψυχαὶ ἄμωμοι respondet, siquidem ἄμωμος pro sua etymologia (α priv. et μῶμος macula) proxime eum designat, qui omnis maculae vel culpae expers est; accuratius igitur *immaculatus* vel *inculpatus* redditur; neque latinum *honor* graeco γέρας satis congruit, quippe quod *praemium honoris causa* (maxime victoribus) attributum valet; ad verbum ἔκριναν demum quod attinet, illud hic quoque latino *iudicaverunt* procul dubio vertere licet, si verbum εἶναι omissum supponitur : « iudicaverunt, non esse (vel fore) animis inculpatis praemium victoriae », i. e. eiusmodi praemium datum iri negarunt (cfr *Gutb.* etc. — *Gr.* etc.); melius tamen κρίνειν id quod aestimare hic valere cum plerisque dicimus : « impii non aestimarunt, uti par erat, animarum inculpatarum praemium futurum ». Sapiens scilicet ad initium sermonis impiorum (*vv.* 1-11) respiciens rationem affert, cur a vero tam longe aberraverint; sua ipsorum nimirum malitia obcaecati sese in altera vita, si in hac virtutem colant, aeterna beatitudine fruituros esse non sperant ideoque hac in terra omnibus voluptatibus se tradunt (*vv.* 1-9), ac similiter ob caecitatem suam voluntariam non vident, quantus sit honor praemii animis immaculatis repositi, ideoque pauperes iustos non tantum despiciunt, sed etiam velut imbecilles ac plane inutiles opprimere volunt (*vv.* 10.11). Qui ad hunc nexum attenderit, facile nobiscum admittet, pericopen de impiorum consiliis contra Iustum (*vv.* 12-20) velut digressionem quandam vel si mavis velut secundam partem a priore omnino distinctam sermoni impiorum adiungi; revera enim in sequentibus auctor prius sortibus piorum impiorumque comparatis ad priorem partem respiciens pios impiis feliciores ostendet (3,1-4,20) ac deinde ad alteram partem transiens irritos fore docebit impiorum contra Iustum conatus (5,1 sqq.). Antea tamen propositum suum prosequens impiis iterum (uti 1,16) funestissimam, quam sibi ipsis parant, mortem in memoriam revocat.

23. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem* (proprie :

ad incorruptionem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ), *Et ad imaginem similitudinis suae* (iuxta graecam lectionem communem : καὶ εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος lege : *et imaginem suae proprietatis* seu naturae[1]) *fecit illum*. Latinus interpres hominem creatum esse dicens *inexterminabilem* probabiliter exprimere voluit, eum a Deo corporis immortalitatem seu incorruptionem accepisse, atque hoc sensu nomen ἀφθαρσίας etiam a S. Paulo in descriptione corporis ad aeternam vitam resuscitati ursurpatur (1 *Cor.* 15,42). Attamen infra (6,19.20) Sapienti nostro (similiter atque S. Paulo *Rom.* 2,7; 2 *Tim.* 1,16) ἀφθαρσία est aeterna vita eaque beata, qua iusti apud Deum victuri sunt, atque haec significatio ad nostrum contextum egregie quadrat : impii quippe coronam animis immaculatis destinatam non uti par erat existimasse declarantur, *quia homo ad incorruptionem* i. e. ad aeternam beatitudinem creatus sit, ita ut aeterna beatitudo sit uti finis hominis ita praemium hominis finem suum attingentis. Cui explicationi alterum consonat membrum parallelum, quo Deus iuxta textum graecum, quem praeferendum diximus (cfr *VV. LL.*), hominem *imaginem suae proprietatis* i. e. suae naturae *fecisse* asseritur.

« Si quaeritur », inquit *Chr. Pesch* (Praelectiones dogm. III. 137 sqq.), « qua ratione homo sit imago Dei, et quidem prae inferioribus creaturis, patet hanc singularem rationem imaginis quaerendam esse in specifica hominis natura, quatenus haec modo perfectiore imitatur Deum quam omnes res inferiores. ... Recte omnes creaturae dicuntur vestigia Dei, sed non imago. Id autem, quo homo prae inferioribus creaturis eminet, est *intellectualis eius natura*, et per hanc Deum singulari modo imitatur. Magis enim distinctum et perfectum conceptum Dei formare non possumus,

1. In graeca lectione τῆς ἰδίας ἰδιότητος nonnulli cum *Corl.* aliquid miri et tautologici inveniunt; sed non attendunt, adiectivum ἴδιος in iuniore graecitate haud raro adhiberi loco pronominis poss. *suus* absque ulla emphasi, sicut etiam *proprium* in seriore latinitate (cfr *Win.* Gr. 145; *A. Buttm.* Gr. 102 sq.; *Blass* Gr. p. 165 sq.). Quare alexandrini interpretes hebraica pronomina suffixa adiectivo ἴδιος reddunt (uti ֹ cfr *Iob* 2,11; *Prov.* 27,8 etc.; ָך cfr *Prov.* 6,2 etc.); latinus autem interpres Novi Test. vix non semper illud ἴδιος pronomine possessivo reddit (*Matth.* 9,1 « venit εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν in *suam* civitatem » ; 22,5 « abierunt, alius εἰς τὸν ἴδιον ἄγρον *in suam* villam » ; 25,14 « vocavit τοὺς ἰδίους δούλους servos *suos;* 25,15 « dedit unicuique κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν secundum *propriam* virtutem » ; cfr *Marc.* 15,20; *Luc.* 2,3; 6,41. 44; 10,34; *Ioan.* 1,11. 41; 4,44 etc.) atque libri nostri interpres eandem vertendi rationem tenet (cfr. 2,23; 10,2; 11,14; 16,23; 18,14. 21; 19,6.20) neque plane immerito *Bois* (Essais, etc. p. 409 ad 19,6) auctorem nostrum adiectivo ἴδιος *semper* pro pronomine possessivo absque ulla emphasi uti asserit. — Minus recte igitur *Corl.* dictionem ἡ ἰδία ἰδιότης carpendam duxit, quum idem valeat ac ἡ αὐτοῦ ἰδιότης; neque tamen miri aliquid adesse iure diceretur, si auctor ad magnitudinem divini beneficii augendam cum emphasi dixisset, Deum hominem *propriae* proprietatis (i. e. *propriae suae* naturae) imaginem fecisse.

quam ut concipiamus eum ut ipsam vitam intellectualem in supremo gradu, et hanc solam vitam Deus formaliter habet, aliam vero omnem eminenter tantum. Quia igitur homo per vitam intellectualem specifice distinguitur ab omnibus rebus inferioribus, recte homo prae ceteris dicitur esse imago Dei (cf. *S. Thom.* 1, q. 45, a. 7; q. 93, a. 6). Unde *S. Aug.* : « Non distas a pecore nisi intellectu. Noli aliunde gloriari. De viribus praesumis? a bestiis vinceris; de velocitate praesumis? a muscis vinceris; de pulchritudine praesumis? quanta pulchritudo est in pennis pavonis! Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu » (in Io. tr. 3, n. 4; *M.* 35, 1398). Eo ipso vero quod homo secundum intellectum est imago Dei, hanc rationem imaginis etiam exhibet in iis proprietatibus, quae ex natura intellectuali fluunt, ut sunt animae simplicitas, immortalitas, libertas, et in potentiis, habitibus, actibus vitae intellectualis. — Haec vero ratio imaginis, quae homini ex natura inest, augetur et ad perfectionem adducitur per *dona supernaturalia,* quibus disponitur homo ad Deum cognoscendum et amandum, ut est in seipso, non ad analogiam aliarum rerum; quae conformitas cum vita divina imperfecte accipitur per donum gratiae, perfecte autem per lumen visionis beatificae (*S. Thom.* 1, q. 93, a. 4). — *Corpus* autem hominis per se non est imago Dei, sed natura animae rationalis, per quam homo est imago Dei, aliquo modo manifestatur in corpore ».

Quibus praemissis sua sponte illucescit alterum membrum explicationem quandam esse prioris; Sapiens enim naturam divinam hic considerat, quatenus Deus sua ipsius cognitione suoque ipsius amore beatitudine aeterna fruitur, hominem autem, quatenus nunc ad statum supernaturalem elevatus non tantum aptus est ad Deum supernaturaliter cognoscendum et amandum, sed etiam destinatus, ut perfecta Dei cognitione (i. e. immediata Dei visione) et perfecto amore aeterna beatitudine fruatur. Proxime utique et directe in anima, utpote intelligente et volente, ratio imaginis divinae sita est; attamen haud sine causa Sapiens *hominem* dixit ad incorruptionem seu ad aeternam beatitudinem creatum imaginemque Dei factum esse, significans Deum etiam corpori primi hominis donum immortalitatis contulisse atque voluisse, ut homo etiam secundum corpus aeterna beatitudine fruatur. Iure igitur Sapiens impios immortalitatis negatione sua a vero longissime aberrantes ad ipsa generis humani initia reiicit, quippe quorum ex historia constet, Deum hominem ad aeternam vitam et quidem beatam condidisse; atque aptissime nunc sequenti sententia eis, unde mors sit, in memoriam revocat.

In explicatione nostra communiorem graecum textum solum secuti sumus; de duabus aliis lectionibus (cfr *VV. LL.*) pauca haec accipe. Altera lectio graeca :

εἰκόνα τῆς ἰδίας ἀϊδιότητος ἐποίησεν αὐτόν (imaginem *suae aeternitatis* fecit eum) suis testibus non caret, quum non tantum iuniores Patres (SS. *Meth. Athan. Epiph.*) eam exhibeant, sed *Tat.* (sacc. 2) iam, quum hominem εἰκόνα τῆς ἀθανασίας (imaginem immortalitatis) diceret, eam ante oculos habuisse videatur; contextui quoque satis congruit, quatenus hominis cum Deo similitudo relate ad aeternitatem velut ratio cur homo sit immortalis haud inepte affertur. Verum testes lectionis, quam praetulimus, et auctoritate et etiam antiquitate (inter eos enim est *S. Clem. Rom.*) omnino praevalent; praeterea non satis apparet, qua ratione homo dicatur *imago aeternitatis divinae.* Etenim anima humana, quia intellectu et voluntate praedita est, imago quidem ipsius Dei, quatenus est intelligens et volens, apte vocatur; eo ipso autem, quod spiritualis est, corruptionis expers est et semper victura, ita ut recte eam aeternitatis participem dicas, at non proprie imaginem aeternitatis divinae; secus etiam ipsi creaturae materiali, quae post renovationem a servitute corruptionis liberata (*Rom.* 8,21) semper duratura est, ratio imaginis divinae aeternitatis competeret; id quod nemo facile admiserit. Quibus confirmatur, quod diximus, hominem, quia anima imago Dei est, corpore etiam immortalem esse conditum, non vero hominem esse imaginem Dei, quatenus immortalis est, quasi vera imaginis ratio in immortalitate sita sit vel immortalitate compleatur.

Lectio porro latina (« *ad imaginem similitudinis suae* fecit illum ») singularis ac satis mira est; in Scriptura homo utique « *ad imaginem et similitudinem divinam* vel *ad imaginem* sive *ad similitudinem Dei* creatus dicitur (cfr *Gen.* 1,26. 27; 5,1); unde et nos hominem « *imaginem Dei* » (vel naturae divinae) appellare consuevimus; quid vero *imago similitudinis divinae* sibi velit, non satis intelligitur. Namque aperte erroneum est, quod *Eugub.* et *Oleast.* hominem factum esse dicunt « imaginem illius formae, quam Deus in orbis conditione assumsit, ut cum hominibus sermones conereret » (cfr *Gen.* 2,8), aut quod *Caesarius*, S. Basilii frater, Deum hominem ad imaginem naturae humanae a Filio suo in incarnatione assumendae condidisse coniecit (cfr *Castro*). Negligentiae imperitiaeque igitur librarii alicuius, qui genuinam lectionem (εἰκόνα τῆς ἰδίας ἰδιότητος) cum *Gen.* 1,26 accuratius conformare voluit, sed hanc haud accurate transcripsit, lectionem *Vulg.* et *Syr.* suam originem debere haud improbabile est.

Quod saepius iam monuimus, Sapientem non impios qualescunque, sed Iudaeos impios loquentes perversosque suos errores ac impia sua consilia effutientes introduxisse, id iterum hac opinionum eorum reprobatione egregie confirmatur; siquidem solis ex Scripturis auctor contra eos agit atque ita quidem, ut gentiles argumenta nullo modo intelligere potuerint. Sicut enim contra immortalitatis humanae negationem historiam creationis hominis, prout in Genesi refertur, cognitam supponit, ita impiis mortem naturali tantum causae attribuentibus in memoriam revocat, quae iuxta divinam revelationem origo vera sit mortis. Ad *Gen.* 3,1 sqq. respiciens et S. Paulo quodammodo proludens mortem a Deo non esse factam (cfr 1,13) sed una cum peccato vel potius per peccatum a diabolo esse introductam monet : 24. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (εἰς τὸν κόσμον, melius similiter ac *Rom.* 5,12 *in mundum*, quo nomine Sapiens

non minus quam S. Paulus genus humanum universum idque solum designat, quippe de quo solo contextus totus agat). Rationalistarum cavillationi, quod Sapiens mosaicam narrationem de *serpente* primorum parentum seductore ad alexandrinum suum cogitandi modum modificaverit substitutoque diaboli, quem Moyses plane ignoraverit, nomine perverterit (cfr *Gr.* etc.) immorari opus non est. Nimis enim arbitror in aperto esse, Moysen quoque, quidquid rationalistae dicunt, non bestiae cuidam irrationali, sed diabolo serpentem velut instrumentum adhibenti seductionem Evae attribuere voluisse idque satis clare indicasse. Ceterum ipse quoque Dominus N. ad *Gen.* 3. et ad nostrum locum alludens *diabolum ab initio* homicidam (ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς) mendacemque et patrem mendacii appellat (*Io.* 8.44) atque iuxta S. Ioannem draco ille magnus, quem S. Michael et angeli eius devicerunt, idem est ac *serpens antiquus, qui vocatur diabolus et satanas, et qui seduxit universum orbem* (*Apoc.* 12,8 sq.; 20,21). Iam vero diabolus ob suum ipsius peccatum ex alto loco, in quo a Deo creatore constitutus erat, deturbatur aeternisque poenis addictus non tantum acerbissimo odio in Deum iustissimum suum iudicem flagrat, sed etiam homini, quum eum ad divinam imaginem creari et ad aeternam beatitudinem, cuius spe omni ipse orbatus erat, destinari videret, invidere coepit; hominem quippe ad excelsum illum finem, ex quo ipse proiectus est, aeternamque beatitudinem non pervenire, sed suae ipsius miseriae et infelicitatis participem fieri vult; quare id omnibus viribus assequi studet, ut homo non Deo serviat eiusque legibus obtemperet, sed suo dominatui se subiiciat. Invidia igitur diabolus impulsus « homini persuasit peccatum, ut ille anima et corpore mortuus sibi per omnia subderetur, nempe ordine tam naturae quam vitii; nam antea homo per iustitiam daemone superior et ab eius dominatu exemptus erat » (*Ians. Ipr.* cfr *S. Ambr.* de parad. c. 12 *M.* 14,301). A qua communiore explicatione dissentientes aliqui ex iunioribus Patribus (*S. Bern.* in Cant. serm. 17. *M.* 183,857) et haud pauci scholastici diabolo causam invidiae fuisse coniecerunt revelationem quandam ei factam de futura Verbi cum humana natura unione hypostatica; sed bene *Corl.* opponit, de eiusmodi revelatione neque hoc in loco neque usquam in Scriptura reperiri vestigium.

Generalem denique hanc impiorum refutationem auctor noster gravissima terminat comminatione : 25. *Imitantur autem illum* (vel iuxta textum graecum πειράζουσιν δὲ αὐτόν sc. θάνατον accuratius : *experiuntur autem illam* sc. mortem a diabolo in mundum invectam) *qui sunt ex parte illius.* Graecum verbum πειράζειν, cui interpres latinus hoc in loco significationem *imitandi* attribuit, alibi aut *tentare* (1,2.

3.5) aut *experiri* (12,26) vertit; quam alteram interpretationem ad hanc sententiam magis quadrare censemus. Haud dissimili nimirum ratione, qua supra (1,6), Sapiens impios, qui morte totum hominem interiturum sibi persuadent, illumque interitum velut bonum quoddam sibi appetunt, acerbo sarcasmo perstringit asserens eos sua ipsorum experientia cognituros esse, quantum sit illud bonum a diabolo praeparatum, sc. mors, quae diaboli invidiae originem suam debeat, cuius non tantum omnes participes fiant, qui ad diaboli partes factionemque pertinent, sed quae etiam aeternas poenas omnibus illis afferat.

Si quis vero significationem *tentandi* hic cum *Gutb.* praetulerit, cum eodem interpretetur necesse est : « tentant (i. e. conantur) sibi ipsis mortem (i. e. aeternum interitum) parare » sed haec significatio verbo πειράζειν non competere videtur.

Ad vulgatae porro lectionem (*imitantur autem illum* sc. diabolum), quae ad explicationem a *Gutb.* praelatam prope accedit, haec animadvertenda sunt. *Reusch* quidem non dubitat, quin iunioris cuiusdam librarii negligentiae debeatur, qui verbum *tentant* ab interprete vulgato ipso positum non intelligens illud proprio marte in *imitantur* mutaverit; omni tamen probabilitate haec opinio destituitur, quia inde iam a S. Cypriani, immo probabiliter a *Tertulliani* (cfr de patientia c. 5. *M.* 1,1257) aetate omnes Patres codicesque latini hodiernam *Vulg.* lectionem (*imitantur*) sine ulla variatione exhibent. Vulgato igitur interpreti ipsi haec lectio debetur; scilicet quum pronomen masc. αὐτόν ad nominativum θάνατος potius quam ad genetivum διαβόλου referendum esse non viderit, verbi πειράζειν interpretationem quandam quaerere coactus est, quae erroneo suo nexui conveniret; illud igitur de contentione intellexit, qua quis aliquid, quod ab aliis fieri videt, ipse quoque facere tentat vel conatur, atque hac ratione ad aemulandi vel imitandi significationem verbo attribuendam pervenit[1]. Qua significatione retenta Patres iunioresque interpretes multi sententiolam hunc in modum explicant : diabolum, qui morte in mundum invecta primos nostros parentes occidit, aemulari conantur omnes, qui ex eius partibus stant, quatenus filios Dei occidere student. Ita iam *S. Cypr.* (de zelo et liv. 4 et 5. *M.* 4,641) : « Exinde (sc. a primi peccati tempore) invidia grassatur in terra, dum livore periturus magistro perditionis obsequitur, dum diabolum qui zelat imitatur, sicut scriptum est : Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur ergo illum, qui sunt ex parte eius. Hinc denique novae fraternitatis prima odia, hinc parricidia nefanda coeperunt, dum Abel iustum Cain zelat iniustus...; et quod Esau fratri suo Iacob inimicus exstitit, zelus fuit; et quod Ioseph fratres sui vendiderunt, causa vendendi de aemulatione descendit; Saul quoque rex ut Davidem odisset, quid aliud quam zeli stimulus provocavit? Et ne longum faciam singulos

1. Improbabile non est, latinum libri nostri interpretem, qui certe Christianus fuit, ad verba illa respexisse, quibus Dominus N. ipse incredulos Iudaeos increpans ad nostrum locum et ad *Gen.* 3, uti antea monuimus, allusit (*Ioan.* 8,44) : « vos ex patre diabolo estis et *desideria patris vestri vultis facere* (i. e. eum imitari vultis); ille homicida erat ab initio et in veritate non stetit » etc. Per se autem patet, Dominum, etsi ad hunc locum alluderet, eius interpretem non egisse neque sensum verbi πειράζουσιν explicare voluisse; aliud est allusio, aliud interpretatio.

recensendo, Iudaei nonne ideo perierunt, dum Christo malunt invidere quam credere? » Hanc Cypriani explicationem *S. Aug.* (de bapt. c. Donat. IV. 8, *M.* 43,161) adoptavit eamque secuti sunt cum *S. Bonav. Holc. Carth.* etc. ex iunioribus *Castro, Lap.* etc. Negari nequit eam cum contextu satis convenire; nihilominus admitti nequit, quia interpretatio verbi πειράζειν, quae supponitur, nimis est coacta longiusque quaesita.

Ab interpretibus quaestio tractatur, quaenam sit ἀφθαρσία (incorruptibilitas seu immortalitas), utrum corporis an animae, ad quam Deus hominem creasse dicitur (*v.* 23), et quaenam sit mors, utrum corporis an animae, quae diaboli invidiae originem debeat (*v.* 24). Antiquiores interpretes (*S. Bonav. Holc. Carth.*) aeque ac iuniores plerique (*Mald. Castro, Sa, Lap. Lorin. Mar. Menoch. Tirin.* etc.) et nonnulli recentiores (*All. Corl. Les.* etc.) pro certo tenent sententiam (*v.* 23) « de corporis immortalitate esse accipiendam, qualem homo habiturus fuisset, si non peccasset ». Alii tamen recentiores (*Gutb.* etc. — *Gr.* etc.) dictionem ἐπ' ἀφθαρσίᾳ de aeterna beatitudine interpretantes sententiam non de corporis immortalitate sed de animi beatitudine intelligunt ideoque etiam per diabolum non tam corporis mortem quam secundam mortem seu aeternam damnationem invectam esse tenent. Neutram vero sententiam solam ab altera separatam eique quasi oppositam urgere licet; utramque potius coniungendam esse censemus. Mors quippe, quam a diabolo invectam impii experturi dicuntur, est mors corporalis quam excipit aeterna damnatio; atque altera ex parte ἀφθαρσία, ad quam Deus homines destinasse dicitur, est aeterna beatitudo non solius animae sed totius hominis, qua utique anima iusti statim fruetur, quando a corpore separatur, sed cuius etiam corpus particeps fiet in iustorum resurrectione.

§ 2. — *Sortibus contrariis piorum et impiorum inter se comparatis studium sapientiae practicae commendatur* (3,1-5,24).

Postquam quasi pro introductione in praecedente paragrapho studioso sapientiae omnem improbitatem, utpote quacum sapientia conciliari nequeat et quae homines ad mortem aeternam adducat, sedulo vitandam esse ostendit, auctor noster nunc suum thema aggrediens comparationem quandam instituit sequelarum quum sapientiae seu pietatis, tum insipientiae seu impietatis, ut legentes pulchris prioris fructibus ad eam sectandam alliciat atque funesta impiorum sorte descripta a sapientiae praeceptis violandis efficaciter abterreat. Magna habetur rerum varietas hac in parte, quum Sapiens modo de variis iustorum praemiis, modo de multiplicibus impiorum poenis agat, modo priorum felicitatem honoremque celebret, modo alteros ipsos de tristi sua sorte et de funestis suis erroribus misere conquerentes

introducat, ubique tamen, uti *Holc.* recte iam adnotavit, eos omnes, sive praemio sive poenis afficiantur, semper esse victuros insinuans. Qua argumentorum varietate non obstante, suo ordine haec pars non caret; nam (cfr nostram Introd. in Vet. Test. Ed. 2, II. p. 213 sq.) omnia ad quatuor capita revocantes quatuor sectiones apte distinguere nobis videmur. Quarum in *prima*, quae arcte cum fine praecedentis paragraphi connectitur, Sapiens iustos, quamvis hac in terra a peccatoribus vexentur et affligantur, felices esse praedicandos docet, quia eorum mors non sit nisi transitus ad vitam beatam aeternumque praemium, impii autem poenas promeritas sint luituri (3,1-10). In *altera* deinde, quae quodammodo tripartita est, etiam hac in vita pios impiis feliciores esse ostendit; impios enim fructibus laborum suorum esse carituros familiasque eorum fore maledictas monet, pios autem, etiamsi forte posteris careant, gloriosa laborum suorum mercede non esse carituros; impios porro, sive longa eis vita concedatur, sive celeri morte auferantur, infelices fore, quia aut senectus eorum ignominiosa aut mors eorum sine spe sit futura; piorum vero memoriam apud Deum et apud homines honore exornatum iri; demum pios proximis utiles, magnam vero impiorum multitudinem omnibus inutilem fore (3,11-4,6). In *tertia* deinde Sapiens obiiectioni, quae ex iuvenum piorum morte desumi potest, occurens hanc mortem beatam esse probat, quia Deus dies breves iustorum pluris faciat quam longam vitam iniustorum, quorum mors omni ex parte sit infelix (4,7-20). Tandem in *quarta* aeternam iustorum sortem gloriosam, impiorum vero funestam fore auctor accuratius exponit; impios enim introducit in iudicio querentes et lamentantes, quod in Iusti (κατ' ἐξοχήν) vita diiudicanda et rerum transitoriarum pretio aestimando tam turpiter erraverint, et piorum mercede aeterna paucis adumbrata protectionem, qua iidem semper fruantur, diligentius declarat, pulcherrima imagine Deum nobis exhibens velut ducem armatum una cum sociis suis ad pios defendendos in aciem contra impios progredientem hosque debellantem (5,1-24).

1. — *Pii mors transitus est ad vitam beatam; impius debitam poenam luet* (3,1-10).

3,1. Iustorum autem animae in manu Dei sunt, Et non tanget illos tormentum mortis. 2. Visi sunt oculis insipientium mori, Et aestimata est afflictio exitus illorum, 3. Et quod a nobis est iter, exterminium : Illi autem sunt in pace. 4. Etsi

3,1. Δικαίων δὲ ψυχαὶ ἐν χειρὶ Θεοῦ, Καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος. 2. Ἔδοξαν ἐν ὀφθαλμοῖς ἀφρόνων τεθνάναι, Καὶ ἐλογίσθη κάκωσις ἡ ἔξοδος αὐτῶν 3. Καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα. Οἱ δέ εἰσιν ἐν εἰρήνῃ. 4. Καὶ γὰρ ἐν ὄψει ἀνθρώπων ἐὰν κολασθῶσιν, Ἡ

coram hominibus tormenta passi sunt, Spes illorum immortalitate plena est. 5. In paucis vexati, in multis bene disponentur : Quoniam Deus tentavit eos et invenit illos dignos se. 6. Tamquam aurum in fornace probavit illos, Et quasi holocausti hostiam accepit illos, Et in tempore erit respectus illorum. 7. Fulgebunt iusti, et tamquam scintillae in arundineto discurrent. 8. Iudicabunt nationes, et dominabuntur populis, Et regnabit Dominus illorum in perpetuum. 9. Qui confidunt in illo, intelligent veritatem, Et fideles in dilectione acquiescent illi, Quoniam donum et pax est electis eius. 10. Impii autem secundum quae cogitaverunt, correptionem habebunt, Qui neglexerunt iustum et a Domino recesserunt.

ἐλπὶς αὐτῶν ἀθανασίας πλήρης. 5. Καὶ ὀλίγα παιδευθέντες μεγάλα εὐεργετηθήσονται· Ὅτι ὁ Θεὸς ἐπείρασεν αὐτοὺς Καὶ εὗρεν αὐτοὺς ἀξίους ἑαυτοῦ. 6. Ὡς χρυσὸν ἐν χωνευτηρίῳ ἐδοκίμασεν αὐτοὺς Καὶ ὡς ὁλοκάρπωμα θυσίας προσεδέξατο αὐτούς. 7. Καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσιν, Καὶ ὡς σπινθῆρες ἐν καλάμῃ διαδραμοῦνται. 8. Κρινοῦσιν ἔθνη καὶ κρατήσουσι λαῶν, Καὶ βασιλεύσει αὐτῶν Κύριος εἰς τοὺς αἰῶνας. 9. Οἱ πεποιθότες ἐπ' αὐτῷ συνήσουσιν ἀλήθειαν, Καὶ οἱ πιστοὶ ἐν ἀγάπῃ προσμενοῦσιν αὐτῷ, Ὅτι χάρις καὶ ἔλεος τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ. 10. Οἱ δὲ ἀσεβεῖς καθὰ ἐλογίσαντο ἔξουσιν ἐπιτιμίαν, Οἱ ἀμελήσαντες τοῦ δικαίου καὶ τοῦ Κυρίου ἀποστάντες[1].

Novam hanc sectionem auctor praecedenti tam arcte adiungit, ut nonnulli haud sine veri specie praecedentem continuari arbitrati sint; rectius tamen novi argumenti tractatio, refutatio scilicet sermonis impiorum, hic inchoari dicitur. Sicut enim antea (ad 2,22) adnotavimus, Sapiens illud thema accuratius nunc exponere aggreditur, quod in superioris paragraphi fine quasi transiens indicavit, quum impios sua ipsorum malitia obcaecatos mysteria Dei ignorasse atque in praemiis, quae iustis divinitus sunt promissa, aestimandis turpiter errasse assereret. Postquam enim impios, eo quod diaboli partes sequantur, mortis per eum invectae, quae aditus sit ad aeternas poenas, participes fore gravissime monuit, nunc ad contrariam piorum sortem

1. *VV. LL.* — 1. βάσανος (tormentum) sine addit. est communis lectio codd. gr. et verss., sola *Vulg.* dissentiente : *tormentum mortis.* — 2. ἔδοξαν (*visi sunt*), nulla particula addita, iterum communis est lectio; solus ℵ² quasi explicationis gratia exhibet ἔδοξαν γάρ (visi *enim* sunt). — 6.7. Pro communi graeca lectione : καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσιν καὶ ὡς... (et in tempore respectus illorum effulgebunt et tamquam) quam versiones quoque reddunt, *Vulg.* habet : *et in tempore erit respectus illorum. Fulgebunt iusti et tamquam...* Qua de lectione cfr *Comm.* — 9. ὅτι χάρις καὶ ἔλεος τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ (*quoniam donum et pax* [melius, uti 4,15 : *gratia et misericordia*] *est electis eius*) sine additamento B cum nonnullis aliis codd. gr. et *Vulg.*; sed ℵ legit : ὅτι χάρις... τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ, A autem cum *Syr.* : ὅτι χάρις... ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ (quoniam gratia... est in sanctis [electis] eius et respectus in electis [sanctis] eius); primam tamen lectionem *Reusch*, Swete etc. merito praeferunt. — 10. Utrum καθά an κα0' ἅ legendum sit, cfr *Comm.*

describendam transit, atque primo in loco quam felix eorum sit mors explanat, quippe quae proprie mors vocari nequeat, quum transitus tantum sit ad alteram vitam eamque aeternam (1-4); hac enim in vita vexati ac probati in altera glorioso regno perpetuo potientur (5-9), impii vero in altera vita punientur (*v.* 10).

Funestae igitur mortis praeda impii erunt, 1. *Iustorum autem animae in manu Dei sunt, Et non tanget illos tormentum* (βάσανος) *mortis.* Genetivus *mortis,* qui non tantum a graecis codd. et PP. atque ab aliis versionibus ignoratur, sed etiam a latinis nonnullis codd. aut praetermittitur aut in genet. *malitiae* mutatur, a iunioribus librariis probabiliter est insertus (cfr *Reusch*) ac proinde omittendus, licet aptam explicationem admittat. Nomen βασάνου autem proprie lapidem lydium, quo aurum aliaque metalla explorantur, ac metaphorice tormenta designat, quibus rei ad crimina sua fatenda adiguntur; unde deinde in universum cruciatus significare coepit, uti acres morborum dolores (*Matth.* 4,24), ita damnatorum in inferno poenas (*Luc.* 16,23; 4 *Mach.* 13,15 etc.); quae ultima significatio ad nostrum locum egregie quadrat; in oppositione nimirum ad impiorum defunctorum animos, qui in tormentorum loco (*Luc.* 16,28) erunt, piorum defunctorum animi *in manu Dei* i. e. in patrocinio ac tutela Dei singulari cura eos protegentis (cfr *Deut.* 33,3) erunt, ita ut inferorum tormenta eos attingere nequeant. Egregie de hac sententiola *S. Ioan. Damasc.* (de fide orthod. IV. 15. 27, M. 94,1164-1221 : « Quod iustorum animae in manu Dei sint et non tangat illos mors, dicit divina Scriptura. Nam mors sanctorum dormitio potius est quam mors; laboraverunt enim in hoc saeculo et vivunt in aeternum. Quid pretiosius, quam in manu Dei esse? Vita enim est Deus et lux; et qui in manu Dei sunt, in vita et luce exsistunt. » Recte igitur Sapiens quoque monet, iustorum mortem non nisi improprie hoc nomine appellari; nam 2. *Visi sunt oculis insipientium mori* (rectius : *mortem subiisse* τεθνάναι, quasi ad vitam non redituri), *Et aestimata est* (scilicet ab insipientibus) *afflictio* (κάκωσις i. e. malum quoddam seu calamitas et aerumna) *exitus eorum* (ἡ ἔξοδος αὐτῶν nimirum ex hac vita cfr 7,6; *Luc.* 9,31; 2 *Petr.* 1,15), 3. *Et quod a nobis est iter* (graecum ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία clarius accuratiusque verte : *et* eorum *discessus a nobis*) *exterminium* (σύντριμμα contritio i. q. interitus cfr. 1 *Mach.* 2,7; *Is.* 59,7 et *Rom.* 3,16); *Illi autem sunt in pace.*

Quod meliores ex ethnicis divinando quodammodo coniecerunt, sapientis ac probi hominis mortem esse immortalitatis initium[1], id

1. Cfr *Maxim. Tyr.* Diss. 25. : ὃν γὰρ καλοῦσιν οἱ πολλοὶ θάνατον, αὐτὸ τοῦτο ἀθανασίας

auctor noster S. Spiritu afflatus velut certum proclamat atque simul, quantum V. T. conditio id permittebat, describit, qua in re vita illa posita sit; quin ipsam mortem ad tempus tantummodo contingere atque aliquando (sc. resurrectione) superatum iri mirabilem in modum insinuat. Namque ut diximus, mortem corporis et animae intime coniungit et de illa praecipue agit, ut ex illa, utpote magis nota, argumentetur. Iuxta eum enim impii mortem experiuntur in poenam (2,25); iustos vero mors non laedit, sed eis non nisi exitus quidam est e vita mortali ac profectio quaedam (πορεία) ad vitam meliorem; namque ii ipsi, qui ex vana opinione insipientium (ἐν ὀφθαλμοῖς cfr 9,9; *Eccli.* 8,19) visi sunt mortem subiisse, in pace sunt positi (cfr 4,7; *Hebr.* 3,11; *Apoc.* 14,13). Et sicut Christus D. ex eo, quod Deus non est Deus mortuorum sed viventium (*Matth.* 22,32), infert resurrectionem, ita Sapiens dicere videtur, non solum iustos ideo non pati detrimentum, quia post mortem animae erunt superstites et beatae, sed etiam iustos ipsos ideo nullum pati detrimentum, quia aliquando totus homo beatitudinis particeps erit; id quod negata resurrectione minus verum est. Quo posito ψυχαί, quamquam de mortuis agitur, non tam animae corporibus solutae (*Apoc.* 6,9; 20,4 = πνεύματα 1 *Petr.* 3,19) quam ipsi iusti ac vita iustorum (*Dan.* 3,86 [63] animae iustorum ψυχαὶ δικαίων) apte intelliguntur; siquidem illos non tanget ullum, quod perpetuo duret, tormentum.

Sicut mors iustis est transitus ad vitam beatam, ita aliis huius terrae incommodis in via ad eandem promoventur, ac proin *eis* incommoda non sunt. Ubi enim nulla est mors, ne dolores quidem, qui in eam adducant, reperiuntur, sed de iis aeque ac de morte existimandum est : 4. *Etsi coram hominibus tormenta passi sunt, Spes illorum immortalitate plena est.* Sententia haec neque satis accurate (κολάζεσθαι enim non valet i. q. *tormenta pati*) neque satis plene ab interprete nostro est reddita; plenius ex graeco, in quo etiam nexus, quem indicavimus, exprimitur, et accuratius verte : *Etenim* (καὶ γάρ) *in conspectu* (ἐν ὄψει) *hominum si castigati fuerint* (ἐὰν κολασθῶσιν), *spes* (tamen) *illorum immortalitate plena est* (ἀθανασίας πλήρης). Nonnulli (*Vatabl.* etc.) illud ἐν ὄψει interpretantur : dum conspiciuntur ab hominibus, i. e. dum in hac vita degunt; rectius tamen dictio haec simili modo ac praecedens ἐν ὀφθαλμοῖς (*v.* 2) commune hominum iudicium intelligitur, non impiorum quidem, utpote qui Deum providum

ἀρχὴ καὶ γένεσις μέλλοντος βίου. *Plato* Epinom., p. 992 B; Similiter *Cicero* (Tusc. I. 12) : « A malis mors abducit, non a bonis, et mors non est interitus omnia tollens atque delens, sed quaedam quasi migratio commutatioque vitae, quae in claris viris et feminis dux in coelum solet esse ».

negent, sed fragilium imperfectorumque (cfr 1 *Cor.* 3,3. 4), ut esse fere solent, qui quamvis divinam providentiam plene agnoscant, satis frequenter de ea non cogitantes res secundum externam eorum speciem solam diiudicant. Quamquam ergo eiusmodi hominibus iusti in tribulationibus positi et miseri esse et misere decedere videntur, eorum tamen spes immortalitatis plena est ; « Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit » (2 *Mach.* 7,9. 23. 36). In textu graeco genetivum ἀθανασίας et ad ἐλπίς et ad πλήρης referri licet, ita ut sententiola duplicem explicationem admittat. Si genetivum ἀθανασίας ad adiectivum πλήρης cum *Vulgatae* interprete trahis, significatur iustorum spem esse plenam immortalitate, i. e. eos solam immortalitatem sperare neque ullum aliud bonum sibi desiderare; alterum si praefers nexum, sensus erit immortalitatis spem iustorum esse plenam et perfectam, i. e. eos firmiter atque indubitanter sperare immortalitatem. Utraque explicatio per se apta est, prior tamen, quam *Vulg.* praetulit, contextui magis congruere videtur. Etenim quo maius est bonum, quod speratur, eo magis eius spes animum occupat ; atqui immortalitas (beata, de qua hic agitur) omnium bonorum, quae sperari possunt, summum ac maximum est, cui cetera comparata nullius pretii esse videntur; unde fit, ut iusti huic bono acquirendo unice intendant atque de eius spe sola occupati calamitates et tribulationes, quibus eos castigari homines putant, quodammodo non curent, nisi in quantum eas sibi ad bonum speratum obtinendum inservire sciunt.

Si hac ratione sententia explicatur, aptissime sequentes sententiae adnectuntur, quibus primum docetur, quem finem calamitates, quibus iusti affligantur, habeant (*vv.* 5. 6ª) ac dein quantum sit praemium eis destinatum (6ᵇ-9). Erudiendi enim sunt iusti ac probandi, ut eximiis praemiis dignos se exhibeant : 5. *In paucis vexati* (ὀλίγα παιδευθέντες), *in multis bene disponentur* (μεγάλα εὐεργετηθήσονται verte ergo : *magnis beneficiis afficientur*) ; *Quoniam Deus tentavit* (ἐπείρασεν i. q. exploravit) *eos, Et invenit eos dignos se* (ἑαυτοῦ seipso). Pro εὐεργετηθήσονται latinus interpres per errorem εὐθετηθήσονται legisse dicendus est (cfr *Gr.*); satis facile autem latina lectio eodem fere, quo graeca, sensu exponitur. Ad priorem dictionem (ὀλίγα παιδευθέντες) duo adnotasse iuverit; ac primum quidem ὀλίγα hic a nonnullis, ac si scriptum esset ὀλίγον (cfr *Marc.* 6,31; 1 *Petr.* 1,6; 5,10), de temporis, quo iustorum calamitates duraverunt, brevitate haud satis recte intelligitur; sequenti enim μεγάλα respondet eodemque modo ac illud est accusativus obiecti. Maximam enim distantiam Sapiens explicare vult, qua multa magnaque praemia, quibus Deus iustos cumulat,

paucas parvasque calamitates a iustis toleratas superant; idem quippe docet, quod S. Paulus, quum Romanis scriberet « non condignas esse passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis » (*Rom.* 8,18) et Corinthiis « praesentem tribulationem momentaneam et levem in nobis operari aeternum ac supereminens gloriae pondus » (2 Cor. 4,17 cfr nostrum Comm. in Rom. p. 422 sq. et Comm. in 2 Cor. et Gal. p. 134 sq.). Secundo in loco perpendatur oportet, calamitates a Deo iustis immitti, ut quasi filii, qui poenis a patre coercentur et in bona vita retinentur, illis *instituantur* (παιδευθέντες) et ad magna praemia, i. e. ad haereditatem promissam (ut hoc in loco dictione Novi Test. utamur) praeparentur, neque enim de bonis huius terrae perituris agitur, sed de Dei ipsius fruitione, id quod ex verbis *invenit eos dignos se* clare apparet; calamitatibus quippe eos tentans et explorans in illis rectam animi dispositionem ad illa bona, veram nimirum sapientiam, invenit. Ceterum ex contextu patet bona illa simul dona gratuita et praemia esse, ita ut tribulationibus ratio meriti conveniat; praemium enim merito debetur. Quamquam autem inter tribulationes et futuram gloriam aequalitas quantitatis, ut ita dicam, non intercedit, quaedam tamen aequalitas proportionis habetur, quae aequalitati inter semen et fructum apte comparatur. Tribulatio voluntarie suscepta semen est in corde Patris foecundissimo repositum, filio, qui de suo aliquid contulit, haereditatem ita donaturi, ut eadem praemium laetissimum recte dicatur; contulit autem aliquid de suo filius libere sustinens probationem. Verbum *tentare* (ἐπείρασεν), uti in explicatione iam supposuimus sensu suo proprio et nativo accipiendum est. Tentamus id, quod volumus experimento cognoscere, ut magister experimento tentat, utrum discipulus proposita intellexerit necne. Nos experimentum sumimus, ut rem cognoscamus; Deus autem non tentat, ut quid valeamus cognoscat, sed tentare dicitur, ut nos virtutem et fidelitatem observatione mandatorum patefaciamus, quo sensu verbum saepe usurpatur (11,10; *Gen.* 22,1; *Exod.* 16,4; 20,20; *Deut.* 8,2 etc.; cfr 1 *Cor.* 10,13; *Hebr.* 2,18; 4,15 etc.) Praeterea superior quoque subditum tentare dicitur, quando explorat, aptusne ille muneri alicui sit vel saltem fiat, quod illi deferat; simili modo Deus hominem tentat, ut hic virtutis exercitio ad vitam beatam disponatur. Deus vero, uti patet, hominem tentans non intendit nisi eius bonum, contra diabolus (cfr 2,24) non intendit nisi malum tentationibus suis hominem ad peccatum sollicitans; quare cum despectu ὁ πειράζων tentator vocatur (*Matth.* 4,3; 1 *Thess.* 3,5).

Tribulatio igitur, qua Deo disponente iusti exercentur et quasi

explorantur, tentatio vocatur, libere autem suscepta et fortiter superata meritum est, quo digni fiunt intima cum Deo communione. Quod utrumque explicatur *v.* 6. *Tamquam aurum in fornace probavit* (ἐδοκίμασεν) *illos, Et quasi holocausti hostiam suscepit illos* (ὁλοκάρπωμα θυσίας προσεδέξατο αὐτούς). Priorem similitudinem ab aliis quoque sacris scriptoribus eodem sensu adhiberi mirum non est (cfr *Iob* 23,10; *Ps.* 65,10; *Prov.* 17,3; Eccli. 2,5 etc.), quum aptissima sit, et quasi sua sponte se offerat[1]. Namque quemadmodum igne aurum non tantum *verum* ac genuinum esse probatur, sed etiam a scoriis purgatur; ita homo exorta tribulatione non solum virtutis exercitio se genuinum esse Dei servum probare potest, sed pravis quoque affectibus quibus rebus terrenis adhaeret, emundatur, id quod, ut Deo se coniungat, maxime requiritur.

Egregie *S. Aug.* (in *Ps.* 61,6. *M.* 36,738) hanc calamitatum utilitatem amplificat : « Venit dolor meus, veniet et requies mea; venit tribulatio mea, veniet et purgatio mea. Numquidnam lucet aurum in fornace aurificis? In monili lucebit, in ornamento lucebit : patiatur tamen fornacem, ut purgatum a sordibus veniat ad lucem. Fornax ista; ibi palea, ibi aurum, ibi ignis, ad hanc stat aurifex : in fornace ardet palea et purgatur aurum; illa in cinerem vertitur, a sordibus illud exuitur. Fornax mundus, palea iniqui, aurum iusti, ignis tribulatio, aurifex Deus; quod vult ergo aurifex facio; ubi me ponit artifex, tolero; iubeor ego tolerare, novit ille purgare. Ardeat licet palea ad incendendum me et quasi consumendum me : illa in cinerem vertitur, ego sordibus careo. Quare? Quia Deo subiicietur anima mea, quoniam ab ipso est patientia mea ».

Altera porro similitudine, quam pretiosa et Deo accepta sit voluntaria tribulationum perpessio, declaratur, siquidem sacrificio, qui actus praestantissimus virtutis religionis est, comparatur. Illud autem sacrificium Sapiens respicit, in quo res tota offerebatur, veluti in holocausto tota victima cremabatur, quum in aliis pars aliqua sacerdoti vel etiam iis, pro quibus sacrum fiebat, obveniret. Graeca dictio ὁλοκάρπωμα θυσίας ab antiquis latinis duplici modo sine ulla tamen, ut videtur, significationis differentia redditur; eodem enim in libro *S. Cypr.* aut accurate iuxta graecum legit *holocaustum hostiae,* aut minus accurate, uti *Vulg.* hodie exhibet, *holocausti hostiam;* utraque versione revera munus significatur, quod totum Deo velut hostia offertur. *S. Hier.* (in Is. 56, *M.* 24,542) et *S. Aug.* (Quaest. in Heptat. VII in l. Iudic. qu. 53, *M.* 34,829) inter ὁλοκάρπωμα et ὁλοκαύτωμα

1. Unde a classicis quoque graecis et latinis eadem similitudo haud semel usurpata legitur; cfr *Isocr.* ad Demon. p. 8 (ed. Lange) « aurum in igne probamus, amicos autem in calamitatibus dignoscimus » (i. q. accurate cognoscimus διαγιγνώσκομεν); *Ovid.* Trist. I. 4, 25 sq. : « Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum, Tempore sic duro est inspicienda fides »; *Senec.* de provid. 5 « ignis aurum probat, miseria fortes viros » etc.

ita distinguendum censent, ut priore frugum manipulus significetur, qui integer Deo offerebatur, altero pecudes, quae integrae igne consumebantur. Quae distinctio utique, si etymologia spectatur, admitti forte potest; attamen alexandrini interpretes haud semel graece κάρπωμα hebraicum אִשֶּׁה (sacrificium igne oblatum) reddunt non attendentes, utrum de frugibus an de pecoribus offerendis agatur. Haud sine ratione autem Sapiens non nudum nomen θυσίας (sacrificii) adhibuit, ut illud sacrificii genus indicaret, quo Dei dominium perfectissime declaratur; sicut enim holocausto clarissime demonstramus, nos Deum velut summum universi auctorem ac proprietarium agnoscere ac venerari, ita iustus calamitates a Deo sibi immissas prompta cum voluntate accipiens fortiterque propter eum usque ad mortem tolerans apertissime profitetur, Deum summum suum Dominum esse, cui se totum subiicit et tradit.

Ad nostrum locum *S. Ign.* *M.* (ad Rom. 4, *M.* 5,690) probabiliter respexit, quum ardens suum martyrii desiderium exprimens Romanis diceret : « Frumentum Dei sum et per ferarum dentes molar, ut purus panis Christi inveniar... Christum pro me supplicate, ut per haec instrumenta hostia inveniar ». Porro eiusmodi plena subiectio, uti Deo acceptissima est ac velut hostia sibi beneplacens accipitur, ita hominem quam maxime perficit. « Quaclibet enim res, inquit *S. Thomas*, perficitur per hoc, quod subditur suo superiori, sicut corpus per hoc, quod vivificatur ab anima, et aer per hoc, quod illuminatur a sole » (Summa 2,2, qu. 81, a. 7).

Antiquitus iam *Clem Alex.* (Strom. IV. 6, *M.* 8,124) et *S. Cypr.* ad Fortun. (de exhort. mart. 12, *M.* 4.673) sententias quas explicavimus aeque ac duas sequentes de martyribus sese Deo in holocaustum offerentibus explicarunt atque Ecclesia easdem in off. comm. plurim. mart. adhibet; unde iuniores quoque interpretes eandem interpretationem sequentes multa ex Patribus (cfr *S. Aug.* de Civ. Dei XIII. 4, *M.* 41,379 etc.) eum in sensum afferunt, licet locum nostrum de solis martyribus non agere, id quod ex contextu evidens est, fateri cogantur.

Finibus indicatis quos pro sua sapientia ac benignitate, quando etiam iustos hac in terra tribulationibus carere non vult, Deus prosequitur, Sapiens ad praemia describenda transit, quibus eosdem ob calamitates fortiter toleratas ac superatas tamquam victores remuneraturus sit; 6[b]. *Et in tempore erit respectus illorum.* 7. *Fulgebunt iusti, et tamquam scintillae in arundineto discurrent.* Ex graeco lege : *Et in tempore visitationis eorum* (ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν) *fulgebunt, Et ut scintillae in stipula* (ἐν καλάμῃ) *discurrent*[1]. Ceterum

1. De hac varia lectione bene *Reusch* : « Si graeca respexeris, non dubitabis, quin ita scriperit interpres : *Et in tempore respectus illorum fulgebunt.* A librariis primum post *respectus*, quod primo, non secundo casu dictum esse putabant, adiectum est *erit* et vocabulum *Fulgebunt* cum sententia proxime sequenti coniunctum... Deinde post fulgebunt additum est *iusti* », scilicet ut completa haberetur sententia.

sensus vix mutatur; quod enim textus latinus maiore cum vi, utpote completa sententia, asserit, Deum nimirum iustos, qui pro eius lege tribulationes ac mortem pertulerint, donis ac praemiis visitaturum esse (ἐπισκοπή cfr 2,20), id graecus quoque saltem implicite indicat. Procul dubio hac quoque in vita Deus interdum uti impios poenis castigat, ita iustos praemiis promissis quasi in antecessum consolatur; nihilominus remunerationis completae quum iustorum tum impiorum tempus non est haec vita, quae meritis potius acquirendis est destinata. Id noster quoque locus docet, quum ex toto eius contextu satis appareat, tempus opportunum et definitum (ἐν καιρῷ), quo Deus iustos sit visitaturus, ut eos singulari honore quem promeriti sunt exornet, non praesente sed futuro rerum ordine contineri[1], ultimi quippe iudicii tempore, quo sors iustorum aeque atque impiorum completa quodammodo confirmabitur et velut fixa stabilisque omnium oculis subiicietur, *iusti*, quorum mors ab insipientibus pro interitu habebatur (*vv.* 2. 3) *fulgebunt* in gloria, qua a iusto iudice coronantur. Eo maiore cum iure autem hanc temporis definitionem pro certa admittimus, quia omnino probabile est, Sapientem hoc loco ad verba Danielis iustorum futuram in iudicio gloriam describentis (*Dan.* 12,2.3) respexisse, et quia ipse quoque Dominus N. postea eadem imagine usus est, ut iustorum praemium in oppositione ad poenas peccatorum illustraret : « tunc iusti *fulgebunt* sicut sol in regno Patris eorum » (*Matth.* 13,49). Imagine autem hac internae virtutis perfectionisque, quae tunc omnibus manifesta fiet, magnitudinem et excellentiam significari manifestum est.

Pro sua igitur dignitate ac beatitudine iusti tunc omnibus erunt conspicui *et tamquam scintillae in arundineto* (ἐν καλάμῃ) *discurrent*. Alterum praemium altera similitudine indicari videtur; si eandem enim similitudinem continuari voluisset, clarius auctor scripsisset : ὡς σπινθῆρες ἀναλάμψουσιν καὶ ἐν καλάμῃ διαδραμοῦνται : « sicut scintillae effulgebunt et in arundineto (vel stipula) discurrent » (cfr *Gr.*). Quae

1. Bene *Corluy* : « Si quaeritur, qualis sit ille καιρὸς ἐπισκοπῆς (*tempus visitationis*), respondendum est, illud significari tempus, quo Deus omnes homines iudicabit et unicuique reddet secundum opera eius (cfr *vv.* 8.10; 5,1 sqq.); tunc initium habebit perpetuum regnum iustitiae (3,8; 5,17). Huius ἐπισκοπῆς seu iudicii finalis vestigia non omnino obscura iam in *Deut.* 32, 35-42 apparent, quem locum Samaritani [probabiliter ex antiqua Israelitarum traditione] de divino iudicio in mortuos exercendo interpretantur. Clarius haec doctrina postea se evolvit, v. g. *Ps.* 96 (95), 10; 97 (96), 9; 9ª, 8. 9. 17; 9ᵇ, 16. 18; *Iob* 19,23 sqq.; quibus locis Dei iudicium alteri aeternaeque vitae reservari innuitur. Plenior porro et clarior doctrinae huius revelatio in recentioribus libris reperitur, ex. gr. *Dan.* 12,2; *Tob.* 2,18, *Eccli.* 35,22 sqq.; 2 *Mach.* 6,26, 7,34 sq.; plenissima demum et clarissima in Novo Test. : *Matth.* 25,31 sqq.; *Ioan.* 5,28,29; *Rom.* 2,5 sqq.; 1 *Cor.* 15,24; *Apoc.* 20,11 sqq. etc. ».

vero nova beatorum gloria vel dos significetur, difficile est dictu; quare *Zenn.* aliquid ex textu graeco excidisse coniicit atque ex textu syriaco, qui verba *inter peccatores* inserit, legere vult : « sicut scintillae in arundinetum, ita iusti in peccatores incurrunt »; qua sententia iudicium, quod iusti cum Deo in peccatores exercituri sit (cfr *v.* 8), indicari haud improbabiliter arbitratur. Eandem iudiciariam iustorum potestatem nonnulli antiquiores interpretes etiam in hodierno nostro textu (graeco ac latino) deprehendere volunt ad *Abd.* 18 et *Zach.* 12,6 provocantes, quibus in locis iudicium, quod Israelitae Deo iuvante in Idumaeos aliosque hostes exercituri sint, eadem imagine ignis stipulam vel arundinetum devorantis describitur. Ceterum plerique antiquiores et iuniores unam alteramve ex dotibus corporis glorificati (« latenter » ut *Holc.* addit) significari putarunt : « Sicut enim, inquit *Smits*, scintillae materiae combustibili communicatae statim se hinc inde diffundunt, nunc hic nunc illic apparent et luminosa claritate ubivis currunt ac devolant, ita nempe sancti gloriae suae splendore micabunt et agilitate sua, quocunque volent, devolabunt. Ubi e quatuor dotibus corporis gloriosi duas, nempe *claritatem* et *agilitatem* perspicue designari vides ». Utramque explicationem *Carth.* coniungit : « Per dotem agilitatis erunt celerrime mobiles, sicut scintillae velocissime agitantur in arundineto, videlicet in loco, quo cannae nascuntur. Et sicut ignis cito consumit arundinetum, sic sancti in die iudicii velocissime (impios) diiudicabunt ».

Quomodocunque autem interpretes duas imagines inter se distinguunt et exponunt, in eo omnes consentiunt, Sapientem illis excelsam singularemque iustorum, qui hac in terra velut viles et inutiles ab impiis contemti ac despecti erant, gloriam ac felicitatem describere, qua post mortem conspicui impios non tantum confusuri sed etiam coacturi sint, ut se in iustis diiudicandis eorumque mercede aestimanda (cfr 2,22) turpiter errasse fateantur. Neque minus eos errasse, quum iustos crederent infirmos, quos impune opprimere possent (cfr 2,10), altera sententia docet, quae de futura iustorum potestate agit : 8. *Iudicabunt nationes et dominabuntur populis, Et regnabit Dominus illorum* (καὶ βασιλεύσει αὐτῶν Κύριος) *in perpetuum.* De iudicaria potestate, qua iusti aliquando donandi sint, veteres multa hic disserunt; quae nobis omittere licet, siquidem haec quaestio iam ubertim tractata est (cfr *Cornely* Comment. in 1 *Cor.* 6, p. 136 sqq.; *Knabenbauer* Comment. in *Matth.* 19, II. p. 166 sq.). Illud unum in huius loci explicatione retineatur oportet, auctorem verbis *iudicandi* (κρίνειν) et *regnandi* (βασιλεύειν) tropice quidem uti, ita tamen ut veram digni-

tatem ac potestatem designet, qua in altera vita iusti Deo ipsi, summo omnium creaturarum iudici ac regi, certo quodam modo assimilabuntur, quatenus supremi iudicii ac regni quasi partem quandam habentes maxima, cuius creatura capax est, etiam hac in re beatitudine potientur; de iis quippe valebit, quod auctor *ep. ad Diogn.* (6) de Apostolis habet : « qui vi ducebantur et circumagebantur, contemti, vincti, innumeris malis affecti, post mortem ipsis regibus honorabiliores sunt ». Cumulum tamen felicitatis iustis altera in vita id afferet, quod *Deus ipse super eos sit regnaturus;* hac quippe ratione graecus textus (καὶ βασιλεύσει αὐτῶν Κύριος) explicari debet eandemque explicationem latinus (*regnabit Dominus illorum*) admittit, quia latinum interpretem hic, uti alibi frequenter, graecam constructionem imitatum esse (βασιλεύειν τινός, regnare alicuius i. e. super vel in aliquem) omnino est probabile [1]. Iam vero, quia res quaelibet, uti supra (ad *v.* 6) cum *S. Thom.* iam monuimus, ex eo perficitur, quod suo superiori subditur, perfectionem quoque beatitudinemque ei respondentem eo maiorem plenioremque fore recte colligimus, quo perfectius Deo subdantur ac proinde cum eo uniantur; supremum autem suum gradum haec iustorum subiectio attinget, quando cum Christo glorificati conregnabunt (2 *Tim.* 2,12) et Christus omnia sibi iam subiecta tenens ipse Patri, qui subiecit ei omnia, subiectus erit, ut Deus sit omnia in omnibus (1 *Cor.* 15,28); quem in sensum haud male *Lap.* : « Iustorum rex Deus erit ipse, qui in eis regnabit per amorem et gloriam, aspirando et communicando illis omne suum gaudium, regnum et felicitatem, constituendo eos reges totius universi iuxta illud *Dan.* 7,27 : Regnum et potestas dabitur populo sanctorum Altissimi ». Probe porro attendatur oportet ad ultimum membrum εἰς τοὺς αἰῶνας *in perpetuum*, quo significatur statum illum beatitudinis iustorum nunquam habiturum esse finem. Adnotat *Corl.* verba *iudicandi* et regnandi tropice ideo quoque esse sumenda, quia post iudicii diem nationes et populi non amplius distinguuntur; id verissimum est, sed recte addit, metaphoram sua sponte ex eo explicari quod status aeternae beatitudinis continuo in Scripturis per metaphoram regni describatur.

Haec loci interpretatio inde a *Clem. Alex.* et *S. Cypr.* (ad Fortun. de exhort. mart. 12, *M.* 4, 674; ep. 81, *M.* 4, 426) aetate inter catholicos communis fuit. Nec obstat quod S. Greg. M. verba Sapientis in alterius Scrip-

1. Verba *regnare* et *dominari* a iunioribus scriptoribus latinis aliquoties more graeco cum genetivo construi cfr *Kaulen* Handbuch der Vulg. p. 225.258; *Krebs* Antibarbarus Ed. 6, I. p. 429.

turae loci interpretatione suo more rhetorice ad iustos in hac terra degentes accommodavit (Moral. in Iob XXXIII. 3, *M.* 76, 673).

Ab explicatione communi catholicorum, quam antiquiores protestantes retinuerant, moderni dissentiunt. « Veteres plerique, inquit *Gr.*, negligendi sunt, quia orthodoxae ecclesiasticaeque de Novissimis doctrinae innixi locum explicarunt »; ipse igitur rationalisticis suis principiis nixus eum accuratius exponere conatus est; sed haud feliciter. In eo quidem Castrum superat, quod dictionem ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς recte de visitatione Dei ad iustos remunerandos venientis explicat; quin etiam si remunerationem in eo consistere dicit, quod Deus populum suum electum post longam servitutem in pristinam dignitatem ac prosperitatem temporalem restituturus sit, cum antiquis prophetis consentire videtur; verum pro suis rationalisticis principiis verbis utique fere iisdem ac prophetae utitur, iis tamen sensum diversum tribuit, quum veram salutem messianicam populo promissam non agnoscens de fictitia quadam felicitate, qualem fere somniarunt carnales Iudaei, agi sibi persuadeat. Etsi autem praemium hoc recte definivisset, explicatio eius tota erronea maneret. Neque enim Sapiens de populo electo, quem exterae nationes in servitutem redegerunt, sed de iustis Iudaeis loquitur, qui a suis contribulibus impiis cruciatus ac ipsam mortem propter iustitiam sustinere coguntur, neque de Iuda eorum regno temporali ac civili, ut ita dicam, sed de relatione singulorum iustorum ad Deum agit, quae ideo, quia singulis est propria, in singulis quoque compleatur necesse est. Revera populus, qui post longum tempus libertatem recuperat, sola morali quadam aestimatione idem dici potest cum illis, qui mortem in servitute positi obierunt, neque hi, utpote iam mortui, temporalis illius victoriae tandem partae participes fient. Iusti contra, qui propter iustitiam mortem obeunt, immortalitatis, quae eis promittitur, singuli participes fiant necesse est (ceterum cfr ad 5,17).

Postquam imaginibus splendidis futuram gloriam et dignitatem iustorum in coelis illustrare studuit, Sapiens ipsam quoque, ut ita dicamus, essentiam beatitudinis eorum definit : 9. *Qui confidunt* (lege : *qui confisi sunt* οἱ πεποιθότες) *in illo, intelligent veritatem* (ἀλήθειαν sine art.), *Et fideles in dilectione acquiescent illi* (lege : *permanebunt apud eum* προσμενοῦσιν αὐτῷ); *Quoniam donum et pax* vel ad graecum textum (cfr *VV. LL.*) rectius : *gratia et misericordia est electis eius.* Dubitari nequit quin dictione οἱ πεποιθότες ἐν αὐτῷ (i. e. ii qui dum hac in terra agebant in Deo confisi sunt) iusti iam defuncti designentur, de quibus praecedentibus sententiis agebatur, et quidem in oppositione ad funestam sortem impiis altera in vita reservatam, de qua sequens loquitur sententia. Novam autem appellationem auctor elegit, quia simul fundamentum indicare voluit, quo nixi iusti ad beatitudinem pervenerunt; Deo quippe confisi firmiter speraverunt

iustitiae mercedem, quam impii sua ipsorum malitia occaecati negarunt (cfr ad 2,22), atque hac spe corroborati mediis quoque in tribulationibus fideliter Dei praeceptis inhaerentes praemio victoriae coronari meruerunt. Iam vero ad perfectam beatitudinem hominis pro eius spirituali natura omnino requiritur, ut facultates eius spirituales, intellectum dico et voluntatem, propriis suis obiectis satientur, intellectus quippe clara veritatis ac praesertim summae veritatis i. e. Dei cognitione, voluntas autem dilectione perfecta boni ac praesertim summi boni i. e. Dei. Quae duo Sapiens nostra in sententia (satis clare pro Veteris Test. statu) indicat; iusti enim veritatem in genere (ἀλήθειαν sine art.) ac proinde etiam increatam veritatem non tantum percipient sed *intelligent* (συνήσουσιν a συνίημι i. e. quasi mentem coniungere cum re percepta), *clare* ergo eam videbunt vel uti nobis nunc dicere licet : immediate facie ad faciem; iidem quoque tamquam fideles, qui fidem datam servarunt (οἱ πιστοί), *in dilectione* (ἐν ἀγάπῃ) seu caritate perfecta permanebunt cum Deo vel apud Deum, i. e. cum eo per caritatem eamque fruitivam uniti vivent in perpetuum. Beatitudo autem haec, quamvis iustis velut merces fidelitatis et fiduciae eorum attribuatur, in se tamen semper manet et est gratuitum donum Dei, quippe cuius *benevolentia et misericordia* (χάρις καὶ ἔλεος) semper efficax fuerit *in electis suis,* ita ut hic quoque Deus in iustis, ut S. Augustini verbis utamur, sua ipsius dona coronare significetur.

Simili modo antiquiores (*Rab. Bonav. Holc.*) quoque sententiam nostram exponunt; ad contextum enim diligenter attendentes Sapientem *vv.* 7. 8. de dotibus corporis glorificati ac de dignitate beatorum, *v.* 9 autem de dotibus animae glorificatae, de eius immediata visione Dei ac de eius unione cum Deo per caritatem fruitivam agere recte statuerunt; minus felices tamen in singulorum verborum, quum latinum solum textum haberent, explicatione fuerunt. Ex modernis *Gutb.* quoque eandem ac nos interpretationem sequitur, sed ultima verba *quoniam donum et misericordia est electis eius,* quid sibi hic velint, non indicat.

Plerique tamen interpretes sententiam non de futura beatorum, sed de praesenti iustorum vita explicare malunt. Quod moderni rationalistae hanc interpretationem solam agnoscant, id quidem mirum non est; quia illi aeque atque ii quos Sapiens impugnat, aeternam beatitudinem altera in vita non agnoscunt. Neque mirum est, quod catholici illi, qui cum Castro praecedentes sententias (*vv.* 7. 8) de felicitate quadam, qua iusti post tribulationes toleratas interdum hac in terra confortantur, explicandas esse arbitrantur, etiam *v.* 9 eundem in sensum trahant. Satis autem mirum est, quod iuniores ac moderni multi catholici, qui in praecedentibus versibus atque etiam in *v.* 10. de futura vita interpretandis nobiscum consentiunt, hunc *v.* 9 cum Castro de praesenti iustorum vita explicant.

Equidem id explicare non possum nisi admittam eos graecae dictionis οἱ πεποιθότες versione latina *qui confidunt* in errorem esse inductos, siquidem revera beatos in coelo nunc actu confidere minus apte dici videtur; si autem ad graecam lectionem attendentes de iis agi vidissent, *qui confisi sunt*, i. e. hac in terra fiduciam suam in Deo posuerunt (uti *Holc.* quoque iam sua explicatione indicat), procul dubio iuxta contextum sententiam nostram de beatis exposuissent.

Hac autem ratione *Castro* eam exponit : « Qui fiduciam habent in Domino eum tamquam verum Deum habentes et colentes experientur, quam verum sit se Deo curae esse et quamcunque afflictionem non hominem interimere sed in aeternitatem conservare aeterno praemio remunerandum, praeter illud quo afficiuntur iusti in hac vita ». At quomodo nomine *indeterminato* ἀλήθειαν tam determinata veritas designari possit, Castro non explicat; quapropter ob hanc iam causam explicatio eius admitti nequit. Ob eandem quoque causam nobis non probatur exegesis eorum, quibus nomen indeterminatum ἀλήθεια idem valet quod « rerum quae modo dicta sunt veritas » (*Lap. All. Loch* etc.) aut « rerum quae iustis obveniunt veritas » (*Corl.* etc.); nam omnes eiusmodi explicationes determinatum nomen (τὴν ἀλήθειαν) omnino postulant. Atque idem dic de ipsius *Gr.* sententia, qui in reliquis tam accurate ad graecam grammaticam attendit; significari enim vult « iustos intellecturos esse, quid proprie verum sit in relatione Domini ad fideles suos cultores, eos nimirum intellecturos divina consilia, quibus populus electus regitur ac ducitur, seu *mysteria Dei* » (2,22). Atque illud quoque animadvertas velim, omnes illas sic dictas explicationes esse meras coniecturas, quibus sua quisque placita in verbum Dei ingerit. Praeterea contra eos, qui *vv.* 7. 8 de iustorum et *v.* 10 de impiorum futura vita nobiscum interpretantur repetere licet, quod ante iam innuimus, eos saltem probabili quadam ratione declarare debuisse, cur sacer auctor contextu neglecto media in tractatione de vita futura hanc sententiam de praesenti vita inserere voluerit; at in longis suis disputationibus hac de re tacent.

Quae quum ita sint, cum antiquioribus interpretibus tenemus, hoc in loco futurae iustorum beatitudinis quasi essentiam definiri.

Itaque conditio iustorum beatissima est, 10. *Impii autem secundum quae cogitaverunt, correptionem* (ἐπιτιμίαν cfr 2. *Cor.* 2,6 = τὸ ἐπιτίμιον, poena legitima, 2. *Mach.* 6,13) *habebunt, qui neglexerunt iustum* (τοῦ δικαίου) *et a Domino recesserunt.* Impii iidem sunt, qui prava sua consilia supra promserunt (c. 2) : pro istis consiliis ac pravis operibus, quae ex eis oriuntur, non minus in hac quam in altera vita poenas meritas dabunt. Qui sensus lectione καθ' ἃ ἐλογίσαντο (*secundum ea quae moliti erant*) expressus in se verus ac huic loco aptus consentaneusque est. Deus, inquit S. Paulus, reddet unicuique secundum opera eius (κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ *Rom.* 2,6). Ad eundem sensum lectio latina facile

revocatur : *secundum quae cogitaverunt* i. e. pro pravis suis consiliis ac operibus poenas luent[1]. Altera lectio : καθὰ ἐλογίσαντο, *prout cogitaverunt,* per se suggerit sensum : eo quo impii exspectaverant modo puniuntur; sed tantum abest, ut isti impii divinam vindictam timeant, ut eam prorsus negent; quare lectio haec praetermittenda est, nisi eam cum *Gutb.* eodem modo quo priorem exponas, id quod tamen grammatica vix permittit.

Impios porro, de quibus agit, auctor ita describit, ut simul rationes cur poena sint digni demonstret. Praeprimis eos per litoteta *neglexisse* dicit *iustum,* significans eos iustum velut rem vilissimam tractasse probrisque ac malis affecisse; similiter Dominus apud *Ierem.* 4,17 conqueritur quod a Iuda neglectus i. e. tamquam res nullius pretii despectus sit (ὅτι ἐμοῦ ἠμέλησας). Sed quis est iustus, quem hoc modo neglexisse dicuntur? Si ad arctum nexum, quo hanc sectionem cum praecedente connecti antea monuimus, attentionem nostram converterimus, fateri nisi fallor cogimur Iustum κατ' ἐξοχήν intelligendum, quem impii utpote sibi molestum operibusque suis pravis contrarium circumvenire turpique morti tradere decreverunt (2,12 sqq.). Eo ipso autem quod Iustum, i. e. Messiam sibi promissum neglexerunt et reiecerunt, etiam a *Domino recesserunt* (τοῦ Κυρίου ἀποστάντες), Legem nimirum ab eo datam abiicientes, qua tamquam a paedagogo ad Messiam adduci debebant, ut eius fide iustificarentur ac salvarentur (*Gal.* 3,24). Per transennam hic adnotare liceat, quod toties iam repetivimus, impiorum nomine Sapientem in tota hac parte Iudaeos intelligere apostatas; id quippe iterum hic locus clare docet. Minus apte plerique τοῦ δικαίου nomine omnes iustos designari volunt, id quod grammatica quidem permittit, contextus vero prohibere videtur. A vero autem aberrant, qui genetivum τοῦ δικαίου neutri esse generis arbitrantur; « iustum, inquit *Castro,* auctor substantive accipit, quod iustum est seu iustitia; unde explicandi gratia subiicitur *et a Domino recesserunt,* uti fere omnes interpretantur ». Namque ex duorum membrorum parallelismo apparet, quum in secundo *Dominus* nominetur, etiam in priore personam (et quidem unam et cum Domino arctissime connexam) esse intelligendam. Adde τὸ δίκαιον (quod iustum est) non idem valere atque δικαιοσύνη, quod nomen Sapiens proculdubio adhibuisset, si de iustitia vel sapientia neglecta loqui voluisset. Immerito autem recentissimi acatholici (*Bois* p. 385; *Siegfr.*) ut hanc opinionem defendant, ad *v.* 11. provocant; neque enim unquam τὸ δίκαιον idem esse potest ac σοφία καὶ παιδεία.

1. Praepositione κατά et mensura et causa retributionis significatur (cfr Comment. nostrum in Rom. 2,6, p. 116).

2. *Vitam impiorum miseram, iustorum beatam esse exemplis illustratur* (3,11-4,6).

3,11. Sapientiam enim et disciplinam qui abiicit, infelix est, Et vacua est spes illorum, et labores sine fructu, Et inutilia opera eorum. 12. Mulieres eorum insensatae sunt, Et nequissimi filii eorum. 13. Maledicta creatura eorum, Quoniam felix est sterilis et incoinquinata, Quae nescivit thorum in delicto, Habebit fructum in respectione animarum sanctarum : 14. Et spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, Nec cogitavit adversus Deum nequissima : Dabitur enim illi fidei donum electum, Et sors in templo Dei acceptissima. 15. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, Et quae non concidat radix sapientiae. 16. Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt, Et ab iniquo thoro semen exterminabitur. 17. Et si quidem longae vitae erunt, in nihilum computabuntur, Et sine honore erit novissima senectus illorum. 18. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, Nec in die agnitionis allocutionem. 19. Nationis enim iniquae dirae sunt consummationes. 4,1. O quam pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim memoria illius : Quoniam et apud Deum nota est et apud homines. 2. Quum praesens est, imitantur illam, Et desiderant eam, quum se eduxerit, Et in perpetuum coronata triumphat incoinquinatorum certaminum praemium vincens. 3. Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis, Et spuria vitulamina non dabunt radices altas, Nec stabile firmamentum collocabunt. 4. Etsi in ramis in tempore germinaverint, Infirmiter posita, a vento commovebuntur Et a nimietate ventorum eradicabuntur. 5. Confringentur enim rami inconsummati, Et fructus illorum inutiles, et acerbi ad manducandum, Et ad nihilum apti. 6. Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur, Testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua.

3,11. Σοφίαν γὰρ καὶ παιδείαν ὁ ἐξουθενῶν ταλαίπωρος, Καὶ κενὴ ἡ ἐλπὶς αὐτῶν, καὶ οἱ κόποι ἀνόνητοι, Καὶ ἄχρηστα τὰ ἔργα αὐτῶν. 12. Αἱ γυναῖκες αὐτῶν ἄφρονες, Καὶ πονηρὰ τὰ τέκνα αὐτῶν. Ἐπικατάρατος ἡ γένεσις αὐτῶν, 13. Ὅτι μακαρία στεῖρα ἡ ἀμίαντος, Ἥτις οὐκ ἔγνω κοίτην ἐν παραπτώματι, Ἔξει καρπὸν ἐν ἐπισκοπῇ ψυχῶν. 14. Καὶ εὐνοῦχος ὁ μὴ ἐργασάμενος ἐν χειρὶ ἀνόμημα Μηδὲ ἐνθυμηθεὶς κατὰ τοῦ Κυρίου πονηρά, Δοθήσεται γὰρ αὐτῷ τῆς πίστεως χάρις ἐκλεκτή, Καὶ κλῆρος ἐν ναῷ Κυρίου θυμηρέστερος. 15. Ἀγαθῶν γὰρ πόνων ὁ καρπὸς εὐκλεής, Καὶ ἀδιάπτωτος ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως. 16. Τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται, Καὶ ἐκ παρανόμου κοίτης σπέρμα ἀφανισθήσεται. 17. Ἐάν τε γὰρ μακρόβιοι γένωνται, εἰς οὐδὲν λογισθήσονται, Καὶ ἄτιμον ἐπ' ἐσχάτων τὸ γῆρας αὐτῶν. 18. Ἐάν τε ὀξέως τελευτήσωσιν, οὐχ ἕξουσιν ἐλπίδα, Οὐδὲ ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως παραμύθιον. 19. Γενεᾶς γὰρ ἀδίκου χαλεπὰ τὰ τέλη. 4,1. Κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς· Ἀθανασία γάρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς, Ὅτι καὶ παρὰ Θεῷ γινώσκεται καὶ παρὰ ἀνθρώποις. 2. Παροῦσάν τε μιμοῦνται αὐτὴν Καὶ ποθοῦσιν ἀπελθοῦσαν, Καὶ ἐν τῷ αἰῶνι στεφανηφοροῦσα πομπεύει Τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα. 3. Πολύγονον δὲ ἀσεβῶν πλῆθος οὐ χρησιμεύσει, Καὶ ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος, Οὐδὲ ἀσφαλῆ βάσιν ἑδράσει. 4. Κἂν γὰρ ἐν κλάδοις πρὸς καιρὸν ἀναθάλῃ, Ἐπισφαλῶς βεβηκότα ὑπὸ ἀνέμου σαλευθήσεται, Καὶ ὑπὸ βίας ἀνέμων ἐκριζωθήσεται. 5. Περικλασθήσονται κλῶνες ἀτέλεστοι, Καὶ ὁ καρπὸς αὐτῶν ἄχρηστος, ἄωρος εἰς βρῶσιν Καὶ εἰς οὐδὲν ἐπιτήδειος. 6. Ἐκ γὰρ ἀνόμων ὕπνων τέκνα γεννώμενα Μάρτυρές εἰσιν πονηρίας κατὰ γονέων ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν[1].

1. *VV. LL.* vide in proxima pagina.

1. *VV. LL.* — 12. αἱ γυναῖκες (*mulieres*) est communis lectio; solus ℵ coniunctione praemissa καὶ αἱ γυναῖκες (*et* mulieres). — 13. στεῖρα ἡ ἀμίαντος (sterilis incoinquinata) est communis lectio graeca (solus ℵ articulum ἡ ante ἀμίαντος, ut in sequenti versiculo articulum ὁ ante μὴ ἐργασάμενος male omittit); Vulgatus interpres vertit *sterilis et incoinquinata*, ac si legisset : στεῖρα καὶ ἀμίαντος. — ἐν ἐπισκοπῇ ψυχῶν (*in respectione animarum*); adiectivum *sanctarum*, quod *Vulg. Clem.* addit, in antiquioribus latinis codd. deest et in *Vulg. Sixt.* omissum erat; velut glossa explicativa probabiliter margini adscripta in textum irrepsit, rectius igitur deletur, quamvis verum sensum indicet. — 15. ὁ καρπός (fructus) B cum nonnullis; articulum omittunt ℵ A alii; eum rectius poni suadet membrum parallelum ἡ ῥίζα. — 17. 18. ἐάν τε γάρ... ἐάν τε (sive *enim*... sive); particulam γάρ, quam in initio *v.* 17. codices graeci omnes, in principio *v.* 18 multi exhibent, *Vulg.* nostra utroque in loco transiluit; priore in loco omnino reponatur oportet. — 4,1. κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς (melior est orbitas cum virtute); de differentia, quae inter graecum textum et *Vulg.* nostram hoc in membro intercedit, cfr *Comment.* — ἀθανασία γάρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς (immortalitas enim est *in* memoria illius) est communis lectio graeca; ad sensum potius quam ad verba latinus interpres attendit quum verteret : *immortalis est enim memoria illius.* — 2. μιμοῦνται (*imitantur*) B ℵ, multi minusc. *Vulg. Syr.;* sed τιμῶσιν (honorant) A cum aliis minusc. haud paucis. Sensui secunda lectio conformior, prior tamen ob antiquiorum codd. et verss. auctoritatem retinenda videtur. — 4. Pro κἂν (*et si*) reliquorum codd. solus ℵ minus apte καί (et). Similiter idem solus male βεβιωκότα (quae vixerunt) pro βεβηκότα (quae creverunt, seu ut *Vulg.* minus apte vertit *posita*) quod reliqui codd. habent. *Vulg.* autem parum recte in principio *v.* 4 particulam *enim* omisit et in principio *v.* 5 eam posuit contra reliquorum testium fidem.

Neque vero in morte tantum, quae piis transitus ad sempiternam vitam beatam, impiis autem ad aeternas poenas aditus sit, pios impiis feliciores esse Sapiens docet, sed etiam in ipsa hac vita terrestri, in qua impii totam suam felicitatem reponunt. Tribus autem potissimum exemplis hanc suam doctrinam illustrat; immerito quippe impios gloriari monet sive de numero filiorum suorum, quia familiae eorum sint maledictae (3,11-15), sive de sua longaevitate, quia eorum senectus sit ignominiosa et mors sine spe (3,16-19), sive de laboribus suis, quippe qui inutiles sint ac sine fructu (4,1-6).

Notum est, Israelitis magnum liberorum numerum decori fuisse (cfr *Gen.* 30,1 sqq. *Exod.* 23,26; *Lev.* 26,9; *Deut.* 7,14; 28,4. 11; 1 *Reg.* 2, 5; *Ps.* 112,9; 127,3; *Prov.* 17,6), opprobrio vero, si eis carebant (*Gen.* 16,2-4; 30,25; 1. *Reg.* 1,5; *Osee* 9,14; *Luc.* 1,25). Quae eorum sententia profecto vituperatione digna non est; quoniam enim Deus ipse Legem observantibus numerosam prolem promiserat (*Deut.* 28,4.11), mirum non est, quod eadem signum divini beneplaciti et praemium pietatis habebatur. Attamen probabiliter Iudaei apostatae hanc contribulium suorum, quia in Lege Dei et in paternis institutis

permanebant, persuasionem exagitaverunt, ad suam ipsorum vitam, quae eam erroneam demonstraret, provocantes (cfr *Gr.*). Hinc Sapiens hoc maxime exemplum elegit, ut impios, quamvis fortunati viderentur, semper infelices esse ostenderet; impio quippe ipsam numerosam prolem calamitati esse, quia progenitorum impietatem sit imitatura ac misere peritura; contra vero spadonem, qui Deum timeat, et sterilem, quae castitatem servet, felices praedicandos esse; quandoquidem, quamvis velut membra societatis huius civilis et temporalis miseri videantur, Deo per sapientiam inhaerentes membra civitatis illius futuri sint, « cuius artifex et conditor est Deus » (*Hebr.* 11,10) ac proinde nunc iam vere beati habendi sint. Quae ratio altissima non tam humano ratiocinio quam divinae revelationi deberi iure asseritur[1]; auctori autem nostro familiaris est atque iure iis opponitur, qui Sapientem sibi ipsi et quidem hoc ipso in loco contradicere asserunt. Sed ad singula veniamus.

Sententiam praecedentem, qua impios pro pravis suis consiliis operibusque poenas daturos esse asseruit, confirmaturus principium saepius iam commemoratum in memoriam revocat : **11.** *Sapientiam enim et disciplinam qui abiicit* (seu contemnit ἐξουθενῶν), *miser est, Et vacua* (κενή inanis) *est spes illorum, et labores sine fructu* (ἀνόνητοι), *Et inutilia opera eorum.* Haec quasi thesis est, quam in sequentibus accuratius explicabit. *Sapientiam* atque *disciplinam,* quas impii contemnere dicuntur, Salomon quoque saepius coniungit (*Prov.* 1,2.7; 15,33; 23,23); de iis plura hic dicere opus non est, quia iam ostendimus sapientiam illam intelligi virtutem, qua efficitur, ut homo Deo fini suo ultimo inhaereat, *disciplinam* autem, quum homo, utpote nondum in termino, sed in via constitutus exercitio virtutum ad vitam immortalem praeparetur oporteat, eruditionem et castigationem significare, qua Deus hominem, ut pater filium ad perfectionem adducit (cfr ad 1,5 etc.). Qui autem neque Deo inhaeret neque debito modo sese ad aeternam beatitudinem praeparat, is vere miser (ταλαίπωρος) est, siquidem una ex parte « neque verum intelligit neque bonum amat » (cfr *v.* 9), atque altera ex parte tum in malum culpae incidit, quo Dei odium incurrit, tum in malum poenae, quam Deus iustus iudex ei infliget. Quare *spes* impiorum *inanis est* (κενή cfr *Eccli.* 34,1 κεναὶ ἐλπίδες). *Labores* enim eorum *sine fructu* (proprie *inutiles*

1. Notatu dignum est Aristotelem, qui tam subtiliter de virtutibus disseruit, hanc relationem hominis ad Deum prorsus omittere atque eam solummodo, quae ad societatem civilem habetur, considerare; unde factum est, ut de solis virtutibus civilibus disserens de humilitate, quae potissimum subiectionem hominis ad Deum respicit, ne verbum quidem proferret.

ἀνόνητοι) sunt, quia ad nihil conducunt nec ipsis ullam delectationem afferunt. Haud male latinus interpres vertit *sine fructu;* fructus enim ultimum et perfectissimum est, quod arbor profert et maximam delectationem fruenti affert; similiter ultimum in operatione est finis, quo obtento homo fruitur ac beatus est. Quare operatio dicitur propter finem esse; et inutilis quodammodo homo est et inutilis eius operatio, qui fine non potitur, sicut inutilis est arbor et inutile eius incrementum, si fructum non profert. Itaque impiorum conatus sunt irriti *et inutilia opera eorum* « immo saepe noxia et exitialia, quia laborant serviuntque peccato et daemoni ad aeternam suam damnationem » (*Lap.*).

12. *Mulieres eorum insensatae* (ἄφρονες cfr 1,3) *sunt, Et nequissimi filii* (πονηρὰ τὰ τέκνα) *eorum;* 13ª. *Maledicta creatura eorum* i. e. maledicta seu exsecrabilis progenies eorum ἐπικατάρατος ἡ γένεσις αὐτῶν); nomen γένεσις enim hoc in loco progenies recte intelligitur (cfr ad 12,10 *n.*). Mulieres, ut contextus docet, proxime intelligit adulteras maritisque infideles (*v.* 13.14.16; cfr *Prov.* 9,13), atque eas quidem maxime, quae vel ex virorum impiorum imitatione tales sunt — facile enim mens infirma mores eorum imitatur, quorum auctoritati aliquid tribuit — vel quae, quum sint tales, impiis in poenam impietatis obtingunt (cfr *Prov.* 19,14). Quae quam gravis punitio sit, clare ille docet, qui dixit : « Cor humile et facies tristis et plaga cordis mulier nequam » (*Eccli.* 25,31). Consequenter *et nequissimi filii eorum* sunt « quia mali corvi malum solet esse ovum : paterna enim educatio, institutio, exemplum solet infirmam illam aetatem ad omnem impietatem pervertere. Haec rursus gravissima parentum poena est, qua Deus solet eorum impietatem castigare » (cfr *Ians. Ipr.*); sicut mater ita et filia eius (*Ezech.* 16,44). Quo vero sensu ea progenies maledicta appelletur, aptius infra exponemus (ad 4,6).

Ad confirmandum corroborandumque argumentum suum auctor huic impiorum calamitati felicem sortem piorum opponit, qui beati sint dicendi, etiamsi forte liberis careant : 13ᵇ : *Quoniam* (ὅτι) *felix est sterilis et incoinquinata* (στεῖρα ἡ ἀμίαντος), *Quae nescivit thorum in delicto. Habebit fructum in respectione* (ἐν ἐπισκοπῇ) *animarum sanctarum.* Sunt qui particulae (ὅτι) causalem significationem hoc in loco abiudicent; sed nihil obstat, quominus causaliter sumatur, dummodo attendas a contrariis quoque rite desumi argumentum; commode enim ita sententiam explicabis : Vere miserae sunt impiae mulieres, quoniam eis comparata ipsa sterilis, quae alioquin ignominiosa esse censetur, beata est. *Sterilem* (στεῖραν) non virginem in coelibatu degentem, uti nonnulli volunt (cfr *infra*), sed mulierem

matrimonio iunctam, quae (vitio naturae quodam) liberis careat intelligi, non minus ex vocabulo ipso quam ex Sapientis proposito elucet. Neque enim usus fert, ut virgo, quae matrimonio exsors nullum cum viris commercium habuit, sterilis vocetur, quia liberos non habeat, sed a profanis et sacris scriptoribus hoc nomine eae solae mulieres sive nuptae sive innuptae appellari solent, quae ex commercio cum viris non concipiunt liberos, parere igitur nequeunt [1]. Itaque eiusmodi mulierem, dummodo *impolluta* vel immaculata (ἀμίαντος) i. e. peccato immunis sit, Sapiens beatam praedicat non obstante naturali sterilitatis vitio, quod in civili quidem, ut ita dicam, vita a Iudaeis velut macula quaedam considerabatur, sed maculam proprie dictam, ut per se patet, in vita morali et religiosa non constituebat.

Impolluta quae sit, verbis explicationis gratia additis accuratius definitur : *quae* (melius *utpote quae;* nam ἥτις causalem sensum habet) *nescivit thorum in delicto* (οὐκ ἔγνω κοίτην ἐν παραπτώματι, cfr *Num.* 31,17 πᾶσαν γυναῖκα ἥτις ἔγνω κοίτην ἄρσενος *Vulg.* omnis mulier quae cognovit virum in coitu). Parum recte, immo plane erronee aliqui omnem legitimi matrimonii usum hoc in loco παράπτωμα (*delictum*) vocari arbitrati sunt, quasi sine peccato fieri non posset; id enim si significare voluisset, Sapiens ad omnem ambiguitatem excludendam procul dubio dixisset : ἥτις οὐκ ἔγνω τὸ τῆς κοίτης παράπτωμα (quae *thori delictum* nescivit). *Thorus in delicto* autem hic idem valet, quod *thorus iniquus* (*v.* 16) vel *somni iniqui* (4,6), quibus dictionibus omnibus non tantum concubitus illegitimi et adulteria, sed aliae quoque coniunctiones Lege prohibitae (uti inter propinquos et cognatos etc.) recte possunt comprehendi; immo vero ea quoque matrimonia simul significari recte dicuntur, quae eo tempore Iudaei cum ethnicis alienigenisque frequenter contrahebant (cfr 1 *Esdr.* 13,12 sqq.; *Mal.* 2,11 etc.). Procul dubio matrimonia cum ethnicis, si chananaeos populos exceperis (*Exod.* 34,16; *Deut.* 7,2 sqq.), per se Lege non erant vetita; quia tamen pro istorum Iudaeorum indole cum contemptu religionis contracta erant, illicita iure merito habebantur; neque ulla est ratio, cur sensum dictionis cum *Siegfr.* aliisque ad sola coniugia per Legem mosaicam prohibita restringamus. Sterilis igitur, licet prole careat ideoque ignominia affecta esse videatur, fructum tamen uberrimum seu praemium habebit, si thorum impollutum ser-

1. Cfr *Tert.* : « Sterilem mulierem appellabant, quam Graeci στεῖραν dicunt, quae non capit semen genitale »; *Colum.* II. 1. « Hominis tum demum declaratur sterile senium, quum nullum conceptum edere valet ». — Ad Scripturae usum quod attinet cfr *Gen.* 11,30; 25,21; 29,31; *Exod.* 23,26 etc.

vaverit; Deus enim non foecunditatem ventris, sed opera virtutis magni aestimat remunerabitque.

De aliorum interpretationibus pauca addidisse iuverit, quia olim satis multum est disputatum, num de virgine an de muliere nupta agatur et num virginitas an castitas in matrimonio commendetur. Sententiam simili modo quo nos, ex catholicis iunioribus exponunt *Mald. Mariana, Castro, Menoch. Calm.* etc., ex recentioribus *Schmid, Gutb. Les. LR.* etc. Olim *S. Bonav.* laudari dixit « castam corpore et incoinquinatam mente », quae verba utrum de innupta an de nupta intellexerit, non apparet; *Dion. Carth.* utramque interpretationem affert, nec indicat utram praeferat. *Holc.* diserte virginem intelligendam esse docet. Cum quo haud pauci ex iunioribus theologis et interpretibus consentiunt, *Vasquez* (III. 2, disp. 124, n. 17), *Lap. Ians. Ipr. Est.* (qui scribit : « vix ullus locus est aeque manifestus in V. T. ad commendationem perpetuae castitatis,... velut praeco N T[i] steriles et spadones praefert fecunditati »). Ex iis quae supra exposuimus satis clarum est, hanc interpretationem et cum vocabulorum significatione et cum contextu et cum auctoris fine pugnare; nullo igitur modo defendi potest, hanc Novi Testamenti doctrinam iam a Sapiente clare expressam esse, licet haud infitiemur eam per sensum consequentem ex nostro loco derivari posse.

Haec porro mulieris sterilis sed castae, quae nunc non tantum ab impiis, sed forte etiam a multis piis despicitur, felicitas sese manifestabit *in respectione* (ἐν ἐπισκοπῇ) *animarum sanctarum* (de adi. *sanctarum* cfr *VV. LL.*) i. e. illo tempore, quo Deus iudex visitaturus est homines, ut iustorum bona opera aeternis praemiis remuneretur (cfr ad 3,7 et 2,20); pro uteri enim fructu, quo nunc sine culpa caret, fructum longe excellentiorem accipiet. Eodem modo felix dicendus est 14. *Et spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem* (ὁ μὴ ἐργασάμενος ἐν χειρὶ ἀνόμημα), *Nec cogitavit adversus Deum nequissima* (μηδὲ ἐνθυμηθεὶς κατὰ τοῦ Κυρίου πονηρά) : *Dabitur enim illi fidei donum electum, Et sors in templo Dei* (Κυρίου) *acceptissima* (θυμηρέστερος gratior). Eunuchi ab auctoribus profanis viri ab homine castrati vocantur; Dominus autem noster tres eunuchorum classes distinguit : « qui de matris utero sic nati sunt, qui facti sunt ab hominibus, qui se ipsos castraverunt propter regnum coelorum » (*Matth.* 19,12). Iamvero dubium non est, quin prima classis hic intelligenda sit atque mariti designentur, qui (uti *Schleusn.* habet) licet facultate exercendi concubitus praediti sint, liberos tamen ob defectum quendam naturalem generare nequeunt. Quod enim de muliere sterili sed casta asseruit, Sapiens de viro, qui simili vitio laborat, similiter valere affirmat, ut eodem loco ac numero habeantur. Magno igitur bono, prole nimirum quae ad matrimonii felicitatem plurimum confert, eiusmodi eunuchus carere cogitur, neque tamen ideo, dummodo Legem divinam servet, miser est, sed potius beatus praedicandus. Lex porro, uti Sapiens

addit, quum externis operibus tum internis animi affectibus observetur oportet. Eum enim solum, qui neque externis actionibus (ἐν χειρί *per manus suas*) *iniquitatem* (ἀνόμημα id quod Legi non consonat) *operatus est*, neque mente *contra Deum nequissima* (πονηρά mala) *cogitavit* (vel potius *meditatus* seu *molitus est* ἐνθυμηθείς), promittit *fidei* vel potius fidelitatis (τῆς πίστεως), quam tot in tentationibus exhibuit, donum i. e. praemium praeclarissimum accepturum esse. Sunt qui totam hanc sententiam proxime de castitate servanda exponant; « denotantur, inquit *Lorin.*, intemperantiae peccata in mente; quae autem sic admittuntur peccata, quia solo Deo conscio fiunt, adversus Deum recte dicuntur, licet ferantur directe in aliud obiectum ». Quare autem tam arcto sensu verba huius loci sint accipienda, non apparet; proculdubio Sapiens etiam de impudicis operibus et cogitationibus vitandis loquitur, sed nequaquam de iis solis, uti sequentia quoque (*v.* 15 et 4,1) docent. Quid proprie dictione τῆς πίστεως χάρις ἐκλεκτή (fidei donum electum) significetur, etiam in controversia est. Clarum videtur, neque virtutem fidei, quae praesenti in vita hominem dirigit (*S. Bonav.*), intelligi posse, neque fidelitatem, qua hac in vita tentationibus resistimus (*Castro* etc.), nam de futuro praemio agitur, neque aureolam virginum, i. e. speciale praemium quod iis tribuetur, qui ob Dei amorem virginitatem servarunt (*Holc. Lorin.*), nam de his in toto hoc loco non est sermo. Rectius veriusque nomen χάρις hic, uti saepe, idem valere dicemus quod μισθός (praemium seu merces[1]), nomine πίστις autem non tam fidem significari, quam fidelitatem, qua eunuchi pii Legem divinam observarunt, ita ut tota dictione praemium illud designetur, quod ob suam fidelitatem in Legis observatione promeriti sunt; quod praemium non minus recte gratiam (χάρις) quam mercedem (μισθός) appellari patet. Quanam autem in re illud consistat, alterum membrum docet : *Et sors in temploDei acceptissima. Templum Dei* hoc in loco non esse ierosolymitanum sed coeleste, quod ierosolymitano praefigurabatur, vix non omnes atque ipsi quoque rationalistae consentiunt; *sors* (κλῆρος) autem proxime id valet quod possessio sorte definita, sed plerumque de haereditate singulis Israelitarum familiis divinitus tradita usurpatur (cfr ad 2,9) atque hic designat locum, quem Deus eunucho pio in coelo assignaturus est. Aperte Sapiens ad vaticinium messianicum alludit, quod *Is.* 56,3-5 legitur. Lege mosaica scilicet prohibitum fuit, ne eunuchi in coetum israeliticum admitterentur (*Deut.* 23,1); hanc autem prohibitionem

1. Cfr. ex. gr. *Matth.* 5,46 « Si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam *mercedem* (μισθόν) habebitur? » et *Luc.* 6,32 « Si diligitis eos, qui vos diligunt, quae vobis est *gratia* (χάρις)? »

in tempore messianico cessaturam esse Isaias vaticinatur eunuchisque, qui divinam voluntatem secuti fuerint foedusque Dei servaverint, locum in domo Dei et nomen promittit, quod filiis filiabusque (quibus eunuchi carent) melius sit neque unquam sit periturum. Praeclarus igitur locus eunuchis piis est promissus et iuremerito Sapiens eum *acceptissimum* (θυμηρέστερον i. e. reliquis omnibus iucundiorem vel gratiorem) vocat, sicut praemium fidelitatis eorum ἐκλεκτόν (exquisitum vel electum) vocarat.

Inter antiquiores et iuniores nonnulli hoc in loco de viris, qui « non de natura steriles neque sic facti manu hominum sint, sed qui voluntatis electione seipsos castraverint (i. e. coelibatum elegerint) propter regnum Dei » (*Est.* cfr *Lap. Tir.*) sermonem esse arbitrantur; sed hanc quaestionem denuo tractare opus non est quum ea quae ad praecedentem sententiam diximus, plane sufficiant.

Assertum suum de eximiis sterilium sed piorum virorum ac mulierum praemiis Sapiens generali principio ita confirmat, ut se locum Isaiae mox allegatum ante oculos habere dictionibus suis prodat : 15. *Bonorum enim laborum* (πόνων) *gloriosus est fructus, Et quae non concidat radix sapientiae* (clarius verte : *ac firma stabilisque est radix sapientiae* καὶ ἀδιάπτωτος ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως i. q. τῆς σοφίας). Apud Isaiam eunuchus quia posteros non habeat, qui nomen suum conservent, conqueritur : *Ecce ego lignum aridum,* utpote quod fructibus (scilicet prole) careat ac radice arescente ipsum quoque arescat et plane pereat necesse sit. Cui duplici querelae Sapiens respondet, pios iustosque neque fructibus suis carere neque perituros sed victuros esse in aeternum. Omnes iusti, quum ab impiis contemni et tribulationibus vexari soleant, in Legis observatione perseverare nequeunt nisi magno cum labore; quo maior autem est *labor* (πόνος) ad Legem observandam requisitus, eo maius quoque erit praemium, quo Deus Legis observationem remuneratur, seu *fructus bonis laboribus productus;* labori enim praemium respondebit atque ideo a Sapiente fructus ille appellatur *gloriosus* (εὐκλεής famosus i. e. praeclarus). Eunuchi igitur et steriles, qui ventris fructu (liberis) carent, fructu eximio bonorum laborum, quibus Legem implebant, non carebunt. Radix autem, ex qua labores ipsi ac proinde laborum fructus progignuntur, ipsa est sapientia; quae quum morte non pereat, sed aeterna sit, recte radix firma ac stabilis neque unquam defectura dicitur. Unde sententiolae sensus est, effectus ac sequelas sapientiae, i. e. praemia bonorum operum ex sapientia progenitorum, esse sempiterna. Sapientem ergo de beatitudine loqui patet, quae ut praemium eximium eunuchis et sterilibus, si pietatem coluerint Legemque

observarint, in altera vita est reposita. Attendas autem velim, in dictione ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως genetivum esse appositivum, ita ut *radix sapientiae* idem valeat quod « radix i. e. sapientia ». (De genet. apposit. seu epexeg. cfr *Win.* Gr. p. 494 sq.; *Beel.* Gr. p. 388; *Bl.* Gr. p. 97; *Kühner* Griech. Gramm. II. 2, p. 226 d).

Iam piorum eunuchorum felicitati infelicitatem impiorum auctor ita opponit, ut simul eluceat, non esse cur impii sua *longaevitate* glorientur : 16. *Filii autem adulterorum in inconsummatione erunt, Et ab iniquo thoro semen exterminabitur* (ἀφανισθήσεται). Ad latinam prioris membri versionem annotasse iuverit, *Vulg*^{ae} *Clem.* lectionem (*in inconsummatione*) non minus quam eam quam *Sixt.* exhibet (*in consumtione*) eamque quae in multis codd. invenitur (*in consummatione*) erroribus librariorum deberi (cfr *Reusch*); ex *S. Optati Milev.* (c. Donat. IV. 8, *M.* 11,1040) enim verbis « *filios adulterorum inconsummatos fore* et spuria vitulamina altas radices dare non posse (cfr 4,3) », concludere licet, latinum interpretem textum graecum (τέκνα δὲ μοιχῶν ἀτέλεστα ἔσται) recte vertisse : « filii autem adulterorum *inconsummati erunt* ». Fructus duarum partium inter se comparans Sapiens perfectis virtutis fructibus, quibus pii eunuchi (altera in vita) delectabuntur, inconsummatos carnis fructus, i. e. impiam prolem, opponit, qua parentes adulteri (hac in terra) iam cruciantur. Adulterorum filios autem non eo sensu ἀτελέστους (*inconsummatos*) vocari, quod mysteriis non sint initiati (quo sensu vox a classicis scriptoribus usurpatur), aut quod pro profanis sint habendi et a templi ingressu arcendi (uti *Lap. Lorin.* aliique coniecerunt), aut quod morte immatura sint decessuri ex vita (uti *Schleusn.* opinatur), longe plerique interpretes consentiunt. Inconsummati eatenus potius fore dicuntur, quatenus neque in hac neque in altera vita finem suum ac beatitudinem adepturi, sed semper miseri mansuri sint; graeca scilicet dictio ἀτέλεστα ἔσται idem valet, quod οὐ τελειωθήσεται (cfr *infra* ad 4,5. 13). Alterum porro membrum priori est synonymum; namque *semen a thoro iniquo* (παρανόμου i. q. illegitimo, qui legi repugnat) re id sonat quod *filii adulterorum,* atque verbum ἀφανισθήσεται (proprie « e conspectu removebitur ») non minus quam dictio *inconsummati erunt* tum de contemptu, quo impii digni sunt, tum de interitu, quo pereunt, apte explicatur. Quem duplicem sensum duae sententiae sequentes exponunt atque simul confirmant (attende ad explicativam et causalem particulae γάρ vim et significationem); duas quippe conditiones Sapiens velut possibiles supponit : fieri scilicet potest, ut adulterorum filii aut ad senectutem perveniant aut immatura morte abripiantur;

atqui utraque in conditione eos finem suae vitae non esse assecuturos ostendit.

17. *Et si quidem* (lege : *Sive enim* ἐάν τε γάρ cfr *VV. LL.*) *longae vitae* (μακρόβιοι) *erunt, in nihilum computabuntur* « apud Deum et homines contempti, quia nihil honore dignum praestiterunt », *Et sine honore erit novissima* (lege *novissime* seu *postremo,* ἐπ' ἐσχάτων cfr *Eccli.* 1,13; 6,27 [28]; *Hebr.* 1,2 etc.) *senectus eorum* « propter nequitiam et insipientiam, quod profecto grave supplicium est senectutis, utpote cui ab omnibus apud omnes nationes magnus honor deferri soleat » (*Ians. Ipr.*); 18. *Et si* (melius vertendum : *sive* ἐάν τε) *celerius defuncti fuerint* (ὀξέως τελευτήσωσιν), *non habebunt spem, Nec in die agnitionis* (ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως i. q. ἐν ἐπισκοπῇ ψυχῶν *v.* 13) *allocutionem* (rectium *consolationem* παραμύθιον). Ex tota sententiae constructione apparet, spem quae filiis adulterorum abiudicatur, non ad vitam praesentem, sed ad futuram referri : post ipsum decessum ex hac vita eis spes nulla erit neque ullum, quando Deo iudici sistentur, solatium. Διάγνωσις (agnitio) hoc in loco i. q. iudicium significat. Sapiens igitur si iis qui praemature moriuntur, spem vitae immortalis adimit, nequaquam eos ob parentum culpam ultimo fine privatum poenisque aeternis addictum iri affirmat; sed eos ad rationis usum pervenisse, ita ut peccare potuerint, atque re etiam Legem transgressos esse supponit; id quod eo maiore cum iure supponere potest, quo frequentius experientia docet, filios pravorum parentum malas vias eorum ingredi.

Iuxta *Siegfr.*, qui sententiam nonnullorum antiquorum recoquit, nomen μοιχῶν (*v.* 16) sensu improprio Iudaeos apostatas designat; quare *somnos iniquos* (4,6), uti *v.* 13 *thorum in delicto,* non de adulteriis, sed de matrimoniis, quae isti Iudaei cum ethnicis inierunt, intelligit. Verum adulteri sterili quae nescivit thorum in delicto (*v.* 13) opponuntur, atque *iniquus thorus* (παράνομος κοίτη *v.* 16) apte explicari nequit nisi de concubitu illegitimo ac adulterino.

Concludit Sapiens hanc particulam sententia universali, qua et priora complectitur et sequentia praeparat : 19. *Nationis* (γενεᾶς *generationis,* quae et progenitores et progenitos comprehendit) *enim iniquae dirae sunt consummationes* (χαλεπὰ τὰ τέλη *diri sunt exitus*); siquidem « via peccantium complanata lapidibus, et in fine illorum inferi et tenebrae et poenae » (*Eccli.* 21,11).

Quam adulterae generationis miseriam Sapiens haud parum auget descriptione addita felicitatis generationis piae, quae ob suam sterilitatem et orbitatem nunc quidem ab impiis irridetur et contemnitur,

aliquando autem in perpetuum triumphabit (4,1.2); sed haec descriptio ipsa ei pro transitu inservit ad tertium argumentum, quo vitam piorum sterilium longe feliciorem esse ostendit vita adulterorum, quippe quorum numerosa progenies nihil prosit, quum cito interitura non sit nisi testimonium pravitatis parentum suorum (4,3-6).

Iuxta *Vulg. Clem.* pericope ab exclamatione exorditur : 4,1. *O quam pulchra est casta generatio cum claritate;* verum hanc lectionem, quamvis in codicibus latinis omnibus reperiatur, interpreti ipsi non deberi, sed iunioris esse originis, Patrum allegationibus evincitur. Etenim sensu cum graeco textu : κρείσσων ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς (*Melior orbitas cum virtute*) congruens *S. Ambros.* (De virginib. I. 7,35 *M.* 16,209.) habet : *melior est sterilitas cum virtute,* et *S. Hieron.* (cfr *Reusch* p. 8) : *Melius est filios non habere cum virtute;* sed *Ps. Cypr.* (De singular. cleric. *M.* 4,866) versione dictionis μετὰ ἀρετῆς mutata ad hodiernam Vulgatam iam accedit : « melius est esse sine filiis *cum claritate* » atque propius *Brev. Mozarab.* (Domin. 2. Quadrag. ad Tert. *M.* 86,369) : « melior est enim *generatio cum claritate* ». Graecus igitur textus, quem antiquiores Patres latini non minus quam reliquae versiones antiquae tuentur, omnino retinendus est, quia etiam, uti statim dicemus, cum contextu magis consentit. Quomodo vero hodierna lectio latina exorta sit atque in Vulgatae textum irrepserit, cum certitudine definiri nequit; forsitan sciolus quidam librarius, qui substantivum ἀρετή apud Alexandrinos aliquoties id valere animadverterat quod gloria et splendor (cfr *Hab.* 3,3 et *Zach.* 6,13 ἀρετή pro hebr. הוֹד *gloria* Dei vel Messiae; plur. ἀρεταί pro hebr. תְּהִלּוֹת *laudes* cfr *Is.* 42,12; 43,21; 63,7), eandem interpretationem nomini in nostro loco attribuendam arbitratus est, atque deinde, ut eam sententiae adaptaret, ad praecedentia respiciens, quibus piorum castorumque sterilitas celebratur (3,13.14) nomen ἀτεκνία utique liberrime et parum apte latino *casta generatio* expressit. Ad quam novam interpretationem eo facilius pervenire potuit, quia graecus textus est ellipticus altero praetermisso comparationis membro; at Siracida illud recte supplevit sententiolamque nostram hunc in modum quodammodo explicat : κρείσσων γὰρ εἷς ἢ χίλιοι καὶ ἀποθανεῖν ἄτεκνον ἢ ἔχειν τέκνα ἀσεβῆ, vel clarius iuxta Vulg. : « melior enim est unus *timens Deum* quam mille *filii impii* et utilius est mori *sine liberis* quam relinquere *filios impios* » (*Eccli.* 16,3.4). Haec revera explicatio verbis apprime congruit et contextu postulatur; nam hoc in loco nomen ἀτεκνία, si ad 3,13.14. attendimus, alio modo explicare non licet nisi de orbitate eorum coniugum, qui aliquo naturae vitio filios generare prohibebantur ideoque magno habebantur despectui.

Quo sensu intellecta sententia erroneam Iudaeorum opinionem de matrimoniis sterilibus corrigit magnamque laudem castis coniugibus tribuit, atque simul aptissime sententiae praecedenti (3,19) adiungitur et opponitur, quippe quae iniustae adulteraeque generationis de numerosa sua posteritate gloriantis miseriam paucis comprehendit. Iuxta *Gr.* latinus interpres graecum textum arbitrarie mutavit ut oppositione inter adulteros, de quibus agebatur (3,16 sqq.), et castos stabilita contextum restitueret; at id non minus temere quam inepte dicitur, siquidem graeca lectio aptiorem praebet nexum quam abrupta exclamatio latina, quae quid sibi in hoc contextu velit, non satis apparet, nisi dixeris librarium, qui illam invexit, ex miseria adulterorum (3,19) ad splendidam castorum sortem quasi e contrario concludere voluisse.

Ad latinae lectionis hodiernae sensum autem quod attinet, clarum est virtutem castitatis ita commendari, ut reliquae simul adesse supponantur; iusti scilicet hominis laudes praedicantur, qui in multis castitatis amittendae periculis degens eam omnibus tentationibus superatis illibatam servat victoriisque suis clariorem ac splendidiorem reddit. Attendatur quoque oportet, latinis verbis proxime ac directe castitatem in genere praedicari, quae pro diversitate conditionum, in quibus homines degunt, aliis alia officia imponit aliasque difficultates creat : coniugatis, ne legitimum suum thorum alieno quaesito polluant; non coniugatis, ut omni re venerea sollicite evitata corpus animumque purum sanctumque conservent. Statum vero virginitatis, i. e. eorum conditionem, qui ex amore virtutis matrimonio renuntiant, verbis illis, dummodo in suo contextu considerantur, non comprehendi, nedum commendari, evidens est. Quare etiam *Holcoth*, qui solum textum hodiernum latinum cognovit et secutus est, eum de solis coniugatis exponit omni virginum mentione plane praetermissa : « O quam pulchra, inquit, est casta generatio, id est honestas castitatis coniugalis per mutuam amicitiam et adiutorium viri et mulieris invicem coniunctorum ». Virginitatem libere electam, quae voto accedente singularem rationem firmitatis ac status, qui proprie dicitur, accipit, primus Christus D. diserte commendavit [1].

1. Quare secundum S. *Thomam* beatissima Virgo tempore etiam prima fuit, quae votum castitatis emisit, idque antequam desponsabatur b. Ioseph; « non tamen simpliciter sed sub conditione honestissima, hac scilicet : nisi Deus aliter ordinaret; nec istam conditionem apposuit, quasi dubia, an vellet virgo permanere, sed an deberet » (4 Sent. dist. 30, q. 2, a. 1, sol. 1). Votum igitur beatae Virginis, quae fuit quodammodo confinium veteris et novae Legis, sicut aurora diei et noctis, sapuit Novam Legem, inquantum virginitatem vovit, et veterem, inquantum conditionem apposuit (l. c. ad 1). Quodsi nonnulli in V. T. ex libera

Discrimen igitur inter lectionem graecam ac hodiernam versionem latinam, si utraque recte exponitur, in eo potissimum versatur, quod prior contextui diligenter inhaerens certam hominum classem (pios nimirum coniugatos in sterili matrimonio caste degentes) cum impia generatione adultera, cuius miseriam praecedentibus in sententiis descripsit, comparat atque felicitate eam longe superare docet; altera vero magnam adulterorum miseriam contemplans ex ea quasi conclusionem derivans in castitatis omniumque, qui eam colunt, laudes prorumpit.

Ex iis quae diximus satis apparet nobis multorum eorum iuniorum interpretationem non probari, qui sententiolam nostram de virginum conditione agere censent. Parum apte enim ἀτεκνίαν explicant orbitatem « quae non est sterilitatis impotentia, sed ex moderatione cupiditatum temperantique consilio exoriatur, quo quis ab omni prorsus complexu carnali se abstinere statuit » (cfr *Lorin.* etc.); quominus enim extraordinaria haec significatio nomini attribuatur, prohibet contextus, quamvis non negemus latissimo suo sensu nomen ἀτεκνίας eam quoque comprehendere, sicut etiam latinus textus omnium castorum laudes praedicans virgines complectatur. Hinc recte *Corl.* monet a Sapiente, quum adeo piorum ἀτεκνίαν extollat, viam iniri ab antiquioribus Veteris Test. scriptoribus fere inexploratam et simili modo quo *Is.* 56,3 doctrinae Novi Test. quodammodo proludere.

Iuxta *Zenner* coniugum non tam castitas quam virtus universim commendatur, ita ut sensus sit : « melius esse, liberis carere, sed florere virtute, quam destitui virtute sed liberis auctum esse ». Quae explicatio contextum negligit; sine ullo enim dubio auctor nomen ἀτεκνία non temere et quasi fortuito adhibuit, verum in eo utendo ad ea quae de sterili et eunucho dixerat respexit; porro ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς (orbitas cum virtute) unam notionem constituit, qua ultro et sua sponte castitas effertur, sed reliquae simul virtutes quum sterilis incoinquinatae, quae thorum delicto non polluit, tum eunuchi, qui neque operibus neque cogitationibus in Deum offendit (3,13.14), significantur.

Cur autem piorum castorumque sterilitas foecunditati impiorum et adulterorum longe sit praeferenda, duo reliqua sententiae membra docent : *Immortalis est enim memoria illius* (vel iuxta graec. : ἀθανασία γάρ ἐστιν ἐν μνήμῃ αὐτῆς, *immortalitas enim est in memoria illius*); *Quoniam et apud Deum nota est* (γινώσκεται) *et apud homines*. Aliquid miri prioris membri constructio habet; neque enim facile quis dixerit, immortalitatem esse in memoria alicuius rei, ut memoriam eius perpetuo duraturam esse significet. Quare *Bois* (p. 386) legendum esse coniicit : ἀθανασία γάρ ἐστιν καὶ μνήμη ἐν αὐτῇ, *immortalitas* (beata) *et memoria* (perpetua) *est in illa* sc. in orbitate, quae cum virtute coniungitur, quatenus nimirum haec piorum sterilitas digna est, quam Deus beata immortalitate remuneret et homines perpetuo in memoria retineant imitarique studeant. Quam coniecturam, utpote contextui apprime consonam[1] libenter amplecteremur, si externo ali-

electione coelibes manserunt, id ex divino instinctu provenisse censet idem S. Doctor (4 Sent. dist. 49, q. 5, a. 3, sol. 1, ad 3).

1. On remarquera, inquit *Bois*, combien le membre de phrase, ainsi rétabli, cadre avec le contexte. A παρὰ Θεῷ du verset 1[b] correspond ἀθανασία, à παρὰ ἀνθρώτοις correspond

quo testimonio confirmaretur aut si esset necessaria; at aptam graeci textus interpretationem latina nostra versio praebet, ita ut ad coniecturas confugere superfluum sit. Quo scilicet cum iure memoria castae sterilitatis perpetuo duratura dicitur, alterum membrum definit, eam Deo non minus quam hominibus *notam esse,* i. e. a Deo et ab hominibus eam « *agnosci et approbari* » (cfr nostrum Comment. in 1 Cor. p. 224) declarans; sequens autem sententia accuratius exponit per chiasmi figuram ostendens, qua ratione primum quidem homines ac deinde qua ratione Deus approbationem suam manifestent.

Ad homines quippe quod attinet, 2. *Cum praesens est, imitantur* (μιμοῦνται vel *honorant* τιμῶσι) *illam, Et desiderant eam, cum se educerit* (ἀπελθοῦσαν cum abierit, non amplius adsit); a Deo autem *Et in perpetuum coronata triumphat Incoinquinatorum certaminum praemium vincens* vel iuxta graecum : καὶ ἐν τῷ αἰῶνι στεφανηφοροῦσα πομπεύει τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα : *et in aeternitate* (s. in alia vita) *coronata triumphat, cum immaculatorum praemiorum* (vel *proeliorum* ἄθλων) *certamen vicerit.* Quoniam sententiae subiectum est ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς (orbitas quae cum virtute est coniuncta), verbum *imitantur* altero (*honorant*) minus aptum videtur, nisi Sapientem in dictione composita (ἀτεκνία μετὰ ἀρετῆς) ad appositionem potissimum attendisse dicamus, ut sensus sit virtutem castitatemque, quae in sterilibus eunuchisque piis conspicitur, animos hominum ad suam imitationem provocare et, quumprimum disparuerit, sui desiderium relinquere; etenim « virtutem... sublatam ex oculis quaerimus invidi » (*Horat.* Od. III. 24, *v.* 31 sq.). Itaque iam in hac vita commoda magna, ac praesertim omnium piorum aestimatio et admiratio, virtutem comitantur; longe maiora autem ei in altera (ἐν τῷ αἰῶνι *in aeternitate*) reposita sunt praemia, cum steriles pii coronis redimiti tamquam victores triumphantes incedent. Frequenter (maxime a S. Paulo) vita nostra, in qua nobis, ut finem nostrum i. e. beatitudinem aeternam assequamur, continuo contra salutis nostrae hostes contendendum est, certamini seu agoni (cfr 1 *Cor.* 9,24; *Phil.* 2,16; 3,12 sqq.; 1 *Tim.* 6,12; 2 *Tim.* 2,5 etc.) et aeterna salus nostra ipsa coronae comparatur, quae velut bravium seu certaminis praemium victori decernebatur (cfr 1 *Cor.* 9,25; *Phil.* 4,1; 2 *Tim.* 4,8; *Iac.* 1,12; 1 *Petr.* 5,4 etc.). Eadem metaphora Sapiens hoc in loco iam usus est ad aeternam felicitatem piorum sterilium significandam ac simul ad indicandam gravitatem laborum ac difficultatum, quibus

μνήμη. Le *v.* 2 reprend cette double idée : παροῦσαν... ἀπελθοῦσαν correspond à ἐν ἀνθρώποις et καὶ ἐν τῷ αἰῶνι νικήσασα à παρὰ Θεῷ.

steriles a contribulibus suis despecti ad praemium propositum anhelare debent.

Graecus textus duplicem admittit explicationem, prout nimirum genetivus ἄθλων aut a masculino nomine ἆθλος (i. q. proelium, certamen) aut a neutro ἆθλον (i. q. certaminis praemium) derivatur. *Vulg.* noster in sua versione (*incoinquinatorum certaminum praemium vincens*) priorem derivationem praetulit; minus clare autem et parum recte totam phrasin reddidit, quia dictionem ἀγῶνα νικᾶν (certamen vincere) quae proprie valet *in agone* (seu certamine) *vincere* metonymice interpretatus est, quasi ἀγών praemium agonizantibus ac certantibus propositum significare posset[1]. Rectius igitur, si genet. ἄθλων a masculino ἆθλος derivare voluerimus, vertemus : *postquam incoinquinatorum proeliorum certamen vicit;* quae metaphora, etsi aliquid miri habere videatur, aptissime tamen ad nostrum locum quadrat. Sicut enim certamen proprie dictum in palaestra non uno proelio absolvitur, sed multis variisque adversariorum insultibus et incursibus constat, qui omnes et singuli repellendi ac vincendi sunt, ut quis coronam victoriae obtineat, ita piorum quoque vita velut unum diuturnum certamen constituit, quod tot variis proeliis componitur, quot quotidie tentationes vincendae, difficultates superandae, tribulationes fortiter sustinendae sunt. Porro ut quis in palaestrae certamine tamquam victor coronari possit, requiritur ut iuxta regulas pugnantibus praescriptas legitime certans neque fraude vel dolo neque illicitis armis unum ex proeliis deturpet; similiter piorum proelia contra tentationes etc. hic incoinquinata seu immaculata (ἆθλοι ἀμίαντοι) appellari videntur, quatenus iuxta divinam legem sunt voluntate pura sanctaque suscepta neque ullo pravo perversoque studio contaminata. Alii tamen illa incoinquinata vocari volunt, quatenus velut spiritualia proeliis pulvere et sanguine inquinatis opponuntur, quae in stadiis ac palaestris aguntur, aut etiam quatenus a castis contra tentationes libidinis multorum corpora et animos polluentis ita suscipiuntur et vincuntur, ut ipsi prorsus puri et immaculati maneant. Genetivum ἄθλων a mascul. ἆθλος derivant unamque ex explicationibus recensitis multi sequuntur (cfr *Malv. Lap.*[1] *Schmid, Gutb. Loch* etc. — *Schleusn. Gr. Siegfr.*); alii tamen, quum iuniores (cfr *Mald. Castro Lap.*[2] *Marian. Smits* etc.) tum recentiores (cfr *Corl.* etc. — *Schleusn.*[2] etc.) genetivum a neutro ἆθλον (praemium certaminis) malunt derivare et vertere : « postquam *incoinquinatorum praemiorum certamen* vicit ». Quare praemia illa vocentur *incoinquinata*, inter se non consentiunt; nonnulli quippe illa ἀμίαντα dicunt, quia non marcescunt i. e. nullo timore aut moerore aut dolore inficiuntur, sed semper in prima sua pulchritudine permanent; nonnulli vero, quia illis nulla macula ex pugnantium iniquitate et iniu-

1. Cum *Ians. Gand.* etiam *Reusch* arbitratur latinum interpretem non scripsisse : « certaminum *praemium*, sed *praelium* vincens »; ita enim Ps. Cyprianum in suo codice legisse. Num res ita se habeat et hodierna lectio latina negligenti librario debeatur, definire non valemus.

stitia inhaeret, uti haud raro fieri solet in palaestrae certaminibus, quae fraude etc. saepe deturpantur.

Variae igitur sunt explicationes metaphorae nostrae, inter quas primam quam exposuimus praeferendam censemus; omnes autem satis declarant Sapientem similitudine sua labores, quibus pii steriles virtutem suam illaesam in omnibus tentationibus servant, velut rem magnam describere, quae summo praemio digna sit illudque obtentura sit.

Eo ipso autem, quod pii steriles tam praeclaram aeternamque coronam sibi merentur proximosque suo exemplo ad virtutem exercendam invitant, eorum vitam nequaquam inutilem esse iam apparet; inutilem autem merito dicendam esse impiorum adulterorumque vitam non obstante numerosa eorum progenie Sapiens nova similitudine sequentibus in sententiis docet. Sacri scriptores quippe non raro impios cum arboribus infecundis comparant (*Iob* 15,32 sq.; 18,16; *Matth.* 3,10; *Iud. v.* 12 etc.), iustos autem cum arboribus fructuosis (*Ps.* 1,3; 91,13; 127,3 etc.). Notari quidem debet arbores infecundas vitio naturae quodam laborare, in homine autem peccatum ex libero arbitrio provenire; quare hac in re comparatio, uti dici solet, claudicat, ita ut omni ex parte eam urgere non liceat. Nihilominus Sapiens eam hic de adulterorum progenie recte adhibet, quoniam ex adulterorum parentum, qui filios suos non minus pravis suis praeceptis quam pessimis suis exemplis ad vitam vitiosam ac flagitiosam instruere solent, culpa fere semper provenit, quod filii ipsi sese vitiis tradant. Quare adulterorum filii iure merito arboribus comparantur, quae ipsa sua origine infectae fructus pravos producunt atque mox intereunt : 3. *Multigena* (πολύγονον i. q. numerosa) *autem impiorum multitudo non erit utilis* (οὐ χρήσιμεύσει), *Et spuria vitulamina non dabunt radices altas Nec stabile firmamentum collocabunt*. Alterum sententiae membrum (*et spuria vitulamina* etc.) neque recte neque clare est translatum; ex graeco textu (καὶ ἐκ νόθων μοσχευμάτων οὐ δώσει ῥίζαν εἰς βάθος οὐδὲ ἀσφαλῆ βάσιν ἑδράσει) vertendum est : *et* (numerosa impiorum multitudo, utpote) *ex spuriis vitulaminibus* (exorta) *non aget radicem altam neque stabilem* (fixumque) *locum sibi parabit*. Μοσχεύματα proprie illi surculi sunt, qui prope arborem ex eius radicibus emittuntur et qui a radice, quae eorum quasi est mater eosque alit, soluti ac transplantati per aliquod quidem tempus frondem producere, sed mox ob altarum radicum defectum exarescere neque bonos fructus proferre solent [1]. Surculi isti a Latinis plerumque

1. Paullo aliter *Schleusn.* nomen explicat : « non quilibet, inquit, surculi μοσχεύματα

stolones aut *pulli* sed etiam interdum *vitulamina* appellabantur. *S. Aug.* (De doctr. christ. II. 12, *M.* 34,43) nomen vitulaminis sibi ignotum non fuisse clare indicat; *S. Ambrosius* quoque illud generaliore surculorum vel palmitum sensu adhibuit (ep. 37, n. 37; *M.* 16,1139); et antiquum glossarium a *Ducange* repertum diserte habet : « *vitulamen* planta illa infructuosa, quae nascitur a radice vitis »; unde apparet, quam longe a vero *Gr.* aliique aberrent, qui nomen *vitulamen* stulte et arbitrarie ad graecam μοσχεύματος etymologiam per nostrum Vulgatae interpretem esse confictum arbitrantur.

Quibus praemissis sententiae sensus in aperto est positus. Orbitati (τῇ ἀτεκνίᾳ) nimirum piorum sterilium, quae merito censetur utilis, quoniam illis ipsis praeclarissimum praemium aeternum affert aliosque ad eandem virtutem imitandam allicit (*vv.* 1. 2), Sapiens *v.* 3 sqq. numerosam impiorum adulterorum prolem (πολύγονον ἀσεβῶν πλῆθος) velut inutilem opponit, quia sua multitudine non obstante similiter atque arbores, quae ex pravis surculis exortae altas radices non agunt ideoque loco, in quem sunt translatae, non coalescentes neque stabiles sunt neque bonos fructus producunt, mox sit interitura omnique virtutis praemio semper caritura. Quem sensum duabus in sententiis consequentibus (*vv.* 4. 5) uberiore similitudinis expositione explicat et confirmat (attende ad particulam γάρ *enim*, quam *Vulg.* in principio *v.* 4 male praetermisit et in *v.* 5 non minus male inseruit); in constructione tamen leve admisit anacoluthum, quatenus rem ipsam eiusque similitudinem quodammodo permiscens relicto praecedentis subiecto (πολύγονον ἀσεβῶν πλῆθος) in sequentibus arbores ex spuriis vitulaminibus exortas vel, si mavis, spuria vitulamina ipsa, quibus impiam illam prolem assimilavit, pro subiecto sumsit; quo anacolutho forte seductus latinus interpres iam in altero versiculi 3. membro dictioni praepositionali (ἐκ νόθων μοσχευμάτων) nominativum (spuria vitulamina) substituit, ita ut istud anacoluthum in Vulg. non appareat. Pergit igitur auctor : 4. *Et si* (lege : *Etsi enim* κἂν γάρ cfr *VV. LL.*) *in ramis in tempore* (melius : *ad tempus* i. e. aliquo tempore πρὸς καιρόν cfr *Luc.* 8,13; 1 *Cor.* 7,5; 1 *Thess.* 2,17) *germinaverint* (accuratius *reviruerint* vel revirescant ἀναθάλῃ), *Infirmiter posita* (clarius : *quum infirmiter succreverint* (ἐπισφαλῶς βεβηκότα cfr *VV. LL.*) *a vento commovebuntur Et a nimietate* (ὑπὸ βίας proprie : a vi violenter efficaci

dicuntur, sed qui ex arbore dempti seruntur vel plantantur, ut in fruticem vel arborem excrescant; a μοσχεύω, quod est : surculis ex arbore demptis sero, plantaria seu viviradices instituo; μόσχος enim est pampinus viviradix. « Prima significatio nominis μόσχος utique ramulus tenellus vel palmes fuisse videtur, apud Alexandrinos autem et Nov. Test. scriptores semper valet i. q. vitulus vel iuvencus (cfr *Luc.* 15,23. 27. 30; *Apoc.* 4,7).

seu *ab impetu*) *ventorum eradicabuntur;* 5. *Confringentur* (περιλασθήσονται proprie : circum i. e. omnibus ex partibus franguntur) *enim* (melius deletur haec particula, quia descriptio inchoata neque confirmatur neque explicatur, sed continuatur) *rami inconsummati* (ἀτέλεστοι imperfecti, quatenus radicibus necessarium succum subministrare non valentibus ad plenum suum vigorem non pervenerunt), *Et fructus illorum inutiles et acerbi* (ἄωρος i. e. immaturi vel potius *praematuri;* significantur quippe fructus, qui ante ordinariae maturitatis tempus externa quidem specie maturi videntur, re tamen maturi non sunt, sed mox flaccescentes in terram decidunt) *ad manducandum, et ad nihilum apti.* Duo illa, quae supra diximus, celer prolis ex illegitimo concubitu exortae interitus ac plena eius sterilitas (seu potius, si ita dicere licet, infructuositas), similitudine clare indicantur; quemadmodum stolones transplantati ab initio quidem per aliquod tempus denuo virescunt frondemque induunt, at mox exarescunt, ac pereunt, ita adulterorum filii plerique, antequam ad plenum suum vigorem pervenerunt, morte abripiuntur; ii autem qui diutius victuri sunt, similes erunt stolonibus transplantatis illis, qui in arbores quidem excrescunt, sed nunquam bonos fructus ad maturitatem perducere valent; fieri nimirum potest, ut proles spuria ab initio aliqua virtutis signa exhibeat; quia tamen in ipso ortu suo est vitiata et continuis impiorum parentum pravis exemplis et doctrinis in dies magis corrumpitur, mox a bona via plane recedet neque quidquam producet, quod divino praemio sit dignum. Ipsa igitur sua origine filii impiorum, utpote vitiati, interitui quodammodo sunt devoti, ita ut immatura sua morte ac misera sua conditione quum physica tum morali testimonium adversus genitores suos ferant, quippe quibus prolis exitium praecipue debeatur.

Id enim Sapiens in ultima huius loci sententia clare docet, quum se hac similitudine iure usum esse quasi demonstrat : 6. *Ex iniquis enim somnis filii qui nascuntur* (ἐκ γὰρ ἀνόμων ὕπνων τέκνα γεννώμενα i. e. filii ex illegitimo adulterorum concubitu exorti; nomen ὕπνος hic uti 7,2 euphemistice i. q. concubitus), *Testes sunt nequitiae adversus parentes in interrogatione sua* (ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν). Nomine ἐξετασμοῦ cfr 1,9 ἐξέτασις) inquisitionem intelligimus, quae de reis per testes a iudice instituitur; eiusmodi enim exploratione interitum filiorum potissimum culpae parentum tribuendum esse probatur. Quodsi quaesieris a quonam et quo tempore ista inquisitio instituatur, iuxta contextum (cfr 3,17 sq. ἐπ' ἐσχάτων) eam intelligendam esse reponemus, quam Deus in ultimo iudicio habiturus est. Bene hunc in sensum *S. Bonav.* : « Testes sunt, inquit, in interrogatione sua, i. e. in divini

iudicii examinatione »; eandem explicationem cum nonnullis iunioribus (cfr *Lorin.*[2] *Mald. Marian.*) plerique moderni sequuntur (cfr *Schmid, Gutb. Loch,* qui *Eccli.* 48,9 sq. allegat, *Les.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.).

Cum plerisque tamen antiquioribus et iunioribus pauci quoque moderni (*Corl.* etc.) de ea potius inquisitione agi arbitrantur, quae ab hominibus instituatur, « quando nimirum filii interrogantur, quorum filii sint; cui interrogationi si verum respondeant, produnt necessario iniquitatem parentum » (*Lorin.*[1]), vel etiam « quando quaestio de ipsis habetur et vitae ratio reposcitur, filii nefarii producentur in testimonium pravitatis suorum parentum, nempe illegitimi ex quo nati sint concubitus vel improbae quam imitati sint vitae eorum; fructus enim mali indices sunt arboris malae » (*Castro*). Attamen eiusmodi humana inquisitione, sive in iudicio sive extra iudicium habetur, nexus inter culpam parentum et filiorum interitum ea cum claritate, quam Sapiens supponit, nequaquam probatur. Accedit autem, quod toto in hoc loco miseria impiorum opponitur piorum beatitudini; immediate antea autem aeterna piorum beatitudo celebrabatur, quae ultimo in iudicio iis attributa est; quare etiam omnino concedatur oportet, Sapientem nunc de divino iudicio loqui, quo aeterna impiorum sors definitur. Quod autem *Corl.* adnotat examen fieri de filiorum natalibus, quas adulteri parentes studiose celare solent, id ad contextum nequaquam quadrare sua sponte elucet; spuria enim filiorum origo toto in loco cognita supponitur et de eius sequelis agitur.

Ulterius interroganti, utrum pronomen αὐτῶν (ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν, ubi *Vulg.* habet : in interrogatione *sua*) ad filios solos, uti *Vulg.* sua versione indicat, an ad parentes referendum sit, illud ad utrosque referendum videri respondemus (cfr *Gutb.*). Illud enim filios spectare, qui miseram suam conditionem manifestantes testes exsurgunt adversus suos parentes impios, id verba clare enuntiant; quatenus vero filiorum testimonio manifestatur parentum culpa, in eos quoque inquisitio fiat necesse est. Eodem ergo tempore iudicium quum in filios spurios tum in eorum parentes adulteros exercetur. Ad eandem sententiam illi perveniunt, qui ἐξετασμόν hic metonymice pro punitione poni (minus apte) arbitrantur. « *Interrogatio,* inquit *Smits,* heic est pro punitione; actus enim praecedens, qualis est interrogatio in iudicio, pro actu consequente, cuiusmodi est punitio, frequenter apud Hebraeos, quin etiam in Novo Test. cernitur... Hunc ergo sensum genuinum et hunc nexum antecedentibus et sequentibus aptum arbitror : adulterorum filii eorumque nepotes morte praematura abripientur et brevi tota interibit posteritas (*v.* 3. 4. 5); atque adeo hac sua punitione parentum suorum nequitiam produnt; ita enim scelera haec ex Dei ordinatione puniri ex communiter contingentibus colligimus ». *Gr.* pronomine αὐτῶν proxime ac directe parentes significari atque ex damnis, quae illegitimos concubitus consequuntur, unum

illud efferri arbitratur, quod in parentes redundet, quum filii ipsi adulteris parentibus exitio sint futuri. Licet autem id utique relate ad parentes significari concedamus, nihil obstat, quominus inquisitio simul contra filios fieri dicatur; siquidem iam in principio *v.* 3 auctor de numerosa impiorum multitudine (πολύγονον ἀσεβῶν πλῆθος) loquens satis prodere videtur, se de parentum adulterorum non minus quam de filiorum spuriorum misera sorte agere velle.

Quae hac in particula traduntur, aliquanto duriora multis videntur, inique autem et iniuste a deuterocanonicorum librorum adversariis diiudicantur et vituperantur; at nihil in tota Sapientis expositione reperitur, quod reprehensione sit dignum. Sicut supra iam monuimus, nihil habet offensionis, quod auctor adulterorum filios interituros esse dicat, quia ipso suo ortu vitiati sint; etenim non tantum ex scelesta impiorum suorum parentum coniunctione malos animi affectus, uti ex experientia constat, velut hereditatem, accipiunt sed etiam et quidem potissimum mala institutione pravisque exemplis parentum suorum inde ab incunabulis inficiuntur. Profecto haud ignoramus contagionem vitiorum filiis adulterorum non ita esse propriam, ut in aliis non inveniatur; pro dolor enim nulli aetati defuerunt parentes qui, licet legitimo matrimonio coniuncti, vitia sua in filios transmiserunt atque pravis suis exemplis ac doctrinis promoverunt. Nihilominus auctori de solis adulterinis coniunctionibus hic loqui omnino licuit, quia ex eis gravissima ista incommoda quasi sua sponte et ut ita dicam naturaliter exoriuntur. Praeterea quia adulteria per se iam omnino damnari merentur, immensa, quae fere necessario secum afferunt, damna summo cum iure a Sapiente descripta sunt, ut ab eis contribules suos efficacius absterreret. Neque male *Gutb.* addit, non de singulis adulteris coniunctionibus agi, sed illa respici tempora, quibus iura et officia coniugum communiter negligi solent et castitas coniugalis vix non ab omnibus irridetur et despicitur (cfr 14,24 sqq.). Demum animadvertatur oportet Sapientem nequaquam interitum filiorum spuriorum soli eorum origini adscribere, quasi eos suis ipsorum culpis interituros esse negaret; similitudinem enim, qua utitur, pro natura rei non omni ex parte urgendam esse diximus. Hinc etiam patet, quo sensu intelligendum sit quod supra dixit, progeniem mulierum adulterarum esse maledictam (3,13); nam recte *Corl.* : « maledictio haec, inquit, a Deo prodit in filios adulterorum (3,16) quia tales sunt et simul sunt nequissimi (3,12) »; neque enim quisquam divinae vindictae obnoxius est, nisi qui ipse culpam admisit. Hoc sensu verba exponenda esse, vel ipse *Gr.*, quamvis alioquin pronus sit ad erroneas doctrinas libro nostro attribuendas, concedi debere ait, nisi quis Sapientem sibi ipsi gravissime contradicere (cfr 11,24 sqq.) censeat. Doctrinam autem Sapientis verbis suis *Ians. Ipr.* exasperat, ubi dicit : « Deum intuitu peccatorum parentum saepe solere posteros relinquere omni maledictioni obnoxios, ut olim patuerit in Cha-

nanaeis, nunc in Iudaeis, atque hoc sensu saepe filiorum dentes obstupescere, quia patres eorum comederint uvam acerbam ». Haud enim attendit, qua ratione dictum illud Deus ipse per prophetas iam explicandum duxerit, quum Israelitae illo abuterentur, ut totam qua opprimebantur calamitatem exsilii ad patrum suorum peccata referrent (*Ierem.* 31,28 sq. ac praesertim *Ezech.* 18,1-32. Cfr *Knabenb.* Comment. in Ierem. p. 391; in Ezech. p. 180 sqq.).

3. — *Sors piorum, etsi praematura mors eos abripuerit, beatior est quam longa impiorum vita* (4,7-20).

4,7. Iustus autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit. 8. Senectus enim venerabilis est non diuturna, Neque annorum numero computata; Cani autem sunt sensus hominis, 9. Et aetas senectutis vita immaculata. 10. Placens Deo factus est dilectus, Et vivens inter peccatores translatus est; 11. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, Aut ne fictio deciperet animam illius. 12. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona, Et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia. 13. Consummatus in brevi explevit tempora multa; 14. Placita enim erat Deo anima illius : Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum : Populi autem videntes et non intelligentes, Nec ponentes in praecordiis talia : 15. Quoniam gratia Dei et misericordia est in sanctos eius, Et respectus in electos illius. 16. Condemnat autem iustus mortuus vivos impios, Et iuventus celerius consummata longam vitam iniusti. 17. Videbunt enim finem sapientis, Et non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, Et quare munierit illum Dominus. 18. Videbunt et contemnent eum, Illos autem Dominus irridebit; 19. Et erunt post haec decidentes sine honore, Et in contumelia inter mortuos in perpetuum, Quoniam disrumpet illos inflatos sine voce, Et commovebit illos a fundamentis, Et usque ad supremum desolabuntur; Et erunt gementes, Et memoria illorum peribit. 20. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, Et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum.

4,7. Δίκαιος δὲ ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι, ἐν ἀναπαύσει ἔσται. 8. Γῆρας γὰρ τίμιον οὐ τὸ πολυχρόνιον, Οὐδὲ ἀριθμῷ ἐτῶν μεμέτρηται. 9. Πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις, Καὶ ἡλικία γήρως βίος ἀκηλίδωτος. 10. Εὐάρεστος τῷ Θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη, Καὶ ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη. 11. Ἡρπάγη, μὴ κακία ἀλλάξῃ σύνεσιν αὐτοῦ, Ἢ δόλος ἀπατήσῃ ψυχὴν αὐτοῦ. 12. Βασκανία γὰρ φαυλότητος ἀμαυροῖ τὰ καλὰ, Καὶ ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας μεταλλεύει νοῦν ἄκακον. 13. Τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ ἐπλήρωσεν χρόνους μακρούς. 14. Ἀρεστὴ γὰρ ἦν Κυρίῳ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ, Διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας. Οἱ δὲ λαοὶ ἰδόντες καὶ μὴ νοήσαντες, Μηδὲ θέντες ἐπὶ διανοίᾳ τὸ τοιοῦτο, 15. Ὅτι χάρις καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ Καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ. 16. Κατακρινεῖ δὲ δίκαιος καμὼν τοὺς ζῶντας ἀσεβεῖς, Καὶ νεότης τελεσθεῖσα ταχέως πολυετὲς γῆρας ἀδίκου. 17. Ὄψονται γὰρ τελευτὴν σοφοῦ Καὶ οὐ νοήσουσι τί ἐβουλεύσατο περὶ αὐτοῦ Καὶ εἰς τί ἠσφαλίσατο αὐτὸν ὁ Κύριος. 18. Ὄψονται καὶ ἐξουθενήσουσιν, Αὐτοὺς δὲ ὁ Κύριος ἐκγελάσεται. 19. Καὶ ἔσονται μετὰ τοῦτο εἰς πτῶμα ἄτιμον Καὶ εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς δι' αἰῶνος, Ὅτι ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς, Καὶ σαλεύσει αὐτοὺς ἐκ θεμελίων, Καὶ ἕως ἐσχάτου χερσωθήσονται, Καὶ ἔσονται ἐν ὀδύνῃ, Καὶ ἡ μνήμη αὐτῶν ἀπολεῖται. 20. Ἐλεύσονται ἐν συλλογισμῷ ἁμαρτημάτων αὐτῶν δειλοὶ, Καὶ ἐλέγξει αὐτοὺς ἐξεναντίας τὰ ἀνομήματα αὐτῶν [1].

1. *VV. LL.* — 7. ἐν ἀναπαύσει (in requie) est omnium codd. graecorum lectio; sunt qui *Vulgatae* interpretem, qui vertit : *in refrigerio*, legisse arbitrentur : ἐν ἀναψύξει :

Inter gravissima, quibus adulteri puniuntur, damna auctor, ultimo in loco recensuit, eorum filios ad maturam aetatem non esse perventuros neque idoneos bonis fructibus producendis fore. Contra quae ab adversariis cum aliqua veritatis specie obiici supponitur fieri posse, ut pii quoque multi, antequam ad maturitatem pervenerint, praematura morte abripiantur neque proinde tempus habeant, quo gloriosam victoriae coronam mereantur. Quam tacitam obiectionem ut praeoccuparet ac refutaret, Sapiens de piis illis, qui ob immaturum suum de vita exitum miseri creduntur, accuratius agere voluit. Itaque thesin praemissam, pios eiusmodi adolescentes aeterna beatitudine privatum non iri, sed mortuos in aeternam requiem intrare (*v.* 7) primum ex eo demonstrat, quod illi non annorum quidem numero, virtutis tamen maturitate inter senes sint recensendi (*vv.* 8. 9); deinde fine praematurae illius mortis patefacto eos a Deo absumptos esse monet, ne pravorum moribus ac doctrinis seducti a recta via deflecterent (*vv.* 10-12); unde eos utpote iam in virtute consummatos per divinam misericordiam, quam mundus non intelligit, ex mundi periculis esse ereptos praedicans (*vv.* 13-16) expositionem suam descriptione contrariae impiorum sortis terminat (*vv.* 17-20).

Ad superiora, ubi impiorum prolem celerius defunctam non habere spem dixit (3,17) alludens praeprimis non sine emphasi quadam felicem, licet praematuram, fore mortem piorum iuvenum asserit : 7. *Iustus autem, si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio* (ἐν ἀναπαύσει) *erit*. Sapientem hic non de omni iusto, qui inopinato ac subito moritur, sermonem facere, licet assertum eius de iustis omnibus recte

cur vero id admittatur, nulla habetur ratio; cfr *Comment.* — 9. ἀνθρώποις (hominibus) est communis lectio graeca; minus apte ℵ² cum nonnullis : ἐν ἀνθρώποις (*in* hominibus); erronee *Vulg.* genetivum exhibet : *hominis* vel in aliquibus codd. : *hominum*. — 15. χάρις καὶ ἔλεος (gratia et misericordia) iterum omnium codd. graec. est lectio; *Vulg.* uti saepe voculam per se aptam sed minime necessariam inserens habet : *gratia Dei et misericordia*. — ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ... ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ (in *electis* suis... in *sanctis* suis) B ℵ cum multis minusc.; ordine autem inverso : ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ... ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ (in *sanctis* suis... in *electis* suis) A cum aliis minusc. *Vulg. Syr. Arm.*; uter ordo praeferatur, parum interest. Animadvertatur autem, in *Vulg.* minus apte accusativum esse positum (in sanctos... electos) et pronomen αὐτοῦ semel *eius*, semel *illius* satis arbitrarie esse redditum. — 16. δίκαιος καμών (iustus defunctus, scilicet incommodis, quae vita secum fert) B ℵ 23, aliqui minusc. Shex.; sed δίκαιος θανών (*iustus mortuus*) A B² cum multis minusc.; utrum *Vulg.* aliaeque verss. καμών an θανών legerint, cum certitudine definiri nequit cfr *Feldm.* p. 50. — 17. τί ἐβουλεύσατο περὶ αὐτοῦ (quid cogitaverit de illo) subiecto praetermisso, quippe quod in fine alterius stichi sequatur (ὁ Κύριος) est communis graecorum codd. lectio; satis superflue *Vulg.* illud addit (*Deus*).

exponi possit, sed ad solos illos attendere, qui adolescentes e vita decedunt, verba graeca (ἐὰν φθάσῃ τελευτῆσαι proprie : si anteverterit mori i. e. si mors prius ei advenerit, quam secundum ordinariam legem exspectanda videbatur) aeque atque contextus clare docent[1]. Quae praematura adolescentum mors acerba quidem et luctuosa vulgo censetur, quia vitae cursum vix ingressi eum terminare cogantur, antequam ad eius metam pervenisse videantur. Verum hanc opinionem vulgarem, si de piis agitur, erroneam esse docet, pro thesi statuens mortem illam eis nullum damnum sed magnum emolumentum afferre, quum loco longioris vitae, quae sine multis laboribus tribulationibusque peragi nequeat, eis statim contingat requies vel, uti *Vulg.* habet, *refrigerium*. Nonnulli hanc Vulgatae interpretationem vituperant, et latinum translatorem non ἐν ἀναπαύσει sed ἐν ἀναψύξει legisse coniiciunt (cfr *Reusch*); sed non attendunt *verbum* ἀναπαύειν haud semel latino *refrigerare* in antiqua Itala esse redditum (*Eccli.* 3,7; 18,16; 31,25 [21]; *Rom.* 15,12; cfr etiam *Prov.* 29,17; *Ierem.* 47,6, ubi hebr. הֲנִיחַ ab Alex. ἀναπαύειν et a S. Hieron. *refrigerare* redditur), ita ut substantivi *refrigerii* usus hoc in loco nihil miri habeat. Praeterea eius significatio quoque nostrae sententiae congruit; clarum enim est, dictione ἐν ἀναπαύσει ἔσται futuram illam requiem in aeternum duraturam designari, in qua homo ab omnibus huius vitae laboribus liberatus continua fruetur pace ac beatitudine (cfr 3,3; *Hebr.* 4,3 sqq.; *Apoc.* 14,13); atqui eandem etiam *refrigerii* nomine, quod proprie valet refectio et recreatio, significari uno illo *Tertulliani* (de anima 33, *M.* 2,741) dicto satis demonstratur, quo « aeternam tam *supplicii* quam *refrigerii* sententiam » inter se opponit, atque Ecclesiae precibus luculenter confirmatur, quibus Deum rogat, ut defunctorum animas, pro quibus missae sacrificium offert, « in locum refrigerii » transferat. Quare non intelligitur, qua ratione iuniores quidam interpretes (*Est. Lap.* etc.) adducti sint, ut nostro in loco nomen *refrigerii* de purgatorio intelligendum esse arbitrarentur.

In obiectione, quam Sapiens praeoccupare studet, praematuram mortem ideo esse infelicem ac divinam poenam sumitur, quia adolescenti tempus necessarium non sit concessum ad labores perferendos, quibus pii senes honorem ac futurae beatitudinis certam spem sibi acquisiverunt. Apte igitur erroneae huius hypotheseos

1. Bene *Holc.* : « Illa praeoccupatio, inquit, potest dupliciter intelligi : uno modo, ut mors veniat improvise, secundum quem modum dicimus hominem praeoccupatum, quando aliquis casus evenit, de quo non cogitavit et de quo sibi non praevidit. Alio modo potest intelligi praeoccupatio, temporis consueti abbreviatio. Primo modo nullus iustus potest praeoccupari, quia eo ipso quod iustus est mortem praemeditatur et ad mortem disponitur ».

refutationem pro primo theseos suae argumento sumit, cuius vim probationis *S. Chrys.* (de sacerd. II. 7, *M.* 47,625) ad nostrum locum sine dubio respiciens paucis his verbis comprehendit : « non licet intelligentiam (vel sapientiam τὴν σύνεσιν) ex aetatis annis (ἡλικίᾳ) diiudicare neque senem aestimare ex canis (ἀπὸ τῆς πολιᾶς) ». Auctor quoque pro scriptorum sapientialium more argumentum suum non tam explanat quam leviter indicat : 8. *Senectus enim venerabilis* (γῆρας γὰρ τίμιον proprie : senectus enim aestimatione digna) *est non* (melius : *non est;* in graeco copula ἐστίν est omissa) *diuturna* (accuratius : *diuturnitas* seu *longaevitas* τὸ πολυχρόνιον) *Neque annorum numero computata* (μεμέτρηται mensurata est); *Cani autem sunt sensus hominis* (ex graeco : πολιὰ δέ ἐστιν φρόνησις ἀνθρώποις clarius rectiusque vertes : *sed canities est sapientia hominibus*), 9. *Et aetas senectutis* sc. est *vita immaculata.* Argumentum duobus membris distichis constat, quorum prius negativum (*v.* 8) duobus prioribus stichis, in quo senectus veneratione digna non sit sita, alterum positivum (*v.* 9) similiter duobus stichis, quid eam constituat, exponit. Senibus quippe in genere reverentiam deberi nemo est qui neget; neque tamen omnes senes, licet plurimos numerent vitae annos, eo honore iam sunt digni, nisi simul virtutibus suis se suos annos bene impendisse ostendant. Nimis frequenter enim, proh dolor, cum corpore ad plenum suum vigorem perveniente et cum annorum numero non pariter virtus crescit, qua animi perfectio constituitur, et quae sola aestimationem ac venerationem exigit; unde fit, ut haud raro in adolescente maior quam in sene longaevo virtus inveniatur. Id solo naturae lumine ethnici quoque intellexerunt, atque simili, quo Sapiens, modo senectutem non tam annis, quibus corpus maturitatem assequitur vel etiam senescit, quam virtutibus, quae paucis saepe annis acquiri possunt, definiendum esse statuerunt. Itaque senectus — ut verba ipsa expendamus — quae vere aestimari meretur, non est ipsa longaevitas, neque numerus annorum est norma, ad quam mensuratur vel potius *mensurata est* (μεμέτρηται quatenus nimirum haec mensura a Deo per legem definita est, ita ut pro variis conditionibus mutationem non amplius admittat); sed sapientia practica (φρόνησις cfr ad 3,15), quae Legis observatione sese manifestat omnibusque ac solis piis competit, hominibus genuina est canities (i. e. hominem quemcunque facit senem aestimatione dignum), et immaculata vita senectus vera censeatur oportet. Egregie *S. Hieron.* (ad Paulin. ep. 58,1; *M.* 22,579) : « Noli, frater carissime, annorum nos existimare numero, neque canos reputes sapientiam sed sapientiam canos, Salomone testante : cani hominis prudentia eius »; atque *S. Ambr.* (de

Cain et Abel I. 3,11 ; *M.* 14,321) : « Seniori iunior antefertur, quia etsi tempore iunior, virtute praestantior est », atque alibi « vere senectus ista est venerabilis, quae non canis sed meritis albescit; ea enim est reverenda canities animi, quae in canis cogitationibus et operationibus effulget ». Itaque homo iustus, licet aetate sit adolescens, dummodo virtute sit perfectus, moriens minime a Deo cum impiis proiicietur, sed in refrigerio et requie aeterna erit.

Nequaquam porro timendum esse, ne pii iuvenes morientes cum impiis poenas luant, auctor altero argumento demonstrat, quo finis declaratur, quem Deus in praematura eorum morte prosequatur : 10. *Placens Deo factus, est dilectus, Et vivens inter peccatores, translatus est;* quam sententiam ex graeco : εὐάρεστος τῷ Θεῷ γενόμενος ἠγαπήθη καὶ ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη clarius hunc in modum vertere licet : *Quia Deo placuit, dilectus est* (sc. a Deo), *Et quia vivebat inter peccatores, translatus est.* Antiquiores Latini, quum graecam lectionem ignorarent, in priore membro construendo fere omnes errarunt neque viderunt participium *factus* (γενόμενος) cum adiectivo participiali *placens* atque copulam *est* cum participio *dilectus* connectenda esse; unde mirum non est, quod genuinum sensum non perceperint[1]. In priore membro etiam recentiores nonnulli acatholici difficultatem quandam invenerunt et dictiones εὐάρεστον γενέσθαι (*placere*) et ἀγαπᾶσθαι (*diligi*) plane synonymas arbitrati pro ἠγαπήθη (dilectus est) aut ἡρπάγη (abreptus est) aut ἀπήχθη (abductus est), immo soloecisticum aor. ἠγαγήθη legendum esse coniecerunt (cfr *Gr.*). Verum ad eam verbi ἀγαπᾶσθαι vim potestatemque attendere debuerunt, quam ad 1,1. exposuimus (cfr p. 38); ἀγαπᾶν enim amorem amicitiae et concupiscentiae exprimit; Deus igitur adolescentem, qui moribus suis sese ei acceptum reddiderat ((εὐάρεστος γενόμενος), velut amicum suum dilexisse eumque secum habere voluisse dicitur. Quare aptissime quoque statim additur, Deum eum e medio peccatorum inter quos vixit transtulisse (scilicet in suam societatem); bene enim *Castro* adnotat : « fuit amoris signum [vel si mavis effectus] praepropera evocatio ex ista vita, non sine arcano consilio, cuius causa [vel potius : quod] sequentibus membris exponitur; ante maturam quippe aetatem

1. Cfr ex. gr. *S. Bonav.* : « Placens Deo scilicet per veram fidem... factus dilectus propter perfectam dilectionem iuxta illud *Prov.* 8,17 ego diligentes me diligo, et vivens inter peccatores impollutus translatus est de exilio huius mundi ad patriam coelestem, de morte ad vitam, de certamine ad coronam ». Aliter *Holc.* : « Iustus tollitur de hac vita, quia est placens Deo per bonam vitam, factus dilectus per gratiam et ideo dignus est vocari ad coronam »; eundem fere in sensum *Dion. Carth.* : « Iustus per opera bona Deo placens et per haec factus est amicus eius ».

Deus iustos suos praeripit et ad se transfert, ne impiorum consortio maculentur » (cfr *Mald. Lap. Men.* etc.).

Revera enim verbo μετετέθη (*translatus est*) singulare divini amoris testimonium exprimi, sua sponte apparet, si ad locum attenderimus, quem Sapiens in hoc argumento prae oculis habuit; est autem Moysis narratio de Henoch, quae ita legitur in alexandrina versione (*Gen.* 5,24) : καὶ εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ καὶ οὐχ εὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός (« et *placuit* Henoch Deo et non inveniebatur, quia *transtulit* eum Deus »), quamque iisdem duobus verbis retentis et Siracida repetiit : Ἐνὼχ εὐηρέστησε Κυρίῳ καὶ μετετέθη (*Eccli.* 44,16 Henoch *placuit* Domino et *translatus* est ») et S. Paulus, qui simul translatione confirmari monet, quod Deo placuerit : Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός· πρὸ γὰρ μεταθέσεως μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ Θεῷ (*Hebr.* 11,5 : « fide Henoch *translatus est,* ne videret mortem, et non inveniebatur, quia *transtulit* illum Deus; ante *translationem* enim testimonium habuit *placuisse* Deo »). Sicut igitur translatio Henoch divinam erga eum benevolentiam singulari modo testatur, ita praematura quoque pii adolescentis mors praeclarum Dei beneficium habeatur necesse est. Inter utramque translationem illud quidem intercedit discrimen, quod Henoch vivus, ne videret mortem translatus, adolescens iustus autem morte transferri dicitur; sed id explicationi nostrae non obstat, siquidem non idem, sed simile beneficium adolescenti praematura morte abrepto conferri asserimus; transfertur enim pius iuvenis, ne videat mortem illam, quam Sapiens impiorum fore partem toties iam monuit (cfr 1,12 sqq.; 2,24 sq. etc.). Neque quidquam videtur obstare, quominus verbo *transferri* hoc in loco tum quietum ac beatum transitum piorum significari, tum etiam indicari dicamus, eorum mortem non fore perpetuam, quatenus ad novam vitam resuscitati aeterna beatitudine corporis non minus quam animae sint fruituri.

Cuius beneficii ut clarius intelligatur magnitudo, Sapiens accurate exponit, cur pium iuvenem *inter peccatores degentem* a Deo transferri dixerit; translatione scilicet ista eum iuxta divinae providentiae ac misericordiae decretum non tantummodo beatitudinis participem fieri, sed simul et quidem potissimum ex tentationibus, quibus eius salus maximo periculo vel potius certo interitui exposita erat, eripi significare voluit. 11. *Raptus est* (ἡρπάγη), *ne malitia mutaret* (ἀλλλάξῃ) *intellectum* (vel *mentem* σύνεσιν cfr *Marc.* 12,33. ubi ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως locum dictionis immediate praecedentis ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς καὶ ἐξ ὅλης τῆς διανοίας *v.* 30 tenet) *eius, Aut ne fictio* (δόλος dolus, fraus) *deciperet* (seu seduceret ἀπατήσῃ) *animam illius.* Verbo ἁρπάζεσθαι translatio velut subita et celerrima describitur (cfr *Act.* 8,39; 2 *Cor.* 12,4; 1 *Thess.* 4,16), ut hac ratione mortem illam fuisse praema-

turam significetur. Ante maturitatem autem raptus est non casu nec solum consueto rerum cursu, sed Deo benignissimo ita disponente, qui quid singuli in variis circumstantiis positi acturi sint intuens, iustum e mediis peccatoribus aufert, ne « mens ad voluntatem divinam recte cognitam efformata » pravorum exemplis et bonis opinatis corrumpatur.

Iis Sapientis verbis efficax argumentum praeberi nonnulli existimant ad scientiam mediam adstruendam, qua Deus illos quoque liberos creaturarum actus certe et infallibiliter cognoscit, qui nunquam exsistent, exstaturi vero essent, si certa quaedam poneretur conditio : Deus enim, inquiunt, hoc in loco non quasi metuens aut coniiciens fieri posse, ut pius adolescens, si diutius victurus sit, impiorum consiliis et exemplis seducatur, misericordissimo providentiae suae consilio immaturam eius mortem decrevisse asseritur, sed tamquam certo praevidens futurum fuisse ut ille, si vita eius protraheretur, revera seduceretur (cfr *Gutb.* etc.). Quod argumentum ad doctrinam, quae aliis certioribus Scripturae testimoniis clare probatur (cfr 1 *Reg.* 23,7 sqq.; *Ier.* 38,17; *Matth.* 12,20 sq.) comprobandam sua non carere vi libenter fatemur; nihilominus cum *S. Aug.* (de praed. sanct. 14,26 *M.* 44,979) auctorem hic « non tam secundum praescientiam divinam quam secundum pericula huius vitae » vel si mavis secundum communiter contingentia (uti aiunt) loqui censemus. Id enim contextus, nisi fallimur, declarat, siquidem auctor ad assertum suum confirmandum ad ea quae fieri solent provocat periculis vitae descriptis, quae simul ex rebus, quibus circumdamur, et ex concupiscentia inordinata, quae nobis tamquam filiis Adae inest, exoriri sequenti in sententia monet : 12. *Fascinatio enim nugacitatis* (φαυλότητος proprie *vilitatis* scilicet rerum huius mundi) *obscurat bona* (τὰ καλά), *Et inconstantia* (ῥεμβασμὸς proprie circumvagatio vel *vertigo*) *concupiscentiae transvertit* seu *pervertit* (μεταλλεύει) *sensum sine malitia* (clarius : mentem malitiae expertem seu *innocentem* νοῦν ἄκακον). Hominis bono interno, i. e. honesto seu bono virtutis, quod hic nomine τὰ καλά designat (uti *infra* 10,8; cfr 2 *Mach.* 15,12 ἀνὴρ καλὸς καὶ ἀγαθός), auctor bona externa velut vilia ac frivola (φαῦλα) opponit; at non obstante sua vilitate (vel uti *Vulg.* bene vertit : nugacitate) haec venustate et iucunditate quadam fucata splendent, quae genuinam ac sinceram boni honesti pulchritudinem praestantiamque menti hominis, qui a sensibus pendet, subtrahit obscuratque ac tam vehementer eum allicit ac percellit, ut quasi fascinatus bonum honestum reiiciat seseque totum vilibus rebus tradat. Verumtamen fascinationis huius et occaecationis causa non in solis externis bonis sita est, sed

etiam, et quidem primario, in concupiscentia inordinata, quam homo una cum peccato originali a primo suo parente haereditate accepit. Quam inordinationem auctor egregie hic appellat ῥεμβασμόν i. e. *vertiginem* (vel uti minus accurate *Vulg.* habet : *inconstantiam*), significans concupiscentiam, neglecto uno illo bono virtutis, ad quod acquirendum et per totam aeternitatem possidendum fruendumque creati sumus, per varia huius mundi bona fallacia circumvagari et quasi vertigine quadam nunc in haec nunc in illa appetenda impelli. Unde necessario fit, ut adolescens innocens, ubi primum a rebus externis allectus concupiscentiae isti impellenti aures praebere inceperit eamque ducem sequatur, a recta via discedens pervertatur.

Haud supervacaneum videtur, ut vocabula nonnulla accuratius exponamus. Nomen βασκανία (a βασκαίνειν quod proprie valet invidere) saepe incantationis genus designat, quo pueri ita afficiuntur, ut mente quasi privati esse videantur. Eiusmodi fascinationem Sapiens rebus mundi attribuit, quas quasi agentes introducit, quia homines alliciunt. Porro φαυλότης ab haud paucis hic id quod pravitas (moralis) valere censetur, quae virtuti (τὰ καλά) opponatur, ut sententiae sensus sit, vitiorum fascinatione obscurari virtutem, ita ut homo illis magis quam hac alliciatur (cfr *Nann. Tir. Calm.* etc., *Schmid, Gutb.* etc.); quae explicatio verbis et contextui satis quidem congruere videtur, minus tamen apta est, quia non tam vitia ipsa, quam res huius mundi illae, quibus homo se dedere sine peccato non potest, fucata sua pulchritudine pium simplicemque iuvenem allicere et seducere solent. Iuxta alios nonnullos modernos τὰ καλά non ipsum bonum honestum, quod offuscetur (i. e. virtutem obiective spectatam), sed piorum bonam sentiendi et agendi rationem, quae corrumpatur (i. e. virtutem subiective spectatam) significant (*Gr.* etc.); attamen omnibus consentientibus verbo ἀμαυροῦν (ab ἀμαυρός non splendidus seu obscurus) non corrumpendi sed obscurandi significatio competit; quare hac ex parte nova expositio admitti iam non potest; accedit autem, quod iuxta communem explicationem multo clarius via describatur, qua simplicis et pii adolescentis animus paullatim pervertatur.

In altero sticho nominis ῥεμβασμός, quod hoc solo loco in Scripturis, nusquam in profanorum auctorum scriptis, raro tantum in Patrum operibus invenitur, significatio magis minusve incerta est. A verbo ῥέμβεσθαι (vel potius ab eius forma intensiva ῥεμβάζεσθαι) derivatur; ῥέμβεσθαι autem quod ipsum quoque rari est usus, latino *vagari* vel circumvagari fere respondet (cfr *Prov.* 7,12 meretrix χρόνον τινὰ ἔξω ῥέμβεται [i. e. interdum extra civitatem circumvagatur], interdum in omnibus platearum angulis insidiatur, scilicet ad fornicationis socium quaerendum); quam propriam significationem Patres ad mentem cogitationibus suis quasi circumvagantem et distractionibus vel etiam vehementibus affectibus huc illuc circumagitatam transtulerunt (cfr *S. Chrys.* in Ps. 145) : « Cur cum anima collo-

quitur? ἵνα μὴ τῆς γλώσσης φθεγγομένης ἐκείνη ῥέμβηται (i. e. ne lingua loquente *circumvagetur* mens) id quod saepe etiam in precibus accidit et in hymnorum decantatione »; — *S. Macar.* hom. 33. *M.* 34,712 : « Anima se totam voluntati et amori Dei tradat et consecret, μὴ ῥεμβομένη καὶ περιφερομένη » i. e. neque *circumagitetur* neque circumvagetur; alia exempla apud *Suicer.* II sub verbo). Qua metaphorica verbi ῥέμβεσθαι significatione supposita evidens est, dictione ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας illam concupiscentiae significari inordinationem, qua uno illo, quod solum est appetendum, despecto per omnes mundi res gyrat et quasi turbine quodam circumagitata mox in hanc mox in illam convertitur ac rapitur. — Verbum μεταλλεύειν demum hic iuxta contextum nihil significare potest nisi *transvertere* vel *pervertere*, et hoc sensu a Graecis exponitur (cfr *Suid.* μεταλλεύει, μεταφέρει i. e. transvertit); quo autem cum iure auctor illi hanc significationem attribuerit, in controversia est; proprie enim μεταλλεύειν, valet i. q. metalla eruere vel effodere (cfr *Deut.* 8,9), ita ut ad transvertendi et pervertendi significationem transferri non posse videatur. Revera longius quaesitum est, quod habet *Lap.* : « sicut fossores e terrae visceribus eruunt aurum, sic concupiscentia e visceribus mentis eruit et exhaurit omnem sensum omnemque innocentiam atque eam per vitia invertit et pervertit »; praeterea haec metaphora ad nostrum quidem locum aliqualiter adaptari potest, nequaquam autem ad 16,25. Haud melius alii utroque in loco errorem librarii admittere maluerunt ac pro μεταλλεύειν levi mutatione μεταλλοιοῦν scribendum coniecerunt. Rectius plerique recentiores per erroneam etymologiam verbum μεταλλεύειν loco verbi μεταλλάσσειν ab Alexandrinis usurpatum esse censent; eiusmodi enim significationes, quae ob erroneam etymologiam vocabulis attributae sunt, omnibus fere in linguis habentur (cfr *Guth.*) [1].

Duo argumenta, quae exposuit (8. 9 et 10-12), auctor in tertio nunc ita recapitulat, ut ei quasi pro fundamento novae argumentationis sint, qua praematurae piorum mortis causam in divina misericordia sitam esse atque ab impiis immerito alias causas statui ostendat. Paucis prius argumentum complectitur : 13. *Consummatus in brevi* (τελειωθεὶς ἐν ὀλίγῳ), *explevit tempora multa.* Cave, ne *consummatus* idem quod *consumtus* vel mortuus aut τελειωθείς idem quod τελευτήσας

1. De hoc equidem dubito. Nam etiam in papyris aegyptiacis verbum μεταλλάσσειν cum significatione *immutandi* occurrit persaepe, μεταλλεύειν nusquam. Malim locum ita enodare : μεταλλεύειν valet *metalla effodere, quaerere,* tum vero etiam universim *sub terra fodere, suffodere, cuniculos agere* (*Diod. Sic.* 18,70; unde lexicographi aequiparant μεταλλεύειν· ὀρύττειν, γεωρυχεῖν, ἀνασκάπτειν *Pollux* [ex *Steph.* thes. ling. gr.] et μεταλλεύει· ζητεῖ, ὀρύσσει, ἀνασκάπτει *Hesychius*). Verba vero huius significationis fere in omnibus linguis usuveniunt in significatione metaphorica *pessumdandi, labefactandi, corrumpendi* (*ut subruo,* ἀνασκάπτω, *untergraben, unterwühlen, saper, miner* etc.). Hinc nihil obstare existimo, quominus μεταλλεύει νοῦν ἄκακον vertamus *subruit mentem malitiae nesciam,* germanice : *untergräbt die Unschuld des Herzens.* Iam Syrus vertit : *corrumpit...* et similiter Armenus : *perturbat,* Arabs : *subvertit...* — *Adnotatio editoris.*

(finem adeptus seu mortuus) valere arbitratus sensum sententiae esse putes, adolescentem pium, quamvis brevi vitam finierit, multos tamen annos explevisse atque virtute aequalem esse seni longaevo. Qui sensus per se quidem verus est, sed hic non expressus; adulterorum potius filiis, quos ad perfectionem praemiumque perfectis promissum nunquam esse perventuros (3,16) sed velut ramos inconsummatos et infructuosos ex arbore decerpendos esse (*v.* 5) docuit, auctor iterum pium iuvenem opponit, qui virtutis exercitio brevi tempore veram suam perfectionem et maturitatem adeptus sit ideoque multos annos explevisse iure dicatur. Namque, ut supra monuit (*v.* 9), vita immaculata constituit veram senectutem, quae veneratione est digna, vel uti *S. Ambr.* (de obitu Theodos. M. 16,1450) egregie habet : « perfecta est aetas, ubi perfecta est virtus ». Hinc *S. Bonav.* sensum recte exposuit : « perfectus in gratia modico tempore explevit meritum, quod alii acquirunt per multa tempora »; atque similiter *Clar.* : « quae alii per multos annos egissent, hic paucis absolvit eamque sanctitatem brevi adeptus est, quam alius longo tempore sibi non comparasset » (ceterum cfr *supra* ad *vv.* 8. 9). Alterum deinde argumentum similiter paucis recapitulatum quasi pro prioris confirmatione affert : 14ª. *Placita* (ἀρεστή i. q. εὐάρεστος *v.* 10, grata) *enim erat Deo anima illius; Propter hoc properavit* (ἔσπευσεν) *educere illum de medio iniquitatum.* Nexus in aperto est; nimirum illum perfectum (consummatum virtute) fuisse ac proinde brevi tempore illam virtutis maturitatem attigisse, ad quam assequendam multi anni requiri creduntur, ex eo probatur, quod Deo tantopere placuerit, ut hic illum ex gravissimo iustitiae amittendae periculo morte praematura eripere voluerit; Deo quippe placere nequit, nisi qui virtute perfectus sit et ad suam plenam maturitatem pervenerit. Tantum igitur abest, ut pii adolescentis mors, quae praepropera videtur, poena sit divina, ut signum dici debeat specialis erga illum dilectionis divinae; id quod suo modo etiam ethnicos cognovisse ab interpretibus testimoniis haud paucis demonstratur[1]. Interrogantibus autem, cur Deus talem iuvenem non potius in periculis gratia sua corroboret et conservet, quam immatura morte ex eis eripiat, recte *Dion. Carth.* respondet : Quamvis Omnipotens possit electum et iustum iuvenem inter iniquissimos conservare immunem, sicut et multos tales conservat quotidie, ipse

1. A *Gr.* haec testimonia afferuntur : *Aesch.* Axioch. v. (p. οἱ θεοὶ τῶν ἀνθρώπων ἐπιστήμονες, οὓς ἂν πλείστου ποιοῦνται, θᾶττον ἀπαλλάττουσι τοῦ ζῆν (dii quum homines cognoscant, eos quos maxime faciunt, celerius a vita liberant); *Menand.* fragm. *v.* 425 : ὃν γὰρ θεοὶ φιλοῦσιν ἀποθνήσκει νέος, quod dictum *Plaut.* Bach. IV. 7,18 ad verbum transtulit : « quem dii diligunt, adolescens moritur »; cfr etiam *Hom.* Odyss. 15,244 sqq.

tamen in diversis electis diversimode operatur, quemadmodum etiam in naturalibus rebus; neque omnia agit secundum omnipotentiam suam, sed aliqua potius iuxta sapientiae suae decentiam atque rerum dispositionem a se electam ».

Difficultatem quandam translatori alterum membrum creat (διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας), de cuius accurata versione controversia est. *Vulgatus* noster interpres ad superiora respiciens, ubi iustus *a Deo* translatus (*v.* 10) et raptus (*v.* 11) dicitur, huius quoque sententiolae subiectum esse Deum ratus verbo σπεύδειν quasi transitivum sensum attribuere debuit; unde eius versio : « *properavit educere illum* de medio iniquitatum »; atque cum eo *Syrus* in constructione consentit, licet aliud verbum suppleat בעגל ארומה *festinanter sustulit illum*. Ad eundem sensum transitivum obtinendum *Nann.* pro ἔσπευσεν legendum esse ἔσπασεν (extraxit) coniecit, sed haec coniectura plane superflua est, quum nihil obstet, quominus cum *Gutb.* auctorem hic constructionem, quae dicitur praegnans, Hebraeis aeque ac Graecis usitatissimam (cfr *Gesen.* Hebr. Gramm. Ed. 27, § 119,4; *Winer* Gramm. des neutest. Sprachgebr. Ed. 7, p. 577) adhibuisse dicamus; per breviloquentiam scilicet scripsit nudum ἔσπευσεν pro ἔσπευσεν καὶ ἐξήγαγεν αὐτόν (properavit et eduxit eum), altero verbo sola praepositione ἐξ quae sequitur indicato. Nonnulli tamen moderni hac brachylogia reiecta, ne quid supplere cogantur, pro sententiae subiecto admittendam esse ipsam iusti animam censent, ut vertendum sit : « placita erat anima eius Deo, ideo celeriter aufugit ex medio iniquitatis ». Contra hanc interpretationem, quam *Castro* iam praetulit et cum *Gr.* aliqui hodie tenent, *Lap.* et *Lorin.* obiecerunt, eam cum *vv.* 10. 11. pugnare : « Deus enim rapuit iustum, non ergo iustus eripuit seipsum; Deus enim omnis gratiae, liberationis, perseverantiae, bonae mortis et salutis est origo, fons et causa prima ac praecipua ». Sed haec minus recte opponi videntur; neque enim illi, qui alteram explicationem praeferunt, Deum omnis gratiae etc. ultimam ac praecipuam causam negare volunt, sed Sapientem per figuram quandam expressisse, praematuram mortem a Deo decretam iusto ipsi tam gratam iucundamquam fuisse, ut quasi sua sponte ipse ex hac vita periculosa avolasse sit dicendus. Idem igitur fere sensus utraque in explicatione exprimitur, neque est cur inquiramus, utra constructio sit praeferenda.

Duo priora argumenta eo consilio repetita esse, ut praematuram mortem pio iuveni non poenam sed insigne beneficium Dei esse appareat, clarum videtur; quia autem impii id non intelligunt, auctor nunc apertis verbis mortem illam divinae misericordiae deberi addit :

14c. *Populi autem* (οἱ δὲ λαοί) *videntes et non intelligentes Nec ponentes in praecordiis talia* (καὶ μὴ νοήσαντες μηδὲ θέντες ἐν διανοίᾳ τὸ τοιοῦτο), 15. *Quoniam* (seu *quod* ὅτι) *gratia* (Dei) *et misericordia est in sanctos eius* (ἐν τοῖς ὁσίοις vel *in electos eius* ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ cfr *VV. LL.*) *Et respectus* (melius hic : *cura et tutela* ἐπισκοπή) *in electos illius* (ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ vel *in sanctos eius* ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ).

Duo hic praenotemus oportet. Praeprimis interpunctio *Vulg*^{ae} *Clem.* non est accurata; siquidem eius editores hoc in loco particulae *quoniam* causalem vim attribuisse ideoque ab ea novum versiculum inchoasse videntur, quem duobus punctis a praecedente separarunt; attamen *quoniam* (vel melius *quod* ὅτι) hic, uti saepissime, sententiam illam, qua obiectum ab impiis neque intellectum neque perpensum exprimitur, introducit atque illud τὸ τοιοῦτο, maioris emphaseos causa praemissum (cfr *Win. Gr.* p. 152) quodammodo exponit; unde arcte cum praecedentibus connectendum est. Deinde attendatur oportet sententiam, quum verbum finitum desit, anacoluthicam esse. Iuniores utique nonnulli participia (ἰδόντες... μὴ νοήσαντες μηδὲ θέντες) more hebraico (cfr *Gesen.* Hebr. Gramm. Ed. 27, § 116,5) pro verbo finito adhibita esse arbitrati constructionem nudo verbo εἰσίν (*sunt*) suppleto sanare voluerunt; id vero subiectivis negationis particulis (μή, μηδέ) prohibetur, quippe quibus participia sensu causali vel conditionali usurpata esse declarentur. Haud quoque satis recte nonnulli moderni, ut anacoluthon evitent, sententiam nostram infra (*v.* 17) ita continuari dicunt, ut *vv.* 15 et 16 aut saltem *v.* 16 parenthesin constituant; eiusmodi enim constructioni particula causalis γάρ (*enim*) in principio *v.* 17 posita obstat. Restat igitur, ut cum *Gr.* aliisque verum adesse anacoluthon concedentes supponamus, auctorem scribere voluisse : οἱ δὲ λαοὶ ἰδόντες καὶ μὴ νοήσαντες μηδὲ θέντες ἐν διανοίᾳ τὸ τοιοῦτο 15. ὅτι... 16. κανακριθήσονται ὑπὸ τοῦ δικαίου θανόντος κτλ. (populi autem videntes [praematuram pii mortem] neque tamen id intelligentes neque perpendentes, quod..., *condemnabuntur* a iusto mortuo), sed eum longa rei, quam impii non intelligunt, expositione quodammodo oblitum esse constructionis passive inchoatae atque novam sententiam activam (*condemnat autem iustus mortuus*) addidisse, quo sensum expleret. Ceterum haec quaestio, quum solum grammaticum sententiarum nexum spectet, sensum ipsum autem parum attingat, explicatione hic non indiget.

Probabile est, auctorem in nostra scribenda sententia similem locum isaianum (*Is.* 57,1) in mente habuisse, qui iuxta alexandrinam versionem ita sonat : ἴδετε ὡς ὁ δίκαιος ἀπώλετο καὶ οὐδεὶς ἀνὴρ ἐκδέχεται, καὶ ἄνδρες δίκαιοι αἴρονται καὶ οὐδεὶς κατανοεῖ (« videte, quomodo iustus perit et nemo illud excipit corde [vel ponit in corde], et iusti viri auferuntur et nemo id intelligit »); libere tamen eum imitatus est accuratiusque definit eos, qui non intelligunt, quum eos nomine τῶν

λαῶν designet. Quid autem hoc nomen hic valeat controvertitur. Nomine λαοῦ Alexandrini rarissime hebr. גּוֹי, quo natio gentilis in oppositione ad filios Israel designari solet, frequentissime autem (scil. plus millies quingenties) hebr. עַם reddunt, quod in singulari plerumque populum israeliticum et in plurali saepe populos universos Israelitis inclusis denotat. Hinc haud recte *Gr.* cum nonnullis nostro in loco nominativum οἱ λαοί de populis ethnicis una cum apostaticis Israelitis intellexit; dicendum potius videtur, hic omni Israelitarum et gentium distinctione omissa auctorem multitudinem hominum seu vulgus et quidem contemtim nomine οἱ λαοί designasse (cfr 1 *Reg.* 24,10. οἱ λόγοι τοῦ λαοῦ verba plebeculae indignae cui aures praebeantur) atque eos notare voluisse, qui statim (*v.* 16) ἀσεβεῖς (impii) nominantur. Hi igitur impii *vident* quidem praematuram pii iuvenis mortem, sed quia ad externam solam rerum speciem attendunt, veram mortis illius causam non agnoscunt, utpote *non intelligentes* (vel forte melius : non considerantes μὴ καταν οήσαντες) *neque in praecordiis ponentes* (μηδὲ θέντες ἐν διανοίᾳ, accuratius : *neque ponentes in mente* i. e. neque perpendentes[1]), *gratiam et misericordiam* (*Dei* uti bene *Vulg.* supplet) esse, vel potius efficacem se exhibere *in electis* eius et *respectum* (ἐπισκοπή hic melius : *visitationem* utique gratiosam, i. e. curam tutelamque divinam) se manifestare *in sanctis eius*. Impii nimirum, si Deum iuxta promissionem suam iustos, qui Legem eius observare student, donis misericordiae suae hac in vita adiuvare eisque sollicite invigilare, ut ad praemia aeterna perveniant, attente considerassent ac perpendissent, profecto mortem illam quoque beneficium benignissimi ac misericordissimi Dei esse animadvertissent.

Nomen χάρις (*gratia*) frequentissime quidem gratuitum donum significat, sed satis quoque frequenter benevolum animum, quo donum illud confertur, et hoc altero sensu illud hic esse sumendum ex nomine addito ἔλεος (*misericordia*) elucet; loquitur autem Sapiens de benevolentia ac misericordia divina, quae donis sese in electis et iustis efficacem exhibet. Quae efficacia altero sententiae sticho accuratius definitur : *et visitatio in sanctis eius;* visitatio enim Dei iustis afferentis auxilium efficax hic intelligitur (cfr ad 2,20 p. 102), quo eos in periculis tueatur (aut ex illis eripiat) et gratiis suis adiutos ad finem eis destinatum, ad perfectae dico virtutis praemium aeternum adducat. Intimus porro duorum stichorum nexus et parallelismus synonymus eosdem hic electos et sanctos appellari docet, ita ut nihil referat, utrum ex nominibus priore aut altero in loco ponatur

1. *Praecordia* significat *a*) diaphragma [Zwerchfell], *b*) intestina, pectus, *c*) sensu metaphorico : mens [Horat. Ovid.]; cfr. infra Sap. 8,21.

(cfr *V V. LL.*), licet per se diversae sint significationis. Namque ὅσιος (*sanctus* i. q. חָסִיד proprie ille dicitur, qui pius est Dei cultor eaque puritate morumque integritate ornatus, quae ex continua memoria ac veneratione Dei quasi sponte profluit (cfr ad 2,22 p. 111); ἐκλεκτός (*electus* i. q. בָּחִיר vero iustus vocatur, quatenus a Deo prae aliis in suum speciale servitium est assumtus, uti olim populus Israel reliquis nationibus praelatus ac peculium Dei factus est (*Deut.* 7,6 sqq. cfr *Is.* 43,20; 45,4 etc.). Animadvertatur autem oportet, nomina *sancti* et *electi* latiore interdum sensu usurpari, ut aliquos vocatione quidem ad sanctorum electorumque numerum pertinere declarent, incertum tamen relinquant, utrum vocationem secuti vel secuturi sint necne; hoc sensu in Vet. Test. cuncti filii Israel *sancti* (10,17; 18,1. 5. 9 [ubi *Vulg.* plerumque habet *iusti*] etc.) et *electi* (*Ps.* 88,4; 104,6. 43; 106,5; *Is.* 65,9 etc.) aliquoties appellantur ac similiter in Novo Test. cunctis fidelibus utraque appellatio saepe attribuitur (ἅγιοι *sancti* : *Rom.* 1,7; 12,13; 15,25. 26. 31 etc.; *electi* : *Col.* 3,12; 2 *Tim.* 2,10; *Tit.* 1,1; 1 *Petr.* 1,1 etc.) verum nostro in loco nomina arctiore ac specialiore sensu de iis usurpata esse patet, qui cum gratiis acceptis cooperati ad veram sanctitatem pervenerunt atque vitam aeternam vere sunt consecuturi. Etenim de iusto pioque iuvene hic agitur, quem divina benignitas et misericordia e vivis eripit, ne pravorum exemplis seductus in peccatum labatur; atque ipsa illa mors, quam impii vident quidem sed recte aestimare nequeunt, tamquam eximium beneficium describitur, quo iustus adolescens ex vitae periculis ereptus in aeternam beatitudinem transfertur.

Iuxta ea, quae de anacoluthica *vv.* 14ᵇ-16 constructione supra monuimus, auctor probabiliter in hunc fere modum sententiam suam passive complere intenderat : « condemnabuntur (scil. populi videntes neque tamen intelligentes, etc.) a iusto mortuo, et longa vita iniusti a pii iuvenis virtute consummata »; sed constructionis inchoatae oblitus complementum istud nunc activa in forma ita addit, ut particula δέ inserta se argumentum, de quo agebat post longiorem expositionem quodammodo recipere significet : 16. *Condemnat* (κατακρινεῖ) *autem iustus mortuus* (θανών, vel defunctus καμών) *vivos impios* (τοὺς ζῶντας ἀσεβεῖς), *Et iuventus celerius consummata* (ταχέως τελεσθεῖσα i. q. τελειωθεῖσα *v.* 13, breviore quam fieri solet tempore *perfectionem assecuta*) *longam vitam* (accuratius : annosam senectutem πολυετὲς γῆρας) *iniusti*. Verbum *condemnandi* hic non proprie esse sumendum, quasi iuvenis cum auctoritate sententiam damnatoriam in impios sit laturus, ex altero sticho parallelo clare elucet; de iudicio potius agitur, quod comparationis dicitur, quatenus nimirum pii praematura quidem sed beata mors et consummata virtus tam brevi tempore obtenta declarat (utique non verbis sed re, si cum impiorum vita

comparatur) impios longo suo annorum numero non obstante poenis dignos et misere perituros esse. Eodem sensu verbum κατακρίνειν etiam *Matth.* 12,41 sq.; *Hebr.* 11,7 adhibetur; unde recte plerique hanc interpretationem semper praetulerunt (cfr *Bonav. Holc. Lyr.* etc., *Castro, Lorin. Lap. Tirin, Calm.* etc.; *Corl. Gutb. Les.* etc.; — *Grot. Gr.* etc.). Parum recte autem *Siegfr.* cum aliis paucis acath. verba nostra de sententia illa intelligit, qua iusti una cum Deo impios ultimo in iudicio condemnabunt (cfr ad 3,8); huic enim explicationi non tantum alter stichus, uti patet, obstat, sed magis etiam quod impii vivi condemnari dicuntur.

Iam ad duplicem lectionem (ὁίκαιος καμών vel θανών cfr *VV. LL.*) quod attinet, ad sensum vix quidquam refert utra admittatur. Critici editores priorem praeferunt, quia librarios potius καμών in θανών quam θανών in καμών mutasse arbitrantur; sed inde ab Homeri aetate mortui tam frequenter οἱ καμόντες et οἱ κεκμηότες appellantur, ut librarii scioli ad alterutram inclinari potuerint. Ceterum negari nequit, auctorem ipsum hoc in loco iuvenem praematura morte abreptum aptissime καμόντα (a κάμνειν operose laborare ac defatigari) appellare potuisse, ut eum brevi tempore laboribus tribulationibusque, quibus superatis ad perfectionem pervenit, defunctum significaret; altera autem ex parte ὁίκαιος θανών accuratius sequenti τοῦς ζῶντας ἀσεβεῖς opponitur, ita ut maiore cum vi doctrinam, quam auctor inculcare vult, declarare videatur.

Postquam tribus argumentis thesin suam de felicitate praematurae mortis demonstravit, Sapiens pro conclusione magnitudinem huius felicitatis haud parum auget infelicissimo impiorum interitu descripto (17-21). Ad hanc conclusionem autem transit amplificatione vel potius clariore explicatione (attende ad particulam γάρ *enim* in *v.* 17) causae modo indicatae interitus impiorum, i. e. stultae occaecationis eorum : 17. *Videbunt enim finem* (sc. vitae i. e. obitum τελευτήν) *sapientis, Et non intelligent quid cogitaverit* (melius : *quod consilium ceperit* τί ἐβουλεύσατο) *de illo* (*Deus*) *Et quare munierit* (melius : *in tuto collocaverit* ἠσφαλίσατο) *illum Dominus :* 18. *Videbunt et contemnent* (ἐξουθενήσουσιν) *eum; Illos autem Dominus irridebit.* Illud quod sua aetate impii faciebant etiam eorum sequaces semper facturos esse praevidens auctor futuris temporibus adhibitis iam omnibus omnium aetatum impiis caecitatem voluntariam atque poenas, quas sua occaecatione sibi attracturi sint, velut propheta praedicere incipit. Ad *v.* 14ᶜ respiciens praeprimis clarius explicat, quid impii visuri quidem sed non intellecturi sint : *obitum* quippe *sapientis,* i. e. pii adolescentis, qui in ipsa sua iuventute utpote virtutis perfectionem seu sapientiam practicam iam adeptus nomine sapientis appellari meretur, praematurum esse utique *vident;* sed pro sua insipientia *non intelligunt consilium* quod in eo tam celeriter auferendo *Deus habuerit,* scilicet non

intelligunt *Deum eum* praematura morte ex huius vitae periculis ereptum *in tuto collocare voluisse*. Alter enim stichus nihil est nisi prioris expositio; nam recte *Gutb.* monet impios non tam causam, ob quam in tutum sit translatus ignorare, quam non intelligere, ipsam pii iuvenis salutem, quae si diutius vixisset, in magno fuisset periculo, causam praematurae eius translationis fuisse, neque perspicere, quam insigne documentum specialis in eum amoris divini praematura illa mors fuerit. Hinc non immerito quoque censet auctorem illud εἰς τί ἠσφαλίσατο αὐτόν (quare eum in tuto collocaverit) per breviloquentiam dixisse pro : εἰς τί ἔσπευσεν αὐτόν, δηλονότι ἵνα ἀσφαλίσηται αὐτόν (quare eum celeriter abripuerit, scilicet ut eum in tuto collocaret). Magna deinde cum emphasi et sollemnitate initium praecedentis sententiae (ὄψονται *videbunt*) repetit, ut infelices levitatis socordiaeque, qua impii rem considerant, sequelas exponat. Quod enim ad impios ipsos attinet, ad solam externam mortis illius speciem attendentes eiusque causam non intelligentes pium iuvenem *contemnunt* (ἐξουθενήσουσιν i. q. nihili facient s. vilipendent) atque irrident quasi hominem, qui temere ac frustra spem fiduciamque suam in Deo posuerit; at sua ex parte *Deus* iuxta talionis legem *eos* ipsos *irridebit* (ἐκγελάσεται fere i. q. in cachinnos de iis prorumpet) velut homines insolentes ac superbos, qui divina decreta, quae non intelligunt subsannare audent. Recte *S. Thom.* (in *Ps.* 2,4, ubi Deus populos contra ipsum rebellantes irrisurus esse, ἐκγελάσεσθαι, dicitur) adnotat : « Sicut puer aliquis nullius potestatis ac virtutis, si pugnat cum gigante, irridetur a gigante, ita si quis nullius potestatis moliri vult contra eum, qui habitat in coelis, irridetur ab eo ».

Quae divina impiorum irrisio tantum abest, ut ab iis velut levis et inefficax contemtui haberi queat, ut gravissimis aeternisque poenis in eos se sit manifestatura; velut sequelas enim irrisionis illius Sapiens poenas describit, earum nimirum enumerationem per particulam καὶ, quae hic consecutiva est (i. q. *atque ita*) praecedenti sententiae adiungens : 19. *Et* (atque ita) *erunt post haec* (μετὰ τοῦτο) *decidentes sine honore* (ex graeco ἔσονται εἰς πτῶμα ἄτιμον melius vertes : *erunt cadaver* seu velut cadaver *infame* seu ignominiosum) *Et in contumelia* (lege : *in contumeliam* seu *ludibrium* (εἰς ὕβριν) *inter mortuos* (ἐν νεκροῖς) *in perpetuum* (δι' αἰῶνος proprie : per aeternitatem); *Quoniam disrumpet illos inflatos sine voce* (graecam lectionem : ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς verte : *prosternet eos elingues praecipites*[1]), *Et*

1. Pro πρηνεῖς, quod in omnibus graecis codd. invenitur et ab aliis quoque veteribus translatoribus exprimitur, latinus interpres adiectivum quoddam a verbo πρήθειν derivatum

commovebit illos a fundamentis (clarius : *et concutiet illos funditus* καὶ σαλεύσει αὐτοὺς ἐκ θεμελίων), *Et usque ad extremum desolabuntur* (seu delebuntur χερσωθήσονται), *Et erunt gementes* (seu *in dolore* ἐν ὀδύνῃ), *Et memoria illorum peribit*. De poenis hic agi, quae impiis post mortem subeundae sint, dictio μετὰ τοῦτο (post haec i. q. post hanc vitam) clare docet; si qui enim eam cum *Gr.* proxime significare voluerint « postquam eorum insolentia desaeviit », ad eumdem tamen atque nos sensum pervenient, siquidem de impiis sermo est, qui in impietate sua morientur; insolentiam ergo ac proterviam suam non nisi cum vita vel potius nunquam deponent. Similiter poenas illas fore aeternas ex secundi membri dictione εἰ᾽ αἰῶνος apparet, quippe quae in alexandrina versione hebraeo לְעוֹלָם vel עַד־עוֹלָם respondet (cfr *Deut.* 5,16; 12,26, etc.) ac proinde perpetuitatem temporis seu aeternitatem designat. Nonnullis porro in sententiae membris reddendis interpres noster latinus graeci textus vim ac gravitatem non est assecutus. Primum iam statim membrum (ἔσονται εἰς πτῶμα ἄτιμον) quum ex tribus nominis πτῶμα significationibus (casus, ruina, cadaver) usitatiorem quidem sed satis quoque vagam elegerit (erunt in casum i. e. erunt decidentes), ieiune omnino ac frigide reddidit planeque enervavit, ita ut genuina graecae dictionis vis disparuerit. Melius iuniores ac moderni quidam (cfr *Nann.* etc. *Gutb. Les.*[2] etc.) secundam significationem (ruina) elegerunt atque impios arbori evulsis radicibus in humum proiectae vel aedificio horrenda tempestate everso ac diruto comparari arbitrati sunt. Attamen si ad sequens membrum, quod nostro arcte adnectitur, attenderimus, proculdubio cum plerisque modernis (cfr *Corl. Loch, Les.*[1] *Zenner* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.) tertiam significationem praeferemus, praesertim quum *Gr.* recte moneat auctorem locum isaianum (*Is.* 14,19) in memoria habuisse. Namque apud iuniores Graecos πτῶμα frequenter valet *cadaver* atque etiam in Scripturis haec nominis vis est usitata (cfr *Iudic.* 14,8; *Ps.* 109,6, ubi *Vulg.* male vertit ruinas; *Ezech.* 6,5; *Matth.* 24,8; *Marc.* 6,29; *Apoc.* 8 sq. etc.); apud *Is.* 14,19 autem Deus regi Babylonis praedicit secundum versionem alex.) : « tu proiicieris in montibus sicut cadaver abominandum cum multis mortuis, qui occisi sunt gladiis et descendunt in infernum [1] ». Simili ergo ratione Sapiens

legisse videtur; πρήθειν enim et *comburere* valet et *inflare*, sed πρηνής est i. q. *pronus* seu *praeceps* (cfr verbum πρηνίζειν *praecipitare*).

1. Alexandrinis accuratius *S. Hier.* hebraicum loci textum reddit : « tu autem proiectus es (seu proiicieris) de sepulchro tuo quasi stirps inutilis pollutus et obvolutus cum his, qui interfecti sunt gladio et descenderunt ad fundamenta laci quasi cadaver putridum ».

minatur, impios futuros esse quasi cadavera infamia et abominanda, quae utpote sepulchro indigna, proiiciantur; hac quippe ratione dictio ἔσονται... εἰς ὕβριν ἐν νεκροῖς explicetur oportet, siquidem ὕβρις, quod proxime superbiam sese protervitate et crudelitate manifestantem denotat, non minus frequenter de contumeliis, quibus ab aliis afficimur (cfr 2 *Cor.* 12,10), quam de iis quibus alios laedimus (cfr *Eccli.* 10,8) usurpatur. Qui igitur tanta cum superbia contra Deum insurrexerunt, ut eum ipsum fidelesque eius servos irridere auderent, ii iuxta talionis legem ita deprimentur, ut ab ipsis damnatis, quibuscum habitare cogentur, continuis contumeliis onerentur. Quomodo autem Deus hanc poenam iis sit irrogaturus, reliqua membra variis similitudinibus describunt. Praeprimis eos ex alto loco, in quo sibi stare videntur, *praecipites prosternet* atque tam subito eos praecipitabit, ut prae terrore vocem edere non valentes quasi *elingues* (ἄφωνοι) esse videantur; locus quidem, in quem praecipitantur, non est nominatus, sed dubitari non potest, quin infernus (hades) sit intelligendus. Simul autem *funditus eos concutiet;* similitudine autem aedificii violenta tempestate concussi et diruti Sapiens impios una cum vita etiam divitiis rebusque omnibus, quas eousque unice amaverant et in quibus totam suam felicitatem quaesierant totamque fiduciam suam posuerant, penitus exspoliatum iri significat. Hinc porro fiet, ut *ad extremum desolentur* i. e. quasi in solitudinem redigantur, vel melius, ita deleantur, ut ne vestigium quidem eorum sit remansurum; in inferno semper gementes, utpote continuis *in doloribus degentes,* in terris sui memoriam non relinquent : *memoria* enim *eorum peribit.*

Supra (2,4) impii ipsi sua nomina operaque sua oblivione deletum iri quasi gloriantes asseruerant, quin etiam hanc memoriae suae completam exstinctionem velut rationem attulerant, cur deliciis voluptatibusque se totos tradere vellent; quapropter nonnulli hanc nominis oblivionem parum apte hoc in loco inter eorum poenas recenseri arbitrantur, utpote quam ipsi pro beneficio potius quam pro poena habeant. Attamen non attendunt, Sapientem hac poenarum, quibus impii plectentur, descriptione non tam impios ipsos terrere et ad poenitentiam adducere velle (impiis quippe suum librum non destinavit), quam pios ab impiis vexatos consolari ac confortare atque simul monere, ne ab illis se seduci sinant; iam quanto in pretio pii Israelitae memoriam maiorum suorum habuerint et quantopere ipsi in memoria posterorum vivere desideraverint, ex locis supra (2,4) allatis abunde constat. Ceterum recte quoque dici videtur, impios memoriae suae oblivionem verbis quidem iactasse sed re non credi-

disse, ita ut haec Sapientis assertio (*memoria eorum peribit*) eis, dummodo ad mentis sanitatem redire vellent, summopere prodesse potuerit.

Haud male *Corl.* adnotat, duo hic proponi quae primo intuitu contradictoria esse videantur, quum una ex parte impii inter mortuos prostrati iacere, altera ex parte irrideri doloribusque cruciari, immo in sequentibus etiam sortem iustorum conspicere et propriam agnoscere infamiam dicantur. Cuius apparentis contradictionis ratio est in usu loquendi, quo mortui ii quoque appellantur, qui beata vita aeterna carent; impii vivunt quidem, at non ut vita fruantur, sed ut opprobria et tormenta patiantur. Idem dicendi genus interdum in Novi Test. libris invenitur.

Ultima huius sectionis sententia arctissime cum prima sequentis (5,1) est connexa ambaeque coniunctae orationem quodammodo traducunt ad descriptionem ultimi iudicii, quo finalis impiorum piorumque sors irrevocabiliter stabilietur et impii una cum vitae suae errore iustitiam suarum poenarum agnoscere cogentur. Haec sententia velut confirmatio quaedam poenarum descriptarum considerari potest, sed insuper singularem poenam, confusionem scilicet impiorum, recensitis poenis addere videtur. Gravissimum enim procul dubio impiis erit, quod iam in infernum detrusi ad generale tamen iudicium venire cogantur, ut coram Deo iudice universisque angelis et beatis sese ipsos accusent et damnent; namque 20. *Venient* (scilicet ad iudicium) *in cogitatione* (ἐν συλλογισμῷ) *peccatorum suorum timidi* (δειλοί), *Et traducent* (i. e. convincent et confundent ἐλέγξει) *illos ex adverso iniquitates ipsorum* (τὰ ἀνομήματα αὐτῶν). Nomen συλλογισμός valet *computatio;* duplici autem sensu sumi potest, aut subiectivo aut obiectivo, prout haec peccatorum computatio aut a peccatore ipso aut ab eius iudice institui admittitur. Priorem sensum *Vulg.* nostra, uti ex pronomine *suorum* apparet, praetulit eumdemque longe plerique interpretes tenuerunt, qui aut ad graecum textum non attendentes explicant : « impii peccata sua animo volventes venient timidi », aut accuratiore nominis graeci definitione recepta interpretantur : « impii in mente et memoria sua, dictante conscientia, in unum quasi cumulum colligent omnia scelera vitae anteactae, quo fit ut summo timore percellantur et extremo pudore consternantur » (*Lap.*) vel potius : « quo fit, ut timore perculsi et pudore affecti veniant ad iudicium ». Communis haec antiquiorum iuniorumque interpretum explicatio tam accurate et verbis ipsis et contextui consonat, ut nihil habeat quod vituperetur atque iure etiam plerisque modernis probetur. Nonnulli tamen moderni obiectivum sensum hic admittendum arbitrantur, ita ut dictione ἐν συλλογισμῷ ἁμαρτημάτων αὐτῶν tempus designetur iudicii universalis, unde sententiolam exponunt : « impii

in computatione peccatorum eorum, i. e. quando eorum peccata computabuntur (scilicet a iudice, ut de iis iudicium exerceat), venient timidi » (cfr *Gutb.*[2] etc. — *Gr. Siegfr.*, etc.). Hanc quoque explicationem verbis plane consonare patet; minus tamen nobis probatur, quia ad nexum cum sequenti sticho non satis attendit : καὶ ἐλέγξει αὐτοὺς ἐξεναντίας τὰ ἀνομήματα αὐτῶν : apud semetipsos nimirum numerum peccatorum suorum computantes timere incipiunt, et peccata ipsa, quae cognoverunt, velut accusatores contra eos consurgent eosque supplicio dignos esse convincent. Hic enim nexus, qui iuxta communem prioris stichi explicationem in aperto est, magis minusve obscuratur, si altera admittitur atque peccata a iudice computari dicuntur. Praeterea illud quoque considerandum est, S. Paulum (uti ad alios multos nostri libri locos) probabiliter etiam ad nostram sententiam priore sensu intellectam allusisse, ubi nimirum de ethnicis loquitur, quos legem in cordibus inscriptam habere non tantum nunc honesta nonnullorum vita ostendat, sed etiam in die, qua Deus per Christum occulta hominum iudicaturus sit, eorum conscientia testatura sit « inter se invicem cogitationibus (eorum) accusantibus aut etiam defendentibus » (*Rom.* 2,15.16, cfr nostrum Comment. in Rom., p. 136 sqq.).

4. — *Impiorum ac piorum sortes diversae post mortem* (5,1-24).

Temporis quasi ordine quodam observato Sapiens hac quarta in sectione, postquam in prioribus impios et in vita et in morte piis miseriores et infeliciores esse ostendit exemplisque demonstravit, doctrinam eamdem diversis eorum post mortem sortibus diversoque modo, quo erga alterutros Deus se habeat ac habiturus sit, adumbratis confirmat. Namque prius impios coram Iusto, quem se ignominiosae morti tradere frustra conatos esse vident (cfr ad 2,12 sqq.), tamquam Iudice suo constitutos exhibet stupentes de sua ipsorum illiusque sortibus tam subito mutatis et de inanitate vitae suae peractae ac de futilitate deliciarum, in quibus conquirendis et fruendis totum suum studium posuerant, conquerentes et desperantes (5,1-15). Deinde a brevi beatitudinis gloriosae, qua pii altera in vita fruituri sint, descriptione exorsus Deum velut armis indutum depingit, cum suis sociis pios suos servos efficaciter protegentem, impiosque eorum ac sui ipsius adversarios acerrime debellantem planeque profligentem (5,16-24).

Antiquiores quidem et iuniores plerique interpretes unum solum argumentum in tota hac sectione tractari arbitrati sunt; cum *S. Bonav.*

quippe sibi persuaserunt, auctorem « hic iustorum statum statui iniustorum *in ipso iudicio* ita comparare, ut primo tangat iustorum constantem accusationem (*vv.* 1.2), secundo reproborum confessionem (3-15), tertio utrorumque retributionem (16-24) ». Quam argumenti descriptionem ac pericopes divisionem, quamvis logico suo ordine se commendare videatur, parum auctoris verbis respondere ex infra dicendis apparebit; neque enim de constanti iustorum accusatione (*vv.* 1.2) neque inde a *v.* 16 de retributione utrorumque quidquam tradit.

1). *Impiorum confusio et desperatio in iudicio* (5,1-15).

5,1. Tunc stabunt iusti in magna constantia Adversus eos, qui se angustiaverunt, Et qui abstulerunt labores eorum. 2. Videntes turbabuntur timore horribili, Et mirabuntur in subitatione insperatae salutis, 3. Dicentes intra se, poenitentiam agentes Et prae angustia spiritus gementes : Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum Et in similitudinem improperii. 4. Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam, Et finem illorum sine honore : 5. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, Et inter sanctos sors illorum est. 6. Ergo erravimus a via veritatis, Et iustitiae lumen non luxit nobis, Et sol intelligentiae non est ortus nobis. 7. Lassati sumus in via iniquitatis et perditionis, Et ambulavimus vias difficiles : Viam autem Domini ignoravimus. 8. Quid nobis profuit superbia? Aut divitiarum iactantia quid contulit nobis? 9. Transierunt omnia illa tamquam umbra Et tamquam nuntius percurrens : 10. Et tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, Cuius, cum praeterierit, non est vestigium invenire, Neque semitam carinae illius in fluctibus : 11. Aut tamquam avis, quae transvolat in aere, Cuius nullum invenitur argumentum itineris, Sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum Et scindens per vim itineris aerem, Commotis alis transvolávit, Et post hoc nullum signum invenitur itineris illius : 12. Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum : Divisus aer continuo in se reclusus est, Ut ignoretur transitus illius : 13. Sic et nos nati continuo desivimus esse, Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere : In malignitate autem nostra consumpti sumus.

5,1. Τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος Κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτόν Καὶ τῶν ἀθετούντων τοὺς πόνους αὐτοῦ. 2. Ἰδόντες ταραχθήσονται φόβῳ δεινῷ, Καὶ ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας. 3. Ἐροῦσιν ἐν ἑαυτοῖς μετανοοῦντες, Καὶ διὰ στενοχωρίαν πνεύματος στενάζοντες· Οὗτος ἦν ὃν ἔσχομέν ποτε εἰς γέλωτα Καὶ εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ 4. οἱ ἄφρονες. Τὸν βίον αὐτοῦ ἐλογισάμεθα μανίαν Καὶ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ ἄτιμον. 5. Πῶς κατελογίσθη ἐν υἱοῖς Θεοῦ, Καὶ ἐν ἁγίοις ὁ κλῆρος αὐτοῦ ἐστιν; 6. Ἄρα ἐπλανήθημεν ἀπὸ ὁδοῦ ἀληθείας Καὶ τὸ τῆς δικαιοσύνης φῶς οὐκ ἔλαμψεν ἡμῖν, Καὶ ὁ ἥλιος οὐκ ἀνέτειλεν ἡμῖν. 7. Ἀνομίας ἐνεπλήσθημεν τρίβοις καὶ ἀπωλείας, Καὶ διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους, Τὴν δὲ ὁδὸν Κυρίου οὐκ ἔγνωμεν. 8. Τί ὠφέλησεν ἡμᾶς ἡ ὑπερηφανία; Καὶ τί πλοῦτος μετὰ ἀλαζονείας συμβέβληται ἡμῖν; 9. Παρῆλθεν ἐκεῖνα πάντα ὡς σκιὰ Καὶ ὡς ἀγγελία παρατρέχουσα· 10. Ὡς ναῦς διερχομένη κυμαινόμενον ὕδωρ, Ἧς διαβάσης οὐκ ἔστιν ἴχνος εὑρεῖν, Οὐδὲ ἀτραπὸν τρόπιος αὐτῆς ἐν κύμασιν· 11. Ἢ ὡς ὀρνέου διϊπτάντος ἀέρα οὐθὲν εὑρίσκεται τεκμήριον πορείας, Πληγῇ δὲ ταρσῶν μαστιζόμενον πνεῦμα κοῦφον Καὶ σχιζόμενον βίᾳ ῥοίζου, Κινουμένων πτερύγων διωδεύθη, Καὶ μετὰ τοῦτο οὐχ εὑρέθη σημεῖον ἐπιβάσεως ἐν αὐτῷ· 12. Ἢ ὡς βέλους βληθέντος ἐπὶ σκοπόν, Τμηθεὶς ὁ ἀὴρ εὐθέως εἰς ἑαυτὸν ἀνελύθη, Ὡς ἀγνοῆσαι τὴν δίοδον αὐτοῦ. 13. Οὕτως καὶ ἡμεῖς γεννηθέντες ἐξελίπομεν, Καὶ ἀρετῆς μὲν σημεῖον οὐδὲν ἔσχομεν δεῖξαι, 14. Ἐν δὲ τῇ κακίᾳ ἡμῶν κατεδαπανήθημεν. 15. Ὅτι ἐλπὶς ἀσεβοῦς ὡς φερόμενος χνοῦς ὑπὸ ἀνέμου, Καὶ ὡς πάχνη ὑπὸ λαίλαπος διωχθεῖσα λεπτή, Καὶ

14. Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt : 15. Quoniam spes impii tamquam lanugo est, quae a vento tollitur, Et tamquam spuma gracilis, quae a procella dispergitur; Et tamquam fumus, qui a vento diffusus est, Et tamquam memoria hospitis unius diei praetereuntis

ὡς κάπνος ὑπὸ ἀνέμου διεχύθη, Καὶ ὡς μνεία καταλύτου μονοημέρου παρώδευσεν [1].

Ut pulcherrimae huius pericopes sensus integer percipiatur et intelligatur, duae adnotationes praemittendae videntur. Quarum prior

1. *VV. LL.* — 1. ὁ δίκαιος (iustus) est communis lectio omnium Graecorum, qui similiter in sequentibus singularem constanter retinent (1. αὐτοῦ, αὐτοῦ, 3. οὗτος ἦν ὄν, 4. αὐτοῦ, 5. κατελογίσθη, αὐτοῦ), quibuscum alii interpretes plerique consentiunt praeter *latin.*, qui nomen δίκαιος hic collective esse sumendum ratus ubique pluralem parum recte substituit; cfr *Comment.* — τῆς σωτηρίας (*salutis*) nullo pronomine addito, B A cum plerisque minusc., *Vulg. Syr.*; sed ℵ cum nonnullis minusc. : τῆς σωτηρίας αὐτοῦ (salutis eius scil. Iusti) apte quidem ad sensum, sed superflue, quia nomen contextu sufficienter definitur. Ex superflua quoque librarii cuiusdam correctione *Vulg.* legit *insperatae salutis* cfr *Comment.* — 3. ἐροῦσιν ἐν ἑαυτοῖς (dicent inter se) B A cum plerisque; sed ℵ cum paucis praepositione omissa : ἐροῦσιν ἑαυτοῖς (dicent sibi ipsis i. q. apud se cogitant). Vulgatae codices quidam cum communi lectione graeca consentientes : *dicent inter se;* sed *Vulg. Clem.* maiorem numerum latin. codicum secuta parum apte : *dicentes intra se;* cfr *Reusch.* — στενάζοντες (*gementes*) B cum nonnullis. *Vulg.*; sed minus recte ℵ A aliique : στενάξουσιν (gement), immo ℵ plane superflue addit : καὶ ἐροῦσιν (gement et dicent). — 5. πῶς (quomodo) nulla interiectione aut coniunctione addita, B ℵ A aliique graeci codd. consentientibus nonnullis codicibus *Vulg.*; cum aliis tamen codicibus latinis *Vulg. Clem.* habet : *ecce quomodo*, ac tertia latinorum codd. classis legit : *quomodo ergo;* prima lectio retineatur oportet. — 6. Utrum legatur ἔλαμψεν ἡμῖν (*luxit nobis*), an ἔλαμψεν ἐν ἡμῖν (luxit in nobis), an demum ἐπέλαμψεν ἡμῖν (illuxit nobis), ad sensum nihil interest. Similiter sensus vix mutatur, si pro nudo ὁ ἥλιος (sol), quam lectionem omnes Graeci habent, cum *Vulg. Clem.* legis : *sol intelligentiae* aut cum aliis codd. latinis melius : *sol iustitiae*, quum genetivus τῆς δικαιοσύνης ex contextu sua sponte suppleatur. — 7. ἐνεπλήσθημεν (repleti vel satiati sumus) est certa lectio; eandem etiam *Vulgatae* interpres suo *lassati sumus* expressit et quidem rectissime; cfr *Comment.* — 8. πλοῦτος μετὰ ἀλαζονείας (divitiae cum iactantia) est communis lectio Graecorum; satis libere a *Vulgatae* codicibus vertitur : *divitiarum iactantia;* propius ad graecam lectionem accedit, minus tamen apte eius sensum expressit *Lucif. Calar.* suo *divitiae cum exultatione.* — 11. ὡς ὀρνέου διϊπτάντος ἀέρα οὐθὲν εὑρίσκεται τεκμήριον πορείας (sicut avis transvolantis aerem nullum invenitur vestigium itineris) est communis Graecorum lectio; utrum ab ipso *Vulg.* interprete an a librario quodam genetivus *cuius* sit insertus, non plane constat; in reliquae sententiae constructione interpres ipse procul dubio erravit; cfr *Comment.* — 14. De *v.* 14. *Vulgatae* cfr etiam *Comment.* — 15. Utrum χνοῦς (palea) cum B ℵ A et nonnullis minusculis, an χοῦς (pulvis, cinis) cum plerisque minusculis legatur, parum interest; *Vulg.* suo *lanugo* probabiliter priorem vocem (χνοῦς) reddere voluit; cfr *Comment.* — πάχνη (pruina) B ℵ A et plerique codd. graeci; sed ob minus aptum sensum legatur oportet ἄχνη (spuma); quae lectio, licet in paucis tantum graecis codd. nunc habeatur, certa redditur auctoritate *Vulg. Syr. Arm.*

est de externa eius forma; in controversia enim est, utrum auctor noster prophetico, ut ita dicam, spiritu illustratus rei cuiusdam, quae in iudicio universali vere eventura sit, rationem et ordinem nobis explicare, an potius per fictionem quamdam seu figuram poeticam id unum nos docere voluerit, impios post suam mortem beatitudinem, qua iusti fruuntur, cognituros atque ob hanc cognitionem de miserrima sua ipsorum sorte acerbiores cruciatus habituros graviusque conquesturos esse. Catholicis vix non omnibus et antiquioribus quoque acatholicis interpretibus persuasum erat, sapientem hic universale iudicium ante oculos habuisse et velut prophetam futuram impiorum desperationem describere; simul autem omnino concedebant, eum simili ratione, atque alios prophetas, praedictionem suam poetice exornasse neque ullatenus rem futuram eo modo, quo historici res praeteritas enarrant, depingere voluisse. Ad hunc autem modum loquendi prophetarum *Gr.* non attendit, si cum reliquis rationalistis, negato iudicio universali, alteram sententiam secutus auctorem doctrinam de Deo iusto piorum et impiorum retributore imagine quadam ex Iudaeorum opinionibus desumpta « eodem modo » (auf dieselbe Weise) exornasse asserit, « quo hodie rationalistici praedicatores coram populo de iudicio universali (quod futurum esse negant) loquuntur eiusque descriptione doctrinam futurae cuiusdam retributionis auditoribus suis commendant ». Quæ non minus inepte quam impie asseri, demonstratione non indiget; si Sapiens in istorum incredulorum praedicatorum morem ea, quae vera esse ipse negavit, lectoribus suis ut eos falleret proposuisset, profecto opus eius attentione non esset dignum neque quisquam prudens in eo interpretando tempus operamque collocaret. Prior igitur sententia eo modo quo eam explicavimus, cum reliquis catholicis interpretibus retineatur oportet.

Maioris momenti altera quaestio videtur, quis quinque prioribus in versibus nomine ὁ δίκαιος (*iustus*) designetur. Quemadmodum monuimus (cfr *VV. LL.*), latinus interpres singularem, quem graecus textus constanter in tota illa particula retinet, ubique in pluralem transmutavit; id quod per se, si sola grammatica ratio spectatur, fieri utique licuit, quum « frequenter nomen singularis numeri cum articulo structum sensu collectivo adhibeatur ad *totum* aliquod rerum aut personarum genus indicandum, velut in illo **1** *Petr.* **4**,18 : εἰ ὁ δίκαιος μόλις σώζεται, ὁ ἀσεβὴς καὶ ὁ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται : si *iustus* (i. e. iusti omnes) vix salvatur, impius et peccator (i. e. impii et peccatores omnes) ubi apparebit? » (*Beel. gr. N. T.*, p. 173; *Win. gr.*, p. 164, etc.). Hinc autem factum est, ut non tantum antiquiores interpretes, quibus textus graecus ignotus erat, verum etiam Vulgatae auctoritate per-

moti iuniores modernique plurimi iustos omnes hic impiis in iudicio opponi arbitrati sint. Attamen grammatica illa constructione sola, praesertim quum nomen collective sumi dumtaxat permittat, nequaquam vero iubeat aut postulet, sensus nostri loci nondum est definitus. Contextus quoque quum proximus tum remotus consideretur oportet; remotus autem omnino suadet, ut nomen ὁ δίκαιος hic eodem modo, quo 2,12 sqq., de una persona determinata, et quidem de Iusto κατ' ἐξοχήν seu de Christo Domino interpretemur atque cum Graecis singularem retineamus, sicut latinus interpres eum supra (2,12-20) ipse retinuit. Vix non omnes enim moderni recte tenent, nostram pericopen superiori, quam indicavimus, respondere cum illaque tam arcte cohaerere, ut illam quasi continuet et compleat; quare etiam nonnulli ex iis, qui superiorem de Christo interpretari nolunt, ad latinam nostri loci versionem appellant, ut latini interpretis auctoritate suam opinionem confirment (cfr *Gutb.* etc.). Nos vero contrariam viam ineuntes, postquam superiorem locum vere esse messianicum vaticinium demonstravimus et hanc interpretationem ab adversariorum obiectionibus vindicavimus, iure nobis ex eo colligere videmur, nostrum quoque de Messia agere, in superiore quippe Christi passionem ignominiosamque mortem, in hoc autem gloriosum triumphum praedici, quem in secundo suo adventu de omnibus suis inimicis acturus est; qua in explicatione nobis iam *S. Athan.* (Sermo mai. de fide. M. 26, 1282) praeivit. Eo maiore cum iure id colligere nobis licet, quia etiam in duobus celeberrimis vaticiniis de Messia patiente et ignominiosae morti tradito (*Is.* 52,13-53,12 et *Ps.* 21) ad quae Sapientem in superiore loco respexisse ostendimus (cfr *supra* ad 2,13 et 2,18 sq. pp. 95 sq., 99) Isaias aeque atque David ad auferendum quodammodo scandalum crucis tristibus suis praedictionibus statim adumbrationem praeclarorum fructuum adnectere voluerunt, quos Christus passione et morte sua esset acquisiturus. Nihil porro in tota hac pericope inveniri, quod huic nostrae sententiae non egregie consonet, atque etiam *v.* 5, quo solo *Corl.* se ab ea admittenda retineri ait, ad eam optime quadrare, ex singulorum *vv.* interpretatione apparebit.

Ceterum quamvis in nostra sicut in superiore pericope omnia quae de *iusto* dicuntur, proxime ac directe de Christo Domino dici teneamus, libenter tamen illa certo quodam modo de omnibus quoque iustis valere concedimus. Unum enim corpus mysticum omnes iusti velut membra constituunt cum capite suo Christo, quocum tam arcto vinculo sunt coniuncti, ut quaecunque de capite dicuntur, illa pro portione etiam singulis membris conveniant; id quippe haud paucis

Novi Test. testimoniis, quibus Sapiens quasi praeludit, extra dubium est positum (cfr nostrum Comment. in Rom., p. 314 sqq.; in 1 *Cor.*, p. 138 sq. 375). Quemadmodum igitur illa quae supra Sapiens de Christo a Iudaeis infidelibus occaecatisque despecto, vexato, infami morti tradito praedixit, etiam de iustis, utpote qui ob intimam suam cum Christo coniunctionem ab impiis impiorum Iudaeorum aemulis persecutionibus ac vexationibus continuis premantur, ita illa quoque, quae nunc de Christo impios suos persecutores universali in iudicio apparitione sua gloriosa terrente et confundente praedicit, apte de omnium iustorum quoque gloria explicantur, quippe qua reproborum confusio et desperatio haud parum augeatur. Itaque latinus interpres, quum singulari ὁ δίκαιος pluralem *iusti* substitueret, non tam a genuino loci sensu aberrasse, quam completum non expressisse et pulcherrimum nostrum vaticinium nonnihil obscurasse dicendus est, quatenus fundamentum ipsum, cui Vulgatae explicatio innititur, silentio praetermisit. Iamvero in nostra interpretatione singularem *Iustus* cum textu graeco retinebimus, ad latinae autem versionis diversitatem non amplius attendemus, siquidem explicationem nostram lectioni Vulgatae, si quis eam praeferendam censuerit, levi opera adaptabit.

Quibus praemissis interpretationem ipsam aggrediamur. Ultima sua praecedentis sectionis sententia Sapiens orationem ad iudicium universale traduxit, quum impios ob peccatorum quae conscientia eis obiicit multitudinem ac gravitatem *timidos* ad illud accessuros esse diceret; quid autem in illo eis sit eventurum, nova hac sectione ita exponit, ut primum suis ipsius verbis terrorem, quo coram *Iusto* sibi apparente corripientur, describat (*vv.* 1-3ª), deinde autem impios introducat stuporem suum de inexspectata mutatione sortis Iusti, quem deriserant, exprimentes (3ᵇ-5) et conquerentes de errore vitae suae anteactae (6.7), de vanitate et fragilitate deliciarum quibus se dederant (8-12), uti de infelici sorte quae eis reliqua est (13-15).

Ad praecedentem igitur sententiam respiciens auctor pergit : 5,1. *Tunc* (τότε i. e. statim ut impii ad divinum tribunal pervenerint) *stabunt iusti* (lege : *stabit iustus* στήσεται... ὁ δίκαιος) *in magna constantia* (rectius : *magna cum confidentia* ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ) *Adversus eos qui se angustiaverunt* (lege : *coram illis qui eum angustiaverunt* seu vexarunt κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτόν) *Et qui abstulerunt labores eorum* (lege : *et qui spreverunt labores eius* καὶ τῶν ἀθετούντων τοὺς πόνους αὐτοῦ).

Nonnullae graecae dictiones parum recte vel minus accurate a nostro

interprete sunt redditae. Praeprimis nomen παῤῥησία, quod etymologiae suae (πᾶν et ῥῆσις) vi proxime illam *loquendi* rationem, qua quis omnia quae sentit, publice et perspicue *eloquitur,* seu libertatem in dicendo designat (cfr *Marc.* 8,32; *Ioan.* 7,13. 26; 11,14; 16,25 etc.), frequenter quidem loquendi notione obscurata eam animi dispositionem declarat, qua sine verecundia et timore aliquis iuxta ea quae sentit aperte ac libere *agit,* nusquam vero id valet, quod latinum *constantia,* licet etiam semel in Novo Test. (*Act.* 4,13) hoc nomine sit translatum[1]. Nostro in loco plerique *fiduciam* seu *confidentiam* interpretantur, idque recte. Namque in oppositione ad statum humilitatis, ob quem Christus in terris degens ab impiis Iudaeis velut homo vilis et abiectus despiciebatur, gloriae status indicatur, in quo Christus universali in iudicio tamquam victor, ad quem hostes domiti captique adducuntur, sese occaecatis suis persecutoribus magna cum confidentia et maiestate exhibebit; apte autem ad hunc statum indicandum auctor noster nomen παῤῥησία elegit, quippe quod *dominium* connotet, quo Dominus iudicium in impios exerciturus est[2]. Deinde animadvertatur oportet, dictionem κατὰ πρόσωπόν τινος proprie valere *versus faciem alicuius,* ita ut eam intuear, i. e. *coram aliquo* (cfr *Paral.* 28,8 κατὰ πρόσωπον πάσης ἐκκλησίας Κυρίου i. q. לְעֵינֵי כָּל־יִשְׂרָאֵל קְהַל־יהוה coram universo Israel, coetu Domini; *Deut.* 7,24; 9,2; *Iudic.* 2,14, etc.; *Luc.* 2,31; *Act.* 3,13; 25,16; 2 *Cor.* 10,1.7; *Gal.* 2,11); per se autem significare nequit *adversus aliquem,* licet aliquoties, ubi cum verbo ἀνθίστασθαι (resistere) vel simili connectitur, hoc modo verti possit. Demum verbum ἀθετεῖν in alexandrina versione et in Novo Test. satis frequens, quod etymologice significat « efficere ut id quod statutum est non iam statutum sit vel non statutum esse appareat » variis verbis in *Vulg.* redditur (irritum facere, spernere, reprobare, etc.), quae omnia ad unam ex duabus significationibus propriis reduci possunt. Ambae ad nostrum locum quadrant, quare iuniores (*Castro, Lap. Malv.*, etc.) eas coniungunt, moderni vero plerique (*Gutb. Corl. Les. Zenner*, etc.; *Gr. Siegfr.* etc.) rectius secundam praeferunt. Superiore enim in loco (2,12-20) impii non tantum Iustum crudeliter tractare sibi proposuerunt (2,19.20), sed etiam doctrinam totamque vitam eius, quippe quae sibi ipsis vituperio essent, irriserunt et spreverunt (2,13-16); iamvero auctor vexationes illas verbo θλίβειν (angustiare vel vexare), reprobationem autem doctrinae et rationis agendi verbo

1. De nominis παῤῥησία significatione et usu in Novo Test. uberius disseruimus in Comment. in 2 Cor. et Gal., p. 96.

2. Apposite *Suicer.* Thesaur. II, p. 606 nomen παῤῥησία interdum valere potestatem aliquid *faciendi* (cfr Hebr. 10-19. *Hesych.* παῤῥησία τ. ε. ἐξουσία [libertas faciendi]) asserit assertumque suum testimoniis multis confirmat, inter quae clarissimum hoc *S. Macar.* hom. 3. : ἔχει ἐξουσίαν καὶ παῤῥησίαν εἰσέρχεσθαι ἡ ἁμαρτία εἰς τὴν καρδίαν « libertatem et potestatem [vel ius] habet peccatum ingrediendi in cor », quin illud etiam dominium denotare addit (ad *S. Chrys.* hom. 3. appellans : ἐπειδὴ τῆς παῤῥησίας καὶ τῆς τιμῆς ἐξεπέσομεν, διὰ τοῦτο δεδοίκαμεν τὰ θηρία « quia potestate [melius hic : *dominio* scilicet in animalia] et honore excidimus, ideo timemus feras »).

ἀθετεῖν (pravipendere vel spernere) complectitur. Totius ergo sententiae sensus est : Impiis, quum peccatorum suorum recordatione iam perterriti ad iudicium accedunt, subito apparebit Iustus ille, quem in terris degentem velut sibi molestum persecuti sunt et crudeliter tractarunt cuiusque doctrinam, quam amplecti debuerant, vitamque laboriosam et humilem, quam imitarentur oportuerat, parvipenderunt, irriserunt spreveruntque, tamquam iudex atque confidentia sua ac maiestate terrorem eorum augebit.

Clarius sententia sequens id docet, quum terroris stuporisque impiorum causas exponit : 2. *Videntes turbabuntur timore horribili, Et mirabuntur in subitatione insperatae salutis* (rectius : *et stupebunt de inopinata salute* scilicet Iusti καὶ ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας). Ipsum Iusti subito apparentis aspectum impios penitus perturbaturum et horribili terrore perculsurum esse ex contextu evidens est, licet verbis, quum participii ἰδόντες (*videntes*) obiectum sit praetermissum, diserte non exprimatur. Notatu autem dignum est, eiusmodi timorem impiorum explicari non posse, si eos solam iustorum omnium beatitudinem subito visuros esse cum plerisque supponitur; is enim aspectus stuporem quidem, de quo in altero sticho sermo est, sed non φόβον δεινόν (immanem timorem) in eis excitare poterit; itaque omnino significari dicendum est, eos Iusti κατ' ἐξοχήν et quidem tamquam supremi et inexorabilis iudicis aspectu perturbatum et perterritum iri. Si quis autem omnes quoque iustos futuros esse impiorum seu mundi iudices regerit, id recte quidem dici posse concedimus (cfr 1 *Cor.* 6,2), sed exinde non sequi quod volunt, scilicet totum sanctorum coetum hic proxime intelligendum esse, monemus. Nam sancti non nisi in et cum Christo mundum iudicabunt; quare etiam hac in sententia, etiamsi quis eam de sanctis omnibus explicare velit, Christus tamquam primas partes agens proxime et directe significari dicendus est. Porro cum timore impiorum Sapiens tantum stuporem commixtum iri asserit, ut quasi extra se rapi mentisque vix compotes insanire videantur (ἐκστήσονται cfr *Marc.* 3,21 ; 2 *Cor.* 5,13, etc.). Cuius stuporis causa non tam est, uti *Vulg.* habet, *subitatio insperatae salutis* i. e. *subita* commutatio fortunae Iusti ex miserrima in felicissimam, quam *inexspectatio* (ut hoc vocabulo utar) *salutis* (τὸ παράδοξον τῆς σωτηρίας) ; stupore nimirum impii paene desipient, quum praeter et contra omnem exspectationem Iustum, quem delere voluerant ac revera machinationibus suis insidiisque se plane exstinxisse sibi persuaserant, non tantum omnibus periculis ereptum et calamitatibus omnibus liberatum, sed etiam summa beatitudine donatum conspecturi sunt. Quam inopinatam et inexspectatam mutationem sortis Iusti *Vulg.* quoque aliqua ratione

innuit, quum *salutem* Iusti dicit *insperatam*, integrum tamen sensum graecae lectionis non exprimit, quia subitam potius quam inexspectatam commutationem causam stuporis dicit. A vero autem *Reusch* plane aberrans latinam lectionem, dummodo adiectivum *insperatae* omittatur, cum graeca plane consentire arbitratur; eas inter se congruere rectius dicemus, si genetivus (*insperatae*) in ablativum (*insperata*) commutatur, ut INSPERATA (vel potius *inexspectata*) *subitatio Iusti* velut causa stuporis ponatur.

Tertio in loco Sapiens quid impii coram Iusto acturi sint explicat : 3ª *Dicentes intra se* (lege : *dicent inter se* ἐροῦσιν ἐν ἑαυτοῖς cfr *VV. LL.*) *poenitentiam agentes* (μετανοοῦντες) *Et prae angustia spiritus* (καὶ διὰ στενοχωρίαν πνεύματος) *gementes* etc. Quemadmodum supra (2,1 sqq.) impii impia sua sensa et consilia inter se communicant, ita hic quoque sensus suos non tantum apud se mente revolvunt (dicent *intra* se, uti *Vulg.* habet) sed terrore et stupore abrepti palam declarant eorumque suos socios participes faciunt, uti fieri solet inter perterritos et stupefactos. Quantum autem mutati sunt ab illis, qui olim dum in terris degerent, magna cum iactantia principia sua nefaria de completo hominis interitu promulgabant, foeda sua consilia de voluptatibus unice sectandis ubique alta voce decantabant, quin etiam impiissimum suum de Iusto turpiter occidendo propositum publice pronuntiare non verebantur! Namque in iudicio, ad quod sola iam peccatorum recordatione timidi accesserunt, subito Iusti, iudicis sui, aspectu maiorem in terrorem coniecti *poenitentiam agere et prae spiritus angustiis* (i. e. in angoribus quasi spiritum intercipientibus et intercludentibus) suspiria ac *gemitus edere* coguntur.

At enim mirum videtur impios in iudicio dici *poenitentiam agere*, cum spem veniae nullam habeant; ergone potius dicendum est eos μετα-νοεῖν i. e. « aliter atque antea sentire, mutare sententiam » (cfr *Plat.* Euthyd. 279 c; *Xen.* Cyrop. I, 1,3; *Pape*, lexic. s. v.)? — Haec explicatio est superflua nec in locum nostrum quadrat. Daemones hominesque damnati utique nunquam eo sensu poenitentiam agent, ut peccatum propter eius malitiam detestentur ac mutato animo a peccando velint desistere; at propter poenam cui obnoxii sunt, aliquam infructuosam poenitentiam habent et de suis cruciatibus commissisque peccatis dolebunt (*Clem. Alex.* Strom. VI, 12. *M.* 9, 319. 8; *S. Thom. Aq. Summ.*, Suppl. q. 98, a. 2; *Summ.* 3. qu. 86, a 1; cfr. 2. 2, qu. 13, a. 4).

Similiter querelae, sensus, affectus, quae auctor in hac descriptione damnatis attribuit, vivis hominibus ad finem ultimum tendentibus magis conveniunt quam impiis ac iamiam in fine ultimo constitutis. Sunt enim ab auctore ad nos instruendos ac commovendos scripta et accommodata.

Inexspectato ac subito igitur Iusti aspectu obstupefacti, pristina sua protervitate et audacia deposita, timide ingemiscunt : 3[b] *Hi sunt quos* (lege : *hic erat, quem* οὗτος ἦν ὃν) *habuimus aliquando in derisum Et in similitudinem improperii* (melius : *et in ludibrium* καὶ εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ). Ad ultimam dictionem adnotamus, nomen παραβολή, quod a verbo παραβάλλειν (i. q. comparationis gratia rem rei admovere) derivatur, proxime quidem similitudinem denotare, uti a nostro interprete est redditum, ab Alexandrinis tamen omnibus significationibus hebraici מָשָׁל usurpari, cui vertendo illis plerumque inservit; unde etiam satis frequenter, sicut *maschal,* carmen irrisorium et probrosum valet (cfr *Is.* 14,4; *Mich.* 2,4; *Habac.* 2,6 etc.) atque nonnullis in locutionibus (esse in parabolam, dare in parabolam etc.) latino *ludibrium* apte reddi potest (cfr *Deut.* 28,37; *Ierem.* 24,4; *Ps.* 44,15; 68,22 etc.). Hoc autem sensu in nostro loco (aeque ac *Tob.* 3,4) nomen esse sumendum genetivus ὀνειδισμοῦ (*opprobrii*) clare docet. Iam vero si superiorem impiorum sermonem (2,1 sqq.) comparamus, apparet, eos non pauperes iustos omnes, quos velut homines ad nihil idoneos despiciebant et opprimere studebant (2,10. 11), sed unum illum Iustum irrisisse et ludibrio habuisse, cuius doctrinis ac moribus suam ipsorum agendi sentiendique rationem condemnari conquerebantur (cfr 2,16 sqq.); quare rite colligere nobis videmur, singularem graecum (οὗτος) hic de tota iustorum classe intelligi non licere, sed solum Iustum κατ᾽ ἐξοχήν i. e. Christum designare.

Maiestate autem et potestate magna (παῤῥησίᾳ πολλῇ), qua eis tamquam iudex apparebit (cfr *Luc.* 21,27), perterriti nunc tandem, quantopere antea in illo aestimando erraverint, clare vident ac fateri coguntur : 4. *Nos insensati* (οἱ ἄφρονες) *vitam illorum* (lege : illius αὐτοῦ) *aestimabamus* (ἐλογισάμεθα) *insaniam Et finem illorum sine honore* (lege : *et mortem illius ignominiosam* καὶ τὴν τελευτὴν αὐτοῦ ἄτιμον); 5. (*Ecce*)[1] *quomodo computati sunt* (lege : *computatus est* κατελογίσθη) *inter filios Dei Et inter sanctos sors illorum* (lege : *sors illius* ὁ κλῆρος αὐτοῦ) *est.* Priorem, quem in terris degentes tenuerant, sentiendi iudicandique modum considerantes iure merito seipsos dicunt ἄφρονας i. e. ratione destitutos seu insensatos, quatenus nimirum Iusti a pravis quas ipsi ingressi erant viis abhorrentis et novissima iustorum praedicantis et praeferentis (cfr 2,16) vitam doctrinamque irriserint, quum eum tormentis contumeliisque onerarent turpique morti addicerent, ut explorarent, num Deus, cuius filium se diceret, eum ex

1. Interiectionem *ecce* noster interpres ex suis quidem textui inseruit, sed haud male, quum et stuporem de inexspectata mutatione sortis Iusti clarius exprimat ac simul lectoris attentionem ad gloriosam, quam Iustus adeptus est, sortem efficacius convertat.

ipsorum manibus esset erepturus (2,17. 18). Tunc utique ex insigni illa ac plane divina mansuetudine et patientia, quam in crudelissimis tormentis contumeliisque gravissimis manifestabat, facile quis esset cognoscere potuerant ac debuerant (2,19); sed pro sua caecitate mentis et cordis duritia id facere nolentes propter id solum, quod Deus illum irrideri, torqueri, cruci affigi permisisset (vel potius sivisset), vitam illius sapientiamque ex illius moribus elucentem *aestimarant* (vel melius *reputarant* ἐλογισάμεθα; attende ad annominationem cum sequente κατελογίσθη *computatus est*) *insaniam et mortem illius* ad externam solam speciem attendentes vocarant *ignominiosam*. At quod tunc facere noluerant, nunc facere coguntur gloriam Iusti conspicientes; suis enim oculis eum, quem ipsi quia Filium Dei sese appellasset irriserant (2,18) et insanum reputaverant, inter *filios Dei computatum* atque illam *sortem inter sanctos* consecutum esse vident quam eum vane ac temere beatam praedicare ac frustra sperare iactaverant (2,16). Quod si nostra verba, uti fieri debet, cum superiore impiorum sermone comparamus, nihil profecto miri in eo esse apparet, quod *Iustus* velut « unus ex multis sanctis » hic describatur; immerito igitur *Corl.* ex verbis nostris concludit, nomen singulare ὁ δίκαιος in toto nostro loco de universa iustorum classe esse interpretandum; unus quidem ex multis est, attamen in magna illa multitudine singularem locum tenet, quum impii eum statim cognoscant et quodam modo solum intueantur. Ac profecto singularis locus ei debetur, quia ipse tamquam unigenitus Dei Filius proprio iure haeres est haereditatemque divinam accipit, reliqui vero omnes tamquam adoptivi filii Dei et cohaeredes Christi haereditatis eiusdem divinae, quam ille passione ac morte sibi acquisivit, vi adoptionis ab eo promeritae participes fiunt (cfr *Rom.* 8,17)[1]. Quinam hic nomine *filiorum Dei* et *sanctorum* designentur, utrum angeli (cfr *Iob* 1,6; 2,1) an iusti homines coelesti beatitudine donati, interpretes disputant; sed haec quaestio neque cum certitudine definiri posse neque magni esse momenti videtur. Aliunde scimus Iudicem choris angelorum stipatum una cum iustis resuscitatis, qui advenienti obviam sunt rapti, iudicium de

1. Procul dubio hic locus suffragatur sententiae theologorum dicentium Christum *hominem* glorificato suo corpore in ultimo iudicio a damnatis conspectum iri; id quippe etiam ratio iudicii publici postulat et divinae iustitiae poenas infligenti omnino congruit; impii enim Iustum humilem, licet divinam suam naturam tot insignibus miraculis ac praeclarissimarum virtutum exemplis aliqua ratione manifestasset, despexerant contumeliisque et opprobriis vexarant; talionis igitur lege merentur, ut illius gloria in ipsorum poenam convertatur. Ac revera, uti habet *S. Thom.* (*Summ.* Suppl. qu. 90. a. 2. ad 4) : « sicut amici gloria est delectabilis, ita gloria et potestas eius, qui odio habetur, maxime contristat. Et ideo sicut visio gloriae humanitatis Christi iustis est praemium, ita inimicis Christi erit in supplicium ».

impiis esse exerciturum (cfr *Matth.* 25,31 sq.; 1 *Thess.* 2,14 sqq.; 2 *Thess.* 1,7 sqq. etc.); unde nihil obstare arbitramur, quominus filios Dei hic angelos, sanctos autem iustos resuscitatos interpretemur; non refragabimur autem, si quis utramque dictionem ad angelos referre voluerit; haud tamen recte illos sentire censemus, qui ad 2,13. 18 provocantes ostendere conantur etiam priore dictione homines iustos designari; namque illis in sententiis, sicut suo loco probavimus, de solo Iusto κατ' ἐξοχήν agitur.

Quoniam nomen *sors*, aeque ac κλῆρος, cui hic respondet, proprie signum quoddam (testulam vel lapillum vel ligni frustulum, etc.) in sortiendo adhibitum ac metonymice portionem sortitione alicui assignatam valet, nonnulli antiquiores et iuniores Latini nomen etiam nostro in loco sortitionem quandam connotare arbitrati sunt ac si per sortitionem quandam aliis beatitudo aliis poena tribuatur (Holc., Ians. Ipr.). At enim κλῆρος, ut ab Alexandrinis aliquoties ponitur pro hebr. גּוֹרָל = « sors qua ad sortiendum utuntur » (Ios. 18,6.8; Ion. 4,3), « possessio sortitione alicui attributa » (cfr *Iudic.* 1,3; *Ps.* 125 [124], 3; *Is.* 57,6), ita etiam saepe ad nomina נַחֲלָה (possessio, maxime illa quae haereditate alicui contigit) et חֵלֶק (pars [divinitus] alicui concessa) reddenda inservit, quae nullo modo sortitionem connotant. Rectius conieceris, impios quasi sibi ipsis irridentes gloriam aeternam, qua Iustus fruitur, eodem sortis nomine designasse, quo ipsi in terris degentes dissipatam et luxuriosam vitam suam appellarant (2,9); sed haec quoque explicatio potius est εἰσηγητική quam ἐξηγητική.

Postquam igitur his verbis (3ᵇ-5) stuporem suum de inexspectata mutatione sortis Iusti prodiderunt, impii ad semetipsos suamquam conditionem attentionem convertentes de mentis errore conqueruntur, quo in vitae suae ratione eligenda pravam viam sint ingressi : 6. *Ergo* (ἄρα) *erravimus a via veritatis, Et iustitiae lumen non luxit nobis, Et sol intelligentiae non est ortus nobis*[1]. Particula ἄρα (*ergo*) quae ex antea dictis conclusionem ita deducit ut eam aliquid miri habere haud raro connotet (cfr *Pape* Griech. Handwörterbuch s. v.), contra classicorum quidem morem, simili tamen modo, quo satis frequenter a Novi Test. auctoribus (cfr *Beelen* Gramm. graec. N. T. p. 526; *Winer* Neutestam. Gramm. ed. 7, p. 519) in principio sen-

1. Mirum videri potest, quod *Estius* ex his verbis concludit : « non omnibus hominibus dari a Deo gratiam sufficientem ». « Nam si omnibus hominibus, inquit, sufficiens grati a datur, consequens erit omnibus lucere lumen iustitiae, et falsum erit illud Domini : Nemo potest venire ad me, nisi pater meus... traxerit eum. Neque enim quisquam dicet omnes trahi; nam ipso tractu Patris ad Christum venitur : sunt ergo, quibus non lucet lumen iustitiae, neque tamen excusationem habent de peccato... quia quiquid mali ab iis committitur, non necessitate, sed libera committitur voluntate ». At haec annotatio mira non est reminiscenti Estium Baii discipulum fuisse magistrique sui placita de gratia et perseverantia haud raro in commentariis et annotationibus suis sequi (cfr *Hurter* Nomenclator literar. theol. I Ed. 2, p. 191). Ceterum neque huius loci neque nostri muneris est hanc de gratia sufficienti exponere quaestionem.

tentiae cum emphasi quadam est posita. Quasi admirabundi scilicet et inviti impii ex praesenti Iusti, cuius vitam et doctrinam utpote sibi molestam despexerant et irriserant, beatitudine et gloria colligere ac fateri coguntur illum rectam viam ad finem sibi propositum, sese vero perversam tenuisse. Porro *via veritatis* (ὁδὸς ἀληθείας) non est cum nonnullis interpretanda via quae ad veritatem ducit (uti in dictionibus ὁδὸς εἰρήνης via ad pacem *Is.* 59,8; *Rom.* 3,17; ὁδὸς ζωῆς ad vitam Act. 2,28; ὁδὸς σωτηρίας ad salutem *Act.* 16,17), sed via, quae veritati est consona ab eaque exigitur (sicut ὁδὸς δικαιοσύνης, via quae iustitiae congruit *Prov.* 21,16; 16,31; 12,28, etc.); neque immerito haec dictio desumpta dicitur ex *Ps.* 118,29. 30, quo in loco via veritatis opponitur viae iniquitatis (ὁδὸς ἀδικίας), quae alibi vocatur via mendacii (*Ps.* 118,104 אֹרַח שֶׁקֶר, ubi Alex. ὁδὸς ἀδικίας vel ὁδὸς ἄδικος). Per se patet *viam* ex metaphora Hebraeis usitatissima, qua itio refertur ad actiones hominum, hic ipsam dicere vivendi i. e. sentiendi agendique rationem, *veritatis* autem nomine omnia illa vera comprehendi, quae de Deo hominisque ad eum relatione quum recta ratio tum divina revelatio docent; unde *via veritatis* illa est vivendi ratio, quae divinis praeceptis quomodocumque cognitis consonat, atque iure statim (*v.* 7.) *via Domini* appellatur, i. e. ratio vivendi a Domino ipso praescripta. Contra hanc explicationem *Gutb.* obiicit, impios iam dum viverent cognovisse, se religionem morumque praecepta abiecisse, ergo eos describi non posse velut homines, qui nunc tandem in iudicio id intellexerint, atque concludit viam veritatis nihil aliud significare nisi rectam viam, quae ad finem ducit. At haec non satis recte dicuntur; procul dubio impii etiam tempore vitae suae optime sciverunt, se a paterna religione et Lege iudaica defecisse; at id fecerant, quia ob mentis suae occaecationem religionem illam eiusque Legem temere confictam neque ullius valoris esse sibi persuaserant; in iudicio autem cognoscent vitae rationem Lege praescriptam veritati consonare ideoque conquerentur, se a via illa aberrasse, quae revera via veritatis est. Id satis apparet ex consequentibus, quibus impii ipsi quodammodo voluntariam suam caecitatem explicant, quum *lumen iustitiae* (τὸ τῆς δικαιοσύνης φῶς) *sibi non luxisse neque solem* (*intelligentiae*) *sibi esse ortum* doleant. Sicut supra monuimus (cfr *VV. LL.*), altero in membro genetivus *intelligentiae* vel iuxta alios codices *iustitiae* per se ad genuinum textum non pertinet, velut bonum tamen glossema retineri potest, quia ex prioris membri subiecto (*lumen iustitiae*) secundum subiectum (*sol*) aut ipso genetivo *iustitiae* aut synonymo quodam (v. g. *intelligentiae* φρονήσεως i. q. sapientiae cfr 3,15; 17,7, etc.) accuratius definiendum est. Nomen *iustitiae* autem hoc in

loco, uti saepius in hoc libro, eo sensu sumatur oportet, ut idem valeat quod *sapientia practica* (cfr ad 1,1 et Proleg. § 2,1 a, pp. 38,18), i. e. perfecta morum hominis ad leges divinas conformatio, quae quum cognitione Dei ac legum eius nitatur et fideli legum observatione sese prodat, duplici hoc respectu et *lumen* et *sol* appellari meretur (cfr 18,14 τὸ ἄφθαρτον νόμου φῶς *incorruptum Legis lumen*), quibus recta via ad vitam ostenditur et illuminatur, ita ut ab iis qui bonae sint voluntatis ignorari nequeat. Iam vero probe considerari debet, hunc sermonem aeque ac priorem (2,1 sqq.) Iudaeis apostatis attribui (cfr 2,11.13, etc.), qui procul dubio inde a pueris verum Deum eiusque Legem cognoverant, sed postea, ut libidinibus indulgerent, a patria religione defecerant. Eatenus igitur lumen iustitiae sibi non luxisse neque solem sapientiae sibi ortum esse conqueruntur, quatenus ipsi suae mentis oculos ne lumen viderent pertinaciter clauserunt, neque proin Deum velut suae caecitatis auctorem incusant, sed coram Iusto constituti et a sua ipsorum conscientia convicti (4,20) se sibimet ipsis suam occaecationem et obdurationem debere vident ac desperantes fatentur.

Solem *iustitiae* vel *intelligentiae* antiquiores iunioresque haud pauci *Christum* interpretatur, quasi impii conquererentur, quod « Christus evangelicae legis dator se ipsorum cordibus non infudisset » (*Carth.* cfr. *Lap.* etc.); quae explicatio propria quidem vel literalis non est, apta vero accommodatio recte dicitur. Quae enim *Knabenb.* ad *Mal.* 4,2 ubi Deus se in ultimo iudicio nomen suum tamquam *solem iustitiae* et beatitudinis fontem manifestaturum esse promittit, bene annotat (« quum salutis fons et largitor sit ipse Dominus et quum Christus iudex tamquam talis suis sit appariturus afferens omnis generis sanitatem et auferens omnem dolorem... iure merito ad Christum accommodatur [scil. a *S. Hier. S. Cyr. Rib. Sanct. Lap.* etc.] amplissima haec appellatio *solis iustitiae* » Comment. in Proph. min. II, p. 483), ea etiam suo modo loco nostro congruunt. Immo vero facilius ac forte etiam felicius nostra sententia ad Christum accommodari potest, quia tota haec pericope de Iusto, i. e. de Christo, impiis in iudicio ultimo sese manifestaturo agit. Accedit autem, quod omnes gratiae supernaturales, quae unquam hominibus sive ante sive post Christi adventum sunt concessae, ei soli debentur, qui omnes sua passione ac morte meruit; inter quas gratias etiam Legem utpote Iudaeis ut paedagogus esset ad Christum datam (*Gal.* 3,24) locum tenere clarum est; unde haud immerito ii qui Legem abiecerunt ipsum Christum abiecisse dicuntur.

Haud minus clare impii errorem doloremque suum sequente sententia produnt : 7. *Lassati sumus* (proprie ex graeco ἐνεπλήσθημεν verte : *expleti* vel *satiati sumus*) *in via iniquitatis et perditionis, Et ambulavimus vias difficiles* (verte : *et peragravimus deserta invia* καὶ διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους); *Viam autem Domini ignoravimus.* Ad vitam quam in terris degerunt respicientes nunc iam eius perversita-

tem agnoscunt magnaque cum vi (attende ad hyperbaton) se *iniquitatis expletos viis et perditionis* dicunt. Verbum ἐνεπλήσθημεν (*expleti* vel *satiati sumus*) in bonam aut in malam partem interpretari licet; secundam praetulit Vulgatae interpres, nimiam intelligens satietatem qua homo defetiscitur fastidioque afficitur : *lassati* i. e. nimia libidinum expletione defessi sumus in viis iniquitatis, quae ad perditionem nos adduxerunt. Sed contra hanc explicationem moderni quidam (cfr *Gr.* etc.) id ab impiis dici non posse monent; si enim dum in terris agerent nimietate libidinum defatigati et fastidio impleti essent, ab iniquitatis viis sese abstinuissent et ad bonam frugem revertissent. Quare verbum in bonam partem sumere malunt, ut impii simpliciter asserant, se desideriorum omnium suorum expletionem in viis iniquitatis invenisse. At Vulgatae explicatio omnino videtur praeferenda, siquidem magis ad veritatem conditionem vitiosorum describit, qui quamvis libidines suas ex nimia earum fruitione ipsi fastidiant neque ullam amplius in illis explendis inveniant voluptatem, ab illis tamen sese abstinere neque volunt neque possunt, quia pessimae eorum consuetudines iam vim obtinuerunt naturae; quot eiusmodi homines proh dolor etiam hodie conspiciuntur! Praeterea secundo sticho, qui priori confirmationis vel potius explicationis gratia adiungitur, prior eum in sensum definitur, quem latinus interpres liberiore quidem sed vera ac iusta sua versione expressit. Id evidens est, si latinum secundi stichi textum retinemus, quo impietatis et perditionis viae, quibus impii lassati et taedio affecti sint, *viae difficiles* i. e. laboriosae ac taediosae appellantur, in quibus qui ambulat defatigetur necesse est. At idem graeca quoque lectio, si ad verbum redditur (*peragravimus deserta invia*) non minore cum claritate docet; siquidem nullum iter operosius est citiusque ac facilius defatigationem una cum taedio fastidioque procreat, quam peragratio solitudinis aviae et imperviae, in qua suam quisque viam non tantum studiose quaerere sed etiam magno cum labore parare debet; quare etiam huius sententiolae versio latina, licet non ad verbum, ad sensum tamen fideliter et accurate textum graecum reddere dicenda est. Itaque florida illa prata, quae impii olim, quando in terris degentes omnibus libidinibus se totos tradebant, rosis coronati summa cum alacritate ac petulantia perbacchari laetitiaeque suae vestigiis ubique relictis quasi distinguere et exornare sibi sunt visi (cfr 2,6-9), nunc ante tribunal Dei iudicis constituti nihil nisi desertas et invias regiones fuisse vident. Neque mira videri potest completa haec prioris sententiae eorum mutatio; tunc enim *viam Domini*, i. e. viam illam veritatis ac iustitiae (*v.* 6), quam ipsa eorum conscientia et Lex divinitus eis data unicam

viam ad finem eis propositum esse docebant, facile quidem cognoscere potuerunt atque procul dubio etiam theoretice cognoverunt, sed libidinibus suis occaecati et abrepti eam ingredi noluerant, ita ut se practice eam ignorasse iure asserant; nunc vero illam viam Domini quam temere reiecerant, veram et unicam salutis viam fuisse praesente sua sorte miserrima etiam practice cognoscunt atque nova hac aeternae suae miseriae luce illustrati pristinas suas vias aliter atque antea aestimant.

Quae lux eis clarius quoque ostendit, quam vana et fallacia omnia illa fuerint bona, in quibus quaerendis et fruendis totam suam beatitudinem collocarunt : 8. *Quid nobis profuit superbia* (ἡ ὑπερηφανία)? *Aut divitiarum iactantia* (accuratius : *divitiae cum iactantia* πλοῦτος μετὰ ἀλαζον|ε|ίας) *quid contulit nobis?* Olim divitiis suis tumentes et superbientes non minore cum crudelitate quam insolentia omnes iustos pauperes, quia essent inutiles, opprimere conati erant et ad eum superbiae gradum pervenerant, ut contra legem iustitiae a Deo stabilitam sibi ipsi novam statuentes iustitiae legem omnia iusta ac licita declararent quaecunque vi et violentia conficere et exsequi valerent (2,10. 11); nunc autem quum pauperes illos a se oppressos una cum Iusto gloria et beatitudine fruentes, se ipsos vero aeternis poenis addictos conspiciunt, nihil sibi neque divitias neque iactantiam neque superbiam contulisse fateri coguntur.

Haud inepte dici videtur, impios his verbis omnis iniquitatis radicem, quae iuxta Apostolum est pecuniarum cupiditas (φιλαργυρία I *Tim.* 6,10) i. e. avaritia, et omnis peccati initium, quod iuxta Siracidam est superbia (ὑπερηφανία *Eccli.* 10,14) detestari. Ac iuverit adnotasse, quae *S. Thom.* (*Summ.* 1. 2, qu. 84, a. 1 et 2) hac de re tradit : « Videmus, inquit, quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcunque peccatum et adimplendi desiderium cuiuscunque peccati...; et secundum hoc patet, quod cupiditas divitiarum est radix omnium peccatorum »; « finis autem in omnibus bonis temporalibus acquirendis est, ut homo per illa quandam perfectionem singularem et excellentiam habeat; et ideo hac ex parte superbia, quae est cupiditas excellentiae, ponitur initium omnis peccati ».

Qua ratione ὑπερηφανία et ἀλαζονία inter se distinguantur in controversia est; utrumque scilicet eadem *superbiae* appellatione in Vulgata plerumque redditur, Patres in iis definiendis inter se non consentiunt, scholiastae haud raro alterum altero explicant. Rectius sentire ii videntur, qui ἀλαζονίαν minorem, ὑπερηφανίαν maiorem vel potius supremum superbiae gradum designare tenent, ita ut noster interpres hoc in loco prius latino *iactantia*,

secundum latino *superbia* aptissime reddiderit. Quem fere in sensum *Tittmann* (De syn. in V. T. I, Lipsiae, 1829, p. 75 sq.) : « ἀλαζονία in verbis magis est, *ostentatio,* ὑπερηφανία est *superbia* cum aliorum contemptu et contumeliis coniuncta... Ὁ ἀλαζών iactat se, quoniam sibi placet et vult ut alii ipsum admirentur, citra contumeliam aliorum, sed ὁ ὑπερήφανος contumeliose se gerit, contemnit alios, insolenter se effert; ille risum plerumque, raro odium movet, hic contemptum eorum, quos contemnit, odium, iram excitat ». Qua a sententia plane discedens *Grimm.* (Lexic. graec. in N. T. libr. Ed. 3, p. 16 et 445) ad nostrum locum respiciens ἀλαζονίαν definit « ferocem et vanam virium et opum suarum confidentiam divinas leges et humana iura turpiter contemnentem et violantem », ὑπερηφανίαν autem dicit « vitium eius, qui suis viribus aut virtutibus inflatus alios despicit vel etiam contumeliose tractat ». Quae parum recte esse dicta testimoniis definitionibusque Graecorum ipsorum facile demonstratur.

Nam ὁ ἀλαζών (ab ἄλη circumvagatio) classicis scriptoribus proxime est circulator, qui in mercatibus merces suas magnis clamoribus iactat (cfr *Pape* Lexic. s. v.), unde nomen ad eos designandos adhiberi coeptum est, qui semetipsis suisque rebus ostentatis et exaggeratis nomen famamque consequi student non sine aliorum contemptu (cfr *Xenoph.* Cyrop. II, 2,5). Quibus consona habent Patres. Nam *S. Chrys.* (in Ps. 4. *M.* 55, p. 41) « ὁ ἀλαζών (vel ὁ ἀλαζονικός), inquit, is est, qui de rebus suis parvis gloriatur et conservos suos despicit », vel « qui se omni in honore collocat, alium vero despicit »; *Theodoret.* (in Rom. 1,31, *M.* 82,65) autem prius solum momentum considerans ἀλαζόνας eos appellat « qui nullam magnifice de se sentiendi causam habentes temere inflantur », ac similiter *S. Cyr. Alex.* (Hom. pasch. 27,2, *M.* 77,934) ipsam ἀλαζονίαν τοῦ βίου (1 Ioan. 2,16, *Vulg.* superbia vitae) definit « nimiam suarum virtutum corporis et animi aestimationem et elationem ob gloriam et honorem »; altero autem momento solo considerato *Theoph.* (in Rom. 1,31) ἀλαζονίαν esse dicit « contemptum hominum, qui gignit protervitatem ». Quibus omnibus ἀλαζονίαν pro inferiori superbiae gradu haberi apparet; contra vero *Theoph.* [in Marc. 7,22 et in *Luc.* 18,14] ὑπερηφανίαν declarat esse « contemptum Dei, quando quis bonum operatur et hoc non Deo sed propriae virtuti attribuit », quapropter eam (in Rom. 1,31) « omnium malorum culmen » (τὴν ἀκρόπολιν πάντων τῶν κακῶν) appellare non veretur. Qua in ὑπερηφανίας aestimatione iam praeierunt *Theodoret.* (in Ezech. 28,2 sqq.) et *Basilius Seleuc.* (Orat. 35, *M.* 85, 376), quorum prior « abominandas quidem omnes peccatorum species, omnium autem maxime abominandam esse τὴν ὑπερηφανίαν » monet; alterius autem verba sunt haec : « ὑπερηφανία est morborum culmen (νοσημάτων ἀκρόπολις), quia Deum oppugnat, ea quae natura iubet ignorat, ipsius diaboli morbus est; virtutum exercitium reddit inutile omniumque virtutum collectarum lumen et splendorem exstinguit; nihil iuvat ieiunium accedente superbia (ὑπερηφανία); superflua est virginitas, si per superbiam conspurcatur; iustitiam superbiae inservientem Deus abhorret ac beneficentiam ex superbia genitam odio habet », etc.

Quemadmodum supra (2,1 sqq.) brevitatem vitae, quam cupidinibus suis explendis dare possent, variis comparationibus illustrarunt, ita impii nunc fragilitatem bonorum, quae divitiis suis toties iactatis conatibusque suis insolentibus sibi compararant, atque inutilitatem et inanitatem totius suae vitae in libidinibus peractae aliis similitudinibus ita describunt, ut neque opes neque superbiam sibi quidquam profuisse clare ostendant. Primas duas imagines ex rebus desumunt, quae in se nihil sunt, ex umbra scilicet una cum re, quae lucis radios intercipiebat statim disparente et ex vano rumore, qui aures quasi praetervectus eadem cum celeritate, qua propagatur, etiam oblivioni datur. 9. *Transierunt omnia illa* (nimirum bona, quae quoquo modo et undequaque, ut corporis voluptatibus se traderent, sibi acquisierant) *tamquam umbra Et tamquam nuntius percurrens* (καὶ ὡς ἀγγελία παρατρέχουσα). De *umbrae* imagine etiam priore in sermone ab impiis adhibita sufficiunt ea quae ad 2,5 diximus; alteram *Lap.* bene his verbis interpretatur : « nuntius (vel rumor), quum affertur, tamdiu dumtaxat consistit, quamdiu ab ore loquentis ad aures audientis perfertur. Rumores saepe falsi sunt, sed sive veri sive falsi cito praetereunt et evanescunt instar somni... ; tales sunt opes et voluptates omnes huius mundi et id singuli clare videbunt in morte », vel potius in iudicio; nam de hoc agitur. Antiquiores interpretes (*S. Bonav. Holc.* etc.), qui graecum textum ignorarunt, mirum non est, quod nomen *nuntius* non de rumore citissime se propagante atque eadem cum celeritate, quum vix auditus oblivioni detur, evanescente intellexerint, sed de viatore vel tabellario, qui effuso cursu praetervolat et vix conspectus iam disparet; mirum vero est, quod nonnulli recentiores (*Les. Gutb.* — *Klenkes Hasse* etc.), ut ad eandem explicationem pervenirent, graecum nomen abstractum ἀγγελία pro concreto ἄγγελος positum esse aeque arbitrarie ac temere sibi persuaserint. Etenim explicatio haec, etsi sententiae comparationisque sensum vix mutet, admitti nequit, quia neque genuino textui graeco consonat, quum nulla prorsus sit ratio mutandi nominis abstracti, neque toti loco congruit, quum simillima statim (*v.* 15[d]) imago sequatur, neque in se satis apta est, quia antiquorum tabellariorum et cursorum non ea fuit celeritas, quae ut similitudo cum re conveniat requiritur.

Duobus his primis membris igitur *bonorum,* quibus impii divites ac superbi in terris fruiti sunt, mobilitas ac fragilitas potius quam eorum vanitas explicantur; tria autem quae sequuntur totam eorum *vitam* non tam fragilem caducamque quam inanem et inutilem fuisse arguunt, siquidem neque navem (*v.* 10) neque avem (*v.* 11) neque sagittam (*v.* 12) ullum transitus sui signum vel vestigium relinquere diserte

additur. Deinde etiam attendatur oportet interpunctionem Vulgatae Clem., quae solo commate *v.* 10 a praecedente separat, erroneam esse; nam quidquid contra disputent nonnulli, evidens est inde a *v.* 10 protasin inchoari novae sententiae, cuius apodosis *v.* 13 sequitur; quare coniunctio *et* quae in graeco deest (*v.* 10) melius omittitur, neque licet verbum παρῆλθεν (*transierunt*) ex praecedente sententia in hanc transumere. Impii potius conqueruntur, quod vix nati nullo vitae gloriaeque signo vel vestigio relicto vivere desierint (*v.* 13), 10. (*Et*) *tamquam navis, quae pertransit fluctuantem aquam, Cuius, quum praeterierit, non est vestigium invenire Neque semitam carinae illius* (ἀτραπὸν τρόπιος αὐτῆς) *in fluctibus.* Ut clarius quid sibi haec velit similitudo percipias, observa duo in illa asseri; navis locum quendam praetervecta ibi neque sui ipsius neque transitus sui reliquit vestigium, quum ipsa quoque semita (ἀτραπός) qua illius carina (τρόπις αὐτῆς) fluctus discidit, non amplius inveniri nequeat; eodem modo neque memoria impii ipsius post eius mortem remanet et vita eius oblivione alta obruitur.

Similiter duplex comparationis ratio in altera imagine efferri videtur, siquidem praeter impiorum vitam etiam strepitans et tumultuosa agitatio, qua in terris hominum attentionem in se convertere studuerunt, ne minimo quidem vestigio relicto evanuisse dicitur, sicut praetervolantis avis iter ipsum et alarum crepitus, quo aerem percutit et discindit, statim ita disparent, ut nihil prorsus sit reliquum, quo eam praetervolasse cognoscatur. Id ex textu graeco clarius apparet; quare eum fere ad verbum translatum praeprimis explicamus et deinde quid de vulgata versione sentiendum sit addemus : 11. *Aut sicut avis aërem transvolantis* (ὀρνέου διϊπτάντος ἀέρα) *nullum invenitur argumentum* (τεκμήριον) *itineris; Aër levis* (πνεῦμα κοῦφον) *autem ictu alarum expansarum* (ταρσῶν) *verberatus Et vi crepitus* (i. q. *crepitante vi* seu labore βίᾳ ῥοίζου) *discissus commotis pennis* (κινουμένων πτερύγων) *pervolatur* (proprie : pervolatus est διωδεύθη), *Et post hoc non invenitur* (proprie : inventum est εὑρέθη) *vestigium ascensus* (seu *transitus* ἐπιβάσεως) *in eo* (ἐν αὐτῷ scil. in aëre). Quam ad translationem nonnulla sunt annotanda. Ac primum quidem particula δέ (autem) in altero sententiae membro non est adversativa sed epexegetica, uti haud raro (cfr *Winer Gr.* p. 412 etc.); priori quippe membro quod totam imaginem paucis complectitur, accuratior quaedam illius descriptio subiungitur. Deinde aoristi διωδεύθη et εὑρέθη (aeque ac *v.* 12 ἀνελύθη) sunt gnomici, quibus ea quae semper fieri solent uno exemplo quasi historice relato proponuntur; profani aoristo gnomico, qui in sententiis universalibus maiorem quam praesens vim habet, frequenter

utuntur, rarius autem sacri scriptores (cfr *A. Buttm.* Gr. p. 174 sq.; *Winer* Gr. p. 261; *Blass* Gr. p. 189). Porro nomina πτέρυξ et τάρσος, quae in Vulgata eodem nomine *ala* sunt reddita, inter se ita differunt, ut πτέρυξ pennas et alas generatim designet, τάρσος autem (a τέρσεσθαι siccari) proprie significet crates vimineas, in quibus res ut siccescant expanduntur, tropice autem alam expansam avis volantis (cfr πτερύγων τάρσος), uti etiam manus volam vel palmam (i. q. כַּף *Dan.* 11,10). Demum nomen ἐπίβασις, quod a *Vulg.* hic *iter* et 15,15 *ambulatio* vertitur, proxime quidem valet *ascensus* sed pro vi verbi ἐπιβαίνειν etiam *incessus* vel *transitus* interdum reddi potest.

De Vulgatae versione huius similitudinis pauca haec sufficiunt (cfr *VV. LL.*). In Clem. editione cum codicibus consentiente ita legitur: *aut tamquam avis quae transvolat in aere, cuius nullum invenitur argumentum itineris, sed tantum sonitus alarum verberans levem ventum et scindens per vim itineris aerem : commotis alis transvolavit, et post hoc nullum signum invenitur itineris illius.* Primum membrum (*tamquam avis... argumentum itineris*) ab interprete quidem recte redditum esse sed corruptum videtur a librario, qui genetivum *avis* (ὀρνέου), quamvis ab ultima membri dictione pendeat (argumentum itineris avis aërem pervolantis) cum emphasi, ut imaginis ratio statim innotesceret, in principio esse collocatum non animadvertens alium genetivum (*cuius*) inseruit; pronomine illo deleto satis accuratam habebis primi membri versionem. In secundo tamen membro transferendo interpres ipse peccavit; parum recte enim particulam δέ pro adversativa habuit atque quod peius est pro dativo πληγῇ nominativum πληγή legens in definiendo subiecto sententiae vehementer erravit; unde factum est, ut sibi quasi contradicens nullum itineris avis aërem pervolantis signum inveniri, sed solum remanere alarum sonitum declarare videatur, quin etiam ipsum sonitum asserat « verberare levem ventum » et « per vim scindere aërem itineris » aut si mavis « per itineris vim scindere aerem »; quae aptum sensum non praebere evidens est. Tertium porro membrum (*commotis alis*, etc.) verbis graecis utique satis respondet, at quia nexus cum praecedente membro est sublatus, nihil nisi tautologica primi membri repetitio est. Quapropter vulgatam huius sententiae versionem iure nobis negligere videmur neque opus est, ut varios recenseamus conatus, quibus nonnulli ex latinis verbis eundem fere, qui graecis inest, sensum extorquere studuerunt; nam Vulgatae interpretem eandem ac nos graecam lectionem ante oculos habuisse versio ipsa satis docet, uti omnes consentiunt.

Quoniam *Iob* (9,25 sq.) duabus prioribus imaginibus *navis* et *avis* ad celeritatem, qua dies vitae suae praeterierint, explanandam utitur, haud pauci eandem similitudinis rationem nostro in loco illis attribuendam esse arbitrantur. Verum non satis attendunt, a Iobo non navem aut avem quamcunque sua cum vita comparare, sed naves papyraceas, quas omnium velocissimas fuisse veteres tradunt (vel naves piratarum cfr *Knabenbauer* Comment. in Iob p. 140; *Gesenius* Thesaur. ling. I. p. 11, s. v. אֵבֶה), et aquilam rapidissimo impetu velut fulmen de coelo sese in terram ad praedam iaculantem. Impii

vero nostri neque navem neque avem, ex quibus comparationem desumunt, velocitate eminere significant; quoniam autem in utraque imagine expolienda navem et avem nullum prorsus transitus sui signum relinquere expresse declarant, iure nostro eos vitae suae inutiliter peractae potissimum inanitatem ac vanitatem considerare concludimus, quum nihil eis reliquum sit, quod velut vitae suae testimonium exhibeant. Atque idem quoque in tertia imagine *sagittae* in scopum emissae obtinet, quamvis hac etiam vitae fugacitatem simul indicari non negemus. Vitae quippe suae celeriter transactae nihil superesse conqueruntur : 12. *Aut tamquam sagitta emissa in locum destinatum* (ὡς βέλους βληθέντος ἐπὶ σκοπόν) *Divisus aër continuo in se reclusus est* (lege : *recluditur* vel potius *resolvitur;* nam ἀνελύθη est aor. gnom. cfr ad v. 11), *Ut ignoretur transitus illius.* Cave ne primam dictionem (*sagitta emissa in scopum*) cum nonnullis etiam ex recentioribus (cfr *Schmid, Les.* etc.) pro nominativo et subiecto sententiolae non completae habeas; ablativum absolutum enim eam esse, graecus genetivus absol. demonstrat; expone igitur : « sicut aër *quum sagitta in scopum mittitur,* divisus statim in se resolvitur ». Bene aër divisus *in se resolvi* (ἀναλύεσθαι εἰς ἑαυτόν) dicitur; namque « aër, inquit *Lap.*, sagitta divisus stringitur et condensatur, sed post eam solvitur, laxatur et in se quasi solutus revertitur in priorem locum ». Quia autem *continuo* (εὐθέως) resolvi dicitur, procul dubio celeritas, qua sagitta aërem discindit et pervolat ac proinde etiam fugacitas vitae cum sagittae transitu comparatae subindicatur; praecipua tamen similitudinis vis ultimis verbis inest, quibus aër ita in se resolvi declaratur, ut nihil remaneat, quod sagittae transitum prodat.

Itaque tres similitudines in hac protasi (*vv.* 10. 11. 12) expositae a duabus illis plane differunt, quibus impii fugacitatem fragilitatemque opum ac voluptatum suarum praeteritarum depinxerunt, inter se autem plane conspirantes aptissimae sunt ad inanitatem et inutilitatem vitae impiae illustrandam; atque hoc consilio eas nunc revera in apodosi adhibent. Nam sicut naves, inquiunt, et aves et sagittae nullum itineris sui vestigium post se relinquunt, 13. *Sic et nos nati continuo desivimus esse* (ex graeco γεννηθέντες ἐξελίπομεν accuratius : *nati defecimus*[1] vel potius *mortui sumus, Et virtutis quidem nullum signum valuimus ostendere* (lege : *habuimus ostendere* ἔσχομεν δεῖξαι i. q. habuimus quod ostenderemus), *In malignitate autem* (melius : *in ma-*

1. Verbo ἐκλείπειν Alexandrini aliquoties hebr. מוּת (mortuus est cfr *Ierem* 42,17. 22) et גָּוַע (exspiravit cfr *Gen.* 25,8. 17; 35,39, etc.) reddunt eandemque moriendi significationem ei etiam profani scriptores interdum attribuunt (cfr *Plato,* de legib., IX, 856. C.; *Isaei,* orat., 11,10); haec autem verbi vis ad nostrum locum omnino quadrat.

litia autem ἐν δὲ τῇ κακίᾳ cfr 2,21) *nostra consumpti sumus*. Dubium non est, quin ipsa brevitate graecae dictionis (γεννηθέντες ἐξελίπομεν) vitae humanae brevitas nervose et graphice describatur, quum inter nativitatem et mortem quasi nullum tempus interiectum esse innuatur, sicut minimum temporis punctum inter emissam sagittam et scopum percussum interiacet; quare Vulg. nostra, quum ex praecedenti sententia adverbium *continuo* etiam in nostram insereret, sensum quidem non mutavit, dictionis tamen vim diminuit. Verum brevis vita impiis non est propria sed cum piis communis (cfr ad 2,1); nequaquam igitur de annorum, quos in terra peragere eis licuit, paucitate nude spectata conqueri censendi sunt, sed de brevi sua vita quum male dispensata tum frustra peracta ac plane deperdita. Quapropter duo reliqua apodoseos membra, quibus impii se vitam suam male consumsisse aperte confitentur, cum primo arctissime connectantur oportet. Scilicet nunc intelligunt, vitae longitudinem non ex magno annorum peractorum numero, sed ex honestorum ac sanctorum operum multitudine aestimandam esse (cfr ad 4,8 sqq.); attamen quum in terris degentes id unum quaererent, ut voluptatibus ubique haustis libidinibusque omnibus expletis ubique *signa laetitiae* (σύμβολα εὐφροσύνης 2,9) relinquerent, nunc ante iudicis tribunal constituti se omni quod exhibere possint *signo virtutis* (σημεῖον ἀρετῆς) carere dolentes agnoscunt. Accommodate ad praecedentes similitudines opera bona, quibus instructi et ornati in iudicio comparere debuerunt (cfr *Matth.* 24, 35 sqq.), signa virtutis appellant. Virtutem quippe quasi viam considerant, quam omnis homo hac in terra percurrat oportet, qui ad finem sibi propositum aeternae salutis pervenire voluerit, atque singula opera bona, quum in aeternum maneant, eis totidem sunt signa, quibus homo se in vitae suae itinere rectam viam tenuisse demonstrare debet. Impii vero unicam hanc salutis viam aspernati non magis in illa, quam navis in fluctibus et avis ac sagitta in aëre, transitus sui signum relinquere potuerunt. Antiquiores interpretes versione latina (*nullum virtutis signum valuimus ostendere*) in errorem inducti impios conqueri arbitrati sunt, quod sibi in terra degentibus vires defuerint, quibus bona opera velut virtutis suae signa et testimonia facerent (cfr *S. Bonav. Holc. Cath.*); sed haec explicatio non tantum graeco textu excluditur, sed etiam similitudinibus expositis non congruit; aoristus autem (ἔσχομεν *habuimus*) ad tempus immediate post mortem referendus est, qua vitae nostrae iter in terra terminatur. Ultimum demum sententiae membrum (*in malitia autem nostra consumti sumus*) grammatice praecedenti opponi videtur, attamen particulae μέν... δέ saepe apud Hellenistas indole sua adversativa amissa

soli membrorum distinctioni inserviunt, ita ut mutua eorum relatio ex rerum contextu definienda sit (cfr *Win.* Gr., p. 411); id hic quoque obtinet neque dubium est, quin nostrum praecedenti explicationis vel si mavis confirmationis gratia sit additum rationemque afferat, cur impii in iudicio signum virtutis ostendere nequeant. Media enim in malitia sua sese, postquam solis libidinibus explendis dediti voluntatis perversitate mentes suas excaecassent (2,21), ipsis peccatorum suorum sequelis consumtos vel abreptos esse neque tempus sibi ad poenitentiam agendam reliquum fuisse significant. Cum emphasi autem dicunt ἐν δὲ τῇ κακίᾳ ἡμῶν (in malitia autem *nostra*), quia totam suam malitiam se sibi ipsis debere nunc clare vident, ita ut perversitatis suae culpam in alium conferre sibi non liceat. Similiter verbum κατεδαπανήθημεν (*consumpti sumus*) perpendatur oportet, quippe quo non tantum se in sua malitia et vi malitiae suae, sed simul se totos, secundum animum non minus quam secundum corpus, periisse declarent.

Terminatis impiorum lamentationibus *Vulg.* subiungit : 14. *Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt.* Verba autem haec neque in textu primogenio neque in alia versione antiqua leguntur, atque iure merito a plerisque modernis pro glossa habentur, quae olim margini ab aliquo adscripta postea in textum irrepsit. Revera etiam contextu reprobari videntur, quum in lamentationis praefatiuncula et in eius exordio satis clare haec in iudicio ab impiis proferri dicantur. Ceterum nihil huic glossae inest, quod veritati non consonet, quatenus damnati etiam in inferno, quum eorum vermis non moriatur, per totam aeternitatem eadem sunt conquesturi, quae in iudicio conqueri coeperunt.

Auctor ipse autem, sicut in lamentationum impiorum praefatiuncula (*vv.* 1-3) causam earum indicavit, ita nunc in brevi epilogo eandem confirmat; rerum quippe in quibus impii spem suam collocaverant, fragilitate et mobilitate considerata alium vitae eorum exitum exspectari non potuisse monet : 15. *Quoniam spes impii tamquam lanugo* (χνοῦς palea vel χοῦς pulvis cfr *VV. LL.*) *est quae a vento tollitur, Et tamquam spuma gracilis* (ἄχνη) *quae a procella dispergitur* (vel potius *dispersa est* aut *fugata* διωχθεῖσα cfr ad 2,3), *Et tamquam fumus qui a vento diffusus est, Et tamquam memoria hospitis unius diei* (καταλύτου μονοημέρου) *praetereuntis* (lege : *praeteriit* παρώδευσεν). Vix opus est, ut auctorem de impiorum spe loqui moneamus, quam in terris degentes habuerunt; namque damnatis nihil quod sperare queant est relictum, desperantes autem eorum recordantur, in quibus olim spem suam posuerunt quibusque suam se posse beatitudinis fe-

licitatisque sitim exstinguere aeque stulte ac temere confisi sunt. Omnes illas res, sive divitias sive voluptates sive honores, fluxas caducasque fuisse altera in vita clare vident et ipsi in querela sua duabus iam similitudinibus exposuerunt (*v.* 9); auctor autem idem nunc docet, quattuor aliis additis, quae ita sunt comparatae, ut illas quoque tres in memoriam revocare videantur, quibus damnati vitae suae in deliciis transactae vanitatem et inanitatem luxerunt (*vv.* 10-12); res priores enim, quae in comparationem adhibentur (palea vento ablata, spuma turbine fugata, fumus dissipatus vento) non tantum celeriter disparent, sed etiam viles ac plane inutiles videntur; ultimo autem membro ipsa quoque impii memoria citissime et plenissime peritura significatur.

Variae lectiones χνοῦς (palea) et χοῦς (pulvis s. cinis) et inaccurata per se versio latina *lanugo* (= illud quod stat supra capita quarundam herbarum flore desiccato, lanae simile, v. gr. in flore cui nomen « leontodon Taraxacum [dent-de-lion, Löwenzahn] » pariter ad res fluxas fugacesque designandas aptae sunt. In secunda imagine (vide *VV. LL.*) πάχνη (pruina), quamvis sit meliorum codicum lectio, minus apte dicitur quam ἄχνη (spuma), quae omni valido vento excitatur et fugatur, cum pruina procellae frigidiori resistat. Tandem καταλύτης hic non est amicus hospitio exceptus, sed peregrinus in deversorio (κατάλυμα Luc. 2,7) exceptus, postridie porro pergens, qui statim a domino et servis deversorii oblivioni datur.

De hoc loco (*vv.* 9-15) inique iudicat *Gr.*, cui displicet variarum imaginum ac similitudinum undequaque quaesita multitudo, qualis impiis ante tribunal constitutis et de aeterna sua damnatione edoctis parum apte tribuatur, unde haud pie concludit illius aetatis ludaeos, quibus auctor libri adnumerandus sit, ratione potius et intelligentia de patria sua Lege disseruisse et disputasse, quam pia eius observatione Deum vere coluisse. — Tota libri Sapientiae indole haec impia conclusio ut falsa et iniusta demonstratur nec refutationis indiget. Cum varii sint variarum nationum etiam in stilo et genere litterarum gustus et secundum notissimum axioma de gustibus disputandum non sit, animadvertisse sufficit, Orientales passim (etiam Graecos Patres saepe) coacervata comparationum variarum multitudine delectari, et auctorem hic apta imaginum dispositione et iucunda dictionis varietate fastidium, quod maiore earum numero forsitan creari potuerit, omnino evitasse. Impii enim duabus primis bonorum suorum fragilitatem et tribus sequentibus inutilitatem vitae suae describunt, auctor autem ipse quatuor ultimis sententiam impiorum confirmat. Porro duae primae unica fere voce absolvuntur, tres intermediae integris sententiis accuratius explanantur, inter se tamen maiore minoreve ornatus copia differunt; quatuor ultimae et a primis, quibus sunt longiores, et a secundis, quibus sunt breviores, plane discedunt. Quod vero impios in iudicio sic loquentes Sapiens introducit, id facit, quia non his-

torice futurum iudicium depingit, sed ad suos lectores admonendos et instruendos accommodate scribit (cfr. p. 180).

b) *Piorum beatitudo futura ac praesens defensio efficax* (5,16-24).

5,16. Iusti autem in perpetuum vivent Et apud Dominum est merces eorum Et cogitatio illorum apud Altissimum. 17. Ideo accipient regnum decoris Et diadema speciei de manu Domini : Quoniam dextera sua teget eos Et brachio sancto suo defendet illos. 18. Accipiet armaturam zelus illius, Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. 19. Induet pro thorace iustitiam, Et accipiet pro galea iudicium certum; 20. Sumet scutum inexpugnabile, aequitatem; 21. Acuet autem duram iram in lanceam, Et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. 22. Ibunt directe emissiones fulgurum, Et tamquam a bene curvato arcu nubium exterminabuntur, et ad certum locum insilient. 23. Et a petrosa ira plenae mittentur grandines; Excandescet in illos aqua maris, Et flumina concurrent duriter. 24. Contra illos stabit spiritus virtutis, Et tamquam turbo venti dividet illos : Et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, Et malignitas evertet sedes potentium.

5,16. Δίκαιοι δὲ εἰς τὸν αἰῶνα ζῶσι, Καὶ ἐν Κυρίῳ ὁ μισθὸς αὐτῶν, Καὶ ἡ φροντὶς αὐτῶν παρὰ Ὑψίστῳ. 17. Διὰ τοῦτο λήψονται τὸ βασίλειον τῆς εὐπρεπείας Καὶ τὸ διάδημα τοῦ κάλλους ἐκ χειρὸς Κυρίου, Ὅτι τῇ δεξιᾷ σκεπάσει αὐτούς Καὶ τῷ βραχίονι ὑπερασπιεῖ αὐτῶν. 18. Λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ, Καὶ ὁπλοποιήσει τὴν κτίσιν εἰς ἄμυναν ἐχθρῶν. 19. Ἐνδύσεται θώρακα δικαιοσύνην, Καὶ περιθήσεται κόρυθα κρίσιν ἀνυπόκριτον. 20. Λήψεται ἀσπίδα ἀκαταμάχητον ὁσιότητα, 21. Ὀξυνεῖ δὲ ἀπότομον ὀργὴν εἰς ῥομφαίαν· Συνεκπολεμήσει δὲ αὐτῷ ὁ κόσμος ἐπὶ τοὺς παράφρονας. 22. Πορεύσονται εὔστοχοι βολίδες. ἀστραπῶν Καὶ ὡς ἀπὸ εὐκύκλου τόξου τῶν νεφῶν ἐπὶ σκοπὸν ἁλοῦνται. 23. Καὶ ἐκ πετροβόλου θυμοῦ πλήρεις ῥιφήσονται χάλαζαι· Ἀγανακτήσει κατ' αὐτῶν ὕδωρ θαλάσσης, Ποταμοὶ δὲ συγκλύσουσιν ἀποτόμως. 24. Ἀντιστήσεται αὐτοῖς πνεῦμα δυνάμεως, Καὶ ὡς λαῖλαψ ἐκλικμήσει αὐτούς· Καὶ ἐρημώσει πᾶσαν τὴν γῆν ἀνομία, Καὶ ἡ κακοπραγία περιτρέψει θρόνους δυναστῶν[1].

VV. LL. — 17. ὅτι τῇ δεξιᾷ σκεπάσει αὐτούς (*quoniam dextera sua teget* [Dominus] *eos*) B A cum aliis plerisque, *Vulg. Syr.* etc.; minus concinne solus ℵ : ὅτι δεξιὰ Κυρίου σκεπάσει αὐτούς (quoniam dextera *Domini* teget eos) — καὶ τῷ βραχίονι (et brachio), nullo addito adiectivo, legunt omnes codd. graeci et antiquiores (licet pauciores) codd. latini, quos *Vulg. Sixt.* secuta est; cum plerisque tamen codd. latinis *Vulg. Clem.* exhibet *brachio sancto suo* (cfr *Verc. Reusch* etc.); prior lectio praeferenda est. — 18. λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ (sumet [sc. Dominus] armaturam zelum suum) B A aliique plerique graeci codd.; sed λήψεται πανοπλίαν τὸ ζῆλος αὐτοῦ (*accipiet armaturam zelum suum* vel... *zelus illius* sc. Domini *Vulg.*) ℵ cfr *Comment.* — Parum recte verbum ὁπλοποιήσει (*armabit*) ℵ mutavit in ὁδοποιήσει (viam sternet); — 19. neque rectius verba : ἐνδύσεται θώρακα δικαιοσύνην (*induet pro thorace iustitiam*) mutavit in ἐνδύσεται θώρακα δικαιοσύνης (induet thoracem iustitiae). — 22. καὶ ὡς ἀπὸ εὐκύκλου τόξου τῶν νεφῶν ἐπὶ σκοπὸν ἁλοῦνται (et tamquam a bene curvato arcu nubium ad scopum insilient) est certa Graecorum lectio; ad *Vulg.* autem lectionem : *et tamquam a bene curvato arcu nubium* EXTERMINABUNTUR ET *ad certum locum insilient* recte annotat *Reusch* : « verba *exterminabuntur et* non sunt in textu graeco; fortasse *exterminari* dixit interpres pro *in terminum mitti*, ut bis translata sint verba graeca ἐπὶ σκοπὸν ἁλοῦνται ».

In nova hac sectione Sapiens splendidam mercedem, quae iustis altera in vita est reposita, paucis verbis adumbrat (*vv.* **16,17**), uberius vero protectionem describit, qua Deus iustos a salutis eorum hostibus continuo tuetur; Deum quippe tamquam bellatorem depingit arma ad suos defendendos induentem (**18-21**[a]) cum eoque cunctas creaturas telis suis impios eius adversarios debellaturas esse declarat (**21**[b]-**24**). Arcte autem haec sectio cum praecedente cohaeret eamque quasi complet. Namque miseria et calamitas impiorum non tantum oppositione felicitatis futurae piorum gravior tristiorque esse apparet, sed potissimum terribili iudicis sociorumque bellantium imagine augetur et amplificatur; unde nova haec pericope non minus efficax est ad impios ab iniquitatis viis absterrendos quam ad consolandos et corroborandos pios, qui non sperare nequeunt fore ut a tam potenti et forti socio adiuti adversariorum suorum persecutionibus facile resistant atque victoriae coronam consequantur; quare spes eorum immortalitate plena iure dicitur (**3,4**).

Ultima praecedentis sectionis sententia auctor viam sibi ad novum hoc argumentum aperuit; eo ipso enim, quod vanam fuisse et esse impiorum spem suis similitudinibus confirmat, adducitur, ut quid de iustorum spe sentiendum sit exponat. Impii ipsa malitia sua consumti (*v.* **13**) in aeternum perierunt illamque sortem quam ipsi elegerunt (**1,16**) consecuti sunt; **16**. *Iusti autem in perpetuum vivent* (accuratius: *in perpetuum vivunt* εἰς τὸν αἰῶνα ζῶσιν), *Et apud Dominum* (ἐν Κυρίῳ) *est merces eorum, Et cogitatio* (melius *cura* φροντίς) *eorum apud Altissimum*. Quemadmodum impii pravis operibus perniciem tamquam iustam poenam sibi accersunt (**1,16**; **2,25**), ita iusti laboribus in via virtutis fortiter toleratis tentationibusque superatis beatitudinem aeternam, quae per eminentiam *vita* appellatur, pro iusta mercede recipient (**3,5**). Beatitudo ergo fructus quidem virtutis est, sed etiam eius merces, et haec merces non tantum *apud Dominum* est reposita ab eoque datur, uti *Vulg.* sua versione indicat, sed etiam iuxta graecam lectionem *in Domino* (ἐν Κυρίῳ), i. e. in unione cum illo, sita est; etenim — ut N. T. clarius docebit — ipsius Dei visione immediata beatificantur, quicunque fideli legis observatione proximi Deo esse meruerunt (cfr ad **6,20**).

Porro sicut Deus ipse est merces iustis proposita, ita etiam illos ad hanc mercedem adducit: *et cura eorum apud Altissimum* est. Nomen φροντίς a *Vulg.* hoc in loco et **8,9** vertitur *cogitatio,* rectius autem **6,16** et **7,4** *cura,* quae altera significatio hic, uti ubique, retineatur

oportet[1]. Sollicitam igitur iustorum curam Altissimus habere asseritur, ita ut eorum spes salutis solidissimo fundamento innitatur neque eos delusura sit. Antiquiores utique interpretes latini ob graeci textus ignorantiam sententiolam nostram de fiducia explicarunt, quam iusti in Deo ponunt : « In hac vita, inquit *Carth.* (cfr etiam *S. Bonav. Lyr. Holc.*), iusti conantur cogitationes suas stabilire in Deo iuxta illud : Iacta cogitatum tuum super Dominum (*Ps.* 54,23), et tota eorum intentio fertur in Deum, ad cuius honorem et gloriam ordinant se et omnia sua » ; at veram explicationem iam iuniores vix non omnes (cfr *Osor. Vatabl. Castro, Lap. Mald. Tirin.* etc.) cum modernis exhibent. Qua admissa has sententias facile cernes ita inter se esse coniunctas, ut prima duabus aliis explicetur vel si mavis velut conclusio ex praemissis inferatur. Sapiens enim, uti schola loquitur, ex utroque obiecto, materiali et formali, spem iustorum in oppositione ad vanam fallacemque spem impiorum firmissimam esse neque frustratum iri demonstrat. Bonum enim, quod sperant, summum est neque unquam defecturum; idem autem bonum, quamvis maxime sit arduum et obtentu difficillimum, immo solis viribus humanis attingi non possit, virtute Dei auxiliatrice nixi prosequuntur, quae fidelis et omnibus difficultatibus potentior iustos ad finem perductura est; unde sua sponte consequitur spem, qua iusti se beatitudinem obtenturos esse confidunt, esse firmissimam neque ex sese interituram, quamvis homo iustus deficere possit. Cui explicationi illud quoque congruit, quod Sapiens non dicat iustos in aeternum *esse victuros,* sed in aeternum *vivere* (ζῶσιν); etenim vita beata cum ipsa infusione sapientiae initium habet, neque interibit, nisi iustus ipse eam ex animo pellat (1,5).

Qualis quantaque porro sit merces, qua pii in aeterna cum Deo unione fruituri sint, Sapiens ita adumbrat, ut eam totam divinae gratiae deberi iterum declaret : 17. *Ideo* (διὰ τοῦτο) *accipient regnum decoris Et diadema speciei* (τὸ βασίλειον τῆς εὐπρεπείας καὶ τὸ διάδημα τοῦ κάλλους) *de manu Domini, Quoniam* (ὅτι) *dextera sua teget* (σκεπάσει) *eos, Et brachio* (*sancto* cfr *VV. LL.*) *suo defendet illos* (ὑπερασπιεῖ αὐτῶν). A modernis interpretibus nonnullis (cfr *Gutb. Gr.*) particula *ideo* (διὰ τοῦτο) ad praecedens membrum refertur (ideo, quia Deus eorum curam gerit), qui nexus sensum quidem bonum parit, sed

1. Φροντίς a *Suida* explicatur ἀγωνία καὶ μέριμνα καὶ φόβος (sollicitudo, cura, metus s. anxietas), ad cuius explicationis confirmationem ad *Aristoph.* (Equit. *v.* 609) provocat : ὅσην ἀπὼν ἡμῖν παρέσχες φροντίδα (quantam nobis absens creasti curam cfr *Schleus.*). Similiter verbum φροντίζειν a nostro interprete redditur *commemorare* (8,17), at alibi in *Vulg.* semper valet *curam habere* alicuius seu *sollicitum esse* de aliquo; cfr 1 *Reg.* 9,5; *Ps.* 39,18, *Eccli.* 32,2 41,15; 50,4; 1 *Mach.* 16,14; 2 *Mach.* 2,26; 4,21; 9,21; 11,15.

illud haud leve creat incommodum, quod eandem causam, cur iusti mercedem sint accepturi, bis eadem in sententia, in eius principio et fine, afferri supponat; quapropter illud διὰ τοῦτο (*ideo*) secundo sententiae membro (*quoniam dextera sua*, etc.) exponi rectius dicemus, id quod in hellenistica dialecto haud raro fieri solet (cfr *Ioan.* 8,47; 10,17; 12,39, etc.). Deus igitur nobis tamquam mercedis non tantum largitor sed etiam auctor proponitur, cuius quippe continua protectione efficacique auxilio indigeat, quicunque ad illam pertingere velit. Genetivus *decoris* et *speciei* (εὐπρεπείας et κάλλους) hic, uti saepissime (cfr *Beel.* Gr., p. 241 sq.; *Win.* Gr. p. 221 sq., etc.), adiectivorum qualitatis locum tenere patet, ita ut merces regnum splendidum et diadema pulcherrimum dicatur; quibus metaphoris eandem gloriam auctor significat, quam antea iam iustos consecuturos esse docuit (3,8 « iudicabunt nationes et dominabuntur populis »). Vix non certum est, eum in his metaphoris eligendis ad *Is.* 62,3 respexisse, quo in loco Sionem messianico tempore « *coronam gloriae et diadema regni* in manu Dei » (στέφανος κάλλους καὶ διάδημα βασιλείας ἐν χειρὶ Θεοῦ) fore promittitur. Egregie enim ad haec verba *Knabenb.* (Comm. in Is. II, p. 447) annotat : « Si nexum perpendimus, qui saepius iam a 53,11 et deinceps statutus est inter gloriam Messiae et splendorem Ierusalem, vix dubitabimus agnoscere coronam et diadema, quo Deus ipsi Messiae decus addit et ornamentum. Iam si Ecclesia est corona et diadema et tanti a Deo habita et tam insigni pulchritudine donata, idem suo modo dici poterit de unaquaque anima gratia ornata, in qua scilicet regnum Dei revera radices egit », ac potissimum de omni anima, quae certaminibus hac in terra Deo adiutore superatis in coelo cum eo in aeternum vivit. Cum hoc isaiano tamen loco initium, ut videtur, carminis illius coniunxit, quo David Dominum celebrat, qui opere creationis terminato, in homines regnare incepit : ὁ Κύριος ἐβασίλευσεν, εὐπρέπειαν ἐνεδύσατο, ἐνεδύσατο Κύριος δύναμιν κτλ. (« Dominus *regnavit, decorem* indutus est : indutus est D. fortitudinem » *Ps.* 92,1); unde ipsa divina gloria corona beatorum dici videtur. Hanc autem mercedem *ideo* accipient a liberalissima manu Dei, *quoniam* Deus ipse iustos in via virtutis ambulantes *dextera sua tuebitur* (σκεπάζειν i. q. שָׂגַב cfr. *Ps.* 90,14) et ab impiorum hostium incursibus *brachio suo defendet* (ὑπερασπίζειν i. q. « obiecto clypeo aliquem adversario suo imparem protegere » cfr Gen. 15,1. Deus ad Abraham : « Noli timere; אָנֹכִי מָגֵן לָךְ ad verbum : ego sum tibi clypeus; LXX : ἐγὼ ὑπερασπίζω σου). Pervulgate autem metaphoris *manus* et *brachii* Dei divina virtus et potentia significatur; ac profecto, quum vita aeterna, utpote quae in Dei ipsius fruitione consistat, bonum quasi

sit infinitum, virtus quoque infinita requiritur, quae creaturam ad eam perducat (cfr *S. Thom.* Sum. 22, q. 17, a. 2).

Quapropter Sapiens levi gloriae aeternae adumbratione contentus curam ac sollicitudinem, qua Deus iustis in salute adipiscenda non solum adiutorem sed imprimis protectorem et propugnatorem se praebet, diligentius depingit, ut ex auxilii ac protectionis magnitudine et quasi difficultate magnitudo et excellentia praemii piis destinati clarius innotescat. Quod argumentum per prolixam quidem sed pulcherrimam metaphoram explicat, quam ab initio generatim atque universe proponit, sequentibus autem sententiis singulatim excolit. 18. *Accipiet armaturam* (πανοπλίαν) *zelus illius* (τὸ ζῆλος αὐτοῦ, sed cum plerisque graecis lege : *zelum suum* τὸν ζῆλον αὐτοῦ), *Et armabit creaturam* (τὴν κτίσιν) *ad ultionem* (melius *ad repulsionem* εἰς ἄμυναν) *inimicorum*. Interpres noster cum cod. ℵ (cfr *VV. LL.*) videtur legisse τὸ ζῆλος (nomen ζῆλος et masculino genere et neutro usurpatur) illudque pro nominativo sumsit; quia vero reliqui codd. graeci omnes accusativum habent (τὸν ζῆλον), etiam lectionem τὸ ζῆλος eodem modo rectius interpretabimur; licet enim per se nihil obstet, quominus divinum attributum in personam constituatur, minus apte tamen hoc attributum alia attributa pro armis accipere dicitur, id quod dicendum esset, quia idem est subiectum in reliquis sententiis. Itaque Dei *armatura completa* (πανοπλία, quae lorica, galea, scuto, gladio aliisque armis constat) est eius *zelus* (ζῆλος a ζέειν fervere) seu *aemulatio*, i. e. fervidum studium, quo suos tuetur a periculis eos sollicite custodiens eorumque hostes fortiter impugnans (cfr ad 1,10). Neque vero ad suos tuendos solus Deus arma arripit, sed etiam universitatem rerum creatarum (τὴν κτίσιν *creaturam* i. q. *v.* 21 ὁ κόσμος i. e. omnes creaturas ratione expertes in oppositione ad homines) *armabit* seu in armorum societatem assumet (ὁπλοποιήσει τὴν κτίσιν). Verbum ὁπλοποιεῖν, quod hoc solo loco in Scripturis et aliquoties a iunioribus scriptoribus profanis adhibitum invenitur, a nonnullis modernis idem valere putatur quod « arma conficere », ut membri nostri sensus sit : « creaturas faciet arma sua » vel « creaturas pro armis adhibebit » scilicet praeter attributa sua (*Gutb.-Gr.*). Quam significationem verbo etymologice spectato competere non negamus (cfr ὁπλοποιός armorum faber), contextui tamen hic non congruere monemus, quia creaturae (ὁ κόσμος *v.* 21) statim non velut Dei arma sed velut eius socii vel commilitones una cum eo bellum contra impios gerentes considerantur (συνεκπολεμήσει una cum eo pugnabit). Vulgatae igitur versionem huius verbi (*armabit*) praeferimus, minus apte autem ab ea dictionem εἰς ἄμυναν (*in ultionem*) reddi censemus. Etenim ἀμύνειν proprie valet « ar-

cere seu propellere aliquem ab aliquo », unde ἄμυνα proprie est *repulsio* vel etiam *defensio,* quae utique, si efficax est, punitionem repulsi connotat, ita ut ἄμυνα etiam *ultionem* significare possit; hoc autem loco nulla adest ratio, qua ad secundariam hanc nominis notionem confugere cogamur, praesertim quia primaria est contextui conformior, siquidem de cura, qua Deus protegit iustos, agitur. Quomodo autem Deus creaturas armet, Sapiens *infra* (16,24; 19,6) accuratius docet.

Iam duas metaphorae partes, quas *v.* 18 distinxit, expositurus auctor priore in loco (19-21ª) singula Dei ipsius arma ex ordine recenset, initio ab iis sumto quae tegendo bellatori inserviunt : 19. *Induet* (ἐνδύσεσαι) *pro thorace iustitiam* (δικαιοσύνην), *Et accipiet* (magis graphice : περιθήσεται *circumponet sibi* scil. capiti, ut illud totum circum tegat) *pro galea iudicium certum* (κρίσιν ἀνυπόκριτον), 20. *Sumet scutum inexpugnabile aequitatem,* vel si mavis : *sumet scutum inexpugnabilem aequitatem* (λήψεται ἀσπίδα ἀκαταμάχητον ὁσιότητα); namque adiectivum ἀκαταμάχητον, licet cum priore subst. (ἀσπίδα) grammatice coniungi queat, cum altero forsan (ὁσιότητα) connectendum esse analogia praecedentis membri omnino suadet. Isaianum iterum vaticinium Sapiens in hac sententia imitatus est, in quo propheta Dominum tamquam bellatorem depingit, qui armis suis indutus ad salvandum ac redimendum populum suum prodeat : ἐνεδύσατο δικαιοσύνην ὡς θώρακα, καὶ περιέθετο περικεφαλαίαν σωτηρίου ἐπὶ τῆς κεφαλῆς καὶ περιεβάλετο ἱμάτιον ἐκδικήσεως καὶ τὸ περιβόλαιον ζήλου (« et induit iustitiam pro thorace et circumposuit galeam salutis capiti et amicuit se vestimento ultionis et pallio zeli ». *Is.* 59,17). Qua aperta ex imitatione rite ni fallor colligitur, auctorem nostrum quoque proxime de iustorum conservatione et defensione agere, quae sane impiorum hostium repulsionem et castigationem vix non necessario secum trahit. Quapropter iis non assentimur, qui statim primo in membro *iustitiam,* quam Deus pro thorace induturus dicitur, solam vindicativam, qua impios castigaturus sit, intelligere volunt; latiore potius sensu illa intelligatur oportet, qua Deus providentiae suae ordini invigilans suum cuique tribuit, iustis protectionem et salutem, impiis poenam promeritam et interitum; iustitia enim vindicativa Dei eo sensu, quo plerique hoc in loco volunt, intellecta non differt ab ira Dei, quae in nostra descriptione locum omnium telorum tenet, quibus Deus in hostes suos impetum facit, eosque impugnat ac destruit (*v.* 21ª). Porro iustitia, qua Deus iustos protegit et contra eorum adversarios tuetur, duobus aliis membris diligentius exponitur, quibus Deo *iudicium non simulatum* pro *galea* et pro scuto *aequitas* vel *sanctitas inexpugna-*

bilis attribuuntur; qua utraque in dictione praecipuam vim in adiectivis (ἀνυπόκριτος et ἀκαταμάχητος) inesse evidens est. *Iudicium non simulatum* autem, i. e. verum ac sincerum (*Vulg.* parum recte : *certum* [1]), illud est, quod non speciem tantum et fucum iudicii prae se fert, sicut multa illa humana, in quibus iudices aut vanis erroneisque opinionibus praeoccupati aut omni recti et aequi reverentia destituti aut largitionibus vel promissionibus corrupti non secundum causarum merita, sed ad arbitratum suum aut ex partium studio sententias ferunt. Sicut autem galea iudicii non simulati omnimodam iusti iudicis integritatem sententiaeque ab eo latae rectitudinem, ita scutum *inexpugnabilis aequitatis* vel sanctitatis summam iudicis auctoritatem declarat, cui resistere vel repugnare non minus nefas quam inutile est.

Quid nomen ὁσιότης, quod a *Vulg.* hic et 9,3 *aequitas*, alibi vero *iustitia* (2,22; 14,30) aut *sanctitas* (*Luc.* 1,75; *Eph.* 4,24) redditur [2] atque hoc solo in loco Deo attribuitur, proprie valeat, difficile est dictu praesertim quum etiam adiectivum ὅσιος nunquam a profanis scriptoribus diis suis et quater (vel quinquies) tantum in Scripturis graecis Deo attribuatur [3]; videlicet *Deut.* 32,4 δίκαιος καὶ ὅσιος ὁ Κύριος (hebr. צַדִּיק וְיָשָׁר *Vulg.* : « iustus et *rectus* ») ; *Ps.* 144,13 « fidelis (πιστός) Dominus in verbis suis καὶ ὅσιος ἐν πᾶσιν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ (« sanctus in omnibus operibus suis » ; sed hoc distichon, quum in hebraico textu desit et paullo post eodem in carmine repetatur, hoc in loco genuinum non est); *Ps.* 144,17. δίκαιος (צַדִּיק *Vulg.* : iustus) Κύριος ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς αὐτοῦ καὶ ὅσιος (חָסִיד *Vulg.* : sanctus) ἐν πᾶσιν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ; *Apoc.* 15,4. « Quis non timebit et magnificabit nomen tuum, ὅτι μόνος ὅσιος? » (*Vulg.* quia solus *pius* es); *Apoc.* 16,5. δίκαιος εἶ ὁ ὢν καὶ ὁ ἦν ὅσιος, ὅτι ταῦτα ἔκρινας (*Vulg.* : « iustus es, qui es et qui eras, *sanctus*, qui [quia] haec iudicasti »). Porro adiectivum חָסִיד, quod vix non constanter de hominibus humanisque rebus adhiberi et ab Alexandrinis graeco ὅσιος reddi monuimus (ad 2,22), bis tantum de Deo praedicatur, atque semel tantum ὅσιος vertitur (*Ps.* 144 [145], 17), altero autem in loco ἐλεήμων (misericors *Ierem.* 3,12, ubi *Vulg.* ex textu hebr. vertit : *sanctus*);

1. Ἀνυπόκριτος a nostri libri interprete infra (18,16) *insimulatus* (i. q. non simulatus) redditur, in Novo Test. autem vel *sine simulatione* (*Rom.* 12,9; *Iac.* 3,17) vel *non fictus* (2 *Cor.* 6,6; 1 *Tim.* 1,5; 2 *Tim.* 1,5) vel *simplex* (1 *Petr.* 1,12), qua ultima voce etiam simulatio omnis excluditur; saepius autem adiectivum in Script. graecis Vet. aut Novi Test. non legitur.

2. Praeterea bis ὁσιότης καρδίας in Scripturis graecis legitur : *Deut.* 9,4 pro hebr. יֹשֶׁר לֵבָב (*Vulg.* aequitas cordis) et 3 *Reg.* 9,4 pro hebr. תֹּם־לֵבָב (*Vulg.* simplicitas cordis); tanta igitur est interpretationum nominis varietas, ut interpretes ipsos de genuina illius significatione dubitasse appareat.

3. Graecis profanis scriptoribus, utpote polytheistis, vera Dei sanctitas ignota erat neque proinde vocabulo ad eam designandam indigebant; epitheta autem, quae diis suis attribuunt, sanctitatem proprie dictam non exprimunt, sed eos aut veneratione dignos (σεμνός) aut religione sacrificiisque cultos ac puros (ἁγνός), aut augustos (ἱερός) declarant; quae epitheta in graecis SS. Scripturis rarissimi sunt usus, neque unquam vero Deo attribuuntur.

contra vero adiect. קָדוֹשׁ uti subst. קֹדֶשׁ, quibus proprie divina sanctitas designatur, nusquam ab Alexandrinis ὅσιος et ὁσιότης vertuntur, sed ἅγιος et ἁγιότης vel ἁγιωσύνη, etc. Itaque ex paucis illis, quos allegavimus, locis definiatur oportet, quo sensu ὁσιότης, si Deo attribuitur, sit intelligenda; ex illis autem legitime ni fallor concluditur, nomen nostrum esse synonymum nominis δικαιοσύνη atque adiect. ὅσιος Deo tributum sensu a δίκαιος vix differre, quippe cui sive ad eius vim augendam (*Deut.* 32,4; *Apoc.* 16,5) vel in parallelismo synonymo (*Ps.* 144.17) adiungatur, sive eandem significationem competere contextu declaretur (*Apoc.* 15,4). Uti igitur κρίσις (iudicium) in praecedente membro, ita ὁσιότης in hoc membro ipsam δικαιοσύνην quodammodo exponunt atque priore nomine externa iustitiae divinae manifestatio, altero iustitiae divinae, ut ita dicamus, interna ratio, vel si mavis eius quasi fundamentum designari videtur, Dei scilicet summum iusti et aequi studium, quod quum nec falli nec fallere possit, sperni non licet.

Armis Dei descriptis auctor ad eius tela transit, sed unum solum nominat, quod pro omnibus est solumque ad hostes debellandos abunde sufficit : 21ª *Acuet autem* (sc. Deus) *duram iram in lanceam* (ἀπότομον ὀργὴν εἰς ῥομφαίαν). Minus apte ῥομφαία a nostro interprete *lancea* vertitur; proprie enim gladium oblongum et bipennem Thracum designat, quo gens illa solo utebatur, quum etiam pro hasta adhiberi posset, ut cominus et eminus pugnantibus aequaliter inserviret. Iam huius generis telum Deo est *dura ira* eius; « ira autem Dei, inquit *S. Aug.* (de civ. Dei, XV, 23) non perturbatio animi eius est, sed iudicium quo irrogatur poena pro peccato »; quocum consentiens *S. Thom.* (in Rom. 1,18) : « ira Dei est vindicta ipsius, quae dicitur ira secundum similitudinem hominum irascentium, qui vindictam quaerunt; at Deus vindictam infert ex animi tranquillitate ». Quae ira dicitur ἀπότομος (abscisa) i. e. dura ac severa, non tantum quia omnis spes veniae abscisa est, quumprimum sententia est lata, sed etiam quia poena, quam Deus peccatoribus irrogat, in se durissima est et gravissima[1].

Verum illo in bello Deus non pugnat solus; 21ᵇ. *Et pugnabit* (lege : *pugnabit autem* (συνεκπολεμήσει δέ) *cum eo orbis terrarum* (ὁ κόσμος) *contra insensatos* (vel *dementes* τοὺς παράφρονας). Particula δέ (*autem*), cui hic adversativam vim abnegare non licet, prohibemur, ne armorum divinorum descriptionem continuari cum plerisque modernis dicamus; ad alteram potius expositionis suae particulam *v.* 18 indica-

1. Adiectivo ἀπότομος inter scriptores sacros solus Sapiens (et quidem satis frequenter : 5,20; 6,6; 11,11; 12,9; 18,15), adverbio ἀποτόμως autem praeter nostrum auctorem (5,23) etiam S. Paulus utitur (2 *Cor.* 13,10; Tit. 1,13); etymologice respondet latino *abscisus*, quae vox similiter propria significatione *praeruptus*, translate autem *asper* seu *horridus* et *dursus* valet; cfr *Valer. Max.* II. 7,14 : « aspero et *absciso* (i. q. duro) castigationis genere militaris disciplina eget »; alia exempla affert *Gr.*

tam transiens auctor socios recensere incipit, qui una cum Deo impios illos, qui quum totam suam beatitudinem in rebus sensibilibus quaerendis et fruendis collocent, aliter atque decet sentiunt (παρὰ τὸ εἰκὸς φρονοῦσιν, uti habet *Schol. Aristoph.* in Pluto p. 1), ideoque iure merito παράφρονες i. e. *dementes* (a vera mente aberrantes) appellantur, non tantum impugnabunt sed *expugnabunt* (συνεκπολεμήσει) i. e. ad internecionem et interitum adducent. Sicut autem in primo praecedentis descriptionis sticho (*v.* 19ª) omnia arma telaque divina, quae singula erat expositurus, nomine πανοπλίας complexus est, ita nostro in sticho nomine τοῦ κόσμου (*orbis terrarum*) cunctos Dei socios comprehendit, quos singulos statim recensebit (*v.* 22 sqq.). Aptissime porro universitatem *creaturarum ratione expertium,* quas solas nomine τοῦ κόσμου, uti *v.* 18ᵇ nomine τῆς κτίσεως, intelligendas esse ipsa earum enumeratio docet, in personas constituit, quae una cum Deo contra illius et suos ipsarum hostes bellum gerant completamque de eis victoriam reportent. Neque enim Deum solum impii offendunt, quotiescunque eius Lege contemta creaturis ad suas satiandas libidines abutuntur, sed etiam creaturarum ipsarum iura laedere haud inepte dicuntur, quatenus eas fine ad quem divinitus conditae sunt privant novumque ac perversum finem pro suo arbitrio quasi statuunt. Re enim vera iuxta divinam voluntatem res huius mundi omnes homini datae sunt, ut earum ope in cognitione et laude et servitio veri Dei promoveatur; tantum autem abest, ut impii ad hunc finem iis utantur, ut potius pro suis perversis concupiscentiis vanam turpemque oblectationem aut inanem scelestamque laudem gloriamque per eas quaerentes et ipsi a Deo longius recedant et res creatas, quas pro peccatorum suorum instrumentis adhibent, supremo Dei dominio quodammodo subtrahant diabolique ditioni subiiciant. Ad quam turpem tristemque conditionem, in quam creaturae post Adami peccatum delapsae sunt, respiciens S. Paulus simili, qua Sapiens, prosopopoeia usus eas gemere et ardenti desiderio futuram suam a turpi hac servitute liberationem assidue et constanter exspectare dicit (*Rom.* 8,19-21 cfr nostrum Comment. in ep. ad Rom. p. 423 sqq.). Sapiens autem ad illam iam liberationem prospiciens eas nobis proponit iniuriae sibi illatae poenas debitas ab impiis repetentes; iuxta talionis nimirum legem impii iis ipsis punientur, quibus ad peccata sua perpetranda abusi sunt. (Cfr. *S. Greg.* M. in evang. hom. 35, M. 76,1260).

Quatuor autem naturae mala, quibus Scripturae Deum ad puniendos peccatores saepius usum esse testantur, velut socii Dei in debellandis impiis enumerantur : fulgura (*v.* 22), grandines (*v.* 23ª), aquarum inundationes (*v.* 23ᵇ) et quarto loco, omissa tamen personae fictione,

venti turbines (*v.* 24ª). Praeprimis igitur 22. *Ibunt directe emissiones fulgurum* (ex graeco : πορεύσονται εὔστοχοι βολίδες ἀστραπῶν accuratius et clarius verte : *Ibunt sagittae fulgurum bene directae* seu *collineatae*) *Et tamquam a bene curvato arcu nubium* (*exterminabuntur et*) *ad certum locum* (ἐπὶ σκοπόν) *insilient*. Duo vocabula (*exterminabuntur et*) perperam in *Vulg.* recepta ac proinde omittenda esse iam monuimus (cfr *VV. LL.*) ; quibus demptis sensus sententiae est clarus, dummodo attendas, genetivos *fulgurum* et *nubium* esse appositivos seu epexegeticos i. e. explicationis gratia additos, ita ut *sagittae fulgurum* = *sagittae i. e. fulgura* et *ab arcu nubium* = *ab arcu i. e. a nubibus* (cfr ad 3,15) ; satis frequenter enim fulgura per sagittarum emissarum metaphoram designantur (cfr *Ps.* 17,15 ; 76,18 ; 143,16 etc.) ; unde sua sponte nubes cum arcu comparantur. Sagittae autem illae εὔστοχοι vocantur, quia a sagittario tam accurate ad scopum sunt collineatae et *directae,* ut illum non attingere nequeant. Certo igitur ictu fulgura impios tangent, sed etiam vehementissime illos ferient et percutient, utpote *ab arcu bene curvato* (ἀπὸ τόξου εὐκύκλου) emissae ; arcus enim, quo magis est in orbem redactus et adductus seu contentus, eo maiorem habet emissionem eoque maiore cum vi, si remittitur, sagittam in scopum impellit ; quem in sensum *Castro* : « intentissimum arcum vocat adductum et vehementer inflexum, ut remissus maiore torqueat et feriat vi ». Itaque primum auxiliarium Dei agmen quodammodo sagittariis constat, qui fulgura accurate collineata summa cum vi in impios emittentes magnam eorum stragem edent.

Alterum autem agmen funditoribus constitui lapides grandinum in Dei hostes iactantibus recte dicitur : 23ª. *Et a petrosa ira plenae mittentur grandines* vel iuxta graecum textum (καὶ ἐκ πετροβόλου θυμοῦ πλήρεις ῥιφήσονται χάλαζαι) accuratius : *et ex lapidum funda* (seu : *ex ballista*) *ira plenae excutiuntur grandines*. Vix non omnes interpretes vocabula ἐκ πετροβόλου θυμοῦ arcte connectunt, licet de nexus eorum ratione inter eos non conveniat. Namque alii genetivum πετροβόλου pro adiectivo habent, quod cum genetivo θυμοῦ sit coniungendum et aut cum *Vulg.* explicant *ab ira petrosa* i. e. ab ira quae petrae vel lapidi similis ac proinde dura et inexorabilis est, aut ad genuinam vocis πετροβόλου (quae nequaquam idem valet quod πέτρινος vel πετρώδης vel πετρήεις etc., sed a πέτρα et βάλλειν derivatur) significationem diligentius attendentes interpretari malunt *ab ira lapidante* (cfr *Boss. Les.*) vel *lapides iaciente* (cfr *Corl. Gutb.*) ; alii adiectivum πετροβόλου pro appellatione hic usurpari censent (vel ἡ πετροβόλος sc. καταπέλτης i. q. ballista vel τὸ πετροβόλον sc. μηχάνημα cfr τὸ λιθοβόλον 1 *Mach.* 6,51. i. q. tormentum lapidibus iactandis aptum) cui alter genetivus (θυμοῦ)

velut appositio epexegetica addatur : *A ballista i. e. ab ira* sc. divina (cfr *Gr.* etc.). Quae explicationes nobis non probantur, non tantum quia omnes hic descriptionem armorum Dei continuari erronee supponunt, siquidem de auxiliaribus Dei, inter quos ira divina recenseri nequit, hic agi iam ostendimus, sed etiam quia earum auctores adiectivo πλήρεις significationem attribuere coguntur, quae ei non competit; χάλαζαι πλήρεις enim neque *grandines graves,* uti antiquiores fere voluerunt, neque *grandines densas et confertas* designare possunt, uti recentiores nullo allato exemplo temere statuunt. Quapropter genetivus θυμοῦ non cum praecedente nomine πετροβόλου sed cum sequente adiectivo πλήρεις connectatur oportet, ut significetur *ex funda* (vel *ballista*) *excussum iri grandines ira plenas* (cfr **11,19** θυμοῦ πλήρεις θῆρες ira plenae bestiae); non minus poetice enim quam apte grandines, quae a funditoribus Deum adiuvantibus iactabuntur, ira plenae seu iratissimae vocantur, ut quam graviter ac severe in impios sint vindicaturae innuatur. Tanta quippe est grandinis vis, ut inter praecipuas poenas, quibus Deus mundum impium castigare solet, non ultimum locum in Scripturis teneat : grandines velut una ex gravissimis plagis Pharaoni praedicuntur et in eum immittuntur (*Exod.* 9,13-35; cfr *Ps.* 77,4 sq.; 104,33; *Sap.* 16,16); exercitum Amorrhaeorum Iosuen filiosque Israel aggressorum in fugam verterunt et conciderunt (*Ios.* 10,11) ac Davidis quoque hostes aliquando disperserunt (*Ps.* 17,13 sq.), populo foedifrago ab *Isaia* (28,17) et pseudoprophetis ab *Ezechiele* (13,13. 15) tamquam poenae perniciosissimae denuntiantur; unde non mirum quod etiam inter calamitates, quibus ultimis temporibus Deus mundum infidelem puniturus et purgaturus est, grando plus semel nominetur (*Apoc.* 8,7; 11,19; 16,21 cfr *Ezech.* 38,21).

Una cum fulgoribus et grandinibus autem inundationes quoque aquarum in plerisque locis allatis inter divinas impiorum poenas commemorantur, atque similiter Sapiens maria et flumina totam terram subito inundantia hic velut tertium agmen auxiliare Dei affert : 23[b]. *Excandescet* (ἀγανακτήσει) *in illos* (sc. impios) *aqua maris, Et flumina* (melius : *flumina autem* (ποταμοὶ δέ) *concurrent duriter* (συγκλύσουσιν ἀποτόμως concurrentia obruent [illos] violento ictu). Verbum συγκλύζειν praeter nostrum locum bis tantum in graecis Scripturis legitur : *Is.* 43,2 (καὶ ποταμοὶ οὐ συγκλύσουσίν σε et flumina non obruent te) et *Cant.* 8,7 (καὶ ποταμοὶ οὐ συγκλύσουσιν αὐτήν sc. τὴν ἀγάπην et flumina non obruent illam sc. caritatem); quare etiam hic significationem obruendi vel immergendi verbo recte attribuere nobis videmur, licet proxime *sonum* fluctuum concurrentium et collidentium indicare videatur (cfr

ὁ συγκλυσμός i. q. collisio et aestus aquarum). Prosopopoeiam, qua auctor Dei socios describit, hic duobus in stichis continuat, quum mare ἀγανακτεῖν i. e. irasci iramque suam contra impios manifestare fluminaque ad eos immergendos sua sponte concurrere dicat; sed hac figura relicta quartum socium, ventos turbines, per solam comparationem afferens Deum suam ipsius virtutem in naturae calamitatibus descriptis exserere docet : 24ª. *Contra illos stabit* (ἀντιστήσεται αὐτοῖς *obsistet illis* vel *oppugnabit illos*) *spiritus virtutis* (πνεῦμα δυνάμεως) *Et tamquam* (melius : *sicut* ὡς) *turbo venti dividet* (melius : *ventilabit* vel *excutiet* ἐκλικμήσει) *illos*. Antiquiores quidem et iuniores fere omnes dictionem πνεῦμα δυνάμεως (*spiritus virtutis*) interpretantur ventum vehementem et validum; quae interpretatio si admitteretur, prosopopoeiam etiam in hoc membro uti in praecedentibus continuari dicendum esset; neque negari potest, interpretationem hanc concinnitate sua sese commendare. At admitti nequit, quia altero in sticho hic *spiritus virtutis,* nisi aliud subiectum (nescio unde) supplendum esse temere asseritur, cum *vento turbine* (λαῖλαψ) comparatur; genus autem (ventus vehemens) cum una ex suis speciebus (turbine) comparari nequit. Quare cum modernis dictione illa *halitum virtutis* (divinae) significari tenemus; tanta scilicet est Dei virtus et potentia, ut vel levis eius halitus ad impios dispergendos plane sufficiat; aptissime ergo halitus potentissimi Dei eos ventilaturus esse dicitur, *sicut* ventus turbo (seu ventus vehementissimus) paleas in areis relictas dispergere solet; simili modo *Is.* 11,4 iustissimum Deum *halitu labiorum suorum* (ἐν πνεύματι διὰ χειλέων בְּרוּחַ שְׂפָתָיו) impios interfecturum esse dicit (ceterum cfr *infra* ad 11,21). Verbum ἐκλικμᾶν, quo noster auctor cum iunioribus Graecis pro frequentiore λικμᾶν utitur, proprie valet « vanno paleas a frumento separare » seu frumentum excutere et ventilare, ut paleae dissipentur, atque frequentissime subita rerum conversio, qua impii ex felici suo statu deiecti puniuntur, a sacris poetis per metaphoram palearum vento dispersarum describitur (cfr 11,21; *Ps.* 1,4; 34,5; *Iob* 21,18; *Is.* 17,3; 29,5 etc.).

Iamvero gravissimo bello, quod ad pios suos servos defendendos Deus summa cum iustitia neque minore cum severitate a sociis suis adiutus contra impios suscipit et gerit, completa efficitur terrae desolatio, quam unice impietati deberi Sapiens ultimis huius sectionis stichis asserit : 24ᵇ. *Et ad eremum perducet* (vel *in eremum convertet,* proprie desolabit devastabitque ἐρημώσει) *omnem terram iniquitas* (ἀνομία), *Et malignitas* (κακοπραγία) *evertet sedes potentium;* hominum enim iniquitas et maleficentia (κακοπραγία) divinam iram provocat Deumque quasi cogit, ut arma ipse induat creaturasque, quibus impii

pessimo earum usu iniuriam inferunt, ad hostes suos debellandos convocet (*v.* 18). Illationem igitur ex tota praecedente descriptione duo stichi constituunt, quorum ultimus, quum iniquitate etiam *thronos potentium* (θρόνους δυναστῶν) eversum iri declaret, simul orationem ad novam sectionem traducit, qua Sapiens ipsos principes ad sectandam sapientiam practicam exhortatur (cfr 6,2).

Totam hanc pericopen (*vv.* 18-24) descriptionem poeticam esse protectionis singularis, qua Deus sanctissimus et iustissimus providentiae suae ordini invigilans pios suos servos, ut ad vitam aeternam coronamque eis destinatam pervenire possint, contra impios eorum adversarios tuetur, ab initio iam diximus. Probe tamen consideretur oportet, Sapientem hic nequaquam hoc vel illud iudicium particulare, quo impiorum conatus coerciti et puniti sunt, delineare voluisse, sed omnia iudicia particularia una cum ultimo iudicio universali, quo completa victoria de omni impietate et iniustitia reportabitur, una quadam adumbratione complecti. Ad universale enim iudicium ultimum eum simul respexisse, paenultimus stichus clarissime docet, quo *tota terra* (πᾶσα ἡ γῆ) iudicio descripto in eremum redacta asseritur; particularia autem iudicia omnia eum praeprimis ante oculos habuisse non tantum intimus nexus inter *vv.* 17 et 18 declarat, qui Deum arma sua ad pios suos servos in terris cum impiis suis oppressoribus colluctantes tegendos induere supponit, sed etiam colores, ut ita dicam, in pictura adhibiti manifestant, quippe qui omnes ex iudiciorum particularium in Scripturis relatorum descriptionibus desumti sint.

Neque haec iudicii describendi ratio cuiquam mira videri potest, nisi ignoret frequenter a prophetis « iudicium Dei exhiberi per se tale quale exsistit et mente cogitationeque fingi et comprehendi potest, ut ex iudiciis particularibus et ultimo universali unum exoriatur Dei iudicium simpliciter, quo et particularia illa quasi quidam gradus et initia et ultimum universale tamquam omnium illorum absolutio et ultimum culmen repraesententur et describantur ». Quam sententiam bene explicat *Knabenbauer* (Comment. in Isaiam proph. I, p. 451) : « Si iudicium Dei ita acceptum supposueris, per se explicatur, cur ea, quae iudiciis particularibus propria sunt, media cernantur in descriptione tali, quae limites iudiciorum particularium longe excedat, vel vice versa, cur singula illa iudicia iis exhibeantur ac proponantur coloribus, iis effectibus, eo ambitu, quae neque singulis per se neque omnibus particularibus simul conveniant, verum in solo ultimo generali exspectanda sunt. Non ergo hic consideratur iudicium Dei tale vel tale, sed iudicium Dei in universum, quatenus per temporis decursum in fine saeculorum devolvitur. — Talem autem considerationem visioni propheticae esse consentaneam certum est. Nam ad visionem propheticam pertinere edocemur ipsa oraculorum forma, ut normae Dei generales proponantur atque ipsae rerum notiones, quales in mente exsistunt abstractae a temporum serie et spatio locorum, in se depingantur et exprimantur. Adde quod hac sola consideratione ea habetur unitas, ea conformitas et dicendi constantia, quae necessario requiritur. Nemo enim quibusdam interpretibus consentiet dicentibus, vatem modo loqui de iudicio quodam singulari, modo ad ultimum accedere

universale, ut mox iterum particulare quoddam tangat, ex quo denuo se elevet ad ultimum generale, et ita vatem fere continuo ab altero ad alterum transire vel avolare. Profecto non ita sermones prophetici discerpendi sunt, verum una illa ac foecundissima notio vel idea vel intuitio mentis est exquirenda, ex qua oraculum amplissimum efflorescat et maxima rerum varietas et abundantia quasi sua sponte nascatur et contineatur. Tale autem est in re nostra iudicium Dei, quod per se et in se consideratur. In rerum cursu adsunt iudicia Dei particularia in singulis gentibus variis temporibus et aderit iudicium ultimum universale, sed ex his coalescit unum iudicium per se, et pro mentis consideratione unum potest coalescere, quia et iudicia illa particularia non sunt nisi praeformationes quaedam et quasi praeludia ad ultimum et in ultimo demum plane et perfecte id absolvitur, quod in singulis fiebat i. e. prostratio hostium Dei et cultorum beatitas, vel quod ad idem recidit, manifestatio gloriae. Haec igitur Dei victoria vel manifestatio gloriae in se concipitur tamquam una, omnia complectens tempora, coelum et terram implens et tamquam talis describitur; inde vero fit, ut in mentis intuitione et descriptione iudicia particularia luminibus et coloribus illustrentur iudicii ultimi universalis, ultimum vero iudicium eum quoque induat rerum statum et eos ostendat effectus, qui proprie ad particularia pertinent ». Eandem explicationis rationem paucioribus comprehensam saepius invenies in *Knabenbauer* Proph. min. I ad *Ioel.* 2,10, p. 217; ad *Abd.* 15, p. 352; ad *Mich.* 1,2, p. 393, etc., quibus in locis similiter, atque in nostro a Sapiente, iudicia particularia schemate universalis proponuntur.

In pericopes huius interpretatione plerique moderni catholici re nobiscum consentiunt, quamvis dicendi modo magis minusve dissentire neque satis inquirere videantur, quo fundamento nixus Sapiens varia iudicia particularia una cum ultimo generali hic una descriptione comprehenderit (cfr *Smits, Schmid, All. Corl. Gutb. Loch Les.* etc.). Antiquiores tamen et iuniores cath. plerosque plane diverso modo locum hunc explicasse fatendum est. Sunt enim qui poenas, quibus impii in inferno cruciabuntur, in oppositione ad aeternam beatitudinem gloriosumque regnum piorum in coelis (*vv.* 16.17) metaphorice describi sibi persuaserint; quomodo vero huic explicationi ultimi duo stichi (*v.* 24^{b}) respondeant, qui bellum Dei contra impios *in terris geri* evidenter supponunt, aut quae damnatorum poenae metaphoris fulgurum et grandinum et inundationum et turbinum significentur, nobis non produnt neque nisi arbitrariis fictionibus explicare possunt. Cum *Castro* iuniores plerique arbitrantur, « Salomonem hic loqui de satellitibus praecessuris Christum ad iudicium venientem, qui illius praeferant maiestatem et impiis metum incutiant; huiusmodi esse ipsum iudicis vultum iracundum et omnium ministrorum eius; tum et ipsum ignem, quem ante se mittat fulgoribus fulminibusque et lapidibus intermixtum, una cum turbine vehementi, qui obvios in omnes partes dispersurus sit, denique ignem, qui in impios irruiturus eosque combusturus sit ». Verum interpretes illi, qui toto hoc loco nihil nisi signa praecursoria iudicii universalis proponi volunt, arctum nexum inter *vv.* 17 et 18 plane negligentes nullo modo explicare possunt, qua ratione auctor ad descriptionem hanc satis prolixam huic pericopae inserendam sit adductus et cur

nonnulla quidem signa, quae universale iudicium sint annunciatura, satis fuse exponere, de iudicio ipso autem omnino tacere voluerit.

Antiquiores acath. simili modo quo catholici suae aetatis locum nostrum aut de poenis damnatorum aut de signis iudicium universale praecedentibus exponunt; moderni autem rationalistae et critici cum *Bretsch.* et *Gr.* Sapientem hic prophetico stylo suam piorumque suorum contribulium spem proposuisse ac poetice exornare declarant; pios quippe Iudaeos ab impiis suis fratribus et ab ethnicis oppressos mox iam antiquum regnum davidicum restitutum atque oppressores suos omnes gravissima clade deletum iri sperasse; sed non est, cur hisce somniis rationalisticis refutandis inhaereamus, siquidem ea quae ad 3,6 sqq. (p. 129) contra similem rationalistarum interpretationem adnotavimus, etiam ad hunc eorum errorem refellendum sufficiunt.

§ 3. — *Principes sapientiae practicae diligentissime studere iubentur* (6,1-23).

Postquam contrariis iustorum et iniustorum sortibus ubertim descriptis sapientiam practicam seu iustitiam omnibus generatim necessariam esse demonstravit, auctor ad libri sui exordium respiciens eam potissimum principibus commendat et sicut ab iis ad illius studium invitandis opus suum exorsus est (1,1), ita priorem hanc partem simili sed graviore invitatione terminat. Etenim Deum ab iis quos aliis praefecit maioribusque donis ditavit, severiorem rationem exacturum esse praefatus eosdem monita sua maiore cum cura et sollicitudine perpendere et observare debere concludit, nisi duriorem poenam invenire velint (6,1-12); ne vero ab hoc debito officio implendo sese excusare conentur, sapientiam iis, a quibus quaeratur, sua quasi sponte se offerre summaque commoda secum afferre docet (6,13-23). Duas igitur huius paragraphi distinguimus sectiones, quarum prior necessitatem, altera facilitatem et utilitatem studii sapientiae illis demonstrat, qui principum nomine designantur.

1. — *Propter severius quod eos exspectat iudicium, studium sapientiae praecipue principibus est necessarium* (6,1-12).

6,1. Melior est sapientia quam vires, Et vir prudens quam fortis. 2. Audite ergo, reges, et intelligite: Discite, iudices finium terrae. 3. Praebete aures vos, qui continetis multitudines, Et placetis vobis in turbis nationum: 4. Quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Al-

6,2. Ἀκούσατε οὖν, βασιλεῖς, καὶ σύνετε, Μάθετε, δικασταὶ περάτων γῆς. 3. Ἐνωτίσασθε, οἱ κρατοῦντες πλήθους Καὶ γεγαυρωμένοι ἐπὶ ὄχλοις ἐθνῶν. 4. Ὅτι ἐδόθη παρὰ τοῦ Κυριοῦ ἡ κράτησις ὑμῖν Καὶ ἡ δυναστεία παρὰ Ὑψίστου, Ὃς ἐξετάσει ὑμῶν τὰ ἔργα, καὶ τὰς βουλὰς διερευνήσει. 5. Ὅτι ὑπηρέται

tissimo, Qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur : 5. Quoniam, cum essetis ministri regni illius, Non recte iudicastis, Nec custodistis legem iustitiae, Neque secundum voluntatem Dei ambulastis. 6. Horrende et cito apparebit vobis, Quoniam iudicium durissimum his, qui praesunt, fiet. 7. Exiguo enim conceditur misericordia; Potentes autem potenter tormenta patientur. 8. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, Nec verebitur magnitudinem cuiusquam; Quoniam pusillum et magnum ipse fecit, Et aequaliter cura est illi de omnibus. 9. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. 10. Ad vos ergo, reges, sunt hi sermones mei, Ut discatis sapientiam et non excidatis : 11. Qui enim custodierint iusta iuste, iustificabuntur, Et qui didicerint ista, invenient, quid respondeant. 12. Concupiscite ergo sermones meos, Diligite illos, et habebitis disciplinam.

ὄντες τῆς αὐτοῦ βασιλείας Οὐκ ἐκρίνατε ὀρθῶς, Οὐδὲ ἐφυλάξατε νόμον, Οὐδὲ κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἐπορεύθητε. 6. Φρικτῶς καὶ ταχέως ἐπιστήσεται ὑμῖν, Ὅτι κρίσις ἀπότομος ἐν τοῖς ὑπερέχουσι γίνεται. 7. Ὁ γὰρ ἐλάχιστος συγγνωστός ἐστιν ἐλέους, Δυνατοὶ δὲ δυνατῶς ἐτασθήσονται. 8. Οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης, Οὐδὲ ἐντραπήσεται μέγεθος· Ὅτι μικρὸν καὶ μέγαν αὐτὸς ἐποίησεν, Ὁμοίως τε προνοεῖ περὶ πάντων. 9. Τοῖς δὲ κραταιοῖς ἰσχυρὰ ἐφίσταται ἔρευνα. 10. Πρὸς ὑμᾶς οὖν, ὦ τύραννοι, οἱ λόγοι μου, Ἵνα μάθητε σοφίαν καὶ μὴ παραπέσητε. 11. Οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια ὁσιωθήσονται, Καὶ οἱ διδαχθέντες αὐτὰ εὑρήσουσιν ἀπολογίαν. 12. Ἐπιθυμήσατε οὖν τῶν λόγων μου, Ποθήσατε καὶ παιδευθήσεσθε[1].

Priusquam prioris huius sectionis analysin exponamus interpretationemque aggrediamur, quid de primo disticho, a quo *Vulg.* eam inchoat (6,1. *Melior est sapientia quam vires, Et vir prudens quam fortis*), tenendum sit, praenotabimus. Sententia ipsa clara est ac verissima, quin etiam recte velut verbum divinum afferri potest, quia prior stichus fere ad verbum cum *Eccle.* 9,16 (cfr 9,18) et alter cum *Prov.* 24,5 (iuxta versionem alexandrinam, cfr etiam *Prov.* 16,32) consonant. Attamen distichon ipsum, quoniam neque in primigenio textu neque in reliquis versionibus antiquis quidquam cui

1. *VV. LL.* — 1. *Melior est sapientia* etc. De hoc disticho, quod sola in *Vulg.* legitur, cfr *Comment.* — 4. παρὰ τοῦ Κυρίου (*a Domino*) B ℵ etc.; solus, ut videtur A articulum omisit, fortasse ut haec dictio accuratius cum sequente παρὰ Ὑψίστου (*ab Altissimo*) consonaret. — διερευνήσει (perscrutabitur) B A etc., sed ℵ minus apte ἐξερευνήσει (exquiret); per alexandrinismum (cfr *Blass.* Gr. p. 21) nonnulli codices (cum ℵ) quos Swete sequitur, habent διεραυνᾶν pro διερευνᾶν uti etiam *v.* 9 ἔραυνα pro ἔρευνα. — 5. οὐδὲ ἐφυλάξατε νόμον (neque observastis legem) sine additamento est communis lectio textus primigenii et versionum; sola *Vulg.* plerisque in codd. habet *neque custodistis legem iustitiae;* at genetivum *iustitiae,* qui in haud paucis codd. deest, « explicationis gratia additum videri » *Ians.* iam recte monuit. — 8. Pro accus. masc. μέγαν (*magnum*) pauci minusc. male legunt neutr. μέγα. — Utrum cum B A et plerisque legas προνοεῖ (*curat*) an cum ℵ aliisque προνοεῖται, ad sensum nihil refert.

respondeat hoc in loco habet atque etiam contextum sermonis intercipere videtur, a multis iam iunioribus et modernis paene omnibus interpretibus pro glossa habetur ex locis modo allatis conflata (vel saltem ad eorum exemplum contexta) atque hic a latinis librariis perperam inserta. Atque id quidem recte; neque improbabile est, quod *Nann.* coniecit, sententiam hanc primitus velut titulum quendam in margine sequentis pericopes fuisse additam et postea per librariorum negligentiam in sacrum textum irrepsisse; revera enim summum quasi argumentum nostrae paragraphi satis accurate exhibet. Veri autem limites excedunt, qui aut plane eam respuunt, quia nullam neque cum antecedentibus neque cum consequentibus habeat affinitatem (cfr *Smits* etc.), aut eam hic aptum putant esse transitum, quoniam ex praecedentibus (5,21-24) tamquam legitima conclusio derivetur et argumentum sequentis exhortationis indicet (cfr *Gutb.* etc.). Nam sequentibus eam velut thema vel titulum apte praefigi potuisse ipsi iam diximus, sed eam praecedentium esse consectarium ab illis sine causa asseritur. Arctissime potius exhortationem *v.* 2. (ἀκούσατε οὖν βασιλεῖς κτλ. *audite ergo reges* etc.) cum ultimo praecedentis paragraphi (5,24[d] ἡ κακοπραγία περιτρέψει θρόνους δυναστῶν maleficentia *evertet thronos principum*) cohaerere et connecti manifestum est, neque potest dubitari, quin immediatus hic nexus generali illa sententia (*melior est sapientia* etc.) interposita turbetur; quapropter illam praetermittendam esse ducimus.

Itaque principes, ne eorum throni evertantur (5,24[a]), ad practicae sapientiae studium exhortaturus auctor eos ad suam doctrinam audiendam ac perpendendam invitat (6,2.3) atque primo in loco quantopere practica sapientia seu iustitia principibus necessaria sit explanat : a Deo enim, qui donorum suorum rationem expostulaturus sit, eos potestatem suam accepisse praefatus (*v.* 4), eis quia in munere suo fungendo iustitiam secundum Dei voluntatem non custodierint, severum iudicium denuntiat (*vv.* 5.6); Deum nempe parvulorum quidem misereri, potentibus vero non parcere (*vv.* 7-9). Unde praecedentem suam invitationem repetit additaque praemii promissione urget (*vv.* 10-12).

Magno cum verborum pondere Sapiens lectores suos orat et obsecrat, ut ad monita sua attendant eaque intelligere studeant : 2. *Audite ergo reges et intelligite* (σύνετε); *Discite iudices finium terrae* (δικασταὶ περάτων γῆς); 3. *Praebete aures* (ἐνωτίσασθε) *vos, qui continetis multitudines* (rectius : *qui dominamini multitudini* οἱ κρατοῦντες πλήθους cfr 3,8 κρατήσουσιν λαῶν *Vulg.* : « dominabuntur populis »)

Et placetis vobis (melius : *qui superbire coepistis* γεγαυρωμένοι) *in turbis nationum*. Particulam *ergo* (οὖν) immediate ad poenam impiis denuntiatam et proxime ad thronorum eversionem (5,24[d]) referendam esse ante monuimus et vix non ab omnibus conceditur; item Sapientem easdem personas, quas in principio operis uno titulo *iudicum terrae* (οἱ κρίνοντες τὴν γῆν) complexus est (1,1), hic alloqui adnotavimus. Quatuor quidem hic utitur nominibus, quibus regia ac suprema auctoritas publica designari videtur : βασιλεῖς (*reges*), δικασταὶ περάτων γῆς (*iudices remotissimarum partium terrae* cfr *Ps.* 18,5 et *Rom.* 10,18), κρατοῦντες πλήθους (*dominatores multitudinis* sc. populorum), γεγαυρωμένοι ἐπὶ ὄχλοις (*ostentatores turbarum nationum* i. e. multarum nationum subiectarum); unde mirum non est, quod nonnulli recentiores (cfr *Gr.* etc.) eum hic omnes reges terrae una cum magistratibus imperii romani alloqui arbitrentur. Verum nominum istorum multitudine ac varietate non obstante asserere non dubitamus eum hic similiter ac supra (1,1 cfr p. 37 sq. et Proleg. § 1,3, p. 7 sqq.) nequaquam de regibus proprie dictis (neque iudaicis, qui tempore quo liber est scriptus non amplius inveniebantur, neque ethnicis imperatoribus vel magistratibus, qui exhortationi intelligendae omnino erant impares) loqui, sed de magistratibus primoribusque populi electi, qui tunc temporis sive publica sive privata quadam auctoritate inter contribules suos eminebant.

Quin etiam in memoriam revocare licet id quod supra (p. 37) diximus, certo quodam sensu omnes Iudaeos qui Legi suae fideliter inhaerebant, appellatione illa comprehendi (relege illic dicta). Quare quatuor hosce titulos, uti unum illum in exordio libri (1,1) quasi per figuram quandam orationis adhibitos atque metaphorice intellegendos esse censemus [1]. Qua admissa interpretatione nihil quoque admirationis habet amplitudio vel potius, si ita dicere fas est, universalitas regni tribus ultimis appellationibus indicata. Neve Sapientem arbitrarie aut ad solum sermonis ornatum tropico hoc dicendi genere usum esse putes. Nam pios Iudaeos, quo tempore ab apostatis suis contribulibus eorumque infensis sociis ethnicis vehementer premebantur ac vexabantur, magnificis illis titulis compellans afflictos eorum animos insignium beneficiorum eis a Deo iam collatorum maiorumque praemiorum eis ab

1. Non dubito quin multi lectores de hac auctoris commentarii interpretatione nonnihil dubitaturi sint. Qui quidem huius capitis versus 2-10 attente legerit, mihi videtur non posse non putare, hic vere reges ac principes appellari. Nonne potuit auctor libri Sapientiae sapientissimum ac celeberrimum regem Salomonem, quem (meo quidem iudicio iam inde a 1,1) loquentem introducit, facere edocentem ac gravissime monentem reges (non solos, sed omnes simul homines)? Haud scio an Ptolemaeis libri sacri Iudaeorum in graecum versi noti fuerint, ut librum Sapientiae et intelligerent et forte lecturi esse videri possent. Certe moneri potest etiam is qui auditurus non est, atque lecturi et intellecturi erant multi alii principes, quos omnes Spiritus S. alloquitur et erudit. — Nihilominus textum commentarii relinquendum censui, ut P. Cornely scripsit. — *Editor.*

eodem promissorum recordatione erigere et confirmare voluit atque simul ad monita sua audienda exsecutionique mandanda promptiores reddidit.

Quatuor porro compellationibus quatuor respondent verba, quibus lectores institutionem Sapientis *audire* (ἀκούσατε), *intelligere* (σύνετε), *discere* i. e. usu et exercitatione sibi propria reddere (μάθετε) eisque *obsequi* (ἐνωτίσασθε) iubentur. Aptissimo ordine ea per gradationem esse disposita patet; imperativi autem *aoristi* adhibiti sunt, ut maiorem vim orationi dent (cfr ad 1,1 p. 39). Duo prima verba (ἀκούειν et συνιέναι), quorum prius sensu, alterum mente rem recipiendam esse declarant, haud raro coniunguntur (cfr *Is.* 6,9 etc.; *Matth.* 13,13 sqq. etc.); tertium (μανθάνειν), quo Alexandrini hebr. לָבַיִד reddere solent, duplicem hic admittit explicationem; satis apte enim de Sapientis doctrinis mente perpendendis, ut clarius percipiantur firmiusque retineantur, intelligi potest, sed aptius, nisi fallor, de iisdem ad usum transferendis intelligitur, ut eas veras rectasque esse ipsa experientia doceat (cfr *Deut.* 5,1; *Ierem.* 10,2 etc.). Quartum demum (ἐνωτίζεσθαι) classicis scriptoribus plane inusitatum et in Novo Test. semel tantum *Act.* 2,14) adhibitum ab Alexandrinis ad hebr. הַאֲזִין, cui etymologice respondet, vertendum formatum videtur; ab *Hesychio* iuxta etymologiam suam explicatur ἐν ὠτίοις δέχεσθαι (in aures recipere), sed derivatis quoque hebraici verbi significationibus reddendis inservit, neque desunt loci, in quibus latine *obsequi* et *obedire* vertatur oportet (*Ex.* 15,26; 2 *Esdr.* 9,30 etc.) atque germanico nostro *zu Ohren nehmen* congruit. Itaque Sapiens verba sua non tantum auribus percipi et mente intelligi vult, sed ut in usum quoque transferantur eisque obediatur postulat.

Cui gravi invitationi ad monita sua audienda et exsecutioni mandanda auctor ipsam adhortationem ad sapientiam iustitiamque colendam immediate subiungit. Atque primo quidem in loco, uti supra diximus, eam auditoribus suis, ne severum sibi attrahant iudicium, necessariam esse demonstrat. A iudicii autem comminatione ita exorditur, ut duabus primis sententiis (*vv.* 4.5) inter se parallelis rationes praemittat, cur Deus eos sit puniturus, atque tertia (*v.* 6), quae periodi apodosin constituit, poenae gravitatem adumbret potius quam describat eamque iustam esse nova ratione confirmare incipiat : 4. *Quoniam* (ὅτι) *data est a Domino potestas* (rectius : *dominatio* ἡ κράτησις cfr *v.* 3, οἱ κρατοῦντες) *vobis et virtus* (rectius : *principatus* ἡ δυναστεία cfr 3 *Reg.* 9,19 i. q. מַמְשָׁלָה) *ab Altissimo; Qui interrogabit* (ἐξετάσει melius : *inquiret in*) *opera vestra et cogitationes scrutabitur* : 5. *Quo-*

niam (ὅτι), *cum essetis ministri regni illius* (τῆς αὐτοῦ βασιλείας), *Non recte iudicastis* (ἐκρίνατε), *Neque custodistis legem iustitiae* (νόμον cfr *VV. LL.*) *Neque secundum voluntatem Dei ambulastis* : 6. *Horrende et cito apparebit* (rectius : *superveniet* ἐπιστήσεται cfr 18,17 ; 19,1) *vobis*, *Quoniam* (ὅτι) *iudicium durissimum* (ἀπότομος cfr ad 5,21ª) *iis qui praesunt* (vel *eminent* ὑπερέχουσιν) *fiet*. In hac periodo construenda et interpungenda a Vulgata Clement. recedendum esse censemus. Correctores enim Clementini primas duas sententias (*vv.* 4. 5), uti videtur, cum praecedentibus (*vv.* 2. 3) connectere voluerunt, quasi rationes afferrent, quibus ipsa Sapientis invitatio ad verba sua audienda niteretur vel corroboraretur : at invitatio tam gravibus sollemnibusque verbis est expressa, ut corroboratione non indigeat, atque reprehensio *v.* 5 expressa, quum ad absterrendos magis quam alliciendos animos sit idonea, profecto invitationis illius neque fundamentum neque confirmatio dici potest. Quare prima sententia (*v.* 4) a praecedentibus puncto posito omnino separetur oportet; contra vero secunda (*v.* 5) deleto puncto, quod Vulgata Clement. in eius fine exhibet, cum sequente *v.* 6 connecti debet, ne duae protases parallelae deficiente apodosi quasi suspensae maneant.

Quis trium harum sententiarum (*vv.* 4-6) cum praecedentibus et inter se admittendus sit nexus et quae singulis in locis particulae ὅτι (*quoniam*) ter in periodo repetitae vis sit ac potestas, inter modernos interpretes controversum est. Inter eos nonnulli (*Schmid*, *Les.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.) eandem praebent interpretationem, quam Vulg. Clem. sua interpunctione indicat quamque parum aptam esse ostendimus. Neque vicina aliorum nobis probatur interpretatio, qui solam primam sententiam (*v.* 4) per ὅτι causale cum invitatione coniungunt, secundam (*v.* 5) vero, quam non tantum a *v.* 4. sed etiam a *v.* 6. interpunctione maiore plane separant, in se completam esse statuunt illiusque particulam ὅτι soli transitui inservire atque idem quod latinum *iamvero* valere volunt (*Corl.* etc.); quamquam enim per se nihil obstat, quominus solus *v.* 4 velut ratio, qua urgeatur invitatio, ei addita dicatur, nullo tamen modo *v.* 5 pro completa sententia sumi potest, quia particula ὅτι illam quae a *Corl.* etc. supponitur significationem non admittit. Rectius igitur reliqui eadem ratione qua nos inde a *v.* 4 adhortationem, quae audiri debeat, inchoare tenent; in eo tamen aliqui a nostra explicatione recedunt, quod *vv.* 4 et 5 inter se parallelos esse negantes primum ὅτι in *v.* 4 non pro causali sed pro recitativa illa particula habent, qua Graeci orationem directam frequentissime inducunt, quaeque nostro interpunctionis signo, quod colon (:) vocatur, quodammodo respondet. Cui explicationi non omnino quidem refragamur, dummodo simul *v.* 5 cum *v.* 6 ita connectatur, ut legis transgressio *v.* 5 vituperata tamquam causa afferatur severi iudicii divini, quod *v.* 6. denuntiatur (*Deane* cum vers. anglicana); nostram tamen velut concinniorem praeferimus, quia particulae ὅτι ter repetitae eandem in tribus sententiis arcte cohaerentibus significationem causalem attribuit. Plane vero illam explicationem respuendam censemus, si *v.* 5 a *v.* 6 seiungitur, cum *v.* 4 autem, et quidem velut causalis, connectitur (ita *Gutb.*); profecto enim ipsa legis transgressio

neque confirmatio dici potest sententiae, qua Deus omnium donorum quae dedit severam rationem exacturus esse asseritur.

In tota porro adhortatione sua ac potissimum in hac iudicii comminatione, a qua illam exorditur, Sapiens allegoricum illud dicendi genus, quo in auditoribus invitandis usus erat, continuans dona illa divina, quibus fideles Iudaei apostatis contribulibus non minus quam ethnicis superiores erant, nominibus *dominationis* (ἡ κράτησις *Vulg.* : potestas) et *principatus* (ἡ δυναστεία *Vulg.* : virtus) complectitur, quia illa dona ad regnum perpetuum adducunt (infra *v.* 21) eiusque quasi sunt initium : magnificis igitur illis nominibus magnitudo donorum praedicatur, neque vero ex illis magis quam ex superioribus compellationibus magnificis concludere licet, eum reges magistratusque proprie dictos hic adhortari. Nihilominus rite ex hoc loco colligitur, quod pridem iam divina Sapientia ipsa per Salomonem docuerat : « per me reges regnant et principes (οἱ δυνάσται) ius dicunt; per me duces imperant et potentes per me dominantur (κρατοῦσιν) terrae » (*Prov.* 8,15 sq.), et quod S. Paulus postea docturus erat : « non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt (sc. potestates), a Deo ordinatae sunt « (*Rom.* 13,1). Neque tamen hanc doctrinam Sapiens hoc in loco proxime inculcare vult, sed praecipua sententiae vis est in eo, quod praeclara illa dona concessa dicantur *a Deo*, qui quum venturus sit iudex etiam accurate in eorum, qui illa acceperunt, opera et cogitationes inquisiturus sit, usum ergo donorum suorum non reliquerit libidini et arbitratui hominum. Hoc sensu si intelligitur sententia, aptissime tamquam prima ratio proponitur, cur fideles Iudaei timere debeant, ne Deus cito et horrende iis sit superventurus.

Id autem multo magis eis est timendum, quia ipsi quoque Legem, quamquam divinitus eam sibi essę datam sciverunt, a via Domini recedentes violarunt, ut Sapiens altera in sententia causali (priori asyndete ut maiorem habeat vim addita) eis exprobrat. Praeprimis ad priorem sententiam quodammodo alludens *ministros regni Dei* (ὑπηρέται βασιλείας Θεοῦ) eos esse commemorat, ut gravissimi eos admoneat officii, quo in donorum acceptorum usu toti a Deo pendere et ad eius solius voluntatem attendere tenentur, quippe cuius quasi partibus in acceptis donis administrandis ac dispensandis fungantur et cui in omnibus, sicut minister domino suo, obsequi debeant. Deinde vero quantopere in hoc officio explendo defecerint, tribus membris explanat, quorum primum (οὐκ ἐκρίνατε ὀρθῶς *non recte iudicastis*) duobus aliis synonymis clarius exponi videtur. Verbum κρίνειν (*iudicare*) enim, uti ex toto contextu satis elucet, hic eodem modo

quo 1,1 (οἱ κρίνοντες τὴν γῆν *qui iudicatis terram* cfr p. 37) latiore regnandi ac gubernandi sensu sumatur oportet : « non recte gubernationis partem a Deo vobis commissam administrastis ». Allegoricum igitur dicendi genus auctor hoc in membro retinet, sed quum duabus aliis illud praetermittat, se omnes fideles iudaeos alloqui clare ostendit. Neque enim secundum (οὐδὲ ἐφυλάξατε νόμον *neque custodistis legem*) cum nonnullis acatholicis (*Heydenr. Strig.* apud *Gr.*) interpretari licet : « non *invigilastis* observationi legis », id quod utique solis magistratibus apte obiiceretur, sed pro consueta verbi φυλάσσειν (i. q. שָׁמַר) significatione cum vix non omnibus explicari oportet : « non *observastis* legem » (cfr *Gen.* 26,5; *Exod.* 12,13; *Levit.* 15,26 et saepissime), ita ut omnes, quibus lex data est, vituperentur. Quanam autem de lege agitur, de Lege mosaica Iudaeis data an de lege naturae cordibus omnium hominum inscripta? Moderni plerique nomen νόμου hic sine articulo poni monentes de lege naturali sermonem fieri volunt; at articuli omissio immerito urgetur; namque νόμος articulo omisso haud raro non tantum in Novi Test. epistolis (cfr *Rom.* 2,13. 23. 25; 3,20 etc.) sed etiam in versione alexandrina (cfr *Is.* 2,3; *Agg.* 2,11; *Mal.* 2,6 etc.) legem mosaicam significat; sicut enim apud Iudaeos palaestinenses nomen תּוֹרָה, ita apud alexandrinos νόμος quasi nominis proprii naturam induerat (cfr meum Comm. in ep. ad *Rom.* p. 129). Qua vero ratione in libro a Iudaeo pro Iudaeis conscripto nudum nomen νόμος definite et proprie legem naturalem significare possit, nemo facile explicaverit, quia Iudaei naturalis legis a sua scripta Lege distinctae notitiam non habuerunt. Itaque cum antiquioribus tenendum censemus, *v.* 5 mosaicae Legis transgressionem auditoribus obiici; unde sua sponte consequitur, auditores non supponi esse reges magistratusque, sive ex Iudaeorum apostatarum, qui Legem abiecerant, sive ex ethnicorum, qui Legem ignorabant, numero constituti dicantur. Procul dubio Sapiens, si illos esset allocutus, qui illa aetate Legem omni contentione delere conabantur eiusque sectatores crudeliter vexabant, alia crimina eaque multo graviora eis exprobrasset. Similiter autem tertium membrum (οὐδὲ κατὰ τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἐπορεύθητε *neque secundum voluntatem Dei ambulastis*) praecedenti synonymum (licet generaliore modo sit expressum) non ethnicos neque apostatas magistratus sed omnes Iudaeos patriae religioni addictos spectat, qui Lege divinitus data sibi viam monstrari sciebant, qua ad finem a Deo sibi propositum (i. e. ad salutem promissam) pervenirent.

Duabus rationibus sic explicatis apte additur apodosis : quia maiorum donorum, quibus vos (Iudaeos) exornavit aliisque populis prae-

posuit, Deus accuratam exposcet rationem, quia vos autem donis illis non secundum voluntatem Dei usi estis, ideo *horrende et cito superveniet vobis,* nimirum Deus tamquam iustus iudex, qui donorum male adhibitorum magnitudine gravitatem poenarum dimetiens *illis qui praesunt* i. e. ob maiora dona supra alios eminent (τοῖς ὑπερέχουσιν eminentibus) severiore iudicio graviores poenas irrogabit. Ultima sententia causali (ὅτι κρίσις ἀπότομος ἐν τοῖς ὑπερέχουσιν γίνεται *quoniam iudicium durum* [vel severum] *eminentibus erit*) generalis quaedam divini iudicii norma enuntiatur, quam Dominus quoque Apostolis indicavit (*Luc.* 12,48 cfr *Knabenb.* Comment. in Evang. sec. Luc. p. 398) : « omni cui multum datum est, multum quaeretur ab eo »; ad quae verba egregie *S. Gregor. M.* (in Evang. hom. 9) : « quum augentur dona, rationes quoque crescunt donorum »; iudicium quippe Dei et ratio quae exigitur, determinatur et circumscribitur donis illis quibus quisque erat insignitus.

Quam normam *vv.* 7-9 diligentius explanaturus Sapiens primum auditores suos propter magnam, qua aucti sint dignitatem, severius iudicium subituros esse, quasi a contrario illustrat : 7. *Exiguo enim conceditur misericordia* (ex graeco : ὁ γὰρ ἐλάχιστος συγγνωστός ἐστιν ἐλέους melius vertes : *exiguus* vel minimus i. e. vilissimus *enim dignus est misericordia,* vel cum aliis : *venia dignus est ex misericordia*)[1]; *Potentes autem potenter tormenta patientur* (ἐτασθήσονται). Simili quoque oppositione Dominus eandem normam illustrat (*Luc.* 12,47) : « ille servus qui cognovit voluntatem Domini sui ... et non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis; qui autem non cognovit et fecit digna plagis, vapulabit paucis ». Quae ad verba animadverte, negationem ultimi membri (*non cognovit*) non esse absolutam sed relativam ad prius membrum, uti saepe in eiusmodi oppositione; quoniam enim alter servus, quamvis voluntatem domini non cognovisse asseratur, plagis tamen digna fecisse et ideo puniri declaratur, clarum est ei non omnem omnino voluntatis domini scientiam

1. Graeca sententiola difficultatem quandam creat. Quoniam enim adiectivum verbale συγγνωστός (a συγγινώσκειν veniam alicui dare) eum designat, cui ignosci possit vel qui venia sit dignus (ut *infra* 13,8), genetivus autem, si quis ei additur, rem significat, cuius venia datur (*Max. Tyr.* IV. 3 ψυχὴ συγγνωστὸς τῆς ἀγνοίας anima cui venia ignorantiae dari potest cfr *Gr.*), non satis apparet, quo pertineat et quid sibi velit genetivus ἐλέους· Aliqui cum *Gr.*, eum genetivum causae dicunt (venia dignus *ex misericordia*); sed num alicubi eiusmodi genetivus causae reperiatur, merito dubitatur (cfr *Winer* Gr. p. 178 n.). Quare rectius dici videtur, auctorem notionem misericordiae, quae ad veniam dandam impellit, potissime urgere voluisse ideoque diserte illam addidisse et quidem genetivo, quia hanc constructionem adiectivum ἄξιος postulabat, quod in mente habuit; est igitur quasi constructio quaedam κατὰ σύνεσιν.

abiudicari, sed pleniorem ac perfectiorem illam, qua prior insignitus fuit. Itaque alteri servo nostra in sententia exiguus (ἐλάχιστος) respondet, qui etiam aliqua dona accepit, quorum ratio quidem ab eo reposcetur, sed quorum paucitas et exiguitas iustum iudicem inclinat ad lenitatem et misericordiam; priori autem servo respondent *potentes* (δυνατοί), qui ob eximia quae acceperunt dona inter omnes opibus et auctoritate pollent, sed qui etiam eorum rationem maiore cum rigiditate reddere tenentur atque, si iis male usi esse deprehenduntur, maiores solvere poenas debent. Verbum ἐτάζειν (ἐτασθήσονται *Vulg.* : tormenta patientur) a profanis scriptoribus non nisi inquirendi vel interrogandi et examinandi significatione adhibetur, quam etiam vulgatus interpres ei *supra* (2,19) attribuit; ab Alexandrinis autem ad hebr. נָגַע (percutere) reddendum semel usurpatum est (*Gen.* 12,17; cfr etiam *Iob* 33,27); unde passivum nostro in loco non sine causa a *Vulg.* latino *tormenta pati* (vel potius puniri et torqueri) reddi potuit. Rectius tamen etiam hic verbo ἐτάζειν consuetam inquirendi significationem relinquemus, praesertim si iudiciarium illud examen intelligimus, quo reus tormentis adhibitis ad crimina fatenda adigitur; apte enim, si verba ita interpretamur, leni ac clementi examini exigui opponitur rigidum et immisericors examen potentis (cfr ad 2,19). Ceterum nihil quoque obstat, quominus Vulgatae auctorem hanc sententiam quodammodo per sensum consequentem interpretatum esse dicamus (cfr *Cornely* Introd. gener. in ll. ss. Ed. 2. p. 549 sqq.) quum verbo sensum puniendi tribueret (cfr ad *v.* 8).

Velut exempla, quibus Deus servorum suorum maximis donis ornatorum peccata, quae leviora esse videbantur, iuxta hanc normam magna cum severitate punivisse demonstratur, aliqui afferunt Moysen et Aaronem a terrae promissae ingressu prohibitos, quia petram ad obtinendam aquam percutere iussi ob diffidentiam quandam bis percusserant (*Num.* 20,7 sqq.), Davidem ob populi censum ex superbia institutum peste magnam populi stragem faciente punitum (2 *Reg.* 24,18 sqq.), Ezechiam, quia glorians thesauros suos legatis babyloniis monstravit, futurae non tantum thesaurorum sed etiam filiorum transportationis in Babyloniam denuntiatione afflictum (4 *Reg.* 20,16 sqq.) etc.

Secundo deinde in loco auctor vanam esse spem monet magnatum, qui praeclaris quae acceperunt donis confisi se severius Dei iudicium evasuros esse sibi persuadent : 8. *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus* (ex graeco : οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης verte : *non enim se subtrahet personae Dominus omnium,* vel etiam : etenim non verebitur personam Dominus omnium), *Nec verebitur magnitudinem cuiusquam* (iuxta graecum textum, qui nudam vocem μέγεθος habet, genetivus *cuiusquam* deleatur oportet); *Quoniam pusil-*

lum et magnum ipse fecit, Et aequaliter cura est illi de omnibus (ex graeco : ὁμοίως προνοεῖ περὶ πάντων accuratius : prospicit vel *providet omnibus*). Primum membrum a latino interprete parum recte est translatum ac propterea latina versio, quum non intelligeretur, a librariis sciolis (ut ex multis variis eius lectionibus apparet) est corrupta.

Quid hic Sapiens significare voluerit, ex *Deut.* 1,17 clare elucet, quem locum procul dubio ante oculos habuit; ibi enim Moyses iudicibus a se constitutis iuris iudiciorumque aequitatem commendans inter alia monet : οὐ μὴ ὑποστείλῃ πρόσωπον ἀνθρώπου (לֹא תָגוּר מִפְּנֵי־אִישׁ) i. e. « noli (ex timore) recedere a facie hominis » seu « noli timere (in iudicio faciendo) ullam personam », sed magnates quoque, si in culpa sunt, aude condemnare, « quia iudicium Dei est » i. e. quia ad iudicium agendum legitime constitutus Dei ipsius locum tenes. Deum igitur, quia magnos non magis quam parvos formidet aut metuat, aequabili iure omnes nullo excepto iudicaturum esse primo membro docetur, atque idem altero membro synonymo confirmatur : *non verebitur* (ἐντραπήσεται cfr 2,10) *magnitudinem*. Ratio autem, cur Deus iudex neminem timeat, primo sticho iam indicata est, siquidem ὁ πάντων δεσπότης *omnium Dominus* appellatur, cui ergo summi non minus quam infimi sint subiecti; accuratius tamen eadem tertio et quarto sticho exponitur, quatenus omnes, pusillos et magnos, omni ex parte a Deo dependere significatur, quia omnes a Deo aequaliter sint creati omnesque aequali eius providentia conserventur et regantur.

Ne tamen quisquam ex eo, quod Deus aequali providentia omnibus providere dicatur, aequale quoque fore iudicium omnium temere colligat, auctor tertio in loco normam ante stabilitam et illustratam magna cum vi repetit : 9. *Fortioribus autem fortior instat cruciatio* vel potius ex graeco : τοῖς δὲ κραταιοῖς ἰσχυρὰ ἐφίσταται ἔρευνα accuratius ac rectius : *Fortibus* (vel *dominis* cfr *v.* 3 οἱ κρατοῦντες) *autem severa instat inquisitio*. Quo maiora quippe sunt dona, quibus aliquis a Deo auctus est, eo gravior quoque erit ratio, quam de eorum usu Deo reddere tenetur et consequenter eo gravior erit poena eius, si iis male usus esse in iudicio deprehensus fuerit; quam consequentiam auctor procul dubio indicare voluit et noster interpres hic (ut supra *v.* 7^{b}) ipsa nominis ἔρευνα versione haud arbitrarie expressit. Animadverte autem nos hic non nudam superioris sententiae (*v.* 7^{b}) repetitionem habere; hic enim norma generalis enuntiatur, uti ex praesente adhibito (ἐφίσταται ἔρευνα instat inquisitio) satis clare apparet; ibi autem futuro adhibito (ἐτασθήσονται *examinabuntur* vel

iuxta *Vulg.* : tormenta patientur) Sapiens certis personis, scilicet auditoribus suis, severum illud examen comminatur.

Severi tandem iudicii comminationem velut conclusio quaedam practica excipit ipsa adhortatio ad studium sapientiae, qua peccata evitentur et idonea coram iudice defensio paretur (*vv.* 10-12). Ad generalem enim iudicii normam modo promulgatam (*v.* 9) respiciens Sapiens monet : 10. *Ad vos ergo reges* (ὦ τύραννοι) *sunt hi sermones mei, Ut discatis sapientiam et non excidatis* (παραπέσητε). Bene interpres latinus appellationi τυράννου, quae apud profanos scriptores frequenter potestatis aut iniuste usurpatae aut crudeliter gestae notionem annexam habet, nomen non ambiguum *regis* (cfr etiam *v.* 12) substituit, quippe quod primigeniae significationi graecae vocis eiusque usui constanti in alexandrina versione accuratius congruit; τύραννος enim dorica forma est attici κοίρανος (i. g. κύριος) et a LXX interpretibus ad hebraica vocabula נָדִיב (potens; *Prov.* 8,16), רוֹזֵן (princeps; *Hab.* 1,10), אֲחַשְׁדַּרְפָּן (satrapa; *Est.* 9,3) similiaque reddenda adhibetur. Parum apte autem *Gr.* cum paucis ad *v.* 5 provocat, ut sinistram appellationis significationem hic praeferri debere ostendat; non minus temerarie enim quam arbitrarie Sapiens *v.* 5. de iniusta usurpatione aut de crudeli usu potestatis cogitasse supponitur atque profecto adhortationem suam ab ignominiosa compellatione inchoare non potuit. Opus porro non est, ut nomine hoc eadem ratione, qua superioribus appellationibus (*vv.* 2.3), Iudaeos utpote divinis donis nationibus reliquos praestantes in universum allegorice comprehendi repetamus, quum auctor easdem personas in tota hac pericope alloquatur; ipsa autem nominum varietate, ne proprio sensu explicarentur, praecavisse haud immerito dicitur. Hinc etiam clarum est sapientiam, in qua addiscenda operam curamque collocari iubet, non esse artem rei publicae bene administrandae, uti pauci volunt (cfr *Gutb.*), sed virtutem illam, qua quis totam suam vitam privatam et publicam ad Legis divinae praecepta bene cognita conformat, quamque Sapiens sub nomine *iustitiae* iam primis statim libri verbis diligendam ac sectandam esse praecepit (cfr ad 1,1 et *Proleg.* § 2, 1). Huic autem sapientiae vel iustitiae studio qui dediti sunt, ii vera ac recta via finem ultimum petunt, neque timendum eis est, ne *excidant* seu, uti interpres noster (cfr infra 12,2) verbum παραπίπτειν aptius reddit, *exerrent* vel aberrent et in peccata (παραπτώματα cfr 3,13; 10,2) prolabentes in severo Dei iudicio non habeant, quo se defendant.

Quo lato sensu *sapientiam* sumendam esse sequens sententia comprobat, quae simul arcta sua cum superioribus connexione prohibet,

ne ab illa novam adhortationis partem (de sapientiae commodis) inchoari cum *Gr.* aliisque dicamus. Namque confirmationis vel potius explicationis gratia (attende ad particulam γάρ) praecedenti additur : **11.** *Qui enim custodierint iusta iuste, iustificabuntur* (vel ex graeco : οἱ γὰρ φυλάξαντες ὁσίως τὰ ὅσια ὁσιωθήσονται magis proprie : *Qui enim custodierint sancte sancta, sanctificabuntur*), *Et qui didicerint ista* (melius : *qui edocti fuerint ista* οἱ διδαχθέντες αὐτά), *invenient quid respondeant* (εὑρήσουσιν ἀπολογίαν invenient defensionem). Latinus interpres, quamquam in priore sticho propriam vocabulorum ὁσίως etc. significationem neglexit, convenienter tamen ad orationis seriem illa latinis *iuste* etc. transtulisse dicendus est, siquidem hic, ut alibi quoque (cfr 2,22) iustitiam intelligit rectam illam hominis ad ultimum finem sibi divinitus propositum dispositionem, qua Deo gratus acceptusque et aeterna salute dignus redditur. Quae recta dispositio et ordinatio ad finem in illo invenietur, qui omnia divina praecepta eo quo Deus vult modo observat, vel iuxta nostrum locum *iusta* (vel *sancta* et quidem omnia τὰ ὅσια) *iuste* vel *sancte* (ὁσίως) custodit. Superiorem quippe suam sententiam, qua « Legem non custodientibus neque iuxta Dei voluntatem ambulantibus » horrendum Dei iudicium comminatus est (*vv.* 5.6), quodammodo in memoriam revocans Sapiens nunc Legem universam (τὰ ὅσια) secundum Dei voluntatem (ὁσίως) custodientibus promittit fore, ut in divino iudicio *iustificentur* (vel sanctificentur ὁσιωθήσονται), i. e. *iusti* vel sancti et consequenter aeterna salute digni *declarentur*. Subiecto igitur quasi descriptio quaedam exhibetur vere sapientis, utpote qui totam vitam suam ad Legem divinam perfecte conformare debeat (cfr ad 1,1); id quod facere nequit, nisi omnia, quae Lex iubet (τὰ ὅσια) etiam eo modo quo Lex iubet (ὁσίως) observat; neque enim qualiscunque Legis observatio sufficit, quum bonum, uti veteres aiebant, ex integra causa, malum vero quocumque ex defectu sit; τὸ καλόν, inquit *S. Greg. Naz.* in eundem sensum, οὐ καλόν, ὅταν μὴ καλῶς γένηται. Verbo ὁσιωθήσονται porro summum ac finale praemium sapientis innuitur; ὁσιοῦν enim quamvis aeque ac pleraque verba in -οῦν desinentia proxime significet id efficere, quod primitivo ex quo deducitur adiectivo (ὅσιος) designatur (ergo *sanctum facere*) atque hoc sensu a profanis scriptoribus usurpetur [1], nostro tamen in loco, in quo de iudicio agitur, idem valere quod « pro sancto agnoscere » seu *sanctum declarare* vix

1. Cfr *Demosth.* (Bekker Orat. att.) 23,73; *Eurip.* Orest. Sacri scriptores hoc sensu verbo ἁγιάζειν uti maluerunt; ex. g. *Gen.* 2,3, Deus diem septimum ἡγίασεν sanctificavit i. q. acrum fecit; *Lev.* 16,19; *Num.* 6,11 etc. (ubi est pro hebr. קִדֵּשׁ); 1. *Cor.* 6,11; *Eph.* 5,26; *Hebr.* 10,10 etc.

non omnes recte consentiunt; eadem duplex significatio graeco verbo δικαιοῦν (iustum facere et iustum declarare cfr ex. gr. Comm. in 2 Cor. et Gal. p. 456 sq.) et latinis verbis *sanctificare* et *iustificare* (cfr Kaulen Handbuch zur Vulg. p. 187 sq.) competit.

Alterius quoque stichi synonymi subiectum (οἱ διδαχθέντες αὐτά *qui didicerunt* vel rectius *edocti fuerint ista*) vere sapientem describit, verum ita ut proxime ac directe illius non tam externam agendi rationem (uti in priore) quam internum mentis voluntatisque cultum praedicet, a quo ad agendum impellitur et in agendo dirigitur. Pronomine αὐτά (*ista*) « sapientiam et quae supra de severo iudicio subeundo dicta sint » designari haud recte, puto, *Corl.* arbitratus est; namque ad solum praecedens τὰ ὅσια (*iusta*) pronomen referri posse et consequenter « omnia Legis praecepta » significare evidens est et a reliquis interpretibus iure merito tenetur, ita ut sapiens ex universae Legis scientia definiri dicendus sit. Quam scientiam neque a semetipso habet neque ex suis hausit, sed per magistrum edoctus accepit. Quis quidem eius magister fuerit, diserte non exprimitur; quia autem de Lege divinitus data et de scientia, quae in iudicio approbabitur, sermo est, dubitari nequit, quin ipse Legis auctor, Deus, tamquam magister (saltem mediatus) sapientis designetur. Porro animadvertatur quoque oportet fieri non posse, ut quis ob Legis scientiam mere theoreticam, ad cuius normam vitam suam dirigere non studuit, in ultimo iudicio praemio salutis donetur; « non enim auditores legis, inquit S. Paulus, iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur » (*Rom.* 2,13). Unde secundum auctoris definitionem sapiens dicendus est vir, qui Legis praecepta per divinam institutionem cognita habet suisque moribus exprimit. Similiter deinde ac in priore sticho declarat praedicatum sapientis mercedem vel si mavis praemium : εὑρήσουσιν ἀπολογίαν *invenient quid respondeant* « Christo opponenti » (*Holc.*) « in iudicio de peccatis sibi obiectis » (*S. Bonav.*), vel accuratius : *invenient defensionem* seu quo se defendant seque praemio promisso dignos esse ostendant. Moderni nonnulli mirati quod praemium iustorum satis obscure esset expressum, nomini ἀπολογία significationem « absolutionis, quae defensionem sequi soleat » (*Schleusn.*) attribuere voluerunt aut « excusationis [vel potius : praetermissionis] eorum peccatorum, quae aliquis aut ante praecepta sapientiae cognita aut non obstante diligente suo sapientiae studio [quodammodo ex corruptae naturae infirmitate] commisisse in iudicio deprehenditur » (*Gr.*), atque ad confirmandam suam explicationem sententiam similem attulerunt Siracidae : ἐν ὥρᾳ ἐπισκοπῆς εὑρήσεις ἐξιλασμόν « in hora visitationis [sc. Dei ad iudicium

venientis cfr ad 3,13 p. 138] invenies propitiationem » seu veniam (*Eccl.* 18,20). Quae explicationes prout proponuntur procul dubio erroneae sunt, quia ἀπολογία nusquam, neque apud profanos neque apud sacros scriptores, sententiam *iudicis* reum absolventis et extra culpam esse pronuntiantis aut reo veniam (ἐξιλασμόν) concedentis, sed semper defensionem valet, qua *reus* aut absolutionem aut veniam a iudice impetrare studet. Sed superfluas quoque eas esse totus contextus docet; animadvertatur enim oportet, Sapientem etiam impiorum poenam supra (*vv.* 7,9) non definivisse, sed eius gravitatem ex disquisitionis severitate auditoribus colligendam reliquisse. Quapropter aptissime etiam praemium iustorum hic non describit sed ex eo ipso, quod eis ob iustam quam habeant defensionem severum iudicium non imminere declarat, colligi vult, praemium promissum eis non esse defuturum; quodnam vero et quantum illud sit, antea iam exposuit (5,16 sq.) et mox iterum exponet (*v.* 21 sq.).

Repetita demum invitatione, ut Sapientis verba studiosissime amplectantur, terminatur prior exhortationis pars : 12. *Concupiscite* (ἐπιθυμήσατε) *ergo sermones meos, Diligite illos* (ποθήσατε sc. αὐτούς), *et habebitis disciplinam* (vel potius : *acquiretis disciplinam* (παιδευθήσεσθε). Iure merito auctor, postquam sapientiam ad salutem consequendam plane necessariam esse demonstravit, invitationem suam ad sapientiae studium velut doctrinae suae corollarium proponit. Duobus autem verbis (ἐπιθυμεῖν et ποθεῖν) quae ambo desiderium ex vehementi rei amore exortum indicant, coniunctis luculenter declarat, quanti sapientia aestimanda sit quantoque cum ardore eam acquiri oporteat. Ac profecto, si prudens quisque in humana, quam sibi utilem censet, disciplina addiscenda magnum studium multamque operam consumit, totum animum omnemque cogitationem et curam ad studium sapientiae conferre debemus, utpote quae humanas quascunque disciplinas scientiasque utilitate longissime superet, quia sine illa neque severum Dei iudicium effugere neque aeternam salutem obtinere possumus. Quam utilitatem Sapiens indicat, quum invitationi suae ad illud studium promissionem addit eos, qui sermones suos studiose sint amplexuri, disciplinam « i. e. morum castigationem et compositionem » (*Lap.*) acquisituros ac proinde in iudicio quid respondeant et quo se defendant habituros esse.

2. — *Sapientia facile acquiritur summaque secum affert commoda* (6,13-23).

6,13. Clara est, et quae nunquam marcescit, sapientia, Et facile videtur ab his, qui diligunt eam, Et invenitur ab his, qui quaerunt illam. 14. Praeoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat. 15. Qui de luce vigilaverit ad illam, non laborabit; Assidentem enim illam foribus suis inveniet. 16. Cogitare ergo de illa, sensus est consummatus; Et qui vigilaverit propter illam, cito securus erit. 17. Quoniam dignos se ipsa circuit quaerens, Et in viis ostendit se illis hilariter, Et in omni providentia occurrit illis. 18. Initium enim illius verissima est disciplinae concupiscentia. 19. Cura ergo disciplinae, dilectio est, Et dilectio, custodia legum illius est; Custoditio autem legum, consummatio incorruptionis est; 20. Incorruptio autem facit esse proximum Deo. 21. Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum. 22. Si ergo delectamini sedibus et sceptris, o reges populi, Diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis : 23. Diligite lumen sapientiae, omnes qui praecestis populis.

6,13. Λαμπρὰ καὶ ἀμάραντός ἐστιν ἡ σοφία, Καὶ εὐχερῶς θεωρεῖται ὑπὸ τῶν ἀγαπώντων αὐτήν, Καὶ εὑρίσκεται ὑπὸ τῶν ζητούντων αὐτήν. 14. Φθάνει τοὺς ἐπιθυμοῦντας προγνωσθῆναι. 15. Ὁ ὀρθρίσας ἐπ' αὐτὴν οὐ κοπιάσει, Πάρεδρον γὰρ εὑρήσει τῶν πυλῶν αὐτοῦ. 16. Τὸ γὰρ ἐνθυμηθῆναι περὶ αὐτῆς φρονήσεως τελειότης, Καὶ ὁ ἀγρυπνήσας δι' αὐτὴν ταχέως ἀμέριμνος ἔσται. 17. Ὅτι τοὺς ἀξίους αὐτῆς αὕτη περιέρχεται ζητοῦσα, Καὶ ἐν ταῖς τρίβοις φαντάζεται αὐτοῖς εὐμενῶς, Καὶ ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ ὑπαντᾷ αὐτοῖς. 18. Ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς ἡ ἀληθεστάτη παιδείας ἐπιθυμία, 19. Φροντὶς δὲ παιδείας ἀγάπη, Ἀγάπη δὲ τήρησις νόμων αὐτῆς, Προσοχὴ δὲ νόμων βεβαίωσις ἀφθαρσίας, 20. Ἀφθαρσία δὲ ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ. 21. Ἐπιθυμία ἄρα σοφίας ἀνάγει ἐπὶ βασιλείαν. 22. Εἰ οὖν ἥδεσθε ἐπὶ θρόνοις καὶ σκήπτροις, τύραννοι λαῶν, Τιμήσατε σοφίαν, ἵνα εἰς τὸν αἰῶνα βασιλεύσητε [1].

1. *VV. LL.* — 13. καὶ εὑρίσκεται ὑπὸ τῶν ζητούντων αὐτήν (*et invenitur ab his qui quaerunt illam*) ℵ A cum plerisque aliis, *Vulg. Syr.* etc.; B hunc stichum in textu quidem non habet, sed primus iam codicis emendator (B^a) eum in margine supplevit; immerito ergo et contra testium criticorum auctoritatem *Swete*, *Siegfr.* eum velut glossam, qua praecedens stichus explicetur, omittunt. — 14. τοὺς ἐπιθυμοῦντας (eos qui concupiscunt), obiecto quod concupiscitur omisso, B A et plerique graeci; sed τοὺς ἐπιθυμοῦντας αὐτήν (*eos qui se* scil. sapientiam, *concupiscunt*) ℵ cum *Vulg.*; prior lectio aptior, differentia autem non magna est. — 16. τὸ γὰρ ἐπιθυμηθῆναι περὶ αὐτῆς (cogitare *enim* de illa) B ℵ A cum reliquis graecis, nonnullis *Vulg.* codd., *Syr.* etc.; minus apte *Vulg. Clem.* cum plerisque codd. latin. : *cogitare ergo de illa.* — 17. Nihil interest utrum cum B ℵ etc. legas : ὁ ὀρθρίσας ἐπ' αὐτὴν, an cum A etc. ὁ ὀρθρίσας πρὸς αὐτὴν; secunda tamen constructio usitatior est. — 18. Item nihil interest, utrum cum B, *Clem. Alex.* etc. legas ὑπαντᾷ (*occurrit*) an cum ℵ A et maiore numero codd. ἀπαντᾷ eodem sensu. — 19. φροντὶς δὲ παιδείας (cura *autem* disciplinae) est communis Graecorum lectio, pro qua *Vulg.* parum recte : *cura ergo disciplinae.* — Similiter omnes graeci codd., nonnullis latinis consentientibus, exhibent βεβαίωσις ἀφθαρσίας (*confirmatio incorruptionis*); minus recte autem *Vulg. Clem.* cum plerisque

In priore adhortationis suae parte Sapiens necessitatem studii cultusque sapientiae auditoribus suis potissimum severi iudicii denuntiatione non tam demonstravit quam inculcavit (*vv.* 4-10); ne tamen solo poenae metu eam quaererent et amplecti conarentur, paucis verbis additis commodum quoque attigit, quod in ipso iudicio cultoribus suis esset allatura (*vv.* 11-12). Verum his non contentus nunc in altera parte (*vv.* 13-23) amorem sapientiae, ut ardentius eam sibi comparare contendant, in eorum animis excitare studet pulchritudine et utilitate eius descriptis; « qui enim, inquit *S. Greg. M.*, ardentius amat, currit velocius et citius pervenit ». Ex pulcherrimis autem totius libri est haec pericope neque solam mentem viva luce illustrat, sed praeprimis voluntatem allicit et ad coelestia attollit. Sapientiam quippe velut virginem speciosam, quae facile cernatur et dignoscatur, paucis adumbrans (*v.* 13) auctor eam sine ulla difficultate inveniri posse probat, quia illos a quibus concupiscatur ipsa antevertat (*v.* 14) neque solum ultro se eis inveniendam offerat (*vv.* 15. 16) sed etiam circueat, ut quaerat, quibuscum se coniungat (*v.* 17). Postquam autem in priore membro elegante hac prosopopoeia docuit nemini praetendere licere, sese ob eius difficultatem studium sapientiae negligere, iam in altero sorite quodam subtili desiderium sapientiae hominem ad aeternum regnum quasi necessario adducere ostendit (*vv.* 18-21) atque denuo auditores suos ad sapientiae dilectionem exhortans (*vv.* 22. 23) orationem suam totamque priorem libri partem eadem fere qua eam inchoavit (1,1) sententia terminat. Duo igitur distinguenda sunt huius pericopes membra, sed unum constituunt argumentum; amore enim illo, quo sapientia nos, antequam eam quaesivimus, praevenit et, postquam eam amplecti coepimus, ad finem adducit, ad eam redamandam nos quodammodo cogi auctor probat.

Ultimis prioris sectionis verbis, quibus auditores suos studio sapientiae sese magno cum desiderio tradere iussit (*v.* 12), Sapiens orationem ad novam partem traduxit, qua sapientiam amabilitate eius enarrata

latinis : *consummatio incorruptionis* (cfr *Reusch*). — 21. ἐπιθυμία ἄρα σοφίας (*concupiscentia itaque sapientiae*) B cum plerisque graecis; erronee A : ἐπιθυμία γὰρ ἀσοφίας (concupiscentia insipientiae) et ℵ : ἐπιθυμίας γάρ; quam lectionem ineptam corrector mutavit in ἐπιθυμία γὰρ σοφίας (concupiscentia *enim* sapientiae), uti etiam pauci minusculi habent; primam tamen lectionem retinendam esse patet. — ἀνάγει ἐπὶ βασιλείαν (adducit ad regnum) sine addito B cum omnibus graecis consentiente *S. Aug.* (de mor. Eccl. I. 32); sed *Vulg. Clem.* cum omnibus fere latinis codd. : *deducit ad regnum perpetuum* cfr *Comm.* — 23. De hac quoque sententia, quae in sola *Vulg.* legitur cfr *Comm.*

dignam esse ostendere vult, quae summo opere quaeratur. Ab externa autem eius pulchritudine describenda exorditur : 13. *Clara* (λαμπρά) *est et quae non marcescit* (ἀμάραντος accuratius et clarius : *non marcescens* vel potius *immarcessibilis,* uti corona coelestis hereditatis cfr 1 *Petr.* 1,4) *sapientia, Et facile videtur* (θεωρεῖται melius : *cernitur* vel *conspicitur*) *ab his qui diligunt eam, Et invenitur ab his qui quaerunt illam.* Sapientiam in hac pericope, saltem inde a *v.* 14, in personam constitui fere omnes iure consentiunt, neque quid obstet video, quominus prosopopoeia inde iam a *v.* 13, inchoari dicatur. Aptissime enim hac sententia eam velut virginem *speciosam* (λαμπρός a v. λάμπειν fulgere seu splendere i. q. splendidus) induci sumimus, quae alias tamen virgines longissime superat eo quod non senescat neque progrediente aetate marcescat, sed speciem pulchritudinemque suam coelestem semper conservet illibatam, quae praeterea tanta excellat venustate et dignitate, ut omnium in se convertens oculos non tantum ab iis, qui eam antea cognitam amant, facile et expedite (εὐχερῶς) conspiciatur et dignoscatur (amor quippe aciem oculorum ad minima quaeque in amato percipienda intendit), sed iis quoque, qui eam nondum cognitam quaerunt, sese occultare nequeat ab iisque inter alias subito distinguatur et inveniatur. Haud satis apte nonnulli prosopopoeia neglecta sapientiam hic flori cuidam coelesti comparari putant, qui candido suo colore ac perenni pulchritudine sua omnium attentionem excitet omniumque animos ad se rapiat (cfr *Corl.*). Multo minus apte autem pauci alii eam duplici imagine ita depingi censent, ut priore similis dicatur dilucidae cuidam speciei, quae coelitus demissa sese spectandam praebens (cfr 2 *Mach.* 3,25) splendore suo illis, a quibus quaeratur, viam qua ad se veniant monstret, altera autem rebus perituris (uti coronis mox marcescentibus, quae victoribus dari solebant cfr 1 *Cor.* 9,25) contraria ponatur ac perennis declaretur (cfr *Gr.* etc.). Quidam praeterea inquirunt, num sapientia ipsa an eius pulchritudo non marcescens i. e. continuo duratura praedicetur; sed minimi momenti est haec quaestio; qui enim nobiscum probabilius esse censet, pulchritudinem sapientiae immarcescibilem proxime dici, libentissime simul fatebitur, sapientiam ipsam quoque, licet indirecte, immortalem declarari.

Inchoatam igitur prosopopoeiam continuans auctor ab externa pulchritudine, qua sapientia facile cernitur et dignoscitur, ad promptitudinem ac liberalitatem celebrandam transit, qua eadem non tantum omnibus a quibus appetitur sese infundit, sed ipsum sui desiderium in hominum animis praevenit : 14. *Praeoccupat* eos *qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat* vel ad communiorem lectionem

graecam : φθάνει τοὺς ἐπιθυμοῦντας προγνωσθῆναι (cfr *VV. LL.*) accuratius : *Praevenit concupiscentes antea se manifestando* (vel *manifestans*). Verbo quippe φθάνειν (antevertere, praevenire) id quo quis alterum antevertit, ab atticis scriptoribus plerumque participio (*Xenoph.* Cyrop. V. 7. 16 φθάνει ἡμέρα γενομένη αὐτὸν πορευόμενον *antevertit* dies *adveniens* proficiscentem; sim. *Matth.* 17,25 προέφθασεν αὐτὸν ὁ Ἰησοῦς λέγων *praevenit* eum Iesus *dicens*), aliquoties infinitivo adiungitur (*Aristoph.* Equ. 942 φθαίης ἔτ' εἰς ἐκκλησίαν ἐλθεῖν utinam eos antevertas ad concionem veniendo i. e. prior ad concionem venias; cfr *S. Clem. Rom.* 2 Cor. 8,2); quam alteram constructionem licet minus usitatatam auctor noster uti *supra* (4,7) etiam hic praetulit, ita ut infinitivus προγνωσθῆναι (pro quo sine ulla sensus mutatione προγνωσθεῖσα scribi potuit) cum verbo φθάνει arctissime connecti debeat. Quibus duobus verbis coniunctis (φθάνει προγνωσθῆναι) magna cum vi actionem sapientiae animo se infundentis ipsum hominis desiderium antevertere significatur. Sunt quidem, qui nihil nisi promptitudinem, qua sapientia manifestationem desiderii eorum, a quibus concupiscitur, praeveniat et cum iis antequam ab iis quaeratur sese communicet, quasi hyperbolice significari arbitrentur, sicut etiam dives antevertere dicitur desiderium pauperis, cui eleemosynam, quam ille desiderat, non rogatus largitur. Verum haec explicatio scriptoris sententiam et voluntatem totam non assequi videtur, quippe qui ne verbulo quidem se de sola manifestatione desiderii loqui ostendat. Sapientiam potius velut donum divinum considerat, quod non tantum animo, a quo appetitur, ante desiderii manifestationem illabitur, sed praevia mentis illustratione voluntatisque motione ipsum desiderium sui in animo excitat atque hac ratione *concupiscentes* vere ac proprie *antevertit prior se manifestans* i. e. priusquam appetatur se eis cognoscendam et appetendam exhibens. Unde ad rem *Holc.* : « Deus ipse, qui est sapientia increata, praeoccupat per gratiam praevenientem eos qui effectualiter diligunt eum », atque egregie pro explicatione allegat verba *S. Bern.* (de diligendo Deo VII. 22, *M.* 182,987) Deum alloquentis : « sed enim in hoc est mirum, quod nemo te quaerere valeat, nisi qui prius invenerit; vis igitur inveniri, ut quaeraris, quaeri ut inveniaris; potes quidem quaeri et inveniri, non tamen praeveniri ». Deus ergo gratia sua praeveniente mentem illuminat, ut sapientiam cognoscat, et voluntatem movet, ut cognitam diligat et quaerat, animum autem hoc modo praeparatum ac divinae vocationi obsequentem adiuvat, ut quaesitam inveniat (cfr ad 8,21).

Quam facile autem inveniatur quaesita, Sapiens primum ex eo illustrat, quod quaerentem antevertens ultro se ei offerat eumque quo-

dammodo exspectet : 15. *Qui de luce vigilaverit ad illam* (ὁ ὀρθρίσας ἐπ' αὐτήν) *non laborabit* (οὐ κοπιάσει); *Assidentem* (πάρεδρον) *enim illam foribus suis inveniet.* Verbum ὀρθρίζειν, quo Hellenistae pro attico ὀρθρεύειν utuntur et Alexandrini hebraicum הִשְׁכִּים reddere solent, vi etymologiae suae (ab ὁ ὄρθρος diluculum, similiter ac serioris latinitatis verbum *manicare* apud *Luc.* 21,38 a *mane*) proxime valet *summo mane surgere* (ὀρθρίζειν πρὸς vel ἐπί τι mane surgere ad aliquid peragendum, quaerendum etc.), unde facili transitu significare coepit « aliquid magna cum contentione facere vel quaerere » scilicet « ad modum hominis solliciti, qui summo mane surgit ad explenda opera sua » (*S. Thom.*) et « cuius animus post noctis quietem viribus corporis instauratis vegetior est « (*S. Hier.* cfr *Knabenbauer* Comment. in Ierem. 7,13 p. 120). Itaque ὁ ὀρθρίσας ἐπὶ τὴν σοφίαν ille intelligatur oportet, qui sapientiam sibi acquirere ardenter desiderat paratusque est ad labores quoscunque, ut eam obtineat, suscipiendos. Verum qui hac ratione erga illam animo affectus est, ei opus non est, ut longe lateque circumcursans et acriter omnia pervestigans sese defatiget (κοπιᾶν apud Alexandrinos pro hebr. יָגַע « cum virium contentione usque ad defatigationem laborare » *Deut.* 25,18 etc.); siquidem domus suae ianuam mane aperiens ut illam quaerere incipiat, *illam* iam *foribus suis assidentem* et quasi exspectantem, ut invitetur et domum ingredi iubeatur, *inveniet.* Verum igitur ac sincerum desiderium solum ad sapientiam adipiscendam sufficere hac imagine docetur, atque idem sequens sententia proprio sermone confirmat : 16. *Cogitare ergo* (melius : *enim γάρ*) *de illa sensus est consummatus* (lege : *prudentiae est consummatio* seu *perfectio* φρονήσεως τελειότης), *Et qui vigilaverit propter illam, cito securus* i. e. *curis vacuus* ἀμέριμνος) *erit.* In sententia hac cum praecedente connectenda *Vulgata Clem.* a graeco textu dissentit (cfr *VV. LL.*); graeci enim codd. omnes, nonnullis latinis libris antiquioribus consentientibus, coniunctione causali γάρ *enim* eam tamquam rationem vel explicationem adiungunt; Clementina vero editio cum plerisque latinis codd. iunioribus eam coniunctione illativa *ergo* ex priore derivat. Etsi autem uterque nexus hoc in loco per se sit licitus aptamque explicationem admittat (nam ratio, qua assertio quaedam nititur, ex illa etiam cognosci ac derivari potest), graeca tamen lectio utpote graviorum testium auctoritate munita paene ab omnibus merito praefertur; proprio quippe sermone auctor explicat, quae imagine proposuerat. Ad primi stichi versionem deinde quod attinet, cave ne verbo *cogitare* nudum actum intellectus designari putes; ἐνθυμεῖσθαι enim, cui respondet, proxime quidem valet *animo volvere* seu *in animum inducere* (ἐν et θυμός), sed ita ut volun-

tatis actum connotet et ab Alexandrinis aliquoties pro hebr. חָשַׁק (*adamavit* cfr *Deut.* 21,11) et חָמַד (appetiit cfr *Ios.* 7,21) usurpari potuerit. Quare *cogitare* quoque de *sapientia* hic idem est quod « de illa cum amore ac desiderio meditari viamque quasi indagare, qua ad illam perveniatur ». Eiusmodi autem meditatio dicitur φρονήσεως τελειότης i. e. prudentiae perfectio seu prudentia perfecta, quatenus nimirum prudens is esse censetur, qui ita agit ut finem sibi propositum assequatur, et operatio prudens ea est, quae ad finem conducit, verum autem sapientiae desiderium solum, uti praecedens sententia docet, ad eam obtinendam sufficit eamque statim, uti sequens stichus diserte habet, in animam introducit; illum enim, *qui propter eam* (i. e. de ea acquirenda sollicite meditans) *noctem insomnem agit* (ὁ ἀγρυπνήσας δι' αὐτήν *qui vigilaverit propter eam*) *mox curis* omnibus, ipsa nimirum adveniente sapientia, *vacuum fore* declarat.

Quoniam φρόνησις haud infrequenter ab auctore nostro tamquam synonymum τῆς σοφίας usurpatur (cfr ad 3,15; 4,9), nonnulli moderni (cfr *Schmid, Gutb.* — *Gr. Deane* etc.) eandem significationem hic retinere malunt mireque se torquent, ut meditationem de sapientia seu desiderium sapientiae ostendant ipsam iam esse perfectionem sapientiae, licet iuxta auctorem nostrum evidenter non sit nisi eius initium seu si mavis praeparatio ad eam obtinendam. Hinc etiam *Siegfr.*, qui ipse quoque φρόνησιν hic id quod σοφίαν valere arbitratur, sententiam vertit : « meditatio de sapientia *affert* (bringt) perfectionem sapientiae »; sed neque haec versio graecae constructioni congruit neque sententia satis est accurata, siquidem desiderium sapientiae nondum eius perfectionem *affert* sed non nisi lento gressu ad eam adducit.

Revera sapientiam illos, qui de ea acquirenda solliciti sunt, *mox* (seu *cito* ταχέως) ab hac cura liberare altera confirmatur imagine, qua non tantum illos exspectare ultroque se illis inveniendam praebere, sed etiam illos omni cum diligentia ubique quaerere docetur : **17.** *Quoniam dignos se ipsa* (ex graeco : τοὺς ἀξίους αὐτῆς αὕτη clarius : *se dignos haec*) *circuit quaerens Et in viis* (ἐν ταῖς τρίβοις) *ostendit se illis hilariter* (proprie : benevole) *Et in omni providentia* (ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ) *occurrit illis.* Pronomine demonstrativo αὕτη (haec)[1] auctor cum emphasi sapientiam, quae animo eius semper obversatur (cfr 7,10.29; 8,2. 7. 9; 10,15.6 etc.), lectoribus suis velut praesentem conspicuamque exhibet; quasi digito illam monstrat per plateas civitatis circumvagantem ut quaerat quibuscum se coniungat. Neque enim cum omnibus promiscue se communicare potest ac vult, sed cum iis solis quos *se dignos* esse reperit, i. e. cum iis qui ad eam recipiendam

1. Melius tamen scribendum videtur : τοὺς ἀξίους αὐτῆς αὐτὴ περιέρχεται ζητοῦσα (*Vulg. Arm.*). — *Editor.*

rite se disposuerunt et cum gratia praeveniente, qua eorum mens illustrabatur et voluntas trahebatur, cooperati vocantique Deo obsecuti eam concupiscere coeperunt (cfr ad *v.* 13). Quia porro sapientia *circuire et quaerere* dicitur, dictio ἐν ταῖς τρίβοις (*in viis*) a multis ad imaginem expoliendam secundo sticho inserta censetur atque proprio sensu de viis plateisque civitatis, quas sapientia quaerens perlustrare dicitur, haud inepte explicatur (cfr *All. Corl. Gutb.* etc. — *Siegfr.* etc.). Alii tamen ad frequentem usum metaphoricum nominis αἱ τρίβοι (*viae* cfr ad 2,15) attendentes, illo potius varia studia et opera, quibus homines quos sapientia quaerit se tradunt, designari volunt, ita ut sensus sit, sapientiam hominibus in variis *externis* negotiis officiisque sive privatis sive publicis, quibus pro sua quisque conditione distinentur (« in omnibus agibilibus » *Lyr.*), dummodo recte sunt dispositi, benigne apparere seseque cum iis communicare (cfr *Castro, Lap. Lorin. Schm.* etc. — *Gr. Deane* etc.). Similis controversia est de tertio sticho, in quo alii dictionem ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ (*in omni providentia*) ad sapientiam referunt, quae sicut se dignis *benevole* (εὐμενῶς vel uti *Vulg.* liberius sed haud male vertit *hilariter*) in viis apparet, ita iisdem ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ i. e. *omni cum cura et sollicitudine* desideria eorum antevertens occurrere studeat (cfr *All. Corl. Gutb. Les.* etc.); alii vero de hominibus interpretantur, quorum varia *interna* consilia, quibus sunt occupati, non impediant, quominus sapientia iis se coniungat, dummodo suo illius desiderio se illa dignos esse ostendant (« omni mentis intentioni sive cogitationi se offert, et quandocunque animus aliquid prudens meditatur, statim sapientia occurrit » *Nann.* cfr *Schm. Loch* etc. — *Gr. Deane* etc.). Utraque explicatio probari potest; qui secundam praeferunt, maxime apertum parallelismum inter dictiones ἐν ταῖς τρίβοις et ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ urgent, qui prohibeat, ne secundam, quasi praecedenti adverbio εὐμενῶς respondeat, de modo explicemus, quo sapientia iis occurrat, a quibus quaeritur. Sed hac sola ratione rem non definiri alii reponunt; etenim aptissime illud ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ parallelum sumi praecedentis εὐμενῶς, ut non minus modus, quo sapientia se quaerentibus occurrat, quam quo illis se ostendat, describatur, praesertim quum verba ἐν ταῖς τρίβοις ad utrumque membrum recte trahi queant. Praeterea auctorem nostrum salomonicis locutionibus et imaginibus frequenter uti monent, Salomonem autem in *Prov.* 1,20 sq. et 8,2 nobis per prosopopoeiam sapientiam sistere in plateis praedicantem, in magnatum portis assidentem, vias percurrentem etc., ut omnino probabile sit, nostrum locum similiter atque illos esse explicandum. Demum attendere nos iubent totam hanc pericopen eo tendere, ut quam

facile sapientia acquiri possit doceatur, ac proin etiam duobus ultimis stichis de modo potius agi, quo sapientia desiderium hominis antevertens se ei inveniendam praebet, quam de hominis studiis et conatibus, quibus eam quaerit (cfr *Gutb.*).

Inter modernos unus alterve totum hunc locum (*vv.* 13-17) de sapientia increata notionali seu de Verbo interpretandum censet (*Corl.*), ad cuius sententiam prope accedit *Les.*, qui duplici, ut videtur, verborum sensu literali admisso asserere non dubitat : « tout ce passage, depuis *v.* 12 doit être entendu de la sagesse personnifiée par l'auteur du livre, et aussi de Dieu et de son divin Fils, la Sagesse personnelle » ; Verbis quibusdam S. Augustini prosopopoeiam nostram contra Manichaeos urgentis (de morib. Eccl. 17, 31 sq. M. 32,1324) opinionem suam confirmare conatur; sed ut unum eundemque Scriptura textum complures sensus literales a S. Spiritu intentos non admittere (cfr meam Introd. gener. in S. S. Ed. 2, p. 544 sqq.) praetermittamus, solus iam nexus nostrae pericopes cum praecedentibus (*vv.* 1-12) et consequentibus (*vv.* 18-23) evidentissime docet, auctorem hic Sapientiam personalem nec descripsisse nec de ea cogitasse; ad summum igitur eius verba ad Filium Dei, qui caro factus in mundo apparuit, ut creaturam praeveniens quaereret et salvum faceret quod perierat, accommodari possunt. S. Augustinus autem num eo in loco de sapientia notionali loqui voluerit, vehementer dubito; ceterum eum etiam in dogmaticis suis et polemicis operibus plus semel verba scripturistica accommodasse certum est. Quare huic explicationi refutandae non immorabimur

Prosopopoeiam, qua sapientia facilis esse acquisitu ostenditur, sorites excipit, quo summa eius utilitas, quum homines ad regnum adducat aeternum, demonstratur : **18.** *Initium* (ἀρχή) *enim illius* (sc. sapientiae) *verissima est disciplinae* (παιδείας) *concupiscentia;* **19.** *Cura ergo* (lege : *cura autem* φροντίς δέ) *disciplinae dilectio* (ἀγάπη) *est; Et dilectio* (lege : *dilectio autem* ἀγάπη δέ) *custodia legum illius* (αὐτῆς) *est; Custoditio* (προσοχή) *autem legum consummatio* (lege : *confirmatio* βεβαίωσις) *incorruptionis est;* **20.** *Incorruptio autem facit esse proximum Dei* (ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ); **21.** *Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum* (*perpetuum*). Causali coniunctione (γάρ *enim*) argumentatio haec praecedenti descriptioni adnectitur, quia quasi rationem reddit, cur sapientia tanta cum benevolentia (εὐμενῶς) et sollicitudine (ἐν πάσῃ ἐπινοίᾳ) se quaerentibus occurat, utpote quos iam viam ingressos videat ad summam, quam homo obtinere potest, dignitatem. Sorites porro sex stichis (quinque praemissis et conclusione) constat; observatu autem dignum est philosophicam eius formam in poetico nostro libro fastidiosa cum rigiditate non esse retentam. Secundum logicorum enim praecepta praedicatum primae praemissae debet fieri subiectum secundae praemissae, uti secundae praedicatum subiectum tertiae etc., atque conclusionem demum constare volunt subiecto primae praemissae et praedicato ultimae. Iam

vero ne perpetua eiusdem nominis iteratione nauseam crearet, auctor a priore regula ita recessit, ut ideam quidem, quam in praecedentis praemissae praedicato expresserat, in subiecto sequentis retineret, vocabula autem synonymis substitutis aliquoties variaret; hinc παιδείας ἐπιθυμία (*disciplinae concupiscentia*) ei re idem est quod φροντὶς παιδείας (*cura* vel *studium* seu *sollicita appetitio disciplinae*) atque pariter τήρησις νόμων (*custodia* s. observatio *legum*) id quod προσοχὴ νόμων (*attentio ad leges* vel *custoditio legum*); ob similem quoque rationem non totam dictionem βεβαίωσις ἀφθαρσίας *confirmatio incorruptionis*) sed solum nomen ἀφθαρσία (*incorruptio*) repetiit, quippe in quo vis argumenti esset posita. Gravius videtur, quod alterum praeceptum plane neglexerit, quum neque subiectum ex prima praemissa neque praedicatum ex ultima sint desumta, immo neutrum in praemissis occurrat. Unde concludamus necesse est, auctorem consulto primam et ultimam praemissas praetermisisse, quia facile a legentibus suppleri possent, maior autem stichorum numerus soritam, qui nunc duobus tristichis absolvitur, impeditiorem continuaque eorumdem nominum repetitione molestiorem reddidisset. Ac profecto prima praemissa, quae alia esse nequit nisi ἡ ἐπιθυμία τῆς σοφίας ἐστὶν ἀρχὴ αὐτῆς (*desiderium sapientiae est initium illius*) immediate praecedente sapientiae descriptione tam clare est expressa, ut sua sponte legenti se offerat; ultima autem etiam sine difficultate suppletur : ἐγγὺς δὲ εἶναι Θεοῦ ἐστιν βασιλεία (*proximum autem esse Deo est regnum* [aeternum], quia plus semel Sapiens iustos post mortem cum Deo futuros et regnaturos esse iam docuit[1].

Quibus de universi soritae forma ac ratione adnotatis singuli stichi facilius expediuntur. In primi textu graeco (ἀρχὴ γὰρ αὐτῆς sc. sapientiae ἡ ἀληθεστάτη παιδείας ἐπιθυμία) adiectivum ἡ ἀληθεστάτη grammatice aut cum *S. Aug.* (de mor. Eccl. I. 17,32 *M.* 32,1324) ad subiecti nomen (ἀρχὴ *initium* sapientiae *verissimum*) aut cum hodierna *Vulg.* ad nomen praedicati (ἐπιθυμία *verissima* disciplinae *concupiscentia*) trahere licet. Plerique secundum nexum ab hodierna *Vulg.* adoptatum praeferunt, ut non qualecumque disciplinae desiderium, sed solum sincerum et integrum (in oppositione ad simulatum ac fucatum) dici posse initium sapientiae significetur. Qua interpretatione aptum obtineri sensum non negamus, nihilominus cum *S. Aug.* priorem

1. *Gutb.* p. 157. duobus stichis suppletis hanc rigidam soritae formam proponit : (ἡ ἐπιθυμία σοφίας ἐστὶν ἀρχὴ σοφίας), — ἡ δὲ ἀρχὴ σοφίας ἐστὶν ἐπιθυμία παιδείας, — ἡ δὲ ἐπιθυμία παιδείας ἐστὶν ἀγάπη, — ἡ δὲ ἀγάπη ἐστὶν τήρησις νόμων, — ἡ δὲ τήρησις νόμων ἐστὶν βεβαίωσις ἀφθαρσίας — ἡ δὲ βεβαίωσις ἀφθαρσίας ποιεῖ ἐγγὺς εἶναι Θεοῦ, — (τὸ δὲ ἐγγὺς εἶναι Θεοῦ ἐστὶν βασιλεία), — ἡ σοφίας ἐπιθυμία ἄρα ἀνάγει ἐπὶ βασιλείαν.

sensum praeferimus. Etenim auctor noster, ut ante ostendimus, primam totius soritae praemissam (ἐπιθυμία σοφίας ἐστὶν αὐτῆς ἀρχή) omittere quidem voluit, quia in praecedente prosopopoeia clarissime iam esset expressa; eam tamen in mente habuit et ad eam respicere debuit, quando soritam suum formavit, ita ut noster primus stichus pro explanatione quadam omissi et accuratiore eius definitione habeatur necesse sit : « Desiderium sapientiae est eius initium, verissimum autem eius initium est desiderium disciplinae ». Duo nimirum initia sapientiae quodammodo statui posse indicat; namque concupiscentia sapientiae est eius initium ac principium, quatenus in genere animum disponit ac praeparat ad illam recipiendam; primus tamen effectus, quo sapientiae concupiscentia sese in animo adesse prodit ac manifestat et ex quo deinde sapientia, sicut arbor ex radice, ortum et incrementum suum trahit, est disciplinae desiderium; unde hoc magis proprie ac verius vocari meretur initium ac principium sapientiae. Qua explicatione admissa facile quoque intelligitur, cur articulus adiectivo sit praefixus (ἡ ἀληθεστάτη), qui haud frequenter, neque nisi ob certas rationes, quarum nulla nostro in sticho deprehenditur, praedicati nomini praefigitur. Porro nomen παιδείας (*disciplinae*), quod et institutionem eruditionemque, qua mens seu intellectus excolitur, et educationem, qua voluntas ad bonum agendum informatur, valere *supra* (ad 1,5 p. 51; cfr 2,12 etc.) diximus, hic potissimum priore significatione sumendum esse, non est quod moneamus; desiderium quippe institutionis in rebus, quae ad sapientiam pertinent quibusque clarius cognoscitur, primum est, quod sapientia ipsum sui desiderium quasi antevertens (cfr ad *v.* 14) in animo excitat vel, si mavis, quo desiderium sapientiae sese in animo prodit. Nonnulli παιδείαν hic synonymum σοφίας esse coniecerunt (*Corl.* etc.); sed haec coniectura constructione totius soritae, quam exposuimus, satis superque refellitur ac praeterea ne unum quidem locum inveniri arbitror, in quo duo haec nomina vere sint synonyma.

Iam vero sapientia cognosci nequit, nisi simul ob omnimodam suam pulchritudinem, perfectionem, utilitatem animos ad se trahat et prae reliquis omnibus diligatur carissimaque habeatur. Unde secundo sticho *cura* (seu *sollicita appetitio* φροντίς, quam vocem dumtaxat ad sermonem variandum praedenti ἐπιθυμία *concupiscentia* substitutum esse monuimus) *disciplinae* illius, qua homo de sapientiae natura et perfectionibus eruditur, rectissime asseritur esse *dilectio* (ἀγάπη) sapientiae; nomen quippe ἀγάπης, quo auctor utitur, pro sua etymologia (eandem scilicet radicem ac verbo ἄγαμαι *admiror* philologi Graeci attribuunt) non amorem indeliberatum, quo aliquis caeco quasi im-

petu ac temere in rem vel personam quandam fertur, sed deliberatum illum designat, qui ex rei vel personae excellentia ac praestantia exoritur iisque totus innititur. Procul quidem dubio actus, quo disciplina illa concupiscitur, ipse proprie ac formaliter nondum est actus dilectionis sapientiae, sed desiderium illud vix expleri coeptum est, quum dilectio sapientiae iam exoritur, ita ut haec dilectio in disciplinae concupiscentia, sicut planta in suo semine contenta esse videatur ideoque eadem atque haec poni possit per notissimam illam metonymiam, qua causa eiusque eventus necessarius in sermone ornato identificantur.

Simili metonymia tertio in sticho dilectio sapientiae declaratur esse *custodia* (seu *observatio* τήρησις) *legum illius* (νόμων αὐτῆς sc. sapientiae). Si quis enim sapientiam ob praestantiam dignitatemque illius perspectam vere diligit, temperare sibi non potest, quominus eam sibi acquirere acquisitamque sibi conservare studeat ideoque omnia, quae ei sunt contraria, diligenter evitet ac quaecunque ei placent, sollerter faciat. Dilectio igitur sapientiae hominem impellit ad omnia illius praecepta exsecutioni mandanda et per eorum exsecutionem vera ac genuina esse cognoscitur. Quo sensu etiam Dominus dixit : « qui non diligit me, sermones meos non servat, » discipulisque praecepit : « si me diligitis, mandata mea servate » (*Ioan.* 14,24.15); ad quae verba respiciens *S. Gregor. M.* « probatio, inquit, amoris est exhibitio operis. » Eadem quoque metonymia in quarto habetur sticho, quo *custoditio legum* (vel accuratius ex graeco *attentio ad leges* προσοχὴ νόμων) vocatur *consummatio* (vel potius ex graeco : *confirmatio* βεβαίωσις) *incorruptionis*, quia hominem pium ad eam adducit. Nomen ἀφθαρσίας, quod proprie statum illum designat, quo aliquis corruptioni et interitui non est subiectus (cfr 2,23; 1 *Cor.* 15,42. 50 sqq.), hic vitam immortalem eamque beatam seu beatitudinem aeternam (cfr *Rom.* 2,7; *Eph.* 6,24; 2 *Tim.* 1,10) valere omnes consentiunt. Nostra autem sententia iuxta veriorem graecorum et antiquiorum latinorum codicum lectionem observatione legum sapientiae vitam beatam non tam obtineri quam certam securamque reddi docet, ita ut ab homine, quamdiu fideliter eas custodit, non tantum velut promissa speretur, sed velut iure acquisito iam possideatur. Plus igitur graeca quam latina lectio promittit, quam *Dion. Carth.* hunc in modum explanat : « Custodia legum consummatio incorruptionis est, i. e. perfecta integritas, reformatio, sanitas mentis ad beatam quoque immortalitatem et inviolabilem integritatem aeternae salutis perducens; haec nempe integritas est immunitas a peccato, quod mentem laedit, corrumpit. » Quae vera quidem sunt atque etiam auctoris sen-

tentiae respondent, licet eam integram non reddant. Ceterum haec differentia magni momenti hic non est, quia auctor in sua argumentatione rationem non habet certitudinis vitae beatae futurae, sed ipsam beatitudinem considerat; quintus enim stichus est : *incorruptio autem facit esse proximum Deo* (ἐγγὺς εἶναι ποιεῖ Θεοῦ [1]). Iterum igitur metonymia quadam auctor utitur, ut qua in re sita sit ἀφθαρσία seu beatitudo explicet. Qua in explicatione ante oculos ea habuit, quae antea docuit, iustorum mercedem in Deo esse sitam (cfr ad 5,16) ita ut soli illi ea frui queant, qui Deo sint proximi cum eoque coniuncti; accuratiorem vero de mercedis ratione ac praestantia doctrinam Deus Novi Testamenti tempore per Dominum ipsum (*Ioan.* 17,2; *Matth.* 18,10 cfr 22,30 etc.) eiusque Apostolos (1 *Ioan.* 3,2; 1 *Cor.* 13,12 cfr 2 *Cor.* 3,18 etc.) nobis revelare voluit, quorum testimoniis edocemur, beatitudinem iustorum in immediata Dei visione consistere, qua a claritate in claritatem transformati divinaeque naturae consortes effecti ei redduntur similes [2].

De hac utique iustorum beatorum transformatione in Dei imaginem Sapiens nihil diserte tradit, unam tamen similitudinem eorum cum ipso Deo indicavit, quum eos gentes iudicaturos regnaturosque in nationes (3,8) ac regnum splendidum et pulcherrimam coronam obtenturos esse (5,17) diceret. Quare si voluisset, soritam suum etiam novo sticho continuare potuisset : *Deo autem proximum esse est regnare;* quia autem rigida soritae forma curae ei non erat, illo omisso statim conclusionem posuit : *Concupiscentia itaque sapientiae deducit ad regnum perpetuum.* Adiectivum *perpetuum* a latino interprete additum videtur, sed quia genuinum, quem auctor exprimere voluit, sensum reddit, velut glossa retineri meretur; plane ineptum autem est, quod moderni nonnulli acath. (inter quos etiam recentissimus *Siegfr.*) ex nostra sententia in suo nexu cum sequente deducunt, iuxta auctorem nostrum sapientiam homines ad regnum nescio quod terrenum

1. Aliquid miri in hac sententia nonnulli deprehendunt, quia aeterna nostra beatitudo, quam auctor nomine incorruptionis designat, in eo ipso, ut scimus, est posita, quod cum Deo futuri eumque sicuti est visuri sumus, ac proinde minus apte efficere dicitur, ut Deo proximi simus, quum potius cum *S. Irenaeo* (c. haer. IV. 38,3, *M.* 7, 1108) visionem Dei efficere beatitudinem (ὅρασις Θεοῦ περιποιητικὴ ἀφθαρσίας) asseri queat. Attamen animadvertatur oportet nos causae, quae vocatur formalis, effectum frequenter iisdem vocabulis, quibus efficientis causae effectum, exprimere solere, uti quum albedine parietem (non efficienter sed formaliter) esse vel fieri album dicimus.

2. Ad 2 *Cor.* 3,18 *Thom.* recte adnotat : « Quum omnis cognitio fit per assimilationem cognoscentis ad cognitum, oportet quod qui vident Deum aliquo modo transformantur in Deum; et quidem si perfecte vident, perfecte transformantur, sicut beati in patria per fruitionis unionem; si vero imperfecte, imperfecte transformantur, sicut hic per fidem; videmus enim nunc per speculum in aenigmate. »

adducere; totus enim contextus, ut ipse quoque *Gr.* monet, de beatorum regno aeterno sermonem esse, clarissime docet; neque quidquam miri in eo est, quod aeternus beatorum status *regnum* appellatur, siquidem summa eius dignitas, gloria, felicitas hac appellatione aptissime comprehenduntur; accedit autem quod beati utpote Deo, summo creaturarum gubernatori, proximi intimeque uniti quasi unam cum eo personam mysticam constituunt (cfr 1 *Cor.* 15,28) eiusque proinde regnum suo modo participare iure merito asseruntur.

Quia igitur tanta est sapientiae praestantia et utilitas, ut sui studiosos constituat Deo proximos eiusque regni aeterni participes reddat, Sapiens pro adhortationis suae conclusione cultum ac studium illius suis auditoribus (vel lectoribus) iure commendat : 22. *Si ergo delectamini sedibus* (θρόνοις *thronis*) *et sceptris, o reges populi* (lege : *populorum* τύραννοι λαῶν), *Diligite* (τιμήσατε proprie *magni facite* seu *colite*) *sapientiam, ut in aeternum regnetis.* Allegoricum dicendi genus, quo statim ab initio per totam adhortationem usus erat, etiam hic retinet; nomine *regum populorum* scilicet omnes suos contribules, qui Legi patriaeque religioni fideles inhaeserunt, eodem modo quo supra (*vv.* 2. 3. 10) alloquitur atque nominibus *thronorum et sceptrorum* eximia illa dona designat, quibus Deus Iudaeos prae omnibus nationibus ornaverat et supra eas extulerat, ut quasi reges essent inter alios populos (cfr ad *v.* 4), quibusque quantopere delectarentur, continuis suis gloriationibus satis declarabant. Immeritissimo igitur *Siegfr.* ad hanc sententiam provocat, ut in praecedente nomen βασιλεία de huius terrae regno quodam intelligendum esse probet atque deinde cum aliis a Sapiente doceri concludat regibus aliisque dynastis operam studiumque in sapientiam addiscendam ideo conferendum esse, ut regnum suum in filios posterosque transmittere atque hac ratione in aeternum (nimirum in progenie sua) regnare queant. Etenim licet iuniores Iudaei vaticinia prophetarum de regno messianico in aeternum duraturo non intelligentes perenne regnum splendidum et potentissimum hac in terra omniumque nationum dominatum sibi promitterent, Sapiens tamen divinitus illustratus non nisi spirituale regnum cognoscit, quo post mortem iusti in aeternum sunt fruituri (cfr 3,1-9; 5,16. 17) atque hac sua doctrina clariori et accuratiori Novi Test. revelationi praeludit eamque certo modo praeparat. Latina versio : *diligite sapientiam* graecam lectionem τιμήσατε σοφίαν haud satis accurate reddere videtur, rectam tamen interpretationem admittit, quatenus vera rei cuiusdam dilectio eius cognitioni et *existimationi* innititur eiusque cultu ac studio se prodit.

Argumentum demum totius huius exhortationis (6,2-22) ultima vul-

gatae sententia (23. *Diligite lumen sapientiae, omnes qui praeestis populis*) complectitur, quae tamen quum neque in primogenio textu graeco neque in aliis antiquis versionibus inveniatur, inspirato auctori non deberi recte dicitur. Probabiliter pius aliquis lector, ut a proxima sententia novam libri partem inchoari indicaret, eam margini codicis sui adscripsit, ex qua deinde in textum ipsum recipi coepta est. Id autem eo facilius fieri potuit, quia etiam totius prioris partis, ad cuius prima verba evidenter respicit et quae tota in sapientiae studio commendando versatur, argumentum paucis comprehendit aptissimumque constituit transitum ad alteram partem, in qua Salomon, sapientissimus rex, ipse loquens inductus sapientiae laudes ita celebrat, ut simul accuratius eius naturam et attributa exponat. Ceterum fatendum est, ultimam auctoris sacri ipsius sententiam (*v.* 22), quum sensu a nostra glossa non discrepet, non minus apte ad alteram partem orationem traducere.

ALTERA LIBRI PARS

SALOMON REX LOQUENS INDUCTUS SAPIENTIAE PRAESTANTIAM ET VIRTUTEM EX HISTORIA DEMONSTRAT (6,24-19,20).

Novam inde a 6,24 partem inchoamus, quia auctor in toto reliquo libro non amplius suo ipsius, sed velut Salomonis nomine, quem per prosopopoeiam loquentem inducit, laudes sapientiae praedicat. Hunc enim regem, qui per ipsum Deum summo sapientiae dono instructus prae ceteris certe optime noverat, quid illa esset ac valeret, disserentem facit de sapientiae origine, natura, virtute : qua tractatione doctrina praecedentium capitum copiose completur ac confirmatur. Etenim Sapiens pro proximo suo fine, nempe ut fratres suos dura hostium suae religionis vexatione afflictos consolaretur atque institueret, in priore libri parte non egit nisi de sapientia practica, atque, indicato praecipuo quo illi aditus praecluditur impedimento, felices fructus eis proposuit meditandos, quos sibi ipsis singuli in vita privata ex illius studio et cultu collecturi essent. Attamen de increata Sapientia, ex qua omnis creata velut ex genuino suo fonte promanat, et de via ac ratione, qua creata quaerenda est, hucusque nihil tradidit, quin etiam de eius utilitate et necessitate in publica vita prorsus siluit, quamvis initia historiae filiorum Israel totam populorum felicitatem a sapientia pendere tam splendide testentur.

Haec igitur in altera libri parte suppleturus libri auctor praeprimis Salomonem inducit suae ipsius sapientiae originem divinam praestantiamque et utilitatem enarrantem (6,24-9,19). Deinde sapientiam non tantum patriarchas, ut finem suum consequerentur, adiuvisse, sed etiam populum Israel ex servitute aegyptiaca liberasse, ab idololatria custodisse, in terram promissam introduxisse, insipientiam vero Aegyptiis et Chananaeis interitui exitioque fuisse ostendit (10,1-19,20). Duas ergo distinguimus sectiones, quarum prior (§ 4) historiae vitae Salomonis, altera (§§ 5, 6, 7) historiae originum populi Israel innituntur.

SECTIO PRIOR.

SUO PROPOSITO EXEMPLO SALOMON SAPIENTIAM COMMENDAT.

§ 4. — *Quid sapientia sit et valeat Salomon suae sapientiae origine et natura explicatis docet* (6,24-9,19).

De argumento et fine sui tractatus pauca praefatus (6,24-27) Salomon quasi pro exordio sese quoque, quum eiusdem ac reliqui sit naturae, sapientiam neque inde ab ortu suo possedisse neque propriis suis viribus acquisivisse, sed ubi primum eius utilitatem excellentiamque cognovisset, a Deo suppliciter expetiisse ac feliciter adeptum esse refert (7,1-14). Quae accuratius explanaturus, precatione quadam ut hac de re digne dicere possit praemissa, ante omnia divinae sapientiae (hypostaticae) a qua creata pendet, laudes praedicat magnifica quum attributorum originisque tum naturae et operationum eius descriptione (7,15-8,1); deinde vero, cur cum illa intime uniri atque hac ratione particeps sapientiae creatae fieri tanto cum ardore desideraverit, explicat summa unionis illius praestantia adumbrata et multis eximiisque, quae omnibus suis amicis ac praesertim regibus afferat, commodis recensitis (8,2-18); ac demum sapientiam creatam non nisi precibus a Deo obtineri repetens precationem ipsam, qua eam impetravit (cfr 7,7) adiungit, ut suo exemplo aliis viam ad assequendam monstret (8,19-9,19). Tres ultimae igitur sectiones, quae quasi corpus tractatus constituunt (7,15-9,19), expositio quaedam sunt historicae relationis in exordio (7,1-14) propositae; plane immerito autem nonnulli, aperta hac tractatus dispositione neglecta, auctorem cum *Gr.* incusarunt, quod multa in exordio iam relata inde ab 8,2 vix non tautologice repetiisset.

Paragraphus haec, quamvis non eodem modo quo prior pars libri exhortatoria sit, nequaquam tamen mere didactica ac multo minus mere historica dici meretur; ea enim quasi per Salomonem docenda auctor elegit, quibus legentium animos non tam scientia imbueret, quam magna sapientiae existimatione potissimum et admiratione impleret et ad ardens illius assequendae studium excitaret. Hinc tanta cum vi monet, ne ipsum quidem Salomonem suis ipsius viribus et conatibus naturalibus illam obtinuisse, sed precibus a Deo postulare debuisse. Qua expositione non tantum legentibus viam, qua sola ad illam pervenire possint, sed etiam eximiam illius praestantiam saltem indi-

recte ostendit. Planius autem hanc manifestat magnifica divinae sapientiae (hypostaticae), a qua humana promanat, descriptione, atque creatae utilitatem ac necessitatem longiore illa qua eam impetravit precatione significantius ante oculos ponit. Ceterum id ex commentario clarius elucebit; pauca tamen haec praemonere voluimus, ut quam arcte haec pars cum priore cohaereat clarius perspiciatur, neve quis libri unitatem a nobis destrui arbitretur, quia in sequentibus Salomonem potius quam auctorem loqui tenemus.

1. — *Salomonis praefatiuncula de tractationis huius argumento et fine* (6,24-27).

6,24. Quid est autem sapientia, et quemadmodum facta sit, referam, Et non abscondam a vobis sacramenta Dei, Sed ab initio nativitatis investigabo, Et ponam in lucem scientiam illius, Et non praeteribo veritatem : 25. Neque cum invidia tabescente iter habebo, Quoniam talis homo non erit particeps sapientiae. 26. Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum; Et rex sapiens stabilimentum populi est. 27. Ergo accipite disciplinam per sermones meos et proderit vobis.

6,24. Τί δέ ἐστι σοφία, καὶ πῶς ἐγένετο, ἀπαγγελῶ, Καὶ οὐκ ἀποκρύψω ὑμῖν μυστήρια, Ἀλλὰ ἀπ' ἀρχῆς γενέσεως ἐξιχνιάσω, Καὶ θήσω εἰς τὸ ἐμφανὲς τὴν γνῶσιν αὐτῆς, Καὶ οὐ μὴ παροδεύσω τὴν ἀλήθειαν. 25. Οὔτε μὴν φθόνῳ τετηκότι συνοδεύσω, Ὅτι οὗτος οὐ κοινωνήσει σοφίᾳ. 26. Πλῆθος δὲ σοφῶν σωτηρία κόσμου, Καὶ βασιλεὺς φρόνιμος εὐστάθεια δήμου. 27. Ὥστε παιδεύεσθε τοῖς ῥήμασίν μου, καὶ ὠφεληθήσεσθε [1].

Sunt qui hunc locum praecedenti exhortationi, quasi eius sit continuatio, arcte adiungant; id autem haud recte fieri quum ex genere dicendi diverso tum maxime ex eo concludimus, quod iam alius inducatur loquens, qui se regem Salomonem esse sequentibus clare prodit (7,1. 5. 7 sqq. cfr *Reg.* 3,5 sqq.). Novus igitur quodammodo inchoatur tractatus, cuius argumentum (*vv.* 24. 25) et finis (*vv.* 26. 27) hac praefatiuncula proponuntur.

Argumentum autem est institutio quaedam de sapientia generatim et universe spectata : 24. *Quid est* (melius : *sit*) *autem sapientia, et quemadmodum facta sit* (melius *orta sit* ἐγένετο) *referam, Et non abscondam a vobis sacramenta Dei* (melius genetivo omisso : *sacramenta*

1. *VV. LL.* — 24. πῶς ἐγένετο sine additamento est communis et certa lectio; verba autem ἐν ἀνθρώποις quae a paucis minusc. adduntur, alicui correctori deberi videntur, qui suam loci interpretationem textui inseruit. — μυστήρια sine addito sec. codd. et verss.; num Vulg. genetivum *Dei* recte addiderit, cfr *Comment.* — 25. οὔτε μὴν (neque profecto) a ***Tisch.*** ***Swete, Deane*** merito retinetur, licet nonnulli codd., sensu non mutato, legant οὔτε μὴ vel οὐδὲ μή. — κοινωνήσει (*particeps erit*) B ℵ et plerique libri; A cum paucis minus apte habet praesens κοινωνεῖ (particeps est).

seu *mysteria*), *Sed ab initio nativitatis* (rectius : *ortus* seu *originis* γενέσεως cfr ad 12,10) *investigabo, Et ponam in lucem scientiam illius, Et non praeteribo veritatem.* Particulam δέ (*autem*) hic esse metabaticam, qua oratio ad novam traducitur partem, clarum est. Prima verba (*quid sit sapientia...* referam) definitionem sapientiae promittere videntur; frustra autem eam in toto tractatu quaesieris, qui pro poetico suo charactere descriptione potius proprietatum et effectuum, quibus se sapientia manifestat, nos eius naturam et indolem docet. Similiter cur alterum membrum (*quomodo facta* vel potius *orta sit* πῶς ἐγένετο) ad certum sapientiae genus coarctetur, nulla adest ratio. Quod enim antiquitus nonnulli dictionem ἐν ἀνθρώποις inseruerunt, ut de solius sapientiae creatae ortu agi insinuarent, aut moderni aliqui acatholici (*Schulth. Ewald* apud *Gr.*) pronomen ἐμοί supplendum esse coniecerunt, quia Salomon de suae ipsius tantum sapientiae origine in sequentibus ageret, id plane arbitrarium esse hodie fere omnes interpretes iure consentiunt. Neque rectius pauci iuniores cum *Est.* (Annot. in S. S. ad h. l.) verbo ἐγένετο (*facta, orta est*) veram causam ac proinde initium in tempore significari asseruerunt, ita ut sententiola de aeterna Sapientiae hypostaticae i. e. Verbi generatione explicari non possit; namque eadem vocabula, si de Deo et de creaturis praedicantur, diversimode interpretanda esse haud satis considerarunt. Omnia quippe vocabula, quibus originis relatio designatur, per se ac proprie, utpote ex creatis desumta, notionem verae causae ac veri effectus menti subiiciunt; quare si haec urgetur ad relationes divinas transferri nequeunt; usu tamen nonnulla (minime vero omnia) ita sunt definita, ut ad hasce designandas, non propria quidem sed analogica significatione, usurpari ab omnibus soleant, neque quisquam Patrem principium Filii vocare vereatur, quamquam eum causam Filii dicere non licet. Iam vero cur verbum γενέσθαι *oriri,* quod Alexandrinis ad hebraicum יָלַד (*generari* vel *nasci*) reddendum saepe inservit, ab auctore nostro non ita adhiberi potuerit, ut nudam ortus seu originis notionem respiceret, nemo dixerit. Profecto *S. Bonav.* aliique antiquiores aliqui, qui lectionem graecam (ἐγένετο) ignorantes solam latinam (*facta est*) interpretati sunt, locum nostrum de utriusque sapientiae, quum increatae a Patre ab aeterno genitae tum creatae hominibus infusae, origine intelligere non dubitarunt, iuniores autem et moderni catholici multi lectionem ἐγένετο de utraque sine ulla haesitatione explicarunt. Itaque Estii quoque obiectione secundum membrum ad creatae sapientiae genus coarctare nequaquam cogimur, neque quidquam impedit, ne Sapientem hic (uti *Prov.* 8,22 sqq.) de hypostaticae atque simul (uti *Iob* 28,12 sqq.) de creatae sapientiae origine cogitasse dicamus.

Duobus porro quae sequuntur membris auctor argumentum aliquantulum accuratius definit, quum *se mysteria non esse absconsurum, sed ab initio originis investigaturum* promittat. Addito genetivo *Dei* vulgatus interpres mysteria illa Deo esse propria probabiliter declarare voluit, idque recte, quatenus Deo soli ab aeterno sunt nota creaturisque nonnisi revelatione divina innotuerunt. Nihilominus additamentum istud nullo modo nobis probatur, siquidem toto contextu genetivum *eius* scilicet *sapientiae*, de qua sola est sermo, supplere cogimur. Auctor quippe verba modo indicata, quibus Iob supereminentem sapientiae dignitatem celebraturus arcanam eius originem et indolem atque summam quoque, quam eius creat investigatio, difficultatem amplificat et inculcat (*Iob* 28,12-28), procul dubio in mente habuit iisque adductus videtur, ut sapientiae mysteria enarrare ideoque eadem ab initio originis i. e. a prima origine eius investigare sibi proponeret. Sicuti autem ad nomen *mysteria* ita etiam ad genetivum *originis* (γενέσεως) aliud pronomen, uti indicavimus, praeter αὐτῆς (*eius* sc. sapientiae) iuxta contextum supplere non licet; haud minus arbitrarie igitur, quam Θεοῦ ad μυστήρια, ad γενέσεως suppletur μου (originis *meae*), quasi Salomon se ab initio *suae* nativitatis mysteria sapientiae investigasse aut investigare velle assereret. Supplementum hoc Vulgata quidem insinuat, quum γενέσεως vertat *nativitatis,* illique approbant, qui ad praecedens verbum ἐγένετο dativum ἐμοί addunt, reliqui autem tantum non omnes reiiciunt. Inter eos tamen nonnulli nihil supplendum esse arbitrati nomine γενέσεως, quasi idem quod γένημα valeret, *complexum rerum factarum* designari volunt, uti nomine κτίσεως (i. q. κτίσμα) *complexus rerum creatarum* designari soleat; unde eis ἀπ' ἀρχῆς γενέσεως idem est quod ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως (cfr *Marc.* 10,6; 13,9 etc.), nimirum *ab initio creationis* (cfr *Gr. Siegfr. Deane* etc.). Sed nullo exemplo hanc significationem nomini γενέσεως recte tribui demonstrant.

Ultimis demum duobus sententiae stichis Salomon se diligentiam in argumento proponendo et tractando adhibiturum esse addit. Quippe in sapientia proponenda non obscurus erit, sed maximae studebit perspicuitati : *scientiam illius,* scilicet sapientiae et mysteriorum eius, *in luce ponam* (θήσω εἰς τὸ ἐμφανές) i. e. manifestam claramque reddam, *neque veritatem* totam (τὴν ἀλήθειαν), quam investigatione sua cognoverit, ex parte *silentio praeteribit,* sed integram legentibus tradet. Quia autem interdum magistri timentes, ne sibi discipuli honore adaequentur, partem doctrinae suae celare sibique solis reservare student, hanc quoque agendi rationem utpote sapiente indignam se aspernari ac repudiare declarat : 25. *Neque cum invidia tabescente*

iter habebo, Quoniam talis homo (οὗτος) *non erit particeps sapientiae.* Eleganti paronomasia hanc sententiam ultimo praecedentis membro velut eius complementum subiungit : οὐ μὴ παροδεύσω τὴν ἀλήθειαν, οὔτε μὴν φθόνῳ συνοδεύσω. Dictio porro φθόνῳ τετηκότι duas admittit constructiones; vulgatus enim noster interpres, quum in altero sticho nudum pronomen οὗτος vertat *talis homo* (i. e. invidus), dativum φθόνῳ a participio τετηκότι dependere indicavit (φθόνῳ τετηκώς), ut sensus sit : *neque cum illo, qui ex invidia tabet, iter habebo, quia talis homo* etc. Quae constructio sensum minus aptum gignere videtur quam altera a plerisque modernis recte adoptata, qua ipsa invidia tabescens appellatur quia efficit, ut ii qui huic vitio sunt dediti tabescant atque corporis tabe et vultus livore vitium, quo laborant, ipsi prodant. Haec autem tabescens invidia in personam constituitur, quae Salomoni ad sapientiam investigandam proficiscenti sese itineris comitem offert, sed ab illo respuitur, *quia haec nullum* omnino *cum sapientia commercium habeat* aut habere queat (ὅτι οὗτος [sc. ὁ φθόνος] οὐ κοινωνήσει σοφίᾳ). Futurum κοινωνήσει hic, uti saepe in sententiis universalibus, de eo usurpatur, quod pro rei natura aliter esse nequit; revera invidia et sapientia indole sua tota ita inter se sunt contrariae, ut eadem in mente habitare non possint (cfr 1,4). Namque invidia hominem impellit, ut de aliorum bonis, quasi illi suo iuri aliquid derogent, contristetur suaque bona sibi soli sollicite reservare studeat; contra vero sapiens bona sua cum aliis communicare amat de eorumque progressibus gaudet. Divinas nimirum doctrinas, quibus imbutus est, omnibus hominibus, quum absque illis finem suum assequi non valeant, a Deo esse destinatas edoctus, eas pro viribus propagare studet et quaecunque alicui utilia esse videt, ei non tantum sine invidia sed etiam liberalissime impertit.

Aliqui moderni ultimis his verbis tum ethnicos illos, qui mysteriis initiati esotericam, quam in illis addidicisse sibi videbantur, doctrinam sollicita cum cura profanos celabant, tum Iudaeos nonnullos alexandrinos carpi censent, qui ad priorum exemplum altiorem intimioremque patriae suae religionis scientiam, ad quam sese Legis dogmata ac praecepta cum placitis quibusdam graecorum philosophorum permiscentes aut iuxta illa interpretantes pervenisse gloriabantur, tamquam sacrum quoddam mysterium coram contribulibus suis tacitam tenebant (cfr *Gutb. Les.* — *Gr. Deane*). Sed sine sufficiente ratione polemicus hic finis verbis nostris attribui videtur. Praeprimis enim eiusmodi invidia non adeo erat rara, ut in iis solis, qui ad mysteria erant admissi et recepti aut divinam Legem erroribus philosophicis deturpabant, inveniri potuerit. Accedit quod auctor Salomonem haec dicentem inducat, ei autem loquenti non nisi inepte allusionem ad res aetatis ptolemaicae subiicere potuerit. Dixeris, prooemium hoc ipsius esse auctoris, Salomonis autem verba dumtaxat inde a 7,1 afferri; respondemus eadem quae hic pulcherrimo tropo sunt dicta,

a Salomone ipso paullo post proprio nomine ac sermone asseri (cfr 7,13 « sapientiam... sine invidia communico et honestatem illius non abscondo »), nullam ergo esse rationem cur sententia, de qua agitur, ei abiudicetur, dummodo ne allusio ista ad Ptolemaeorum aetatem eis inesse dicatur.

Argumento commentationis suae modoque quo tractaturus illud sit explicatis Salomon ad alterum praefatiunculae membrum transit, in quo finem quem sibi proposuit paucis, uno nimirum enthymemate, declarat. Id unum autem se intendere significat, ut legentes sua institutione eruditi ipsi quoque numerum sapientium augeant, quoniam sapientia, si a quam plurimis et potissimum a principibus colitur, toti rei publicae, immo universo generi humano summam allatura sit utilitatem. 26. *Multitudo autem sapientium sanitas est orbis terrarum* (rectius : *salus est mundi* σωτηρία κόσμου), *Et rex sapiens* (φρόνιμος i. q. σοφός in parallelismo) *stabilimentum* (εὐστάθεια) *populi est.* Cui sententiae tamquam antecedenti statim subiungitur consequens : 27. *Ergo accipite disciplinam* (melius : *erudimini* παιδεύεσθε) *per sermones meos et proderit vobis.* In antecedente duo asserit, quae a prudente addubitari nequeunt; praeprimis enim certum est, eo maiorem esse incolumitatem ac felicitatem mundi (i. e. generis humani, siquidem voce κόσμου *mundi* Sapiens haud semel genus humanum denominat, cfr **10,1** Adam πατὴρ κόσμου, **14,6.** Noe ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου[1]), quo plures adsunt vere sapientes, i. e. homines qui vitam suam totam ad divinam Legem bene intellectam perfecte conformantes consilio et exemplo suo reliquos ad eandem Legem observandam instituunt et impellunt. Efficacius autem aliorum salutem promovere poterunt, si publica quadam in dignitate constituti etiam auctoritate sua subditos ad rectam ingrediendam ac tenendam viam stimulant; unde non minus certum est, quod secundo loco asseritur, a regis sapientia bonam regni conditionem eiusque firmitatem dependere, neque immerito alibi Salomon vae dicit terrae, cuius rex sit puer i. e. insipiens (*Eccl.* **10,16**). Ex duobus illis assertis porro sua sponte consequitur regis exhortatio, ut omnes verba sua de sapientia eiusque mysteriis auribus

1. Nomine κόσμου (*mundi*) metonymice eius incolas designare neque profanis scriptoribus usitatum fuit neque alexandrinis interpretibus, qui haud frequenter voce hac usi sunt. Usitatissima autem haec metonymia est in Novo Test.; S. Paulus semel nomine κόσμου angelos et homines velut universi mundi incolas complectitur (1 *Cor.* 4,9 « spectaculum facti sumus mundo, et angelis et hominibus ») atque simili modo interdum intelligendum videtur iis in locis, in quibus de iudicio mundi agitur; plerumque autem solos terrae incolas i. e. totum genus humanum designat (cfr *Ioan.* 1,10. 29; 3,16 sq.), haud raro tamen etiam solam universitatem hominum perversorum (*Ioan.* 7,7). Auctor noster porro, qui dictione κόσμου multo saepius quam reliqui Veteris Test. scriptores utitur, etiam primus iure censetur qui metonymiam illam adhibuerit. Cfr. *Cremer* Wörterb. der neutestam. Gräc. Ed. 4, p. 498 sqq.; *Gr.* Lexic. gr. lat. in ll. N. T. Ed. 3 s. v.

animisque accipiant iisque eruditi ipsi quoque summae illius utilitatis, quam sapientia affert, participes fiant.

Nomine σωτηρίας, quo Alexandrini hebr. יְשַׁע eiusque synonyma יְשׁוּעָה vel תְּשׁוּעָה et rarius שָׁלוֹם reddunt, in Novo quidem Test. vix non semper summum illud beneficium, quo Christus D. nos a peccato aeternaque morte liberavit aeternaeque beatitudinis aditum nobis patefecit, in Vetere autem praeter messianicam populi electi redemptionem et restitutionem frequentissime etiam aliud quodcunque beneficium denotatur, quo quis secundum corpus vel animam in bonam conditionem restituitur aut in ea conservatur ac promovetur. Iam vero in nostro loco non definite salutem messianicam significari patet; namque si ad exempla historica attendimus, quibus inde a 10,1 usque ad libri finem demonstratur, quam utilis sapientia patriarchis et populo electo, quam nociva vero populi hostibus insipientia eorum fuerit, vix dubitari licet, quin Sapiens hic potissimum utilitatem illam intelligi velit, quam sapientia reipublicae comparatura sit, simulatque a magno principum et civium numero colitur. Nihil tamen obstare arbitror, quin per sensum consequentem etiam fructus illi indicari dicantur, quos singuli in privata vita, si patriarcharum exemplum imitentur, ex sapientiae studio capturi sint; immo vero ipsa quoque salus messiana certo quodam modo comprehendi haud inepte dici videtur. Nomen εὐστάθεια demum ab aliis prospera conditio rei, ab aliis eius firmitas et stabilitas explicatur; utraque significatio ei competit et utraque ad nostrum locum quadrat; quare *Schleusn.* haud inepte utramque coniungit, quum interpretatur : *prosper et firmus status*; ad prosperam enim regni conditionem omnino eius firmitas et stabilitas requiritur.

2. — *Tractatus exordium de ratione, qua Salomon ipse sapientiae donum acceperit* (7,1-14).

7,1. Sum quidem et ego mortalis homo, similis omnibus, Et ex genere terreni illius,qui prior factus est, Et in ventre matris figuratus sum caro, 2. Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine hominis, et delectamento somni conveniente. 3. Et ego natus accepi communem aërem, Et in similiter factam decidi terram, Et primam vocem similem omnibus emisi plorans : 4. In involumentis nutritus sum et curis magnis. 5. Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium. 6. Unus ergo introitus est omnibus ad vitam, Et similis exitus. 7. Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus, Et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae; 8. Et praeposui illam regnis et sedibus, Et divitias nihil esse duxi in comparatione illius : 9. Nec comparavi illi lapidem pretiosum, Quoniam omne au-

7,1. Εἰμὶ μὲν κἀγὼ θνητὸς ἄνθρωπος, ἴσος ἅπασιν, Καὶ γηγενοῦς ἀπόγονος πρωτοπλάστου. Καὶ ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην σάρξ 2. Δεκαμηνιαίῳ χρόνῳ, παγεὶς ἐν αἵματι Ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης. 3. Καὶ ἐγὼ δὲ γενόμενος ἔσπασα τὸν κοινὸν ἀέρα, Καὶ ἐπὶ τὴν ὁμοιοπαθῆ κατέπεσον γῆν, Πρώτην φωνὴν τὴν ὁμοίαν πᾶσιν ἴσα κλαίων. 4. Ἐν σπαργάνοις ἀνετράφην καὶ ἐν φροντίσιν. 5. Οὐδεὶς γὰρ βασιλεὺς ἑτέραν ἔσχεν γενέσεως ἀρχήν. 6. Μία δὲ πάντων εἴσοδος εἰς τὸν βίον, Ἔξοδός τε ἴση. 7. Διὰ τοῦτο ηὐξάμην, καὶ φρόνησις ἐδόθη μοι· Ἐπεκαλεσάμην, καὶ ἦλθέ μοι πνεῦμα σοφίας. 8. Προέκρινα αὐτὴν σκήπτρων καὶ θρόνων, Καὶ πλοῦτον οὐδὲν ἡγησάμην ἐν συγκρίσει αὐτῆς. 9. Οὐδὲ ὡμοίωσα αὐτῇ λίθον ἀτίμητον, Ὅτι ὁ πᾶς χρυσὸς ἐν ὄψει αὐτῆς ψάμμος ὀλίγη, Καὶ ὡς πηλὸς λογισθήσεται ἄργυρος ἐναντίον αὐτῆς. 10. Ὑπὲρ

rum in comparatione illius arena est exigua, Et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius. 10. Super salutem et speciem dilexi illam, Et proposui pro luce habere illam, Quoniam inexstinguibile est lumen illius. 11. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, Et innumerabilis honestas per manus illius, 12. Et laetatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia; Et ignorabam, quoniam horum omnium mater est. 13. Quam sine fictione didici et sine invidia communico, Et honestatem illius non abscondo. 14. Infinitus enim thesaurus est hominibus, Quo, qui usi sunt, participes facti sunt amicitiae Dei, propter disciplinae dona commendati.

ὑγίειαν καὶ εὐμορφίαν ἠγάπησα αὐτὴν, Καὶ προειλόμην αὐτὴν ἀντὶ φωτὸς ἔχειν, Ὅτι ἀκοίμητον τὸ ἐκ ταύτης φέγγος. 11. Ἦλθε δέ μοι τὰ ἀγαθὰ ὁμοῦ πάντα μετ' αὐτῆς, Καὶ ἀναρίθμητος πλοῦτος ἐν χερσὶν αὐτῆς. 12. Εὐφράνθην δὲ ἐπὶ πάντων, ὅτι αὐτῶν ἡγεῖται σοφία, Ἠγνόουν δὲ αὐτὴν γενέτιν εἶναι τούτων. 13. Ἀδόλως τε ἔμαθον, ἀφθόνως τε μεταδίδωμι, Τὸν πλοῦτον αὐτῆς οὐκ ἀποκρύπτομαι. 14. Ἀνεκλιπὴς γὰρ θησαυρός ἐστιν ἀνθρώποις, Ὃν οἱ χρησάμενοι πρὸς Θεὸν ἐστείλαντο φιλίαν Διὰ τὰς ἐκ παιδείας δωρεὰς συσταθέντες[1].

Sapiens Salomonem facit argumenti tractationem a suae sapientiae, quae celeberrima fuit, origine enarranda exordientem, idque ad finem suum accommodatissime. Quum enim Salomon sese neque hereditario cuidam iuri suo neque suae naturae, quippe quae sibi cum reliquis communis sit, conditioni, sed solius Dei, a quo supplex illam petierit, benignitati ac gratiae illam debere referat, simulque summam illius utilitatem continuo praedicet, legentibus eodem tempore et viam ostendit, qua ad illam venire possint ac tendere debeant, et desiderio

VV. LL. — 1. θνητὸς ἄνθρωπος B A cum plerisque, *Vulg. Syr.* etc.; nomen ἄνθρωπος omittit solus ℵ, quem *Swete* immerito sequitur; nam satis negligens librarius ℵ fuit in hoc libro describendo; cfr ex. gr. in primis huius pericopes sententiis : *v.* 1. ἀπόγονον pro ἀπόγονος, *v.* 2. ὕπνου pro ὕπνῳ, *v.* 3 πᾶσιν κλαίων pro πᾶσιν ἴσα κλαίων, *v.* 4. καὶ φροντίσιν pro καὶ ἐν φροντίσιν, *v.* 6. εἰς τὸν κόσμον pro εἰς τὸν βίον etc. — 4. ἀνετράφην (*nutritus sum*) B ℵ cum plerisque, *Vulg.* etc.; minus apte ἀνεστράφην (versatus sum) A cum nonnullis. — 5. οὐδεὶς γὰρ βασιλεύς (nullus enim rex) B ℵ cum plerisque; sed οὐδεὶς γὰρ βασιλέων (*nemo enim ex regibus*) A cum paucis, *Vulg.* — 11. Pro ἐν χερσὶν αὐτῆς (*per manus illius*) B A et multi, et ἐν χειρὶ αὐτῆς (per manum illius) ℵ, melius leges : ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῆς cum primo correctore cod. B. — 12. Utrum cum B et plerisque legas : ηὐφράνθην ἐπὶ πάντων an cum ℵ A et satis multis ἐπὶ πᾶσιν ad sensum non interest. — γενέτιν (*matrem*) solus A, ut videtur; quoniam nomen γενέτις (genitrix, mater) Atticis non erat usitatum, quibus tamen γενέτης (genitor, pater) satis erat frequens, reliqui codd. exhibent aut γένεσιν (originem) B ℵ etc., quae lectio parum apta est, aut γενέτην, quae lectio apta, si γενέτης supponitur generis comm. fuisse. — 14. οἱ χρησάμενοι (*qui usi sunt*) B ℵ et multi, *Vulg. Syr. Arm.*; minus apte οἱ κτησάμενοι (qui sibi acquisiverunt) A cum nonnullis; quae lectio probabiliter sciolo librario debetur, qui verbum χρῆσθαι hic cum accusat. construi miratus est (cfr *Reusch*).

ac spe illius excitatis animum facit, ut illam sibi a Deo impetrent. Haec autem est huius pericopes summa : Quamvis regis esset filius, non alia natura atque reliqui filii Adae fuit praeditus neque alia atque illi ratione vivere incepit (*vv.* 1-4); idem enim regum omniumque hominum est vitae initium et finis (*vv.* 5.6). Quapropter, quum sapientiam, quam semper prae omnibus desiderabilem habuit, non magis quam reliqui in mundum secum attulisset, illam precibus a Deo efflagitare debuit et revera impetravit (*vv.* 7-10); una autem cum illa sese etiam ista bona, quae prae illa despexerat, accepisse expertus (*vv.* 11.12) illam nunc aperte ac sincere docere vult, quia omnibus futura sit thesaurus indeficiens (*vv.* 13. 14). Satis apte pericopen hanc exordium orationis appellaveris, qua sapientissimus rex praestantiam verae sapientiae commendat.

Primo igitur in loco *natura et origine* sese, etiamsi a sanctissimo Israelis rege sit genitus, a reliquis hominibus non differre monet : 1. *Sum quidem et ego mortalis homo similis* (rectius : *aequalis* vel *par* ἴσος) *omnibus, Et ex genere terreni illius qui prior factus est;* alterum stichum ex graeco rectius clariusque vertes : *et ex terrigena* (illo) *qui primus formatus est, prognatus*[1]. Particula μέν (*quidem*) solitarie hic, uti satis frequenter, est posita, altero membro deficiente; illud tamen variata orationis forma *v.* 7 sequi iure plerique tenent. Auctor quippe probabiliter scribere voluit : « sum *quidem* natura et origine reliquis Adae posteris aequalis (ac proinde sapientia carui), rogavi *autem* Deum et dedit eam mihi « (εἰμὶ μέν... ηὐξάμην δέ); multis tamen sententiis interiectis quodammodo abreptus constructionisque inchoatae oblitus alterum membrum, quod primae suae sententiae opponere intenderat, tamquam sequelam ex ultimis duabus derivavit[2]. Animadversione digna est dictio κἀγώ (ETIAM *ego*), cuius particula καί auctor se non unum esse ex vulgo vel plebeium hominem sed tali in conditione natum clare significat, ut quis ipsum natura alios homines su-

1. Nomen πρωτόπλαστος (πρῶτος et πλάσσειν) quo primus noster parens Adam in Scripturis bis tantum (hic et 10,1), saepius autem in Patrum operibus appellatur (cfr *Suicer.* Thesaur. eccl. II, p. 876 sq.), a Vulgatae interprete in nostro loco parum recte est translatum (qui *prior factus* est), recte vero *infra* (10,1 qui *primus formatus* est vel unico vocabulo *primoformatus* cfr πρωτόγονος vel πρωτότοκος *primogenitus*); neque enim πρῶτος est *prior* neque πλάσσειν valet *facere* sed *fingere* seu *formare;* ceterum in nostro loco aliqui codd. exhibent *fictus* pro *factus* (cfr *Reusch*). Similiter γηγενής non apte redditur *terrenus,* sed iuxta etymologiam suam latino *terrigena* accurate respondet; terrigena autem Adam vocatur utpote ex limo terrae (secundum corpus) formatus cfr *Gen.* 2,7.

2. De anacoluthica hac constructione, quae in Novo Test. frequenter reperitur, cfr *Beelen* Gr. p. 520 sq. *Win.* Gr. p. 534 sq.; nostr. Comment. in ep. ad Rom. ad 1,8; 3,2; 10,1; 11,13 etc.

perare forsitan putaverit. Verum se ipsum quoque, etsi in regia sit natus, cum emphasi *mortalem hominem omnibus aequalem* appellat, adiectivo θνητός gravissimum, quo sua non minus quam aliorum natura laborat vulnus, quasi digito demonstrans. Similiter secundo sticho se reliquis aequalem esse probat, quia nimirum ex eadem qua omnes stirpe sit ortus, utpote a primo parente Adamo descendens, qui ipse (secundum corpus) *ex terra formatus* est. Utroque igitur sticho naturam suam quodammodo deprimit et velut vilem describit, ut ex illa suam sapientiam non derivari omnes intelligant.

Ne quis vero eam origini suae attribuat, quasi hac prae reliquis hominibus emineat, se hac quoque aliis aequalem esse docet : *Et in ventre matris figuratus sum caro* (ἐγλύφην σάρξ), 2. *Decem mensium tempore coagulatus* (παγείς) *in sanguine, Ex semine hominis* (lege : *viri* ἀνδρός) *et delectamento somni conveniente* (rectius : *etiam delectamento ad somnum accedente* καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης). Animadvertatur oportet in Vulg. Clem. versum hunc neque recte distingui neque bene interpungi; versus enim a verbis *et in ventre matris* inchoari debuit atque tria vocabula, a quibus Clementinus *v.* 2 incipit (*decem mensium tempore*) ad praecedentem stichum pertinent : itaque legendum est : 2. *Et in ventre matris figuratus sum caro decem mensium tempore* etc. Sicuti autem in priore sententia naturam, quam cum omnibus communem habeat, ita in hac naturalem suam originem deprimit et quasi foedat, ut neque ex illa sapientiam suam derivari posse appareat. Hinc animi, qui à Deo immediate creatur, origine praetermissa, atque sola inferiore ac viliore hominis parte constitutiva commemorata, sese synecdochice *in ventre matris figuratum esse* dicit *carnem;* totum utique corpus eo nomine designat atque eleganti simul metaphora statuae, quae fictoris labore paullatim fingitur, corpus membraque sua in utero matris lento progressu crevisse ac formata esse indicat (ἐγλύφεν σάρξ cfr 13,13). Hinc duo illa, quibus concurrentibus seque quodammodo permiscentibus corpus suum generari coeptum est, nominare non veretur, quamvis aliquid impuri ac foedi habere videantur, *sanguinem* (menstrualem) *matris* et *semen patris,* atque ipsum etiam modum, quo ex his foetus exorsus sit, participio παγείς (*coagulatus*) adhibito viliorem abiectioremque reddit, Iobum probabiliter imitatus, qui haud dissimili ortus sui in utero matris descriptione Deum ad misericordiam flectere conatur (*Iob* 10,10 cfr *Knabenb.* Comm. in Iob p. 149). Hinc demum, ut nihil taceat, quo origo sua quasi polluta et contaminata esse appareat, *delectationem somno* (ὕπνῳ quo nomine opus ipsum coniugii decenter appellat cfr ad 4,6) *accedentem,* scilicet foedae libidinis impetum, quem Aristo-

teles « modici temporis epilepsiam » vocavit, in sua generatione non defuisse addit. Quibus consideratis *S. Petr. Damian.* (ad Agnet. Aug. *M.* 145,818 cfr *Lap.*) merito, postquam hanc attulit Sapientis sententiam, dicit : « Si ergo unus, quod dicitur, ad vitam introitus et similis exitus diligenter attenditur, varietas illa, quae versatur in medio, necesse est ut tamquam volax fugacis somnii vanitas contemnatur... Quae mens haec audiens typho valet arrogantiae superbire et quis non continuo compellitur sese nosse putredinem, dum tam obscoenam ortus sui contemplatur foeditatem ! »

Cur de *decem mensium tempore* Salomon loquens inducitur, cum vulgo loquamur de graviditate mensium novem (cfr 2 *Mach.* 7,27)? Secundum modernorum medicorum doctrinam partus fieri solet circa 280um diem graviditatis (i. e. post completas hebdomades 40 seu *decies quaternas*), nec tamen raro tempus gestationis ad 270 dies contrahitur aut ad 300 dies protenditur. Hinc sive menses computas solares (alternatim 31 et 30 dierum) sive lunares (alternatim 30 et 29 dierum), fere semper intra decimum mensem proles nascitur; secundum menses lunares, quales Iudaei habebant, medio mense decimo universim graviditas finiebatur, poterat vero in undecimum mensem prorogari. Unde prorsus rei consentaneum erat loqui de « decem mensibus » et « decimo mense ». Et sic revera communius veteres loquebantur, ut iam *Lap.* exemplis allatis monstravit. Ex. gr. *Plaut.* Cist. I. 3,14 « tum illa... *decumo post mense exacto* hic peperit filiam » ; Virgil. Ecl. 4,61 « matri longa *decem* tulerunt fastidia *menses* » ; *Ovid.* Fast. I. 33 rationem cur Romulus annum *decem* habere menses voluerit hanc indicat : « *Quod satis est utero matris, dum prodeat infans,* Hoc anno statuit temporis esse satis » ; porro cfr. *Aristot.* hist. animal. VII. 4; *Gellius* Noct. att. III. 16; *Tertull.* de anima 37; *S. Ambr.* in *Ps.* 3 serm. 15; *S. Aug.* de Trinit. III. 3.

De modo quo Sapiens hic de origine et incremento foetus loquitur, sollicite inquirendum ac disceptandum non est, scil. num rectam rei scientiam habuerit aut ea quae dicit veritati consonent. Etenim certe hoc loco noluit physiologum agere aut lectores de ortu foetus edocere, sed Salomonem de hac re loquentem inducit, ut ostendat illi non aliam ac reliquis mortalibus originem fuisse, eamque vilem tetramque declarans ex illa magnam huius regis sapientiam non esse exortam demonstret. Nullo argumento probari potest, auctori aut Salomoni loquenti intimum generationis processum fuisse perspectum; quodsi is ei perspectus fuit, non debuit hoc loco suam hanc scientiam prodere, sed agere potuit, ut etiamnum agunt viri rerum physicarum scientissimi. Hi enim in vita quotidiana et communi non semper scientificis utuntur terminis aut accurate secundum perfectiorem suam scientiam loquuntur, sed sermone illo vulgari ac minus accurato utuntur, quo homines externam potius rerum naturalium apparentiam quam intimam earum naturam designare solent; qui, dummodo

ad loquentis mentem explicatur, neque erroneus vocari meretur neque quemquam prudentem in errorem inducit (cfr *S. P. Leonis* XIII Encycl. « Providentissimus Deus » n. 28). *Gr.* miratur, quod reliquis sacris scriptoribus originem ac formationem foetus velut mysterium (*Eccle.* 11,5; 2 *Mach.* 7,22 sq.) aut miraculum (*Ps.* 138,13 sqq.) tractantibus Sapiens suam ea de re sententiam tamquam certam exploratamque proponat. Tantum vero abest, ut auctor mysterium aut miraculum illud explicare voluerit, ut de foetus origine non aliter ac Iob loquatur, de animi autem origine et de corporis animique coniunctione in unam naturam taceat.

A natura et origine sua Salomon ad suam nativitatem primamque infantiam describendam progreditur, ut se his quoque sapientiam adipisci non potuisse ostendat : 3. *Et ego* (ego quoque ut reliqui) *natus accepi* (ἔσπασα cum *S. Ambr.* melius : *hausi*) *communem aërem, Et in similiter factam* (ὁμοιοπαθῆ) *decidi terram, Et primam vocem similem omnibus emisi* (aequaliter) *plorans; 4. In involumentis nutritus sum et curis magnis.* Vulgata in tertio sticho adverbium ἴσα (*aequaliter*) ante participium κλαίων (plorans) non expressit, contra vero verbum *emisi* inseruit; iuxta graecum textum eum apte cum quarto coniungimus hunc in modum : *Et prima voce, quae omnibus eadem est, aequaliter plorans In involumentis nutritus sum et curis magnis.* Ultimum quoque adiectivum *magnis* in graeco textu deest, sed apte in Vulgata est additum. Sese igitur, quamvis regio esset sanguine exortus, in prima sua infantia reliquis non fuisse disparem dictione καὶ ἐγώ satis iam insinuat, clarius autem singulis stichis docet. Ex utero quippe egrediens statim eodem aëre quo viveret indiguit eundemque cum reliquis hausit (ἔσπασα τὸν κοινὸν ἀέρα); eademque quoque inopia omnimoda laborans ex utero in eandem in quam reliqui terram decidit, vel potius « decidisset, nisi obstetricantis manus id impedivisset » (*Ians. Ipr.*); eadem porro ratione non risu sed fletu lucem salutavit eodemque ac ceteri vagitu se in lacrimarum vallem ingressum esse, licet id nondum sciret, quodammodo prophetavit (cfr *S. Aug.* de civ. Dei XXI. 14); non aliter demum ac reliqui nudus in hanc terram adveniens fasciis indiguit, quibus involveretur, atque multis magnisque matris aliorumque curis nutriri, custodiri, educari debuit[1]. In secundo sticho vulgatus interpres, etymologia (ὅμοιος, πάσχειν)

1. Conferri meretur, quomodo *Lucret.* (de nat. rer. V. 223 sqq.) omnimodam puerorum modo natorum inopiam describat :

« Tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
Navita, nudus humi iacet, infans indigus omni
Vitali auxilio, quom primum in luminis oras
Nixibus ex alvo matris natura profudit;
Vagituque locum lugubri complet, ut aequum est,
Quoi tantum in vita restet transire malorum ».

neglecta, dictionem γῇ ὁμοιοπαθής vertit *terra similiter facta,* probabiliter significaturus terram natura sua esse fragilem caducamque similiter atque infantes, quos utero matris vix editos suo gremio recipit. Revera adiectivum ὁμοιοπαθής, quod etymologice valet *similia patiens* seu *similibus* (*vel iisdem*) *affectionibus obnoxius,* in Novo Test. idem est quod « iisdem proprietatibus vel eadem natura praeditus » (cfr Act. 14,14; *Iac.* 5,17); sed haec explicatio ad nostrum locum parum videtur quadrare. Quare cum plerisque recentioribus dictione illa indicari censemus, terram similia (vel eadem) ab omnibus infantibus in eam decidentibus atque adeo ab omnibus viventibus pati, quippe a quibus calcetur. « Aequa tellus pauperi recluditur atque regum pueris » (*Horat.* Od. II. 18,32).

Ne quis vero miretur, quod sibi, regi regisque filio, communem aliorum originem et infantiam attribuat, universali sententia descriptionem suam confirmat : 5. *Nemo enim ex regibus aliud habuit nativitatis initium* (γενέσεως ἀρχήν), 6. *Unus ergo* (lege : *unus autem* μία δέ) *introitus est omnibus ad vitam Et similis* (rectius : *aequalis* seu *par* ἴση) *exitus.* Locutionem ἀρχὴν γενέσεως noster interpres hic recte reddidit *initium nativitatis*, quia de hominum ortu agitur (supra 6,24 de Sapientiae ortu vertebamus « initium originis »). Genetivus γενέσεως hic est epexegeticus : « initium, id est nativitas » (cfr supra ad 3,15; 5,22), et nomine γενέσεως omnia illa supra singulatim descripta, prima foetus formatio, dein incrementum, nativitas etc. comprehenduntur. Minus bene alii quidam ἀρχὴν γενέσεως vertunt « initium nativitatis », ac si ipsum primum nativitatis momentum designetur. Nec recte verteris « initium vitae » (*Gr.*); etenim nec Iac. 3,6 neque usquam alibi γένεσις est i. q. vita. Ceterum quomodocunque locutionem illam interpreteris, sensus stichi in aperto est eique synonymus est alter, in quo ἡ εἰς τὸν βίον εἴσοδος (*introitus in vitam*) nostro ἀρχὴ γενέσεως (*initium nativitatis*) plane respondens totum tempus a formatione foetus usque ad primum infantis recenter nati statum complectitur. Duobus his stichis argumentum continetur, tertius vero, quo exitus quoque ex vita omnibus idem esse asseritur, quodammodo ad sententiam complendam additus videtur, quum ortu hominis commemorato mors quasi sua sponte se menti offerat.

Salomon igitur, regnum David patris sui adeptus, quum sapientiam sibi ad illud moderandum maxime necessariam (cfr 9,7 sqq.; 3 *Reg.* 3,7 sqq.; 2 *Par.* 1,9 sqq.), nec tamen sibi, utpote homini infirma natura ceteris pari, innatam esse cognovisset, alia via illam sibi, sicut ceteri, acquirere debuit. Quam autem viam, ut eam obtineret,

ipse sit ingressus aliique, ut eam inveniant, ingrediantur oporteat, nunc paucis explicat. Etenim quum illam esse divinum donum, intelligeret, quod bona quaecunque naturalia longissime superet iisque, qui illud ardenter diligunt et concupiscunt, solis concedatur (cfr 6,13 sqq.), precibus a Deo eam impetravit. 7. *Propter hoc* (διὰ τοῦτο) *optavi* (rectius: *preces fudi* ηὐξάμην), *et datus est mihi sensus* (φρόνησις), [*Et*] *invocavi* (ἐπεκαλεσάμην), *et venit in me* (vel *mihi advenit* ἦλθέν μοι) *spiritus sapientiae*. Auctor quum versibus praecedentibus nihil aliud ostenderit, nisi sibi non magis quam reliquis hominibus sapientiam a natura esse inditam, suo διὰ τοῦτο (*propter hoc*) completam rationem, cur eam precibus a Deo obtinere studuisset, hic non indicasse dicendus est; plenius accuratiusque eam postea (8,21; 9,5 sqq.) explanabit. Magna deinde cum emphasi duobus illis stichis utpote inter se synonymis atque in textu graeco asyndete iuxta compositis celeritatem describit, qua preces suae a Deo sint exauditae. Bene *Holc.* « ecce, inquit, quam facilis impetratio gratiae : optatur et datur, invocatur et venit; neque mirum, quod cito veniat; nam prope est Dominus invocantibus eum in veritate (*Ps.* 144,18) ». Ad nostrum locum S. Iacobus probabiliter respexit, ubi dicit : « si quis vestrum indiget sapientia, *postulet a Deo... et dabitur ei* « (*Iac.* 1,5); vim tamen dicti salomonici aliquantulum infirmavit, quum rationem cur Deus postulata celeriter concedat inserendam duceret (παρὰ τοῦ διδόντος Θεοῦ πᾶσιν ἁπλῶς καὶ μὴ ἐνειδίζοντος).

Inter modernos nonnulli plenam duorum stichorum synonymiam negant : *Schm.* enim duos quodammodo distinguit gradus, quibus Salomon ad sapientiam pervenerit : *precatus est* et accepit *intelligentiam* (φρόνησιν), qua accepta *ardentius precatus est* et accepit *sapientiam* (πνεῦμα σοφίας). Haud dissimiliter *Gutb.*, ne tautologia exoriatur, nomen φρόνησις intelligentiam i. e. *prudentiam* (cfr ad 6,16), dictionem πνεῦμα σοφίας *donum sapientiae* interpretatur, *Corl.* vero prius nomen sapientiam proprie dictam et alteram dictionem non donum sapientiae sed ipsum S. Spiritum, tertiam SS. Trinitatis personam, tamquam auctorem et datorem sapientiae designare arbitratur. Attamen nec differentiam, quam *Schm.* inter verba εὔχεσθαι (precari) et ἐπικαλεῖσθαι (ardentius precari) statuit, ullo modo admittere licet, quum nullo exemplo probetur, neque ulla est ratio, cur hic duo dona distingui dicamus. Praeprimis enim φρόνησις, quamquam proxime intelligentiam ac prudentiam valet, haud admodum raro idem est, quod σοφία, nec tantum Alexandrinis reddendo hebraico חָכְמָה (*sapientia*) interdum inservit (cfr 3 *Reg.* 3,28; 4,30; 10,4. 6. 8 etc.), sed etiam a nostro interprete non semel latino *sapientia* redditur (3,15; 8,21; 17,7 etc.). Deinde vero duo stichi, etsi φρόνησις hic idem quod σοφία valere conceditur,

non erunt tautologici, sed prior, cuius sensus ob ambiguam vagamque nominis φρόνησις significationem minus est clarus et certus, altero accuratius definitur (ut saepe in parallelismo synonymo), tota autem sententia geminatione eiusdem ideae iisdem fere verbis expressae dilucidior redditur et significantior. Dictione demum πνεῦμα σοφίας per se quidem S. Spiritum, sapientiae datorem, qui se cum hominibus coniungat, intelligi *posse* non negamus; ipsi enim *supra* (ad 1,5) similem dictionem (ἅγιον πνεῦμα παιδείας *sanctus Spiritus disciplinae*) illo sensu interpretandum esse diximus; (cfr etiam *infra* ad. *v.* 22); at quibus rationibus significationem hanc in Vetere Test. rarissimam etiam hoc in loco admittere cogamur non apparet, quia altera explicatio vix non ab omnibus adoptata (*donum sapientiae*) in nostram sententiam optime quadrat. « Mos est Scripturae, inquit vetus auctor, spiritum vocare gratiam S. Spiritus; ex gr. si quis acceperit spiritum sapientiae vel spiritum scientiae, ipsum Spiritus donum vocatur spiritus[1] »; ceterum spiritus vocatur eiusmodi donum, tum quia S. Spiritus illius est auctor et dator, tum quia ipsum animo fit principium, quo ad novi generis actiones impellitur in iisque dirigitur.

Quasi explicationis gratia, ut melius intelligatur, cur tanto cum ardore sapientiam a Deo expetierit, se eam omnibus bonis, quae vulgo maxime appetuntur, longe praetulisse addit (*vv.* 8-10). Primo autem in loco dignitates divitiasque enumerat: 8. *Praeposui* (προέκρινα, Vulg. *Et praeposui*) *illam regnis et sedibus* (potius : *sceptris et thronis* σκήπτρων καὶ θρόνων), *Et divitias nihil esse duxi in comparatione illius* (ἐν συγκρίσει αὐτῆς cfr συγκρίνειν comparare **7,29**; **15,18**). Ex fortunae autem bonis duo nominans, quae reliquis pluris existimantur, eorum vilitatem simul comparationibus exaggerat : 9. *Nec comparavi* (melius : *aequiparavi* ὡμοίωσα) *illi lapidem pretiosum* (ἀτίμητον *inaestimabilem* i. e. qui iusto pretio aestimari nequit); *Quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua* (ψάμμος ὀλίγη i. q. arena vilis), *Et tamquam lutum aestimabitur argentum in conspectu illius*), cfr *Iob* 28,15 sqq.; *Prov.* 3,13. 14; 8,11). Quibus altiora sunt bona corporis; sed ne illa quidem cum sapientia comparari merentur, quin ipsa vita corporis ei postponatur oportet : 10. *Super salutem* (corporis ὑγίειαν sanitatem) *et speciem* (εὐμορφίαν formae pulchritudinem) *dilexi illam, Et proposui pro luce habere illam, Quoniam inexstinguibile est lumen illius.* Paenultimus stichus ab interprete nostro ambigue minusque clare est redditus, ut mirum non sit quod antiquiores, quum primigenium textum ignorarent, genuinum sensum non perceperint. Iuxta eos enim Salomon asserit, se sapientiam tamquam lucem

1. In dictum illud Apostoli *Non quod volo facio* n. 5., ubi sententia allata pluribus exponitur. Inter Opera *S. Chrys. M.* 59, 672; cfr *Suicer.* Thesaur. II. 777.

qua dirigeretur elegisse. Sed id graecae sententiae non respondet. Namque ex graeco (καὶ προειλόμην αὐτὴν ἀντὶ φωτὸς ἔχειν) vertatur oportet : *et praetuli illam* (sc. sapientiam) *luci* (naturali), siquidem verbum προαιρεῖσθαι proprie valet « sibi unam rem prae altera sumere seu eligere » vel « unam alteri praeferre » et interdum, uti hic, etiam a profanis scriptoribus ita construitur, ut per praepositionem ἀντί (*loco, vice*) res postposita indicetur : « elegi illam loco lucis vel prae luce » (cfr *Xenoph.* Cyrop. V. 2,12)[1]. Itaque per gradationem quandam Salomon tantum abesse asserit, ut prosperam corporis valetudinem aut eius pulchritudinem eodem in loco ac sapientiam habeat, ut illi vel ipsam lucem naturalem postposuerit, quamvis haec ad reliqua bona utenda ac fruenda, immo certo modo ad ipsam vitam agendam necessaria sit. Cui explicationi tertius quoque stichus suffragatur, quippe qui abbreviata comparatione luci naturali longe praestare sapientiae lucem probet : ὅτι ἀκοίμητον τὸ ἐκ ταύτης φέγγος, « *quia non dormit lux ex hac* (sapientia) *fusa.* » Adiectivum nimirum ἀκοίμητος (ἀ privat. et κοιμᾶσθαι) proprie eum designat, qui somno non indigens non it cubitum; recte autem *Schleusn.* cum *Bretschn.* monet vocabulo metaphorice sumto notionem efficaciae nunquam intermittentis inesse, quatenus is qui nunquam sopitur sed semper est vigil, semper efficax cogitatur; unde sententiola docet, sapientiam semper sine intermissione lucem suam fundere semperque efficacem manere. Qua comparatione luci naturali, utpote saepe intermittenti et aliquando plane defecturae, iure merito anteponi apparet sapientiae lucem spiritualem, quae ad vitam immortalem nos conducens semper splendore suo fulget et fulgebit atque die noctuque hominem in agendo dirigit (cfr Castro in h. l.). Abbreviatam comparationem illam interpres noster sua adiectivi ἀκοίμητος versione (*inexstinguibilis*) non expressit, universum tamen sententiae sensum bene reddidit.

Omnia igitur externa bona Salomon sapientia longe esse inferiora perspexerat, immo ut hanc impetraret, illis quasi huic essent inimica neque una cum hac possideri possent, cum contemptu quodam renuntiare paratus erat. Verum illis renuntiare non est coactus; magna enim cum sua admiratione expertus est, sapientiam ipsam (id quod eius utilitatem praestantiamque singulariter commendat) illa bona cuncta secum afferre. Hunc nexum inter sententias praecedentes et

1. At quia potest dici ἡ σοφία ἐστί μοι ἀντὶ φωτός (sapientia est mihi lucis loco, mihi lucis vices gerit; cfr 1 *Cor.* 11,15 et Pape lex. ἀντί b), certe nihil obstat quominus dici possit ἔχειν τὴν σοφίαν ἀντὶ φωτός (habere sapientiam lucis loco seu tamquam lucem) et in nostro loco vertamus : *malui* (προειλόμην) *eam habere pro luce,* nempe quam quidquam aliud. (*Nota editoris*).

novam, quae sequitur, particula δέ indicat, quae proinde hoc in loco melius *tamen* quam *autem* redditur. 11. *Venerunt autem* (lege : *tamen*) *mihi omnia bona pariter cum illa, Et innumerabilis honestas* (i. e. *divitiae* πλοῦτος) *per manus illius* (i. q. *per illam*). Ad latinam versionem annotasse iuverit, nomen *honestas,* quod proprie et honorem, quo quis fruitur, et decorem quum externum in agendo tum internum in cogitando et sentiendo denotat, in Vulgata non nisi octies reperiri et duobus locis exceptis (*Eccli.* 37,13 et 1 *Cor.* 12,23) semper graeco πλοῦτος reddendo inservire (hic; *v.* 13; 8,18; *Eccli.* 11,14; 24,23 [17]; 31 [34], 1)[1]; quare etiam latinum nomen *divitiae* ei rectius substituimus, praesertim hoc in loco, in quo innumerabilem i. e. ingentem copiam auri et argenti aliarumque rerum pretiosarum intelligendam esse patet. Dubium enim non est, quin auctor ad 3 *Reg.* 3,11 sqq. (cfr 2 *Par.* 1,12 sqq.) alluserit, ubi Deus Salomoni solam sapientiam petenti respondet : « ecce feci tibi secundum sermones tuos et dedi tibi cor sapiens et intelligens,... sed et haec quae non postulasti, dedi tibi, divitias scilicet et gloriam ut nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. Ad nostrum autem locum Dominus ipse videtur allusisse, quum in sermone montano, gloria Salomonis in memoriam auditoribus revocata, primum regnum Dei eiusque iustitiam (i. e. veram sapientiam) quaeri iuberet et bona temporalia omnia adiectum iri promitteret (*Matth.* 6,29 sqq. cfr *Lap.*). Dictione *omnia bona* (τὰ ἀγαθὰ πάντα) illa comprehendi, quae *vv.* 8-10 enumerantur (dignitates, divitias, corporis sanitatem, lucem s. vitam) quibusque Salomonem, quamdiu sapientiam ducem sequebatur, fruitum esse historia eius testatur, nequaquam vero bona moralia i. e. virtutes designari, uti unus alterve opinatus est, contextus evidentissime docet. Quod autem inter *omnia bona* innumerabiles suas divitias etiam nominatim memorare voluerit, id ex eo apte explicaveris, quod divitiis magis quam reliquis, quibus fruebatur, externis bonis omnes superaverit iisque maiorem

1. *S. Aug.* (c. Adim. Manich. XIX) etiam *Sap.* 7,8 legit : « *honestatem* nihil esse duxi », ubi hodie legitur : « *divitias* nihil esse duxi », atque similiter (de mor. Eccl. I. 16,27) *Sap.* 8,5 : « quod si *honestas* est possessio etc. », ubi hodie : « et si *divitiae* appetuntur etc. »; pariter *S. Ambr.* (de parad. 3, *M.* 14,278) in *Hebr.* 11,26 pro « maiores *divitias* aestimans « habet » maiorem *honestatem* aestimavit ». Porro antiquus interpres verbum πλουτίζειν semel reddit *honestare* (*Eccli.* 11,23 [21]) et semel *honestum facere* (*Sap.* 10,11); εὐπορεῖν quoque quod proprie « opibus augere aliquem » valet, semel vertit *honestare* (*Sap.* 10,10); praeterea πλουσιώτερος semel vertitur *honestior* (*Eccli.* 13,2). Ex *Asconii* (in Verr. II, 1,47) interrogatione « an Cicero *vetuste* bonos pro magnis et *honestos* pro *divitibus* posuerit », concludere licet, in antiqua latinitate vocabulis *honestatis* etc. illam significationem, quam interpres noster supponit, attributam esse, eamque, quum Romae obsolesceret, in Africa, ubi Vetus nostra latina versio exorta est, servatam esse.

quoque famam gloriamque sibi acquisierit, quum eas ad celeberrimum aedificandum templum, ad splendida sacrificia offerenda magnificentiamque cultus divini augendam, ad terram suam multis exstructis civitatibus muniendam aliaque praeclara opera publica sapientissime impenderet (cfr *Pineda* de rebus Salom. II. 4).

Gaudium quoddam verba prae se ferunt, quibus Salomon se una cum sapientia bona externa accepisse refert; quomodo vero fieri potuerit, ut de acceptis illis bonis gauderet, quibus tamquam rebus vilibus nulliusque pretii renuntiare voluerat, explicat *v.* 12 : *Et laetatus sum* (lege : *Laetatus autem sum* εὐφράνθην δέ) *in omnibus* (melius : *de omnibus* sc. bonis externis quae accepi) *quoniam antecedebat me ista sapientia* (ex graeco : *quoniam eorum dux est sapientia*), *Et ignorabam quoniam horum omnium mater* (γενέτις cfr *VV. LL.*) *est.* Universus sententiae sensus clarus est. Bona externa quidem ipsa quoque hominis causa a Deo sunt creata eique eo consilio divinitus conceduntur, ut eum in suo ipsius fine ultimo attingendo iuvent; sed Salomon antequam sapientiae dono esset ornatus, hunc eorum intimum cum sapientia nexum magnumque quod hoc nexu consequuntur pretium ignorabat; sapientiae autem dono potitus experientiaque edoctus cognovit, sapientiam non tantum illa secum afferre, sed etiam praeceptis suis illorum usum ita regere ac moderari, ut hic usus ipse fiat virtutis exercitatio : unde mirum non est quod de illis gavisus sit. Sed singula diligentius inspiciamus. Secundum graecam lectionem prioris stichi sapientia dux dicitur bonorum, de quibus acceptis Salomon laetatus est, secundum latinam vero Salomon de illis laetatus est, quia ipse sapientiam tamquam ducem secutus sit (*antecedebat me sapientia* scil. « tamquam dux gressus meos dirigens » *S. Bonav.*). Iamvero animadvertatur oportet, utroque in textu haberi prosopopoeiam, in latino scil. solam sapientiam, in graeco simul bona externa in personas constitui; verbum ἡγεῖσθαι autem, si cum genetivo personae (uti hic) construitur, non tam valet « antecedere aliquem ad viam ei monstrandam » (sicut *Corl.* cum *Schleusn.* interpretatur : « quoniam quasi dux deducit ad illa bona »), quam potius idem est quod « ducere cum imperio et auctoritate » quemadmodum imperator ducit exercitum suum. Iuxta graecam igitur lectionem Sapientia Salomoni non tantum velut primum donum, quod externa bona sint secuta, sed etiam velut ductrix est concessa, quae istorum bonorum usum, vel si mavis Salomonem iis utentem, regeret ac moderaretur. Utrumque autem latina quoque lectio docet, dummodo ex contextu suppleas : « *antecedebat me sapientia* velut ductrix ac rectrix in usu bonorum, quae cum ea et per eam mihi con-

tigerunt ». De bonis externis, divitiis, honoribus, bona valetudine etc. etiam impii laetantur, quia in iis fruendis supremum ultimumque vitae suae finem esse situm opinantur (cfr ad 2,6 sqq.); Salomon vero de iis lactatur, quia illa sapientiae debet et sapientia duce illis ita uti didicit, ut in vero suo fine ultimo quaerendo iis adiuvaretur et promoveretur. Vim vero verbi ἡγεῖσθαι tam late patere, ut ducem etiam eorum quos ducit auctorem esse connotet (cfr Castro, Lap. Calm.), nullo exemplo probabile redditur. — Alter autem stichus, quo sapientia causa istorum bonorum asseritur, difficultatem quandam creat, quatenus non satis ex eo apparet, quamdiu rex id ignoraverit et quodnam tempus respiciat, quum se id ignorasse dicat. Etenim imperfecto (ἠγνόουν, *ignorabam*) adhibito videtur indicare, suam ignorantiam etiam illo tempore perdurasse, quo bonis illis iam potitus et de eorum recto usu per sapientiam iam edoctus de illis laetari coeperat. Id autem toto contextu considerato dicere non licet; nam Deus ipse, quum Salomoni solam sapientiam petenti se « cor sapiens et intelligens » daturum aliaque bona quae non petierat adiecturum esse promitteret, tam clare bona illa a sapientia velut a sua causa pendere insinuaverat, ut rex id non intelligere non potuerit. Salomon autem etiam sapientiam quam accepit iis dotibus praeditam describit (*vv.* 17-21; cfr 8,5 sqq.), quae eam esse fontem divitiarum, honorum etc. apertissime declarant; fieri igitur non potuit, ut sapientiae dono iam ornatus eam esse *matrem horum bonorum* ignoraret. Quapropter cum plerisque iunioribus et modernis omnino tenendum est, eum de ipso precationis suae tempore annisque eam praecedentibus loqui. Nec obstat forma imperfecti; nam eam Graeci tam in sententiis secundariis a verbo sentiendi et declarandi dependentibus (*v. Blass* Gr. § 57,6), quam in sententiis primariis coordinatis (v. *Phil. Buttmann* Gr. Gramm. § 137, Anm. 1; *Kühner,* Gr. Gramm.[3] § 383,4; *Krüger,* Gr. § 53, 2,8) nonnunquam ibi adhibebant, ubi nos plusquamperfecto utimur, potissimum in verbis statum (Zustand) indicantibus : ergo ἠγνόουν, ubi contextus id postulat, idem est quod *ignoraveram*. Ceterum in toto hoc loco Salomonis menti precatio illa continuo obversatur, qua rebus externis posthabitis et tamquam vilibus despectis et reiectis solam sapientiam a Deo efflagitavit (cfr *vv.* 7-11 et 13); unde mirum videri nequit, quod etiam hoc in sticho intermedio animum suum quodammodo in illud precationis tempus remiserit et consequenter imperfecto usus sit.

Antiquiores Latini difficultatem quandam in hac sententia latere viderunt quidem, sed eius solutionem non invenerunt: « Mirum est, inquit *Rhab. Maur.* (cfr etiam

S. Bonav.), quomodo se dicit ignorasse horum omnium eam esse matrem, quum antea dixit, praeoccupare illam eos, qui ipsam concupiscunt et priorem se illis ostendere, nisi forte in processu ipsius meditationis intelligens se tantum profecisse, ut priorem scientiam posteriori coaequando, quum hanc excellere videret, illam in comparatione istius quasi ignorantiam deputaverit. « Sed de priore scientia cum posteriore comparanda hic non agi manifestum est. — Iuniores plerosque locum eodem fere modo, quo nos, interpretari antea iam dixi (cfr *Ians. Ipr. Smits* etc.; quibus *Carth.* sua paraphrasi iam viam monstravit). Minus tamen recte aliqui iuniores (cfr *Lorin. Lap.* etc.), licet Salomonem de tempore precationis suae loqui teneant, eum iam tunc aliqualem scientiam nexus causalis inter sapientiam et bona externa habuisse arbitrantur, quam deinde experientia post acceptam sapientiam excoluerit et ad perfectionem adduxerit; ubi enim illa « scientia aliqualis » sit indicata, non invenimus. Haud longe a iunioribus illis recedens inter modernos etiam *LR.* opinatur, Salomonem iam antea sapientiam in rebus creatis deprehendisse eaque delectatum esse, quia in opere luceat idea, qua operans dirigitur; sed eo tempore, quo sapientiam a Deo sibi expetiit, veram rerum creatarum causam nondum cognovisse, nimirum divinam sapientiam notionalem, quae in Deo subsistens omnia procreat. Quam sententiam *Corl.* clarius hoc modo proponit : « Probabile est Salomonem non intendisse postulare nisi *sapientiam creatam,* qua posset populum suum regere; Deus autem, quum iustis creatam gratiam *praesens* largiatur, Salomoni petitam gratiam creatam per manus Filii sui, *Sapientiae increatae,* donavit et per eandem omnigenis eum bonis replevit. Unde Salomon multo plus accepit quam petierat : inde mirabunda ignorantia eius. » Sed quid ad huius loci difficultatem solvendam haec sapientiae increatae et creatae distinctio conferat et quo cum iure duplex illa sapientia hoc in loco distinguatur, fateor me non intelligere.

Suae sapientiae origine vere divina demonstrata, fructibusque quos ipse ex illius studio collegit adumbratis, Salomon orationis suae exordium terminat, paucis explicans qua ratione et quo consilio de ea disserere aliosque eam docere velit. Ea de re in praefatiuncula quidem (6,24 sqq.) iam dixit ibique similiter atque hic rationem consiliumque totius orationis suae proposuit; neque tamen ideo novam hanc expositionem cum *Gr.* superfluam ac mere tautologicam superioris repetitionem dicere licet. Namque rationem, qua de sapientia tractaturus sit, hic velut necessariam sequelam ex suae ipsius sapientiae origine derivans se eam non arbitrarie elegisse ostendit; consilium autem, quo ad eam tradendam impellitur, alio plane (atque 6,26) modo definit, ita ut tautologia auctori obiici nequeat. Reapse quod in praecedente sententia significavit, « castissime se sapientiae amplexus desiderasse, ut nihil praeter illam intenderet », id nunc denuo inculcans fundamentum ponit quo totam suam docendi rationem niti velit : 13. *Quam sine fictione didici et sine invidia communico,* vel potius ex graeco : ἀδόλως τε ἔμαθον, ἀφθόνως τε μεταδίδωμι verte : (eam) *tum sine fictione didici, tum sine invidia communico,* (*Et*) *honestatem* (i. e. *divitias* τὸν πλοῦτον) *eius non abscondo.* Primum membrum pronomine relativo

(*quam* scil. sapientiam) sententiae praecedenti subiungens latinus interpres illius vim aliquantum infirmavit, atque praeterea coniunctiones τέ-τέ, quibus duo prioris stichi membra arcte inter se connectuntur, praetermittens, ante tertium autem membrum copulam *et* indebite inserens mutuam trium stichorum relationem obscuravit. Etenim ex tota superiore descriptione luculenter apparet Salomonem animo sincero puraque intentione, ob solius nimirum sapientiae amorem sine ulla ambitione externorum bonorum, quippe quae eam secum afferre plane ignoraverit, sese studio sapientiae dedisse; hanc iam conclusionem utpote manifestissimam, quo maiorem ei vim attribueret, auctor asyndete posuit : (eam) *sine fictione didici.* Arcte tamen eam coniunctione τέ-τέ (*tum-tum*) cum consequente membro connectit, quum hoc non sit nisi prioris conclusionis consectarium practicum. Namque qui sapientiam solam sine ullo externi lucri respectu quaesivit, is impetratam etiam sine ulla invidia cum aliis communicare promptus paratusque erit, quoniam persuasum habet suam non diminui sapientiam, si alios eam docet; contra vero qui eam non tam ob ipsius solius amorem quam propter divitias, honores aliasque eiusmodi res temporales, ad quas aditum aperit, sibi acquirere studuit, is utique in ea cum aliis communicanda haesitabit neque integram docere audebit, quum aliis ista bona invideat timeatque ne sibi detrahantur commoda, quae discipuli consequuntur. Qua de re conferri merentur, quae *S. Thom.* (Comm. in S. Pauli 1 Cor. 4,3) habet : « Invidia et contentio non habent locum nisi in carnalibus hominibus, quia ipsi circa bona corporalia afficiuntur, quae simul a pluribus integre possideri non possunt; et ideo propter hoc quod aliquis aliquod bonum corporale possidet, alius impeditur a plena possessione illius, et ex hoc consequitur invidia et per consequens contentio. At spiritualia bona, quibus spirituales afficiuntur, simul a pluribus possideri possunt, et ideo bonum unius non est alterius impedimentum et propter hoc in talibus nec invidia nec contentio locum habet; unde Sapiens dicit : *sine invidia communico.* » Quia igitur Salomon *sine fictione,* de externis bonis neque curans neque cogitans, sapientiam *didicit,* ideo eam integram *sine invidia,* nihil sibi soli reservans, cum aliis *communicat;* id autem clarius sequenti sticho asyndete addito explanat, quo se *divitias eius* i. e. sapientiae *non abscondere* eodem modo declarat, quo supra (6,24) se *eius mysteria* non celaturum, sed eam totam integramque traditurum esse promisit. *Divitias* quippe sapientiae hic non bona illa externa intelligi, quae innumerabilia se per eius manus accepisse proxime gloriatus est (*v.* 11), sed praeclara mysteria et dogmata, quae sapientiae sunt propria in eaque continen-

tur, per se manifestum est et manifestius sequenti sententia docetur.

Ad rationem enim, qua ad sapientiam integram cum aliis communicandam impellitur, transiens, se unice summam spectare utilitatem spiritualem asserit, quam illa sectatoribus suis afferat : 14. *Infinitus* (potius : *indeficiens* ἀνεκλιπής) *enim thesaurus est hominibus, Quo qui usi sunt* (ὃν οἱ χρησάμενοι; vel *quem qui sibi acquisiverunt* ὃν οἱ κτησάμενοι cfr *VV. LL.*) *participes facti sunt amicitiae Dei* (ex graeco : πρὸς τὸν Θεὸν ἐστείλαντο φιλίαν proprie : *ad Deum* vel *cum Deo sibi conciliarunt amicitiam*), *Propter disciplinae dona* (διὰ τὰς ἐκ παιδείας δωρεὰς accuratius : *propter dona* quae *ex disciplina* promanant) *commendati* (nimirum Deo συσταθέντες cfr 2 *Mach.* 4,24 συσταθεὶς τῷ βασιλεῖ commendatus regi). Iterum nonnulla de versione nostra praemisisse iuverit. Sapientia ab auctore vocatur thesaurus ἀνεκλιπής (i. q. ἀνέκλειπτος *Luc.* 12,33) i. e. *non deficiens, indesinens;* quod epitheton noster interpres latino *infinitus* haud male reddidit, siquidem quod numquam deficit aut desinit, id infinitum certo sensu recte vocatur. Sapientia autem, etiam quatenus est donum divinitus infusum, per se nec deficit nec desinit (quamvis per culpam hominis, qui eam accepit, amitti queat), totoque quo manet tempore hominem ad opera peragenda informat et impellit, quorum merces in aeternum durat; quin etiam ipsa iisdem operibus continuo crescit et augetur, usque dum tandem in gloriae lumen nunquam desinens transeat; unde Dominus quoque nos « thesaurum indeficientem (ἀνέκλειπτον) in coelis nobis parare » iubet *Luc.* 12,33). Quare *Corl.* ex epitheto ἀνεκλιπής, quo sapientiae thesaurus hoc in loco insignitur, immeritissimo colligit hic de increata sapientia agi, utpote quam solam *infinitam* appellare liceat, « quatenus de ea sola omnes rationales creaturae indefinite participare possint ». Neque enim animadvertit, in toto hoc loco sapientiam non considerari velut thesaurum, ex quo quilibet pro suo arbitrio sibi gratias hauriat, sed velut thesaurum, cuius usus illum ipsum, qui eo potitus est, beatissimum reddat, quum eum ad amicitiam divinam adducat eique ius ad vitam aeternam tribuat. Porro dictio στέλλεσθαι φιλίαν nusquam, neque a sacris neque a profanis scriptoribus, nisi in hac sententia adhiberi videtur; quoniam tamen verbum στέλλεσθαί τι aliquoties valet *sibi aliquid parare* (cfr *Polyb.* IX. 24, στέλλεσθαι τὴν πορείαν iter sibi parare), dubium non est, quin eam apte interpretemur *amicitiam sibi parare* vel potius *sibi conciliare*. Haud improbabile mihi videtur, insolitam hanc et satis miram dictionem ab auctore hic esse usurpatam, ut ad dona alluderet, quibus missis (στέλλειν etiam valet *mittere*) inferior superiori se commendare sibique eius gratiam et amicitiam conciliare studet, ita ut hic de amicitia agatur,

quam homo cum Deo contrahit donis oblatis, quibus se ei gratum acceptumque reddit. Eodem fere sensu Vulgata dictionem reddidit : *participes facti sunt amicitiae Dei;* at non tantum allusionem ad dona, quibus amicitia cum Deo quasi praeparetur oportet, non expressit, sed etiam passivo adhibito (participes *facti sunt*) cooperationem, quam ad illam amicitiam sibi parandam ex parte hominis requiri graecus textus genere verbi medio insinuat, prorsus obliteravit. Demum observetur oportet, aoristum (ἐστείλαντο) hic esse gnomicum ac proinde normam universalem enuntiare (cfr ad 5,11 p. 190); pristinis quippe exemplis, quibus homines eousque sapientiae usu amicitiam sibi cum Deo conciliasse apparet, una sententia comprehensis auctor eandem normam etiamnunc valere et semper valituram esse significat; quia autem Latini in sententiis universalibus praesens potius tempus quam perfectum adhibent, aptius vertemus : *quo qui utuntur* (vel si mavis : *quo qui usi fuerint*), *amicitiam cum Deo sibi conciliant.*

Supra (6,26) Salomon commune ac publicum totius generis humani bonum, quod numero cultorum sapientiae crescente ipsum quoque cresceret et augeretur, velut finem sibi propositum esse dixit, quem in sapientia integra docenda ante oculos habiturus esset; hic vero se propria ac privata utilitate, quam eius usus suis sectatoribus singulis afferat, ad eam sine invidia tradendam permotum esse asserit. Tantum vero abest, ut haec duo inter se pugnent unumve alterum excludat, ut amice consonent, unumque altero quasi contineatur. Etenim illa accipere poteris aut velut duas eiusdem consilii partes, quae coniunctae totam cogitationem voluntatemque auctoris exprimant, aut melius velut rationes duas diversas, quibus unus idemque finis consideratur, prout animus ad universi generis humani aut ad singulorum hominum felicitatem applicatur. Summae porro utilitatis singulis esse sapientiam paucis huius sententiae verbis egregie declaratur, quum thesaurus infinitus vocatur, cuius usus homini maximam ad quam contendere potest dignitatem ac beatitudinem, amicitiam nimirum cum Deo, afferat. Praeprimis autem infinitus dicitur thesaurus ob multitudinem excellentiamque mysteriorum praeceptorumque, quae complectitur, quibusque hominis animum erudit et ad finem suum ultimum attingendum instituit. Sed theoretica haec rerum scientia, etsi amplissima sit, parum iuvat; veram quippe utilitatem homo non ex nuda alicuius thesauri possessione trahit, sed ex eius usu, sicut etiam secundum Domini parabolam (*Matth.* 25,14 sqq.) talenta servis tradita iis solis profuerunt, qui pecuniis acceptis debito modo sunt usi, non utenti vere perniciem attulerunt. Usus autem sapientiae in eo est, ut homo ad illius mysteria et praecepta, quae

divinitus edoctus est, vitam suam instituat iisque in tota sua operatione se dirigi permittat. Quodsi fecerit, omnibus suis operibus Deo sese ita commendabit, ut ab eo in amicitiam accipi mereatur; nam eius opera, quum ex disciplina per sapientiam tradita promanent, tamquam totidem virtutum exercitationes dona Deo grata acceptaque erunt.

Ut sententia haec clarius intelligatur, de eius interpretationibus nonnullis a nostra minus magisve dissonis quaedam haud inutiliter addi censemus. Eodem fere, quo nos, modo *Gutb.* eam universam exponere videtur; haud satis tamen apparet, quo sensu nomen *sapientiae* hic sumat, quum in eo inveniat difficultatem, quod sapientia antea velut sequela benevolentiae divinae sit descripta, hoc autem in loco amicitia divina dicatur sequela sapientiae. Quae difficultas profecto nulla est, dummodo sapientia hic intelligatur theoretica seu speculativa cognitio dogmatum praeceptorumque divinorum, ad quae vitam instituat oportet, quicunque finem suum ultimum attingere desiderat. Haec enim cognitio procul dubio benevolentiae divinae debetur, per se sola tamen amicitiam cum Deo nondum constituit, quippe ad quam homo perventurus non sit, nisi aliis gratiis, quae etiam divinae misericordiae et benignitati debentur, adiutus debito modo scientia illa usus fuerit et secundum eam agere saltem inceperit. — Recte *Lap.* cum aliis iunioribus Salomonem hac sententia docere dicit, cur sapientiam sine invidia sit traditurus; in eius autem explicatione errat, quum Salomonem suam ipsius, qui sapientiam sit docturus, utilitatem solam, minime vero auditorum, qui eam sint accepturi, commodum ac lucrum sibi pro fine praestituisse arbitretur. Duas quippe indicari dicit causas, quarum prior dictione *thesaurus indeficiens* contineatur; sapientiam nimirum « thesaurum esse indeficientem instar fontis vel putei perennis, unde quo plus aquae exhauriatur, eo plus affluat, ita ut doctori non sit metuendum, ne sibi doctrina deficiat aut non amplius sufficiat, quia docendo doctrina sua crescat tum ex ipso eius usu tum ex Dei remuneratione ac dono ». Alteram causam ex reliqua sententia hunc in modum desumit : doctores qui sapientiae thesauro utuntur in aliorum bonum docentes vel consulentes etc., propter insignem hanc caritatem cum Deo amicitiam ineunt;... per doctrinam enim et disciplinam ab eis traditam auditorum ignorantia depellitur, errores abiguntur, vitia castigantur, virtutes inseruntur, gratia et salus aeterna procurantur : quae omnia doctores Deo, angelis hominibusque mirifice commendant. » Quam explicationem praeprimis ad contextum parum quadrare evidens est; auctoritatem enim suam doctor non stabilit nec auget, sed minuit ac perdit, qui suam ipsius tantum utilitatem sese in doctrina tradenda spectare ac quaerere profitetur. Praeterea Lap. non attendit, sapientiam non Salomoni vel doctoribus solis, sed hominibus (τοῖς ἀνθρώποις) dici thesaurum indeficientem, neque ullo verbo aut thesauri ipsius incrementum promitti aut amicitiae cum

Deo originem ex caritate erga proximos derivari, aut effectus illos indicari, qui doctorum doctrinae attribuuntur etc., ita ut haec expositio potius in textum illata quam ex textu hausta dici mereatur. — Simili modo, quo *Lap.* aliique iuniores nonnulli, etiam *Corl.* auctorem primis suis verbis significare vult, sibi in divitiis sapientiae manifestandis non esse timendum, ne ipse quidquam ex illis amittat; in reliqua autem explicatione longius quam illi a vero recedere videtur, quia non tantum Sapientiam increatam, uti supra iam monuimus, hic thesaurum indeficientem vocari arbitratus totam sententiam ad illam refert, sed satis mire quoque duo alia membra hac ratione exponit : « qui sapientiae thesauro usi sunt (vel iuxta alteram lectionem : ὃν οἱ κτησάμενοι qui eum possederunt), rerum creatarum amore amandato omnem suam amicitiam in unum Deum, bonum infinitum, contraxerunt, Deo cari facti propter dona seu charismata, quae ex Sapientiae (increatae) ipsis praesentis institutione consecuti sunt ». Qua in paraphrasi id unum nobis probatur, quod *disciplina* (παιδεία) non idem esse sumitur, quod *sapientia* (ut cum *Lap.* multi faciunt) sed institutio esse dicitur, quae a sapientia (utique creata) sui studiosis impertitur (cfr supra ad 1,5; 2,12; 6,18 etc.); contextui minus congruit, quod alii volunt : institutio *de* sapientia.

3. — *Divinam sapientiam, humanae matrem, Salomon summis laudibus praedicat* (7,15-8,1).

Iam ipsam tractationem, argumento et fine eius expositis, a divinae sapientiae descriptione haud sine causa exorditur; quanti enim humana sit existimanda, neque recte intelligi neque apte definiri potest, nisi fontis et capitis, ex quo et primam originem omnemque incrementum trahit, excellentia cognita fuerit et praestantia. Itaque Deum precatus, ut sibi gratiam recte de sapientia sentiendi et digne de ea dicendi largiatur (7,15-21), eius divinam naturam et indolem magnifice describit longa serie praeclara eius attributa recensens omnipraesentemque eius efficaciam exemplis illustrans (7,22-8,1). Duo ergo huius sectionis distinguimus membra, quorum prius quoque non minus clare quam alterum, licet magis indirecte, sublimitatem et eminentiam divinae sapientiae demonstrat.

1.) *Deum precatur, ut de sapientia digne dicere valeat* (7,15-21).

7,15. Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia Et praesumere digna horum quae mihi dantur : Quoniam ipse sapientiae dux est, Et sapientium emendator; 16. In manu enim illius et nos et sermones nostri Et omnis sapientia et operum scientia et disciplina. 17. Ipse enim de-

7,15. Ἐμοὶ δὲ δῴη ὁ Θεὸς εἰπεῖν κατὰ γνώμην Καὶ ἐνθυμηθῆναι ἀξίως τῶν δεδομένων, Ὅτι αὐτὸς καὶ τῆς σοφίας ὁδηγός ἐστι, Καὶ τῶν σοφῶν διορθωτής. 16. Ἐν γὰρ χειρὶ αὐτοῦ καὶ ἡμεῖς καὶ οἱ λόγοι ἡμῶν, Πᾶσά τε φρόνησις καὶ ἐργατειῶν ἐπιστήμη. 17. Αὐτὸς γάρ μοι ἔδωκεν τῶν ὄντων γνῶσιν ἀψευδῆ,

dit mihi horum, quae sunt, scientiam veram : Ut sciam dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum, 18. Initium et consummationem et medietatem temporum, Vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, 19. Anni cursus et stellarum dispositiones, 20. Naturas animalium et iras bestiarum, Vim ventorum, et cogitationes hominum, Differentias virgultorum et virtutes radicum, 21. Et quaecumque sunt absconsa et improvisa, didici : omnium enim artifex docuit me sapientia.

Εἰδέναι σύστασιν κόσμου καὶ ἐνέργειαν στοιχείων, 18. Ἀρχὴν καὶ τέλος καὶ μεσότητα χρόνων, Τροπῶν ἀλλαγὰς καὶ μεταβολάς καιρῶν, 19. Ἐνιαυτῶν κύκλους καὶ ἀστέρων θέσεις, 20. Φύσεις ζώων καὶ θυμοὺς θηρίων, Πνευμάτων βίας, καὶ διαλογισμοὺς ἀνθρώπων, Διαφορὰς φυτῶν καὶ δυνάμεις ῥιζῶν. 21. Ὅσα τέ ἐστι κρυπτὰ καὶ ἐμφανῆ ἔγνων· Ἡ γὰρ πάντων τεχνῖτις ἐδίδαξέν με σοφία[1].

Sapientiae divitias infinitas immensamque utilitatem contemplatus (cfr *v.* 14), mirum non est quod rex sapientissimus sese tam sublimi

1. *VV. LL.* — 15. δῴη (det) omnes codd. graeci, *Vulg. Sixt.* cum antiquissimo Vulgatae cod. *amiat.* aliisque antiquioribus codd. latin., *Syr. Arm.*; parum recte δέδωκεν (*dedit*) duae editiones graecae (*Compl.* et *Ald.*) ex arbitraria ut videtur accommodatione ad iuniorem lectionem latinam, *Vulg. Clem.* cum iunioribus latinis codd. — ἀξίως τῶν δεδομένων (digne his quae data sunt) B et aliquot minusc.; ... διδομένων (... quae dantur) unus alterve minusc., *Vulg. Copt. Aeth.*; Vulg. *digna* (pro : *digne*) *horum* (pro : *his*; cfr. *Kaulen*, Handb. zur Vulg. p. 219) *quae mihi dantur*; ἀξίως τῶν λεγομένων (digne his quae dicuntur) ℵ A et multi minusc., *Syr. Arm. Ar.* Quamvis tertia lectio graeca maiore testium criticorum numero commendetur, editores critici moderni omnes (cfr *Tisch. Swete, Deane*) primam recte praeferunt, quia tertia glossae speciem prae se ferat et contextui minus congruat (cfr *Gutb.* — *Gr.*). — 18. τροπῶν (conversionum) recte plerique editores; erronee autem τρόπων (morum) *Compl. Ald.* et *Mai* in sua codicis vatic. editione. Per errorem quoque *Vulg. Sixt.* pro *commutationes temporum* habet *consummationes temporum* additque *morum mutationes et divisiones temporum*, « quae duo, inquit *Lap.*, verisimile est ex alia versione vel alicuius interpretatione in margine prius adscripta, postea relata in textum ». — 19. ἐνιαυτῶν (annorum) B cum haud paucis minusc., *Syr. Arm. Aeth.*, minus apte ἐνιαυτοῦ (*anni*) ℵ A cum aliis minusc., *Vulg. Ar. Copt.* — θέσεις (*dispositiones*) B cum plerisque, *Vulg. Syr.* etc.; parum recte θέσις (dispositio) ℵ A, nisi forte litera ι locum diphthongi ει iuxta librariorum nonnullorum usum scribendi teneat. — 20. φύσεις (*naturas*) est lectio retinenda, licet teste *Swete* codd. B ℵ A exhibeant φύσις, quod hic procul dubio ob orthographiae quem diximus modum pro φύσεις est positum, quum secus scribi debuisset φύσιν. — Pro θυμοὺς θηρίων in ℵ prima manus erronee habet νόμους καὶ θηρίων. — 21. ἐμφανῆ (manifesta) omnes codd. graeci; attamen *Eus.* (Praep. Evang. XI, 7) habet ἀφανῆ (non conspicua) atque haud improbabile est, vulgatum nostrum interpretem in suo codice hanc lectionem habuisse suoque *improvisa* eam expressisse, licet *improvisus* proprie graeco ἀπροσδόκητος respondeat (cfr 2 *Mach.* 8,6). *Reusch* interpretem potius *in provisu*, quod idem fere valeat ac *in prospectu* seu *in manifesto*, scripsisse coniicit; quae coniectura probabilitate sua nequaquam caret, quamvis *S. Ambr.* (de Abrah. II. 7) nostram lectionem (*improvisa*) iam exhibeat. Ceterum a nostro interprete *supra* 6,24 dictio εἰς τὸ ἐμφανές vertitur *in lucem* et *infra* 14,17 εἰκὼν ἐμφανής ei est *imago evidens*.

argumento tractando imparem senserit. De eo igitur dicturus iure merito a divino auxilio implorando initium capit (*v.* 15), petitionemque hanc necessariam esse quia sapientes in omnibus plane ex Deo pendeant (*v.* 16), neque suo effectu esse carituram ostendit, quia sapientiam ipsam, uti variis scientiis quas a Deo iam acceperit enumeratis probat, iam impetraverit (*vv.* 17-21); qui maiora enim dona iam dedit, minora non negabit.

Totam hanc pericopen alterum esse tractatus exordium haud recte arbitratur *Gr.* Neque enim attendit precationem istam, sua brevitate non obstante, eminentiae sapientiae, quippe de qua ipsi sapientes non nisi a Deo adiuti digne loqui possint, illustrandae mirifice inservire, atque similiter humanarum scientiarum, quibus Salomon se per ipsam divinam sapientiam instructum esse declarat, recensionem ad clariorem perfectioremque divinae sapientiae notionem formandam haud parum conferre. Pericope igitur nostra non est novum totius tractatus exordium, sed prima eius pars, qua legentium animi ad magnificam quae immediate sequitur divinae sapientiae descriptionem cum fide accipiendam praeparantur ac disponuntur.

Ad ipsum igitur tractatum transiens (per δέ metabaticum), iuxta graecam lectionem, quam solam hic admitti testes critici permittunt (cfr *VV. LL.*), Salomon precatur : 15. *Mihi autem det Deus dicere ex sententia* (κατὰ γνώμην) *Et praesumere digna horum quae mihi dantur* (graecus textus accuratius redditur : *et sentire* (ἐνθυμηθῆναι) *digne his quae* [mihi] *sunt data*); *Quoniam ipse* (ex graeco supple : *et* καὶ) *dux* (ὁδηγός) *est sapientiae Et sapientium emendator* (rectius : *moderator* διορθωτής). Pronomen *mihi* (ἐμοί) emphatice in principio sententiae posuit ad alios quosdam ut videtur respiciens, qui naturalibus suis viribus freti (uti Orientales et Aegyptii, quorum sapientia tempore salomonico celebrabatur [cfr 3 *Reg.* 4,30] aut alexandrini philosophi tempore ptolemaico), de divina sapientia disserere audebant, sed illius non nisi distortam depravatamque imaginem depingere poterant. Ne ipse vero, ut illi, suos auditores aut falsis erroneisque doctrinis aut veris quidem sed perverso modo expressis in errorem ducat, duo illa sibi a Deo expetit, quae magistro et oratori de omni argumento disserenti sunt necessaria. Bene *Nann.* : « complectitur, inquit, ea quibus summa eloquentia perficitur; primum enim est, imaginem orationis concipere, deinde eam proferre posse, ut cogitatis pondus verborum respondeat, quod quidem immensae est difficultatis : facile quippe magna concipimus et animo meditamur, sed in eloquendo deficimus, quia parem cogitationi maiestatem

dictionis invenire longe est difficillimum. » Quae igitur Dominus Apostolis suis, quoties ante iudices constituerentur, concessum iri promissurus erat, ut *quid* et *quomodo* loquerentur scirent (*Matth.* 10,19), ea Salomon sibi dari Deum rogat, ordine tamen inverso. Primum enim petit, ut sibi detur *dicere* (utique de sapientia) *ex sententia* (κατὰ γνώμην) i. e. aut ut de sapientia secundum mentem suam loqui et animi sententiam exprimere valeat, « illa scilicet quae sapienter mente concepit, sapienter etiam ore eloquens non tantum quoad rem sed etiam quoad methodum et modum, quo illa animo et cogitatione concepit » (*Lap.* cfr *Nann. Gutb.* etc.), aut melius ut de ea dicat secundum votum ac desiderium suum, verbis nimirum sententiisque tam apte electis et tam graviter prolatis, ut in auditorum animis veram sapientiae notionem magnamque eius aestimationem procreent. Secundo autem petit, ut sibi detur de sapientia *digne donis iam acceptis sentire* i. e. illos de ea sensus fovere, qui ad sapientiae donum quo iam est ornatus sint accommodati sapientemque deceant; fieri enim potest, ut etiam homo sapiens, si pro humana sua fragilitate in viribus suis naturalibus nimiam ponat fiduciam, dono sapientiae, licet illud divinitus acceperit, non recte utatur pravaque et falsa de ea sentiat. Parum recte nonnulli cum *Hug. Car.* « sentire digne de dono accepto « fere idem valere volunt quod « debitas de dono gratias referre »; nam de gratiis agendis hic non agi contextus satis docet. Ad explicationem autem a nostra haud multo diversam pervenies, si alteram lectionem graecam maiore testium criticorum auctoritate munitam (ἐνθυμηθῆναι ἀξίως τῶν λεγομένων *sentire digne iis quae dicuntur*) praetuleris dictioneque τὰ λεγόμενα illa, quae in sequentibus de sapientia dicentur, significari admittas : « Deus mihi det, ut cogitationes meae respondeant dignitati argumenti, de quo locuturus sum, neve permittat, ut de sapientia dicens quidquam sentiam et cogitem, quod illius puritate et sanctitate non sit dignum « (cfr *Gr.*). Duplicem porro hanc gratiam se iustissime a Deo petere et exspectare duobus titulis divinis confirmat, qui chiastice duabus petitionibus respondent atque etiam chiastice sequentibus sententiis (16-21) accuratius exponuntur. Praeprimis enim Deum invocat tamquam *ducem sapientiae* (ὁδηγὸν τῆς σοφίας) quod nonnulli haud satis apte interpretantur : « dux (hominum) ad sapientiam », quasi Deus hominibus viam sapientiae (i. e. viam ad sapientiam cfr ὁδὸς ἐθνῶν i. q. via ad gentes ap. *Matth.* 10,5) monstrare dicatur, quum potius sapientiae monstret, qua via sese hominibus manifestare debeat. Ceterum haec differentia solam grammaticam dictionis explicationem spectat; iuxta utramque enim rationem Deus est auctor *doni* sapientiae hominibus

concessi, atque iure auctor Deum rogat, ut sibi digne de sapientia cogitare ac sentire detur. Uti autem sapientiae dux, ita *sapientium* i. e. hominum sapientiae dono instructorum *moderator* vel director (διορθωτής) est, qui eos nimirum dirigit ac moderatur, ut in sapientia docenda rectam viam methodumque tenentes finem suum attingant i. e. auditores suos vera sapientiae notione et aestimatione imbuant.

Latinam lectionem etiam ideo reprobandam esse, quia Salomon, si a sua eloquentia et scientia asserenda orationem exorsus esset, in iactantiae et arrogantiae suspicionem incidisset, haud recte dicitur. Nam potuit haec commemorare non ex fastu sed ex grato animo, omnia in Deum tamquam sapientiae omnisque boni fontem referens (*Lap.*). Ideo plerique interpretes ut antiquiores ita iuniores (*Nann. Castro, Lap. Smits, Schm. — Luth. Cast. Arn. Nacht.*) sine scrupulo latinam lectionem interpretati sunt.

Duos titulos, quibus se duplicem gratiam de sapientia divina recte dicendi ac sentiendi a Deo iuste expetiisse confirmavit, Salomon duabus nunc sententiis parallelis explicat, quas iterum per chiasmi figuram ita disponit, ut prior (*v.* 16) ad alterum titulum, altera (*vv.* 17-21) ad priorem referatur. Priore scilicet in loco quantopere sapientes, ut de sapientia *ex voto* seu *ex sententia dicere* valeant, gubernatione ac moderatione divina indigeant ostendit : 16. *In manu enim illius* (scil. *sumus*) *et nos et sermones nostri, Et omnis sapientia* (melius : *prudentia* φρόνησις) *et operum scientia et disciplina* (melius secundo nomine misso : *et operationum scientia* vel *peritia* καὶ ἐργατειῶν ἐπιστήμη). Particula γάρ hic est explicativa, quia auctor non sententiam, Deum moderatorem sapientium esse, probare, sed ipsius moderationis extensionem exponere vult. Sunt quidem, qui hac sententia universale Dei dominium in omnes homines asseri putent, ut ex eo Deum et sapientiae auctorem largitoremque et sapientium rectorem esse demonstretur (cfr *Schm. Gutb.* etc. — *Gr.* etc.); sed eiusmodi demonstrationem hoc in loco, postquam immediate antea de sapientiae hominum origine tam ubertim tractatum est, plane superfluam esse non satis considerarunt; praeterea ne unum quidem verbum in tota hac sententia reperitur, quod ad priorem titulum (τῆς σοφίας ὁδηγός) apte referri queat; aptissime vero omnia alterum titulum (τῶν σοφῶν διορθωτής) explicant. Quemadmodum enim S. Paulus coram Atheniensibus omnes « nos in Deo vivere et moveri et esse » declaravit (*Act.* 17,18; cfr *Knabenb.* Comment. in l. c.), ita Salomon se et reliquos sapientes (quos pronomine *nos* sibi procul dubio adiungit) cum omnibus quibus ornati sint donis *in manu Dei* i. e. secundum *Clem. Alex.* (*Strom.* VI,11) interpretationem « in illius potestate et sapien-

tia » (ἐν τῇ δυνάμει καὶ σοφίᾳ αὐτοῦ) i. e. in eius sapientissima potestate esse seu ab eo tamquam potentissimo ac sapientissimo rectore pendere monet. Per partes autem huius divini dominii extensionem definit, idque ita ut proximum de quo tractat argumentum (suam scilicet petitionem, ut de sapientia ex voto dicere queat) semper ante oculos habeat : *et nos* i. e. ipsae sapientium, si ita dicere licet, personae, quatenus eorum quoque vita et vires quum animi tum corporis omnes, uti a Deo sunt datae, ita ab eo conserventur ac regantur oportet; *et sermones nostri* quatenus quaecunque sapientes mente concipiunt et ore proferunt (nomen λόγοι enim non minus ea quae cogitantur quam ea, quae cogitata pronuntiantur, comprehendit), omnia non nisi Deo cooperante et regente recte concipi et enuntiari possunt; *omnis prudentia* quatenus ad finem, quem sibi in disserendo proposuerint, non sunt perventuri, nisi Deo dirigente eam eligant argumentandi dicendique rationem, quae ad auditorum animis persuadendum eosque movendos est accommodata; *et operationum scientia* vel *peritia* quatenus non nisi Deo eos docente cum certitudine definient, quid et quomodo pro temporum ac rerum diversitate in praesentia agere ac dicere conveniat vel expediat. Sapiens igitur, si auditorum suorum animos genuina notione et debita aestimatione divinae sapientiae imbuere vult, sese in omnibus suis dictis et cogitatis et propositis a Deo, sine cuius auxilio nihil potest, omni ex parte pendere semper persuasum habebit semperque, ut ex voto dicere queat, precibus a Deo impetrare studebit. Quem in sensum egregie *S. Aug.* (de doctr. christ. IV. 15,32) ad nostram sententiam respiciens : « Quum de unaquaque re, quae secundum fidem et dilectionem tractanda est, multi sint quae dicantur, et multi modi quibus dicantur ab eis qui haec sciunt, quis novit quid ad praesens tempus vel nobis dicere vel per vos expediat audiri, nisi qui corda omnium videt? et quis facit, ut quod oportet et quemadmodum oportet dicatur a nobis, nisi in cuius manu sunt et nos et sermones nostri? » unde etiam eodem in loco S. Doctor sacrum oratorem iubet, « priusquam exserat proferentem linguam, ad Deum levare animam sitientem et ructare quod biberit vel fundere quod impleverit »... « oret ut Deus sermonem bonum det in os eius ».

Quia *sapientia* stricto sensu dicta hic nomine φρόνησις intelligi non potest, merito fere omnes, Vulgatae versione sepositа, aut *prudentiam* (ut Vulg. interpres *infra* 8,7; *Eccl.* 1,4; 19,19) aut *intelligentiam* significari iure tenent. Priorem versionem nos praetulimus eamque virtutem designari diximus, qua praelucente homo viam, quae ad finem ducit sibi praestitutum, cognoscit et eligit (cfr ad 6,15); duas autem dictiones, quae particulis τέ... καὶ arctius inter se connectuntur (πᾶσά τε φρόνησις καὶ

ἐργατειῶν ἐπιστήμη *omnis prudentia et operationum* seu rerum gerendarum *scientia*) ita distinguendas censemus, ut sapiens orator vi prudentiae orationem suam ad auditorum ingenia intelligentiamque accommodet, atque vi scientiae rerum gerendarum ad diversas temporum rerumque conditiones in dicendo diligenter attendat. Alii tamen φρόνησιν *intelligentiam* vertere atque speculativam scientiam in oratore requisitam, quodammodo in oppositione ad practicam quae altero membro (*operationum scientia*) exprimatur, designatam vident (cfr *Schm. Gutb.* — *Gr. Deane*); quae explicatio minus nobis probatur, non tantum quia scientia ista speculativa iam praecedente locutione (οἱ λόγοι ἡμῶν) continetur, sed etiam quia non videmus, unde nomen *intelligentiae* tam vagum et incertum definitam illam significationem hic hauriat. Iuniores nonnulli ultimam dictionem (ἐργατειῶν ἐπιστήμη) explicant « artium mechanicarum et agriculturae peritiam » (*Lor. Lap.* etc. — *Pellic.* etc.); sed hanc explicationem ad contextum non quadrare evidens est. Alii demum eandem cum *Vulg.* vertunt *operum scientiam* et de illis Dei operibus agi arbitrantur, quae *vv.* 17 sqq. recensentur (*Corl. Heydenr.*); attamen nomen ἐργατεία, quod attico ἐργασία respondet, proxime *operationem* significat atque rarissime tantum idem valet quod ἔργον, neque ulla indicari potest ratio, cur auctor pro dictione in Scripturis usitatissima (ἔργα Θεοῦ) novam hanc et insolitam cudere voluerit, ut taceamus, eum si de Dei operibus loqui voluisset id genetivo αὐτοῦ addito declarare debuisse.

Priorem titulum (*sapientiae dux*) sequente in sententia, quam priori parallelam esse diximus, Salomon suo ipsius exemplo non tam probat quam illustrat variis recensitis disciplinis, quibus divinitus per sapientiam eruditus est; quas enim in sententiae principio *Deum* sibi dedisse asserit (*v.* 17. αὐτός μοι ἔδωκεν), eas *sapientiam* se docuisse in eius fine declarat (*v.* 21. ἐδίδαξέ με σοφία), ita ut scientiae suae auctorem primarium Deum, secundarium sapientiam fuisse atque Deum revera ducem sapientiae se exhibuisse ostendat, quum eam ad se mitteret (ei viam ad se monstraret). Disciplinae autem, quas velut coelitus sibi datas enumerat, paene omnes circa rerum visibilium naturam viresque versantur, id quod admirationis aliquid habet, quandoquidem dubitari nequit, quin etiam altioribus theologiae, philosophiae etc. disciplinis a Deo imbutus fuerit (cfr ad 8,8). Verum haud inepte conieceris eum priores, quibus per totum Orientem gloriam famamque sibi iam acquisiverat (cfr 3 *Reg.* 4,33 sq.), hoc in loco solas commemorasse, quia eas utpote popularem ad sensum magis accommodatas etiam ad audientium attentionem fidemque conciliandam magis duxit idoneas. Ab universali autem sententia exorditur, qua reliqua membra quae enumeraturus est comprehendit, eamque particula explicativa γάρ (*enim*), uti praecedentem, introducit : 17. *Ipse enim dedit mihi horum quae sunt scientiam veram* (ἀψευδῆ ab errore vacuam), *Ut sciam* (melius : *ut scirem*) *dispositionem orbis terrarum et virtutes* (cum *S. Ambr.* multisque latinis codd. accuratius : *virtutem*) *elementorum.* Antiquiores iunioresque interpretes multum

laborarunt, ut quae dictionis τῶν ὄντων (*eorum quae sunt*) hic esset potestas definirent; perversam autem inierunt viam, quum prius apud semetipsos quasi a priore, quanta fuisset Salomonis scientia, statuerent ac deinde ad hanc suam opinionem, quid dictione illa significaretur, determinarent. Unde alii omnia entia naturalia, quae aut re sunt aut saltem esse possunt (*S. Bonav.*), alii sola quae actu sunt (*Ians.*), alii eadem sed quoad species solas, non vero quoad individua (*Lap.*), alii praeter omnia naturalia etiam supernaturalia (*Canus*), alii alia intelligenda esse sibi persuaserunt. Neque enim animadverterunt, auctorem ipsum dictionem istam quodammodo arctioribus limitibus circumscribere, quum se *scientiam eorum quae sunt* divinitus ideo accepisse asserit, *ut sciret quae esset dispositio mundi*; τὰ ὄντα igitur ei hic sunt res illae, quarum scientiam se accepisse sequentibus membris testatur. Scientiam acceptam porro iure dicit *errore vacuam*, quia eam a Deo sibi esse datam scit, qui neque errare neque quemquam in errorem inducere potest. Utrum autem scientiam divinitus infusam acceperit, an suis ipse ingenii facultatibus eam cum speciali Dei auxilio sibi acquisierit, non liquet (cfr *Corl.*)[1]; sicut etiam ignoramus quousque se extenderit, et num eam, quam puram accepit, etiam puram conservaverit, puramque alios docuerit; libri enim, quos eum de rebus naturalibus exarasse ex 3.*Reg.* rite colligitur, ad nos non pervenerunt.

Primo igitur in loco cognitionem recenset *dispositionis mundi et virtutis elementorum* (σύστασιν κόσμου καὶ ἐνέργειαν στοιχείων). Quibus verbis nonnulli quidem non tam singularis cuiusdam disciplinae argumentum designari, quam generali quasi appellatione quadam omnia disciplinarum, quae mox enumerabuntur, argumenta comprehendi putant; ipsa tamen sequentis enumerationis ratione, qua primum hoc membrum eodem plane in ordine eademque in serie, qua reliqua, ponitur, huic explicationi assentiri prohibemur. Etenim pulcherrimum ordinem, quo universae et singulae res visibiles aptissime inter se et convenientissime ita sunt dispositae et temperatae, ut κόσμον

1. *S. Thom.* (de verit. q. 12, a. 12) in perfecta cognitione duo distinguens, apprehensionem seu acceptionem rei et iudicium de re accepta, Salomonis non quidem apprehensionem rerum, quippe quae ab eo uti ab aliis apprehendi potuerint, sed solum iudicium supernaturale fuisse coniicit. Etenim « quum omnis cognitio perfecta, inquit, duo habeat, scilicet acceptionem et iudicium de acceptis, iudicium hoc de acceptis in prophetia [i. e. omni in cognitione supranaturali, non in futurorum tantum cognitione] est solum secundum intellectum, acceptio vero est et secundum intellectum et secundum imaginationem. Quandoque igitur in prophetia non est aliqua supernaturalis acceptio, sed iudicium tantum supernaturale, et sic solus intellectus illustratur sine aliqua imaginaria visione (sc. supernaturali) : et talis forte fuit inspiratio Salomonis, in quantum de moribus hominum et naturis rerum, quae naturaliter accipimus, divino instinctu ceteris certius iudicavit ».

(i. q. ornamentum) seu *mundum* (« a perfecta et absoluta eius elegantia » ita appellatum, cfr *Plin.* Hist. nat. II. 3) constituant, graeci philosophi inde a Platonis tempore σύστασιν κόσμου (dispositionem vel potius *temperationem mundi*) appellarunt; στοιχεῖα autem eis erant materiales mundi causae seu prima elementa, quibus omnes res constitui ducebant quaeque quatuor numero esse (ignem, aquam, aërem, terram) etiam inde a Platonis aetate opinabantur. Atqui has graecorum philosophorum locutiones alexandrinus libri nostri auctor ad Salomonis regis sapientissimi cosmologicam scientiam a Deo acceptam describendam rectissime elegit; ad rem enim sunt accommodatissimae neque quidquam in se continent erroris. Rationalistae autem aliique acatholici, si ex nudo nomine στοιχείων adhibito concludunt, libri nostri auctorem doctrinam de quatuor illis platonicis mundi elementis hic proponere, eodem cum iure vel rectius eadem cum iniuria etiam SS. Paulum et Petrum huius erroris incusare possunt (cfr *Gal.* 4,3 : τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου *Col.* 2,8. 20 ; 2 *Petr.* 3,10. 12); quod quam temere et inepte fiat, explicatione non indiget. *S. Ambr.* (de Salom. 1) haec verba hunc in modum exornando amplificavit ex sequentibus nonnulla ut videtur inserens : « noverat mundanae dispositionis introitum; qualiter esset hoc coelum omne quod cernimus ardua sublimitate suspensum; quemadmodum fieret aëris istius circumiectus et fusus aequo moderamine libratus in medio; quibus modis pigro ad imum delapsa pondere terra subsisteret; qua ratione intra certas litorum metas liquidi elementi impatiens fluctus lapsus exaestuet, etc. ».

A cosmologia et physica venit ad astronomiam, de qua tribus stichis agere videtur eandem constructionem continuans : 18. (ut scirem) *Initium et consummationem* (τέλος) *et medietatem temporum* (χρόνων), *Vicissitudinum permutationes* (τροπῶν ἀλλαγάς) *et commutationes temporum* (καιρῶν), 19. *Anni cursus* (lege *annorum cursus* ἐνιαυτῶν κύκλους cfr *VV. LL.*) *et stellarum dispositiones* (seu *situs* θέσεις). Quid primo sticho significetur, in controversia est. Multos interpretes a vero aberrasse censemus quia ad contextum non satis attendentes tribus nostris vocabulis (*initium, consummationem, medietatem temporum*) completam aliquam scientiam a Salomone describi perperam sibi persuaserunt (tria anni tempora, sc. autumnum, hiemem cum vere, aestatem : *Grot.*; Graecorum partitionem mensis in tres decades, sc. ἱσταμένου, μεσοῦντος, φθίνοντος μηνός : *Baurm.* : quae scientiae commemoratione digna non erant; — rerum in mundo inde a creatione usque ad finem mundi gestarum ac gerendarum seriem historicam : *Heydenr.*; « quomodo tempus per creationem inceperit, per saccu-

lorum seriem procedat ac tandem desinere debeat » : *Corl.*; « quae in tempore *naturaliter* accidunt, scil. quomodo quisque dies, mensis, annus, saeculum incipiat, progrediatur et desinat » : *Lap.*). Verum hoc membrum cum proxime sequentibus arcte connectatur oportet, quum non sit nisi ordinis temporum poetica circumlocutio (cfr *Gutb.* — *Gr. Deane*) atque subsequentibus accuratius exponatur; illa enim docent, quibus modis initium et medium et finis temporum definiatur.

Atque primo in loco ponuntur τροπῶν (ἡλίου) ἀλλαγαί, i. e. *conversionum* (solis) *mutationes* vel uti *Valabl.* egregie vertit : *solstitiorum vicissitudines,* quibus annus secundum duas quibus constat partes circumscribitur. Nostrae *Vulg.* versionem (*vicissitudinum permutationes*) parum aptam esse non est quod moneamus; nomine τροπῶν enim Graeci sicut omnes siderum conversiones (cfr etiam *Iob* 38,33 τροπαὶ οὐρανοῦ conversiones coeli), ita persaepe, genetivo ἡλίου aut addito aut omisso (*Hom.* Od. 15,404; *Hesiod.* Op. 481 al. *Thuc.* 7,16; *Herod. Plat. Polyb.*), *solstitia* designare solent, quippe in quibus sol cursum suum quasi mutet et convertat; haec autem explicatio ad contextum tam egregie est accommodata, ut a plerisque iunioribus ac modernis sit adoptata (cfr *Vat. Lorin. Clar. Castro, Lap. Calm. Gutb. Schm. Les.* etc. — *Strig. Grot. Baurm. Gr. Deane* etc.). Apposite autem *Gutb.* notat non nudam solstitiorum cognitionem hic esse intelligendam, sed veram eorum scientiam, ita ut Salomon etiam eorum rationem, causas, effectus, etc. cognovisse dicendus sit. Solstitiorum vicissitudinibus apte adiunguntur μεταβολαὶ καιρῶν i. e. *commutationes temporum* scilicet definitorum anni, per quas, ut *Lap.* bene monet, « intellige ceteras temporum vicissitudines, quales sunt dierum ac noctium, aestatis et hiemis, veris et auctumni (quas pariter *Cic.* Tusc. I. vocat commutationes temporum quadripartitas ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas), item mensium successiones, lunationes lunaeque incrementa et decrementa » (cfr *Schm. Les.* — *Gr. Deane*). Nimis arcte vero *Corl. Gutb.* etc. solas quatuor temporum anni mutationes (les variations des saisons) designari volunt neque quidquam obstat, quominus Salomon omnium illarum anni partitionum, quae in cultu religioso ordinando summi erant momenti, scientiam proprie dictam sibi attribuisse dicatur. Tertio in loco sequuntur ἐνιαυτῶν κύκλοι i. e. *annorum cursus* vel forte melius *annorum cycli;* namque annorum illae periodi significari videntur, quae cognosci debebant, ut concordia annorum lunarium et solarium servaretur vel potius mense statis annis intercalato restitueretur. Itaque tribus his membris praecedens (*v.* 18[a]) definitur atque

chronologiae astronomicae scientia aliqua saltem ex parte adumbratur; recte autem iis ultimo in loco ἄστρων θέσεις, i. e. *siderum dispositiones* vel situs adduntur, quippe quibus cognitis etiam tempora definiri queunt. Ad totum autem hunc locum illustrandum *Gr.* pulchra haec *Ciceronis* (de nat. deor. II. 61) verba apte affert : « Hominum ratio non in coelum usque penetravit? Soli enim ex animantibus nos astrorum ortus, obitus cursusque cognovimus; ab hominum genere finitus est dies, mensis annusque; defectiones solis et lunae cognitae praedictaeque in omne posterum tempus quae, quantae, quando futurae sint ».

Tria satis diversa tristichum proximum recenset : 20. *Naturas animalium et iras bestiarum, Vim ventorum* (βίας πνευμάτων) *et cogitationes* (διαλογισμούς) *hominum, Differentias virgultorum et virtutes radicum*. Si primum et tertium stichos solos haberemus, a cosmologia (physicis) et astronomia ad naturalem historiam transiri recte diceremus; dubium enim non est, quin duobus illis scientia zoologica et botanica Salomonis significetur, qua eum excelluisse etiam auctor librorum Regum testatur (cfr 3 *Reg.* 4,33). Dictione enim *naturae animalium* (ζώων) « naturales singulorum animalium differentiae, proprietates, qualitates, indoles, instinctus eorumque ad hominum usus opportunitates » (*Lap.*) comprehendi recte dicuntur. Ferocium tamen bestiarum (θηρίων), quae in montibus silvisque degentes ob virium suarum magnitudinem saevumque, quo omnes aggrediuntur, furorem hominibus timori sunt ac terrori, saevitia (θυμούς, cfr 16,5 11,18) probabiliter ideo seorsim commemoratur, quia earum cognitio difficilior est magisque scientiae suae amplitudinem ostendit; minus recte *Vatab.* vertit *bestiarum affectus* putatque Salomonem sibi hic artem bestiarum domandarum et mansuefaciendarum attribuisse. Uti completa quaedam animalium scientia primo membro, ita tertio perfecta plantarum cognitio designatur; qui enim *differentias plantarum* cognovit, etiam singularum naturas cognitas habeat necesse est, idque clarius altero stichi membro significatur, quo Sapiens *virtutes radicum* (δυνάμεις ῥιζῶν) se didicisse asserit. Dictione enim hac procul dubio singularem quandam plantarum, uti antea animalium, classem distinguit, eas nimirum quae salubritate sua medica hominibus utiles sunt atque eas quoque quae veneno suo illis sunt periculosae.

Difficultatem autem secundus stichus creat, quo cur duae scientiae vicinae animalium et plantarum separentur haud satis intelligitur. Iuxta *Vulg.* nostram, quam antiquiores quoque acath. (*Luth. Pellic. Osiand. Strig.* etc.) secuti sunt, primo illius membro (πνευμάτων βίας) de ventorum

vi agitur, sed haec explicatio membro parallelo (διαλογισμοὺς ἀνθρώπων *cogitationes hominum*) tantum abest, ut conveniat, ut eo plane excludatur; cui accedit, quod graecus textus non singularem (uti 4,4 βία ἀνέμων) sed pluralem (βίαι) exhibet. Quare moderni fere omnes interpretari malunt *spirituum vires* (cfr *Schm. Guth. Corl. Loch Les.* etc. — *Gr. Siegfr. Deane* etc.). Quaeritur autem, quinam spiritus sint intelligendi. Rabbini multa de potestate fabulantur, qua Salomon in daemonia seu spiritus malos praeditus fuerit (cfr *Eisenmenger* Entdecktes Judenth. II, p. 440 sqq.), iisque *Fl. Ioseph.* iam praeivit, qui (Antiqu. VIII. 2) Salomonem a Deo « ad hominum utilitatem sanationemque accepisse refert artem dominandi in daemonia et composuisse incantationes quibus morbi sedarentur, et exorcismorum carmina, quibus ligati daemones abigerentur, ita ut non revertentur ». Hinc nonnulli solos spiritus immundos violentosque eorum impetus cum *Lap.* intelligunt, recentiores vero multi cunctos spiritus, et bonos et malos, immo omnes creaturas ratione praeditas ita ut homines quoque comprehendantur, designari volunt; scilicet sicut in primo et tertio stichis ex toto animalium et plantarum genere secundum membrum unam certam classem (ferarum et medicinalium plantarum) commemorat, ita etiam in secundi stichi altera membro unam debere nominari spirituum classem sibi persuadent (cfr *Gr.*). At nusquam nudum πνευμάτων nomen tam late patet, ut homines complectatur. Quapropter nihil quidem impedit, quominus Salomon vires angelorum quoque, uti daemonum, cognovisse dicatur; rectius tamen toto contextu considerato auctorem violentiam potissimum, qua daemones in homines saeviunt, denotare dicemus; id enim vox βίαι suadet, quae plerumque i. q. *violentia* valet, et nexus cum praecedente membro confirmat. Nam facilis a ferarum saevitia ad furorem rabiemque daemonum est transitus; immo coniicere licet, idearum inter se tam propinquarum (*saevitiae ferarum* et *furoris daemonum*) consociatione auctorem ad prius nostrum membrum addendum quodammodo esse abreptum, alterum autem (*et cogitationes hominum*) ad stichum complendum adiecisse. Nomen videlicet διαλογισμοῦ (quod a verbo διαλογίζεσθαι derivatum proxime computationem seu rationum collationem significat) inde a Platonis aetate i. q. cogitatio hominis secum ratiocinantis seu perpendentis valere coepit, quo sensu ab Alexandrinis et Novi Test. scriptoribus semper adhibetur. Animadvertatur tamen oportet, illud non tantummodo in Novo Test. fere semper (etiam ubi adiectivo non definitur), sinistro sensu de perversis cogitationibus sumi (uti *Luc.* 5,22; 6,8; 9,46, 47, etc.), sed etiam in Vetere Test. graeco haud raro hominum cogitationes vanas et adversus Deum rebelles significare (uti *Ps.* 55,6; 93,11; 138,20; 145,4, etc. Cfr de hoc usu *Cremer* Bibl. theol. Wörterb. d. neutest. Gräcität Ed. 4, p. 543); concinnior autem stichus noster erit, si sinistram hanc vim nomini hoc in loco attribuerimus, ut Salomon violentias daemonum et rebelles cogitationes hominum cognovisse dicatur. Quidquid vero de hac opinione statuitur, de earum tantum hominis cogitationum cognitione hic agi certum est, quae aliquo saltem

signo vel affectu extrinsecus sunt manifestatae. « Nemo enim, inquit *S. Paulus* (1 *Cor.* 2,11) hominum (neque spirituum sive bonorum sive malorum) scit ea quae hominis sunt nisi spiritus hominis, qui in ipso est » (cfr *S. Thom.* i. h. l. et Summ. Theol. I, qu. 37, a. 4). Revera solus Deus est cordium scrutator (cfr *supra*, ad 1,6 sq.); neque ulla est ratio, cur donum tam singulare Salomoni collatum esse dicamus. Illam potius scientiam, qua homines longa experientia et diligenti observatione edocti « non tantum ex corporis constitutione inclinationes animae, sed saepe etiam ex uno verbo unoque ictu oculorum totam paene hominis constitutionem, cogitationes, simulationes ac dissimulationes coniicunt » (*Ians. Ipr.*) perfectiore quodam modo regi divinitus datam esse censemus. « Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium, ita corda hominum manifesta sunt prudentibus » (*Prov.* 27,19), illis scilicet, qui ingenia hominum ex levissimis eorum manifestationibus diiudicare didicerunt; at etiam prudentissimi in huiusmodi coniecturis facile decipiuntur; Salomon tamen, quamdiu hoc dono divino ornatus fuit, in suis iudiciis ab omni errandi periculo divinitus servatus esse iure admittitur.

Priore demum sequentis *v.* sticho Salomon sapientiae suae amplitudinem breviter complectitur alteroque magistram, cui eam debeat, divinam sapientiam ipsam fuisse grato animo profitetur : **21**. *Et quaecunque sunt absconsa et improvisa* (accuratius vertes : *occulta et manifesta*) *didici; Omnium enim artifex* (ἡ πάντων τεχνῖτις cfr *VV. LL.* ad **14**,2) *docuit me sapientia.* Pronomen ὅσα *quaecunque* hic latissimo sensu sumi non licere, quasi Salomon omnium omnino rerum scientiam sibi attribueret seseque omniscio Deo quodammodo parem poneret (id quod *Keerl* obiicere non dubitavit), haud minus evidens est, quam S. Paulum, quum spirituales « omnia (τὰ πάντα) diiudicare » assereret (1 *Cor.* 2,12) spiritualibus divinam omniscientiam attribuere noluisse. Ipso enim contextu, quum sententiola nostra praecedentem enumerationem terminet, pronomen ad rerum enumeratarum genera iam coarctatur, uti etiam in enumerationis principio dictio τὰ ὄντα, quamvis ad omnia se extendere videatur, sequentibus accuratius definitur (cfr ad *v.* **17**). Tali hyperbole in poetica descriptione, quin etiam in vita quotidiana ad ingentem numerum significandum saepe utimur. Pro fine suo Salomon id potissime significare vult, sapientiam, qua a Deo exornatus est, tam amplam esse, ut reliquorum sapientum doctrinam longe superet eisque admirationi sit. Quare ne id quidem recte asseritur, pronomine illo omnes et singulas res, quae recensitis generibus continentur, designari, sed sufficit ut res ab eo cognitas universe comprehendi statuatur. Iuxta nonnullos dictione κρυπτὰ καὶ ἐμφανῆ (*occulta et manifesta*) genera rerum antea enumerata in duas classes

distribuuntur, eorum quae, quia sensibus obvia sint, *manifesta* appellentur (*v.* 17ª *dispositio orbis terrarum* usque ad 20ª *naturas animalium et iras bestiarum*) eorumque, quae quia sensibus percipi nequeant *occulta* vocari debeant (20ᵇᶜ cfr *Gutb.*); quae distinctio merito reprobatur, quoniam prioribus quoque stichis nonnulla recensentur, quae neque sensibus directe percipiuntur neque omnibus sunt manifesta. Alii graecum ἐμφανῆ cum *Vulg.* idem valere censentes quod *improvisa* i. e. quae ex inopinato oriuntur ac subito sensibus obiiciuntur (uti fulgura, parhelii, motus hiatusque terrarum etc.), haec quae causas habeant ignotas et occultas iis addi volunt, quae tum quoad substantiam tum quoad causam sunt absconsa (cfr *Lap.*). Rectius tamen dictione hac regem sibi completam perfectamque rerum scientiam attribuere tenebimus, quatenus non ea sola in iis cognovit quae velut obvia et manifesta primo obtutu innotescunt, verum etiam divina luce illustratus illa perspexit, quae non nisi diligenti investigatione in eis detegi ac de iis sciri possunt. Quam perfectam scientiam se iure sibi attribuere probat ex eo, quod eam ab ipso rerum artifice acceperit, quo nemo melius eas cognovit ac proinde docere potuit. Supra (*v.* 17) quidem se a Deo eam accepisse dixit, sed hoc loco accuratius explicat, se eam a Deo per sapientiam tamquam magistram divinitus sibi datam didicisse.

Quo sensu nomen sapientiae hic sumatur oporteat, in controversia est. Eorum quidem sententia, qui creatam hic cum *Smits* intelligunt, procul dubio reiici meretur, quandoquidem non tantum creata sapientia artifex omnium rerum nec est nec apte appellatur, sed etiam attributa, quibus inde a *v.* 22 sapientia ornata praedicatur, pleraque creatae congruere nemo prudens dixerit. Increata ergo intelligatur oportet, qua Deus omnia operatur; utrum autem essentialis seu attributiva, quae in personam constituatur, an potius notionalis seu hypostatica, i. e. ipsa verbi divini persona, haud satis constat. Ex iunioribus modernisque interpretibus nonnulli priorem sententiam praeferunt (cfr *Castro, Lap.* etc.); verum cum multis Patribus (cfr *Orig.* Fragm. ex ep. ad Hebr. apud *S. Pamph.* Apol. pro Orig. 3; de principiis I. 2,5. 9 sqq.; *Theogn. Alex.* Hypotyp. fragm. apud *S. Athan.* de decr. nicaen. 25; *S. Athan.* de sent. Dion. 15; *Euseb. Caes.* Demonstr. evang, III. 3; *S. Greg. Naz.* Or. 31. theol. 5,29; *S. Ambr.* de incarn. domin. sacram. 10,116; de Fide I. 7; *S. Aug.* de Trinit. II. 8. n. 14; IV, 20. n. 27.28; *Faustin. presb.* de Trinit. seu de Fide c. Arian. *M.* 13,37 etc.) plerique interpretes antiquiores (*Rab. Bonav. Hugo C. Holc. Lyr.* etc.) et moderni catholici (cfr *All. LR. Schm. Gutb. Les.*), consentientibus theologis dogmaticis (ex recentioribus cfr *Franzelin* de Deo Trino Ed. 3, p. 113 sq.; *Hurter* Theol. dogm. II, n. 157 cum nota; *Kleutgen* Instit. theol. de ipso Deo n. 969; *Scheeben* Dogmat. I. p. 87; *Simar* Dogmat. I.

p. 205; *Schell* Das Wirken des dreieinigen Gottes, p. 61 sq.; *Christ. Pesch* Praelect. dogm. II. n. 472 etc.) alteram tenent, idque rectissime. Licet enim sapientiam essentialem aeque atque alia attributa divina in personam constitui nihil vetet, sequenti tamen descriptioni haec explicationis ratio non congruit, quia complura (maxime *vv.* 25. 26) leguntur, quae attributivae sapientiae Dei accommodari plane nequeunt. Unde ipse quoque *Gr.*, quamvis ad prosopopoeias admittendas inclinet atque rationalismo suo locum nostrum de Verbo Dei interpretari prohibeatur, sapientiam hoc in loco descriptam multo plus esse asserit quam attributum divinum poetice in personam constitutum atque potius ens quoddam Logo philoniano simile hic describi arbitratur; quae eius opinio utique absona est (cfr Proleg. § 2, 3 *b*, p. 26 sqq.).

2) *Salomon divinam sapientiam* (*notionalem*) *magnifice describit* (7,22-8,1).

7,22. Est enim in illa spiritus intelligentiae, Sanctus, unicus, multiplex, Subtilis, disertus, mobilis, Incoinquinatus, certus, suavis, Amans bonum, acutus. quem nihil vetat, Benefaciens, 23. humanus, benignus, Stabilis, certus, securus, Omnem habens virtutem, omnia prospiciens, Et qui capiat omnes spiritus, Intelligibilis, mundus, subtilis. 24. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia; Attingit autem ubique propter suam munditiam. 25. Vapor est enim virtutis Dei, Et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera; Et ideo nihil inquinatum in eam incurrit. 26. Candor est enim lucis aeternae, Et speculum sine macula Dei maiestatis, Et imago bonitatis illius. 27. Et cum sit una, omnia potest, Et in se permanens omnia innovat, Et per nationes in animas sanctas se transfert; Amicos Dei et prophetas constituit. 28. Neminem enim diligit Deus, Nisi eum, qui cum sapientia inhabitat. 29. Est enim haec speciosior sole, Et super omnem dispositionem stellarum; luci comparata invenitur prior. 30. Illi enim succedit nox, Sapientiam autem non vincit malitia. 8,1. Attingit ergo a fine usque ad finem fortiter, Et disponit omnia suaviter.

7,22. Ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ πνεῦμα νοερὸν, Ἅγιον, μονογενὲς, πολυμερὲς, Λεπτὸν, εὐκίνητον, τρανὸν, Ἀμόλυντον, σαφὲς, ἀπήμαντον, Φιλάγαθον, ὀξὺ, ἀκώλυτον, Εὐεργετικὸν, 23. φιλάνθρωπον, Βέβαιον, ἀσφαλὲς, ἀμέριμνον, Παντοδύναμον, πανεπίσκοπον, Καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων Νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων. 24. Πάσης γὰρ κινήσεως κινητικώτερον σοφία, Διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων διὰ τὴν καθαρότητα. 25. Ἀτμὶς γάρ ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, Καὶ ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής. Διὰ τοῦτο οὐδὲν μεμιαμμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει. 26. Ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου, Καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, Καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. 27. Μία δὲ οὖσα πάντα δύναται, Καὶ μένουσα ἐν αὑτῇ τὰ πάντα καινίζει, Καὶ κατὰ γενεὰς εἰς ψυχὰς ὁσίας μεταβαίνουσα Φίλους Θεοῦ καὶ προφήτας κατασκευάζει. 28. Οὐθὲν γὰρ ἀγαπᾷ ὁ Θεὸς, Εἰ μὴ τὸν σοφίᾳ συνοικοῦντα. 29. Ἔστι γὰρ αὕτη εὐπρεπεστέρα ἡλίου, Καὶ ὑπὲρ πᾶσαν ἄστρων θέσιν, Φωτὶ συγκρινομένη εὑρίσκεται προτέρα. 30. Τοῦτο μὲν γὰρ διαδέχεται νὺξ, Σοφίας δὲ οὐκ ἀντισχύει κακία. 8,1. Διατείνει δὲ ἀπὸ πέρατος εἰς πέρας εὐρώστως Καὶ διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς[1].

1. *VV. LL.* — 22. ἐν αὐτῇ (*in illa* B ℵ 23, plerique minusc., omnes verss.; sed αὐτή (*ipsa*) vel αὕτη (*haec*) A, haud multae minusc., *Euseb.* Praep. evang. VII. 12; XI. 10. Numero et auctoritate testium prior lectio ita praevalet, ut retineatur opor-

Nova haec pericope, quae divinae Sapientiae notionalis i. e. Verbi divini laudes celebrat, cum praecedente arcte est connexa, quum illius ultimum membrum (« omnium enim artifex docuit me sapientia ») probet et explicet. Ut enim Sapientiam omnium rerum artificem suamque magistram recte a se appellari ostendat, Salomon primo in loco summam et omnimodam eius excellentiam multis eius attributis ita describit, ut eam vere divinam esse personam appareat (*vv.* 22-24); illa autem attributa in admirabili eius origine a Patre fundamentum suum habere professus (*vv.* 25-26), eius virtutem, qua sine ulla sui ipsius mutatione omnia producit mentesque puras lumine suo perfundit (*vv.* 27-28), splendidamque eius pulchritudinem, quae semper eadem maneat, accuratius persequitur (*vv.* 29-30) atque descriptionem terminat providentia eius aeque forti ac suavi, quae cuncta complectatur, paucis verbis adumbrata (8,1).

teat, praesertim quum altera etiam minus aptum sensum pariat; cfr *Comment.* — 23. διὰ... πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων (per... spiritus intelligentes mundos subtilissimos) B ℵ A 23, vix non omnes minusc., *Vulg.* (antiquior, cfr *S. Fulg.* Testim. de S. Spirit. *M.* 65,786; *S. Ambr.* de incarn. sacr. 10,16; *S. Bonav. S. Thom. Lyr.* etc.); sed πνεῦμα νοερὸν καθαρὸν λεπτότατον (spiritus... *intelligibilis, mundus, subtilis,* proprie *subtilissimus*) duo gr. minusc., *Vulg.* (recentior) *Syr.* Dubium non est, quin prior lectio retinenda sit, quum antiquioris Vulgatae non minus quam omnes antiqui gr. codd. eam exhibeant; ceterum cfr *Comment.* — 22. 23. Graecus textus *unum et viginti,* Vulg. *viginti quinque,* Syr. *viginti septem* epitheta Spiritus recenset; quae differentiae ex eo sunt exortae, quod latinus interpres graecum φιλάνθρωπον duobus vocabulis reddidit (*humanus, benignus*) et genetivos νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων), qui ad immediate praecedentem genetivum πνευμάτων pertinent, erronee, quasi nominativi essent, ad nominativum πνεῦμα traxit; Syrus autem non tantum eodem modo tres genetivos eosdem in nominativos convertit ultimumque (λεπτότατον) duobus reddidit (subtilis et lucidus), sed praeterea duorum duplicem versionem exhibet : σαφές (sapiens et verax), παντοδύναμον (validus et omnipotens). Ceterum in his duobus versibus codices, uti saepius in longioribus enumerationibus fit, leviores habent ordinis varietates, quas recensere omittimus. — 25. εἰλικρινής (*sincera*) B ℵ 23, plerique minusc., *Vulg.* et reliquae verss.; parum recte A cum paucis minusc. εἰλικρινείας (*sinceritatis*). — 28. οὐθέν (nihil) est communis lectio codd. graec. et verss. praeter *Vulg.*, cuius interpres aut in suo cod. legit οὐθένα (*neminem*) aut consuetam lectionem libere transtulit; ad sensum nihil refert. — 8,1. διατείνει δέ (pertingit autem) communiter in graec. codd. et verss. legitur, hodierna Vulg. excepta : « attingit *ergo* »; teste autem *Reusch.* « latini Patres modo *ergo,* modo *autem,* modo *nullam* particulam scribunt »; unde hodierna *Vulg.* lectio merito videtur negligenda. Inter iuniores quippe Latinos controversum erat, utrum nova pericope ab ultimo membro *v.* 30 (sapientiam autem non vincit malitia) inchoandum sit (cum *S. Bern. Hugo C. Pagnino* etc.) an potius a 8,2 (*hanc amavi*) cum *Vatablo* aliisque; hinc etiam incertitudo exorta est de particula. Hodie autem omnes consentiunt versum 8,1 clausulam esse praecedentis descriptionis atque particulam *autem* cum Graecis esse retinendam.

Gravissimus est hic locus, quum Deum iam ante Christi adventum mysterium SS. Trinitatis populo suo electo revelare incepisse reliquis, qui ex V. T. afferri solent (*Prov.* 8,9; *Eccli.* 24,5 etc.) clarius et apertius doceat. Quicunque enim Novi Test. luce illustratus hanc pericopen attenta simplicique mente perlegerit, asserere non dubitabit, tres personas divinas saltem a primario auctore libri, i. e. a S. Spiritu, manifeste distingui earumque inter se relationes indicari. Quapropter eam ad illum quoque sensum, rationalisticis spretis praeiudiciis, interpretari nobis licet, quamvis libenter concedamus, scriptorem ipsum libri eosque, quibus proxime eum destinavit, mysteria haec non nisi obscure percepisse.

A sapientiae attributis enumerandis Sapiens exorditur : 22. *Est enim in illa spiritus intelligentiae* (ad graecum : πνεῦμα νοερόν accuratius : *spiritus intelligens*) *Sanctus, unicus* (μονογενές), *multiplex, Subtilis, disertus, mobilis* (iuxta graecum textum : εὐκίνητον τρανόν inverso ordine lege : *mobilis, disertus*), *Incoinquinatus, certus* (melius : *manifestus* cum SS. *Ambr.* et *Fulg.* σαφές), *suavis* (seu neminem laedens ἀπήμαντον), *Amans bonum, acutus, quem nihil vetat* (ἀκώλυτον non impeditus), *Benefaciens,* 23. *humanus, benignus* (duo haec ultima uni graeco φιλάνθρωπον respondent), *Stabilis, certus* (ἀσφαλές), *securus* (i. q. sine curis vel iuxta *S. Ambr.* sine sollicitudine ἀμέριμνον), *Omnem habens virtutem* (vel *omnipotens* παντοδύναμον), *omnia prospiciens, Et qui capiat omnes spiritus, Intelligibilis, mundus, subtilis* (ad graecum textum : καὶ διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων νοερῶν καθαρῶν λεπτοτάτων omnino legatur oportet : *et penetrans* [seu capiens] *omnes spiritus intelligentes, mundos, subtilissimos;* eo autem magis haec versio praeferenda est, quia in ipso huius enumerationis principio spiritus iam dictus est *intelligens incoinquinatus* i. e. mundus, *subtilis;* ceterum cfr *VV. LL.*).

Aliquid miri habet, quod auctor haec attributa non directe Sapientiae adscribat, sed circumlocutione quadam usus *Spiritui, qui in Sapientia est;* omnis autem quae ex hoc dicendi modo exoriri potest difficultas subito evanescet, simulatque cum haud paucis Patribus (cfr *S. Greg. Naz.* orat. 31. theol. 5 de S. Spiritu n. 29; *S. Ambr.* de Spirit. S. III. 7,36; 18,134; 22,169; de incarn. sacram. 10,16; *S. Aug.* ep. 69 [al. 102] 2,7; Op. imperf. c. Iulian. VI, 26; de Trin. IV, 20,27 etc.; *S. Fulg.* Pro fide cath. 9 Test. de Spiritu S.; fragm. 28 de miss. S. Spirit. *M.* 65,719. 786; *S. Greg. M.* in Ezech. hom. I. 5,9; *S. Bern.* in Pentec. serm. 3,8 etc.) interpretibusque antiquioribus (*S. Bonav. Hugo C. Lyr. Holc. Carth.*) ac multis modernis (*Calm. All. LR. Schm.*

Gutb. Corl. etc.) ipsum S. Spiritum, tertiam SS. Trinitatis personam, hoc in loco designari atque describi admiserimus, qui in Novo Test. haud raro Spiritus, ut Patris (*Matth.* 10,20; *Rom.* 8,11 etc.), ita Filii vel Domini (Christi) vel Christi seu Iesu appellatur (*Gal.* 4,6; *Rom.* 8,9; 2 *Cor.* 3,17; *Phil.* 1,19; *Act.* 16,7; 1 *Pet.* 1,11 etc.), quia secundum originem suam in Verbo est, utpote a quo, pariter atque a Patre, procedat et quaecunque habet recipiat (*Ioan.* 16,13 sqq.), ita ut attributa, quae sunt Spiritus, uno eodemque modo Verbi seu hypostaticae Sapientiae sint, sicut Patris quoque sunt; namque « Patris et Filii et Spiritus S. una est divinitas, potestas, maiestas, potentia, una gloria, dominatio, unum regnum atque una voluntas ac virtus » (*S. Damasus* P. in Conc. Rom. a. 378 vel 379; cfr *Denz.* Enchir. 41). Haec explicatio ad verba nostra tam accurate quadrat, ut dubitari vix posse videatur, quin primarius libri auctor (i. e. S. Spiritus ipse) quodammodo revelationem Novi Test. praeoccupans (vel si mavis : ei praeludens eamque praeparans) doctrinam de S. Spiritus processione a Filio et de personarum divinarum consubstantialitate atque circumincessione hic indicare voluerit. Id autem eo maiore cum iure asserere licet, quo certius est, tertiam SS. Trinitatis personam in principio huius libri haud obscure iam significatam (cfr ad 1,5 sqq.). Parum vero apte iuniores interpretes haud pauci, qui antiquiorum interpretatione relicta locum nostrum de essentiali sapientia increata intelligendum esse sibi persuadent (cfr *Castro, Lap.* etc.), nomen *spiritus* hic « spiritualem dotem » vel attributum simili fere modo valere volunt, quo illud frequenter ad S. Spiritus dona significanda usurpatur (πνεῦμα γνώσεως, συνέσεως κτλ. spiritus scientiae, intelligentiae etc. cfr ad *v.* 7). Latinus quidem noster interpres etiam hanc explicationem videtur sua versione primi membri *spiritus intelligentiae* insinuare; attamen ei subscribere potissimum contextu prohibemur. Nam *vv.* 25 et 26 omnibus catholicis interpretibus fatentibus de notionali Sapientia sermo est, neque intelligitur, quomodo auctor, si *vv.* 22-24 de essentiali sapientia agere inceperit, *v.* 25 subito et sine ulla praemonitione ad hypostaticam transilire, ac similiter haud minus ex improviso *v.* 27 ad essentialem reverti voluerit; pro parenthesi enim *vv.* 25-26 profecto haberi nequeunt, siquidem cum praecedentibus non minus quam cum sequentibus arcte cohaerent. Praeterea verba ipsa quoque huic explicationi minus favent; pro adiectivis enim, quibus Spiritus naturam et attributa describit, auctor procul dubio genetivos nominum adhibuisset, si nomine spiritus dotem quandam spiritualem designare voluisset, simili nimirum modo, quo genitivi substantivorum adhiberi solent, ubi spiritus idem valet quod

spirituale donum. Accedit demum, quod minus apte in uno attributo reliqua inesse dicantur; quare etiam interpretes illi pro lectione consueta, quam testium criticorum numerus et auctoritas commendant (ἔστι γὰρ ἐν αὐτῇ est enim *in illa*), alteram, quam praetermittendam diximus (cfr *VV. LL.*), admittere malunt (cfr *Lap.* : « sapientia enim *est* spiritus i. e. spiritualis dos et attributum Dei. »). Haec autem lectio, si genuina esset, melius cum *Lor. Boss.* exponeretur : sapientia hypostatica seu Verbum est spiritus seu ens spirituale (cfr *Ioan.* 4,24).

Unum et viginti attributa S. Spiritus hic iuxta veriorem textum graecum recenseri antea monuimus (cfr *VV. LL.*). Quem numerum velut sacrum, utpote ex duorum sacrorum numerorum (3 et 7) multiplicatione exortum, consulto ab auctore esse electum moderni non pauci opinantur (cfr *Schm. Gutb. Les.* etc. — *Eichh. Bretschn. Gr. Deane* etc.); at haud satis recte, nisi omnia nos fallunt. Clarum enim est, conclusam et completam sive naturae sive operationis effectuumque S. Spiritus descriptionem hic non haberi; namque omnibus fatentibus neque omnia S. Spiritus attributa recensentur, neque ea quae commemorantur, certo ac definito ordine sunt disposita; atqui parum probabile est auctorem nostrum, quem in reliquis suis dinumerationibus ad numerorum qualitatem non attendisse neque mysticae significationis, quae aliquibus numeris attribuitur, ullam curam habuisse constat, hac in sententia ordine atque integritate descriptionis plane neglectis, id unum intendisse, ut certum numerum, quem magis minusve arbitrarie sibi praefixit, variis epithetis temere aut fortuito congestis compleret. Ea potius attributa S. Spiritui appropriasse dicendus est, quibus ad finem suum accommodate qualis quantusque ille sit lectoribus suis ostendens, divinam naturam Sapientiae, in qua est, ante oculos poneret[1]. Ceterum non omnibus epithetis eadem ratione divinitas S. Spiritus docetur, sed quaedam sunt inserta, quibus (probabiliter contra illius aetatis philosophos) naturae spiritualis notae ac virtutes accuratius explicantur aut determinantur; nonnullorum quoque tam vicinae sunt significationes, ut alterutrum dumtaxat ornatus causa receptum videatur.

Quibus praemonitis singula adiectiva paucis explicabimus.

Duobus primis (νοερόν, ἅγιον) quodammodo ipsa Spiritus S. natura adumbratur. *S. Greg. Naz.* (l. c.) νοερόν idem quod σοφώτατον *sapientissimus* hic valere dicit, ac similiter *Lap.* eum *intelligentem* vocari vult « tum quia

1. Omnino conferri meretur similis sed multo longior enumeratio epithetorum ex tota fere S. Scriptura collectorum, quibus *S. Greg. Naz.* (orat. 31 theol. 5,29) S. Spiritus laudes praedicat et inter quae etiam pleraque, quae hic habentur, ex ordine refert.

intelligit cuncta ac magna vi intelligendi et penetrandi omnia usque ad fundum praeditus est, tum quia angelis et hominibus tribuit vim intelligendi ». Sed haec nudo illo adiectivo non continentur; ad Stoicorum autem loquendi usum, quo Deum πῦρ νοερόν (ignem intelligentem i. e. spiritualem) et πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες (spiritum intelligentem et igniformem) definiebant[1], attendentes, vocabulum hoc philosophicum ab auctore, qui aliis quoque philosophorum graecorum dictionibus utitur, eo consilio hic esse adhibitum censemus, ut Spiritum esse merum νοῦν i. e. meram mentem s. intelligentiam significaret, eum igitur natura sua esse spiritualem et plane immaterialem, id quod contra illius aetatis non tantum idololatras, sed etiam philosophos asserere non fuit superfluum. Haud dissimili modo a *S. Greg. Naz.* (Carm. I, 2,83) angeli vocantur ἁγνοὶ νόες, νόες ἐλαφροί, ἁπλοῖ τε νοεροί τε (purae mentes, mentes, celeres, simplices et intelligentes) et a *S. Ioan. Dam.* (de fide orthod. II. 3) angelus definitur οὐσία νοερὰ... ἀσώματος (substantia intelligens... corporis expers), ut omnimoda eorum spiritualitas et immaterialitas praedicetur. Altero epitheto (ἅγιος *sanctus*) docetur Spiritum S. natura sua ac vi originis suae, quum a Patre et Filio per modum amoris purissimi procedat, essentialiter sanctum, quin etiam omnis sanctitatis creaturarum fontem esse (cfr ad 1,5). — Duo quoque, quae sequuntur, utpote inter se opposita (μονογενὲς, πολυμερές *unicus, multiplex*) arcte inter se cohaerent; ad operationem autem (non ad solam cognitionem, uti vult *Gutb.*) S. Spiritus referuntur. Quoniam μονογενής (μόνος γίνομαι) in Novo Test. non nisi propria sua significatione etymologica *unigenae* seu *unigeniti* i. e. unici parentum filii, quem alii neque praecesserunt neque secuti sunt, adhiberi solet (cfr *Luc.* 7,12; 8,42; 9,38; *Hebr.* 11,17) et a S. Ioanne soli aeterni Patris Filio ita approprietur (cfr *Ioan.* 1,14. 18; 3,16. 18; 1 *Ioan.* 4,9), ut a Patribus velut nomen proprium Verbi usurpari potuerit, *Lorinus* alteram illam, de qua diximus, sententiae nostrae lectionem (haec, sc. Sapientia hypostatica seu Verbum, est spiritus... unigenitus) praeferendam duxit, ne S. Spiritus diceretur genitus. Attamen Alexandrinis μονογενής semel quidem valet *unigenitus* (*Iudic.* 11,34), sed alibi eis est aut *solitarius* vel derelictus (*Ps.* 24,16) aut *unicus;* hoc enim sensu vox intelligatur oportet, ubi anima, quam homo unicam habet ideoque unice diligit, ab eis μονογενής appellatur (cfr *Ps.* 21,21; 34,17)[2]. Recte igitur μονογενής a latino interprete hic redditur *unicus,* atque apte

1. Cfr *Plut.* Plac. philos. 6; *Stob.* Eclog. 2,1; iuxta *Plut.* (de comm. not. 48,2) Stoici Deum etiam σῶμα νοερὸν καὶ νοῦν ἐν ὕλῃ (corpus intelligens et mentem in materia) appellabant; cfr *Gr.* et *Deane,* ex quorum commentariis haec testimonia desumsimus. Contra eos qui auctorem nostrum una cum dictionibus philosophorum suae aetatis etiam eorum errores assumsisse volunt, iure merito hic locus afferri potest, quum ex eo clare poteat, auctorem philosophicis illis terminis ab omni errore purgatis ita esse usum, ut puram omnino ac veram doctrinam iis exprimeret.

2. Alexandrini vocem יָחִיד quod proprie valet *unicus,* aut graeco μονογενής vertunt aut frequentius ἀγαπητὸς (*dilectus*) iis quoque in locis, in quibus μονογενής proprio suo *unigeniti* sensu adhibere potuerunt; ex. gr. *Gen.* 22,2. 12. 16 ubi Isaac בֵּן יָחִיד patris sui appel-

unitati (vel si ita dicere fas est unicitati) S. Spiritus opponitur eius multiplicitas; « unus, inquit *S. Petrus Dam.*, est Spiritus in maiestatis essentia, multiplex per diversa charismatum dona quae dat Ecclesiae sanctae », vel secundum *S. Greg. Naz.* (l. c.) « multiplex effectibus » (πολύτροπος ταῖς ἐνεργείαις). Quae uberius explicans *Lap.* Spiritum multiplicem dici ait « aut quia, unus quum sit, per singulas mundi partes se quasi per ramos diffundat et multiplicet (cfr 1,7) ac varios sapientiae modos in eis efficiendis et conservandis operetur, vel potius propter varias gratias diversaque dona et multiplicia officia, quae quamquam unus est sive in Ecclesia universa sive in singulis hominibus exerceat ». Apposite ad illustrandam hanc sententiam iam ab antiquioribus verba illa allegantur, quibus S. Paulus (1 *Cor.* 12,11) longiorem charismatum variorum enumerationem unitate auctoris et datoris illorum asserta terminat : « haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult ». Parum recte autem nonnulli epitheton μονογενής velut synonymum adiectivi μονομερής (*simplex*) adhibitum esse volunt, quia epitheto πολυμερής opponatur, quod vi etymologiae suae proprie valeat *multis partibus constans*. Quamvis enim verissimum sit, S. Spiritum natura sua simplicem, virtualiter vero et exemplariter multiplicem esse, haec explicatio nostrae sententiae non congruit, quoniam μονογενής neque ex etymologia sua neque ex usu significationem *simplex* admittit, contra vero πολυμερής, etymologia sua non obstante, frequenter velut synonymum epitheti πολύτροπος (*multiformis*) usurpatur.

Quinque proximis membris (*subtilis, disertus* [vel potius *penetrans* seu *perspicax*], *mobilis, incoinquinatus, certus* [vel potius *manifestus*] λεπτὸν εὐκίνητον τρανὸν ἀμόλυντον σαφές : iuxta graecam lectionem epitheton *mobilis* ante *disertus* [seu *penetrans*] ponatur oportet) natura Spiritu plenius accuratiusque describitur. Praeprimis λεπτός vocatur i. e. *tenuis* seu *subtilis* i. e. omnium partium expers vel melius a materia prorsus remotus, ita ut sensibus attingi nequeat; quanta vero sit eius immaterialitas ex eo apparet, quod ultimo descriptionis nostrae membro *v.* 23 d) omnes creatos spiritus vel subtilissimos penetrare (διὰ πάντων χωρεῖν πνευμάτων... λεπτοτάτων) dicitur. Quia autem mens acuta quoque seu subtilis Graecis est νοῦς λεπτός (*Eurip.* Med. 529; cfr *Aristoph.* Av. 318), alii Spiritum hic tamquam subtili intelligendi vi praeditum designari haud minore cum probabilitate censent, quandoquidem Paulus quoque eum ipsa profunda Dei scrutari doceat (1 *Cor.* 2,10). Revera duae hae explicationes inter se tam vicinae sunt, ut vix non pro una haberi queant; omne quippe ens immateriale, quod per se subsistit, est intelligens atque eo maiore intelligendi vi praeditum censetur, quo magis ab omni materia est remotum. Apte deinde immaterialitati Spiritus graecus textus immediate subiungit eius mobilitatem. *Mobilis* autem (vel potius *bene mobilis*, ut *S. Ambrosius* graecum εὐκίνητον accuratius reddit; namque sicut Sapientia ipsa ita etiam Spiritus, qui in ea est,

latur, illi semper vertunt ἀγαπητός, S. Paulus autem ad eosdem locos respiciens eum vocat μονογενῆ; filius quippe unicus parentibus carissimus esse solet.

« omni motu est mobilior » cfr *v.* 24) dicitur Spiritus non eo utique sensu, quod sese facile a loco in locum transferat (« Spiritus Domini enim replet orbem terrarum » et ubique praesens adest cfr ad 1,7), sed eo sensu, quo *S. Aug.* (de Gen. ad lit. VIII. 20) Spiritum Creatorem ait seipsum movere sine tempore et loco, nomine motus nimirum cum Platone omnem operationem designans « secundum quod etiam ipsum intelligere et velle et amare motus quidam dicuntur » (*S. Thom.* Summ. theol. I. q. 9, a. 1, ad 1). Deinde τρανός a Vulgatae interprete *disertus* et a Syro *excellens voce* redditur. Iam vero dubium quidem non est, quin vocabulum eo fere sensu recte exponatur, ubi nomini γλῶσσα adiectum legitur; a verbo τετραίνειν (*penetrare*) enim derivatum proprie valet *penetrans,* ita ut vox peracuta apte τρανή seu *penetrans* appelletur (cfr infra 10,21. Sapientia γλώσσας νηπίων ἔθηκε τρανάς linguas infantium fecit penetrantes seu disertas; *Is.* 35,6 τρανὴ ἔσται γλῶσσα μογιλάλων penetrans erit lingua mutorum; similiter apud scriptores profanos); attamen alibi quoque epitheto nostro hanc significationem competere nullo exemplo probatur. Quare nostro in loco illud rectius *perspicax* vertitur, ut Spiritum sanctum, quippe qui omnia penetret et ubique praesens adsit, omnia quoque cognoscere ac perspicere neque quidquam eum latere significetur (cfr ad 7 sqq.). *Incoinquinatus* (ἀμόλυντον i. q. ἄνευ μολυσμοῦ sine macula) deinde vel forte melius cum aliis *incoinquinabilis* Spiritus dicitur, non solum quatenus omnes res penetrans et continens ne minima quidem macula aspergitur aut ullo modo polluitur, quum omnia virtute sua tangat quidem certo quodam modo, sed ipse a nulla re utcunque tangatur vel afficiatur, verum etiam quatenus ab omni iniquitate et impietate summopere abhorrens peccato quocunque quasi fugatur et recedere cogitur. Quid denique σαφές hic valeat, minus in aperto est; Vulgata quum illud latino *certus* reddat, probabiliter firmitatem et constantiam S. Spiritus in consiliis exsequendis indicare voluit. Quae explicatio indubie vocabulo ipsi et per se etiam sententiae congruit, neque eam admittere dubitaremus, nisi statim in hac ipsa descriptione firmitas et constantia S. Spiritus duobus epithetis (βέβαιον et ἀσφαλές *stabilis* et *certus*), quae aliam explicationem respuunt, clarius et fortius exprimeretur. *S. Greg. Naz.* (orat. 31. l. c.) nostrum σαφές idem valere dicit quod σαφηνιστικὸν (*clare explicans*); sed quo cum iure haec significatio a S. Doctore vocabulo attribuatur, non magis apparet, quam qua ratione sententiae nostrae adaptetur. Antiquiorem igitur latinam versionem epitheti (*manifestus*) a S. Ambrosio nobis conservatam praeferimus Spiritumque natura sua clarum lucidumque ideoque omnibus manifestum dici censemus, quoniam eadem cum facilitate, qua Sapientia ipsa, sese omnibus qui bona voluntate eum quaerunt videndum et conspiciendum praebeat (cfr ad 1,2; 6,13).

Octo porro quae sequuntur epitheta ad S. Spiritus operationem potissimum referri videntur. Primum (ἀπήμαντον) a nostro interprete liberius quidem sed recte *suavis* redditur. Etymologice enim (α privat. et πῆμα) vox proxime significat *iniuriam seu calamitatem non inferens,* quo sensu Zeus quoque a Graecis ἀπήμιος vocatur; per μείωσιν autem hic eam esse adhibitam

interpres noster haud male sumsit, ut S. Spiritus adeo suavis i. e. benignus esse diceretur, ut non tantum nemini iniuriam inferat vel noceat, sed etiam omnibus studeat prodesse (cfr *Lap.*). Ad μειώσεως figuram non attendentes alii activam epitheti significationem hic ieiuniorem ac frigidiorem esse arbitrati passivam praeferunt Spiritumque *nihil patientem* dici censent, quia per omnia creata transiens et in illis operans ne minimum quidem violatur aut contaminatur; hac autem explicatione id tautologice repeteretur, quod superiore ἀμόλυντον (*incoinquinatus*) iam clarius est declaratum. Alterum (φιλάγαθον *boni et recti amans* vel uti Vulg. habet : *amans bonum*) quasi normam indicat, qua Spiritus in tota sua operatione regitur. Tertium autem (ὀξύ *acutus*) et quartum (ἀκώλυτον *quem nihil vetat*) arctius cohaerent; ὀξύς autem hoc in loco non valet *acutus ingenio* (*Gutb.*) nec *penetrans* (*Gr.*), quoniam utrumque epitheto τρανός iam est expressum, sed *acer* ac *velox* in agendo (cfr *Prov.* 22,29 ὀξὺς ἐν τοῖς ἔργοις acer in operibus suis; *Am.* 2,15; *Rom.* 3,15 etc.; eodem sensu frequenter apud scriptores profanos); is autem qui opus suum acer et promptus aggreditur et prosequitur, haud facile invenit impedimentum (κώλυμα) aut ab agendo prohibetur. Porro quia Spiritus suavis est atque bonum rectumque amat, fieri nequit, ut non etiam velut *benefaciens* (εὐεργετικόν) bona sua omnibus largiter offerat; neque cuiquam ea quibus indiget negabit, quia omnium *hominum amans* est (φιλάνθρωπον, quod epitheton in nostra editione duobus *humanus*, *benignus*, ex duabus probabiliter versionibus, reddi diximus); omnes enim pro sua bonitate creavit nec quidquam eorum quae creavit odisse potest (11,25). Duo demum attributa (βέβαιον, ἀσφαλές *stabilis*, *certus*) quum inter se sint synonyma atque prius positive idem quod negative alterum exprimat, vix non tautologice hic poni videntur; coniuncta tamen (similiter ac *Hebr.* 6,19) maiorem vim habent omnimodamque firmitatem et constantiam clarius praedicant, qua S. Spiritus in suis consiliis immutabilis persistit (βέβαιος) neque unquam in eis persequendis et exsequendis titubat aut vacillat (ἀσφαλὴς ab α privat. et σφάλλεσθαι labare), ita ut summa cum fiducia nosmet ipsos nostraque omnia ei concredere possimus et debeamus.

Quae hucusque exposuimus epitheta omnia creatis quoque spiritibus suo modo conveniunt aut attribui saltem possunt neque divinitatem Spiritus, qui in Sapientia est, extra omnem dubitationem ponunt; quatuor ultima autem, nisi quis auctorem in iis adhibendis iustos hyperboles limites transgressum esse temere sibi persuadeat, de spiritu creato hic non agi aperte produnt. Primum utique ἀμέριμνος (*securus* i. e. sine curis seu curis vacuus) aliquo modo de creato spiritu apte praedicatur, qui omnium quae ei necessaria vel utilia sunt possessione ac fruitione beatus est; verum pleno suo sensu uni illi recte attribuitur, qui nullius vel auxilio vel subsidio indigens neque a quoquam ulla ratione dependens sibi ipsi solus plane sufficit et in se solo tum existentiae tum infinitae perfectionis suae rationem habens summa beatitudine ab aeterno fruitus est et in aeternum fruetur. Ἀμέριμνος (curis vacuus) igitur negative idem dicit, quod positive

αὐταρκής (sibi sufficiens) neque opus est, ut in epitheto nostro, dum hoc pleno suo sensu, uti decet, interpretemur, litotes hic adhibita esse dicatur (*Gutb.*); multo minus autem cum *Gr.* dicere licet illud inscite et imprudenter ab auctore esse positum. Alterum deinde (παντοδύναμος) noster interpres hoc in loco vertit *omnem habens virtutem*, alibi autem clarius *omnipotens* (cfr 11,18; 18,15); idem enim est quod πάντα δυνάμενος (cfr 2 *Mach.* 11,13) qui omnia quae vult efficere potest, vel secundum angeli dictum « apud quem non esse impossibile omne verbum » (*Luc.* 1,37). Sicut autem infinita potentia ita etiam infinita scientia Sapientiae Spiritui attribuitur; hac enim praeditus supponitur, quum πανεπίσκοπος (seu παντεπίσκοπος *omnia prospiciens*) dicitur. Neque tamen hoc attributo proxime et directe omniscientia significatur, id quod nonnulli arbitrantur (quasi scriptum sit παν(τ)επόπτης i. e. omnium rerum spectator) sed providentia, qua S. Spiritus tamquam omnium creaturarum episcopus i. e. curator ac moderator (ἐπισκέπτεσθαι enim i. q. auxiliandi benefaciendique causa inspicere vel etiam prospicere seu providere cfr *Ps.* 8,5; 79,15 etc.) omnes a maximis usque ad minimas conservat et tuetur et sapiente sua providentia ad fines eis propositos adducit. Haud inepte ergo *Lap.* Ecclesiam huc alludere coniicit, quando nos Deum rogare iubet, ut « mentibus nostris Spiritum S. benignus infundat, cuius et sapientia conditi sumus et *providentia gubernamur* ». Ultimo denique loco S. Spiritus iuxta graecam lectionem, quam admittendam diximus (cfr *VV. LL.*), *omnes spiritus intelligentes, mundos, subtilissimos penetrare* i. e. totos occupare, continere, complecti (vel iuxta Vulg. *capere*) asseritur. Ad praetermittendam autem lectionem latinam, quae hic quatuor enumerat attributa (*omnes spiritus capiens, intelligibilis, mundus, subtilis*) praeter rationes in *VV. LL.* iam indicatas id potissimum nos movet, quod « ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est » quamque ideo Patres Tridentini pro authentica habendam esse declararunt, testibus non tantum *SS. Ambr.* et *Vulg.* (ll. cc.), sed etiam plerisque mediae aetatis theologis (*Rab. Hugo C. Bonav. Thom. Lyr. Holc. Fulg.* etc.) nostrum locum eodem plane modo exhibuit, quo in graecis exemplaribus semper est lectus. Eo ipso autem, quod S. Spiritus omnes spiritus, quamvis magna sit eorum perfectio, penetrat, sese etiam illis omnibus superiorem perfectioremque ac proinde vere divinum seu Deum esse demonstrat. Antiquitus multi hic tres spirituum creatorum classes distingui coniecerunt; iuxta *S. Greg. Naz.* (Or. 31, l. c.) « angelicos, propheticos, apostolicos », iuxta mediae aetatis interpretes hierarchias tres angelorum « *intelligentes* i. e. perfectissima intelligentia praeditos, quales sunt omnes primae hierarchiae, puta Cherubim, Seraphim, Throni, *mundos* i. e. eos qui ob puritatem affectuum liberi sunt ab omni animi passione et perturbatione ideoque idonei ad regendum et imperandum, quales sunt angeli secundae hierarchiae, puta Dominationes, Principatus et Potestates, denique *subtilissimos* i. e. omnes angelos tertiae hierarchiae, quales sunt Virtutes, Archangeli, Angeli, qui quia sunt spiritus subtilisssimi, nobis sunt invisibiles « (cfr *Lap.*). Verum

hae similesque explicationes vix cuiquam hodie probantur, siquidem satis arbitrariae neque tam ex verbis desumtae quam illis ingestae sunt. Tribus quippe illis epithetis proxime excellentia ac praestantia naturae spirituum creatorum eo consilio indicatur, ut longe excellentiorem praestantioremque esse naturam Spiritus eos cunctos penetrantis clarius appareat; per gradationem tamen quandam ita sunt disposita, ut pro variis perfectionis gradibus varias quasi spirituum classes esse simul insinuetur. Νοερόν (*intelligens*) enim, quod epitheton omnibus spiritibus convenit, positum videtur, ut infima eorum classis designetur, animarum nimirum humanarum, quae immateriales quidem sunt, sed utpote ad corpora informanda ordinatae a materia minus sunt remotae; spiritibus deinde illis qui a materia plane sunt separati, alterum quoque epitheton (καθαρός *purus*) competit; puritatem tamen hic physicam (non vero moralem) esse intelligendam ex sententia immediate sequente elucet. Tertii deinceps adiectivi superlativo (λεπτότατος *subtilissimus*) inter ipsos puros spiritus gradus immaterialitatis et consequenter diversas eorum classes distingui debere docetur; sed vel ipsam supremam eorum classem infinite superat Spiritus divinus, qui eos penetrat. Nihil igitur in rerum creatarum universitate invenitur, cui non toti Spiritus intime praesens adsit et in quo non semper operetur; id quod, nisi Deus sit, fieri non posse evidens est. Quapropter a vero longe aberrant, qui totam hanc attributorum seriem de creata sapientia explicare conantur.

Epithetis enumeratis auctor naturam et operationem Spiritus quidem, qui in Sapientia est, descripsit; re tamen eum Sapientiae ipsius attributa enarrare voluisse ex proxima sententia elucet. Etenim ut Spiritum vere omnes creatos spiritus penetrare demonstret, argumentum suum non iam ex Spiritus, uti decere videbatur, verum ex Sapientiae natura et operatione desumere voluit; qua argumentandi ratione non tantum unam eandemque esse utriusque naturam et substantiam esse evidenter supponit, sed etiam aliquo modo innuit, Spiritum ea quae habet a Sapientia accipere, i. e. ex illa procedere. Ultimum quippe praecedentis sententiae membrum demonstraturus (vel si mavis explicaturus; utroque enim sensu particula γάρ hic sumi potest) pergit : 24. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia; Attingit autem ubique propter suam munditiam* (*vel ex graeco : Omni enim motu mobilius est sapientia; Pervadit autem et penetrat omnia propter* [*suam*] *puritatem*).

In priore membro vix quidquam interest utrum Sapientiam cum Latinis omni re mota (seu mobili), an cum Graecis omni motu mobiliorem dixeris. Nomine *motus* (κινήσεως) autem auctorem cum Platone suaeque aetatis philosophis omnem operationem (ut etiam intelligere, velle, amare etc.) significare antea (ad epitheton εὐκίνητον) iam mo-

nuimus; unde etiam Deus, cuius intelligere et velle et agere est essentia eius, se movere mobilisque esse recte dicitur, dummodo omnis mutatio, quae est transeuntis ex potentia ad actum, prorsus excludatur, utpote quae in Deo, actu purissimo et cuiuscunque potentialitatis experte esse nequeat (cfr *S. Thom.* Summ. I. qu. 9 a. 1).

Minus vero nobis probatur, quod *S. Thomas* (l. c. ad 2.) quum nostrum locum velut obiectionem contra divinam immutabilitatem proponat, Sapientiam *similitudinarie* mobilem esse respondeat, nimirum secundum quod suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum; « nihil enim esse potest, quod non procedit a divina Sapientia per quandam imitationem sicut a primo principio effectivo et formali, prout etiam artificiata procedunt a sapientia artificis; sic igitur, in quantum similitudo divinae sapientiae gradatim procedit a supremis, quae magis participant de eius similitudine, usque ad infima rerum, quae minus participant, dicitur esse quidam processus et motus divinae sapientiae in res, sicut si sol usque ad terram procedere dicitur, in quantum radius eius usque ad terram pertingit. » Quamvis enim vera sit haec doctrina, contextu tamen eam ad sententiolam nostram explicandam adhibere prohibemur. Quomodo enim verba, si ad S. Thomae mentem intelligenda essent, divinum Spiritum omnes creatos spiritus penetrare demonstrarent, non magis apparet, quam quis eorum sit nexus cum altero membro, quo Sapientia propter suam puritatem omnes res creatas pervadere asseritur. Probabile autem est, s. Doctorem, quum solo latino textu uteretur, genuinum secundi membri sensum non percepisse, quoniam latinus noster interpres suo *attingit ubique* graecam lectionem διήκει καὶ χωρεῖ διὰ πάντων neque integre neque clare expresserat. Namque auctor duo verba synonyma διήκειν et διαχωρεῖν, quae ex philosophico Stoicorum sermone, ut videtur, mutuatus est[1] similique, quo illi, sensu usurpavit, procul dubio eum in finem coniunxit, ut Sapientiam ipsa intima rerum creatarum omnium omnino pervadere et occupare neque quidquam, cui praesens non adsit, relinquere maiore cum vi et efficacia declararet. Id quippe satis aperte ratione addita prodit, qua Sapientiam natura sua omnibus creaturis penetrandis pervadendisque omnino idoneam esse ostendit, nimirum *propter suam puritatem* utique physicam i. e. « propter immensam eius simplicitatem, in qua nec est materia limitans neque differentia contrahens neque potentialitas coarctans » (*Carth.*) seu « propter separationem eius ab omni permixtione, quae actu puro sit indigna » (*Lyr. Holc.*). Nam profecto Sapientia, si omnes creaturas et ipsos purissimos spiritus penetrat, omnibus creatis rebus simplicior subtiliorque et consequenter ab omni materia omnique potentialitate quam longissime remota et actus purissimus sit necesse est.

Quam infinitam puritatem ac simplicitatem Sapientiae (hypostaticae) iure attribui auctor quinque similibus non tam probat quam

1. Duobus verbis διήκειν et διαχωρεῖν Stoicos tum de sua anima mundi tum de deo suo uti solitos esse *Gr.* his testimoniis demonstrat: *Plut.* Placit. phil. I. 8,17; *Sext.* Pyrrh. III. 218; *Athenag.* Supplem. 6 (p. 32. 34. ed. Otto); *Diogen. Laert.* VII, 138. Ceterum etiam ab *Arist.* (de mundo 5) ἡ διὰ σύμπαντος κόσμου διήκουσα δύναμις (virtus universum mundum *pervadens*) terram coelumque exornasse dicitur; similiter *Orig.* (de princ. I. 3) Deum dicit διήκειν διὰ πάντων τῶν ὄντων (omnia entia penetrare) et *Tert.* (Apol. 21) Spiritum vocat « permeatorem universitatis ».

explicat et illustrat, quibus eam ex Deo procedere eiusdemque cum illo naturae, quin etiam perfectam illius imaginem esse docet : 25. *Vapor* (seu *exhalatio*) *est enim virtutis Dei, Et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei* (ad graecum accuratius : *gloriae Dominatoris universorum*) *sincera; Et ideo nihil inquinatum in eam incurrit :* 26. *Candor est enim lucis aeternae Et speculum sine macula Dei maiestatis Et imago bonitatis illius.* Plerique moderni duas has sententias causales (ambae quippe coniunctione γάρ *enim* introducuntur) inter se parallelas esse eademque ratione simplicitati Sapientiae probandae vel potius illustrandae inservire censent; in secunda nimirum particulam γάρ esse repetitam ut argumentatio resumeretur, quae conclusione priorem terminante (*ideo nihil inquinatum* etc.) quodammodo interrupta videbatur. At nihil adest, quod hanc constructionem hoc in loco suadeat, nedum postulet, quoniam tribus ultimis similitudinibus probationem quandam et explicationem conclusionis illius contineri antiquiores interpretes iure tenuerunt (cfr infra). Ad sensum tamen totius huius loci vix quidquam refert, utra constructio praeferatur, dummodo concedatur, omnibus quidem quinque similitudinibus divinam Sapientiae originem, duabus autem prioribus simul consubstantialitem et tribus posterioribus perfectam eius aequalitatem cum Deo ac praesertim eius puritatem seu simplicitatem illustrari. In earum deinde explicatione probe consideretur oportet vetus illud dictum « omnem comparationem claudicare » quam maxime de illis valere metaphoris ac similitudinibus, quae ex rebus materialibus ad spiritualia et ex creatis finitisque ad altissima mysteria divina illustranda desumuntur; proximo enim gravissimoque errandi periculo sese exponit, qui eiusmodi tropos et imagines, cogitatione menteque auctoris aut non satis perpensa aut magis minusve neglecta, fere ad arbitrium suum premere et urgere conatur.

Iamvero ut ad singula transeamus, duo priora inter se similia eo quem ante indicavimus modo iam *Orig.* interpretatus est (in ep. ad Hebr. fragm. apud *S. Pamph.* Apol. pro Orig. 3, *M.* 17,524). Namque apostolicis verbis (*Hebr.* 1,3 ἀπαύγασμα τῆς δόξης κτλ.), quae ad nostrum locum evidenter alludunt, ex eodem lumen quoddam allaturus « nomen, inquit, *vaporis* inducens (auctor) hoc ideo de rebus corporalibus assumsit, ut vel ex parte aliqua intelligere possemus, quomodo Christus, qui est Sapientia, ad similitudinem eius vaporis, qui de substantia aliqua corporea procedit, sic etiam ipse uti quidam vapor exoritur de virtute ipsius Dei... Sic etiam ad similitudinem corporalis aporrhoeae esse dicitur apporrhoea gloriae Omnipotentis pura quaedam et sincera. Quae ambae similitudines manifestissime

ostendunt communionem substantiae esse Filio cum Patre. Aporrhoea enim ὁμοούσιος videtur, i. e. unius substantiae cum illo corpore, ex quo est tum aporrhoea tum vapor ». Accuratiora de vaporis et aporrhoeae natura Orig. non tradit; sed quia auctor hac similitudine simplicitatem (τὴν καθαρότητα) Sapientiae comprobare vel illustrare vult, ἀτμίς autem omnis generis vaporem designat, multi tenuissimum quendam vaporem hic significari apposite monuerunt, inter se autem in accuratiore explicatione non consentiunt. Alii enim ad *Eccli.* 24,5 respicientes, ubi Sapientia ipsa se ex ore Altissimi prodire dicit, hic oris halitum vel spiritum (Hauch, souffle, breath) intelligunt; sed hoc sensu potius πνοή usurpatur (cfr *Iob* 32,8; 33,4 πνοὴ παντοκράτορος) atque minus clare quoque iuxta hanc interpretationem consubstantialitas indicari videtur. Quare alii cum *Eus. Caes.* (Demonstr. evang. IV. 3, *M.* 22,256) suavem odorem, quem aromata et flores exhalant, intelligere malunt (cfr *Eccli.* 24,1 [15] ὡς λιβάνου ἀτμὶς ἐν σκηνῇ sicut thuris vapor in tabernaculo). Qua interpretatione adoptata *Corl.* a Patre Filium consubstantialem procedere dicit, « sicut ab aromate vapor seu suffitus aromati etiam consubstantialis, siquidem ex particulis corporis odoriferi per aerem sparsis constat »; in eo tamen comparationem claudicare recte addit, quod suffitus ab aromate tamquam pars a toto distinguatur, in divina vero generatione neque sit neque admitti queat ulla divinae naturae divisio aut distinctio. Verum his immorari opus non est; nam quaecunque exhalatio tenuis intelligitur, ratio similitudinis in aperto est. Minus vero manifestum videtur, quid nomine *virtutis Dei* (τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως) hic significetur. Plerique quidem omnipotentiam divinam designatam vident, sed haec significatio similitudini nostrae parum congruit, quum sapientia, quocunque sensu sumitur, potentiae exhalatio haud apte dicatur. Nomen δύναμις autem, quamvis saepe potentiam, qua Deus ad extra operatur, significet, interdum etiam universam virtutem vel potius maiestatem valet, qua super omnia exaltatus universitati rerum dominatur (cfr *Matth.* 6,13 text. rec.; 26,64 et parall.; *Apoc.* 4,11; 7,12 etc.; simili modo a Rabbinis הַגְּבוּרָה i. e. *potentia* vocatur). Quae si admittitur significatio, nostrum membrum cum parallelo (ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης εἰλικρινής) ad amussim consonare apparet. Namque ὁ παντοκράτωρ non tam est *Omnipotens,* etsi hoc nomine in *Vulg.* reddi soleat, quam pro etymologia sua *universorum dominator,* atque eius δόξα, ex qua Sapientia effluere seu emanare dicitur, est ipsa essentia sua seu maiestas divina, nimirum gloria, quae in Deo ob infinitam eius perfectionem resplendet et qua eius praesentia manifestatur (i. q. כְּבוֹד יהוה cfr *Exod.* 16,10; 24,16 sq.; 40,34 etc.). Singulari deinde cum emphasi Sapientia appellatur *emanatio gloriae Domini sincera* (εἰλικρινής i. q. εἴλη κριθεῖσα ad solis lucem examinata et *pura inventa*), ut *nihil* omnino, quod ulla ratione sive physice sive ethice sit *inquinatum* vel pollutum (μεμιαμμένον), in eam *incurrere* seu redundare posse, eam igitur perfectissima puritate et simplicitate ornatam esse sua quasi sponte elucescat. Argumentatio denique, quam auctor

duabus his appellationibus metaphoricis complexus est, hoc fere syllogismo exponi potest : Deus natura sua est ens simplicissimum ac purissimum; atqui Sapientia utpote naturae divinae exhalatio et emanatio ei est consubstantialis; ergo Sapientia quoque simplicissima et purissima est et, quamvis omnia penetret, non magis quam Deus ulla re maculatur vel laeditur.

Quam ultimam illationem auctor tribus aliis metaphoris confirmat et illustrat, quae non tantum divinam Sapientiae originem indicant, sed potissimum perfectam eius cum Deo (Patre) aequalitatem ac proinde summam quae nulla ex parte inquinari possit puritatem eius declarant. Primam (ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου *candor lucis aeternae*) Paulus suo ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ (*Hebr.* 1,3 *splendor gloriae Dei*) aliquatenus explicavit (usitatiore quippe nomine δόξης *gloriae* substituto appellationi φωτὸς ἀϊδίου *lucis aeternae,* quum Deus in Scripturis quidem in luce inhabitare, luce vestiri etc., verum nusquam, si nostrum locum et 1. *Ioan.* 1,5 excipis lux[1] esse dicatur) et de Unigenito Dei Filio interpretandam esse insinuavit. Ἀπαύγασμα quippe, quum ab ἀπαυγάζειν (i. q. ἀποστέλλειν αὐγήν emittere splendorem, exsplendescere) derivetur, *splendorem* luminis cuiusdam seu radios a lumine emissos[2] (seu si novum fingere nomen licet *exsplendescentiam*) proxime valet; praecedenti igitur ἀπόῤῥοια, si ad metaphorarum diversitatem attendis, ad amussim respondet; unde non est mirum, quod nonnulli Apostolum non tam nostrum membrum quam praecedens ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης emanatio gloriae Dominatoris) ante oculos habuisse atque Verbi consubstantialitatem efferre voluisse censeant. Hoc sensu iam Theognostus, qui Diocletiani tempore scholae alexandrinae praefuit, dictionem sumsit : « Filii, inquit, natura (seu essentia οὐσία) neque aliquid extrinsecus assumti est neque ex nihilo (ἐκ μὴ ὄντων) educta est, sed ex Patris natura exorta est, sicut luminis *exsplendescentia* (ἀπαύγασμα), sicut aquae *vapor* (ἀτμίς); neque enim exsplendescentia aut vapor ipsa aqua est aut ipse sol, neque aliquid extranei (seu peregrini ἀλλότριον), sed emanatio (ἀπόῤῥοια) naturae Patris, sine ulla tamen divisione naturae Patris » (*Theogn. Alex.* Hypotyp. fragm. apud *S. Athan.* de decr. Nic. 25). Quam deinde praeter Patres graecos, qui ep. ad Hebr. commentati sunt (uti *Chrys. Cyr. Alex.* apud Oecum. *Theodoret. Damasc. Theoph.*[3] alii

1. Diversi enim generis appellationes sunt, quibus Verbum dicitur « lux hominum » « lux vera, quae illuminat omnem hominem » etc. (*Ioan.* 1,4,9) aut Christus, Verbum incarnatum, sese dicit « lucem mundi » (*Ioan.* 8,12; 9,5; 12,46) aut etiam se ipsum nudo nomine « lucis » designat (*Ioan.* 3,19), quum hisce munus indicetur, ad quod implendum Verbum caro factum erat (cfr *Lightf.* The epistles of St. John, p. 16).

2. Cfr *Schleusn.* Lexic. qui allegat *Hesych.* : ἀπαύγασμα, ἡλίου φέγγος (solis splendor): *Lex. Cyrilli* manuscr. Brem. : ἀπαύγασμα, ἀκτὶς ἡλίου, ἡ πρώτη τοῦ ἡλιακοῦ φωτὸς ἀποβολή (radius lucis, prima solaris lucis emissio).

3. S. Chrysostomi explicationem dicti apostolici *Theoph.* his verbis complectitur : « Ad ipsum fastigium laudationis Filii Dei ascendens *gloriae splendorem* (ἀπαύγασμα δόξης) eum dicit, ut discas, quod sit ex ipso, quod sine passione, quod eo (sc. Patre) non imminuto, quod eiusdem substantiae, i. e. lux de luce; nam nostras animas ille illuminavit et Patrem ipsum repraesentavit (ἐσήμανε). Propterea etiam dixit : *ego sum lux mundi,* quia simul

quoque Patres graeci et latini secuti sunt, qui quum auctoris nostri tum Apostoli dictione consubstantialitatem Filii et Patris demonstrarunt (cfr *Petav.* Theol. dogm. II, l. 5, c. 8). Inter quos praeclare *S. Aug.* (de Trinit. IV, 20,27) : « Verbum Patris est Filius, quod et Sapientia eius dicitur. Quid ergo mirum, si mittitur, non quia inaequalis est Patri, sed quia *emanatio est quaedam claritatis Omnipotentis sincera.* Ibi autem quod manat et de quo manat unius eiusdemque est substantiae; neque enim sicut aqua de foramine terrae vel lapidis manat, sed sicut *lux de luce.* Nam quod dictum est : *candor est enim lucis aeternae,* quid aliud dictum est, quam *lux de luce aeterna?* Candor quippe lucis, quid nisi lux est? Et ideo coaeterna luci, de qua lux est; maluit autem dicere *candor lucis* quam lux de luce, ne obscurior putaretur ista quae manat, quam illa de qua manat; quum enim auditur *candor* esse ista, facilius est, ut per hanc lucere illa, quam haec minus lucere credatur. Sed quia cavendum non erat, ut minor lux illa putaretur, quae istam genuit, illi cogitationi occurrit Scriptura, qua posset videri obscurior lux ista quae manat, quam illa de qua manat; quam suspicionem tulit, quum ait : *candor est* illius i. e. *lucis aeternae,* atque ita ostendit aequalem. » Eandem nominis ἀπαύγασμα significationem iuniores quoque omnes et plerique moderni catholici libri nostri et ep. ad Hebr. commentatores (ex modernis cfr *Corl. LR. Schm. Les.* etc.; *Bisp. LR. Dr. MEv. Padov. Schaef.* etc.) et multi theologi adoptarunt, quos supra nominavimus. Ac fatendum profecto est, eam aptam esse locique huius contextui congruere, si nostram metaphoram quasi pro explicatione membro praecedenti (ἀπόῤῥοια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης) addi cum *S. Aug.* conceditur [1]. De hoc autem nexu moderni nonnulli haud sine causa dubitant; nam metaphoram nostram ad duas sequentes (*speculi* et *imaginis*), quibuscum coniunctione καί ... καί connectitur, potius quam ad praecedentem (*emanationis*), a qua separatur inserta conclusione (*et* ideo *nihil inquinatum* etc.) pertinere ac proinde simili modo quo illas exponendam esse iure monent (cfr *Gutb.* — Gr. etc.). Hinc alteram nominis ἀπαύγασμα significationem praeferunt, quippe quod, licet proxime radium seu splendorem e lumine directe emissum significet, interdum etiam lucem repercussam vel potius imaginem radiis repercussis seu reflexis formatam, uti solis in aqua, denotare certis exemplis demonstratur (cfr *Philo.* de plantat. ed. Mangey I. 317). Itaque sicut solis in aqua repercussio (der Abglanz, le reflet, the reflection) solem tam accurate reddit et effingit, ut quasi alter sol esse videatur, ita aeterna lux radiis suis repercussis absolutissimam sui

cum eo ab aeterno lucet; splendor quippe una cum re, quae splendorem emittit, collucet. Nam neque sol sine splendore unquam apparuit, neque Pater intelligitur sine Filio. Quando igitur Arianos audis dicentes : si ex Patre est Filius, posterior est Patre, responde eis, splendorem a sole esse neque tamen eo esse posteriorem; simul enim sol cum suo splendore apparet. »

1. Eodem sensu iam *S. Athenag.* (Supplic. pro Christ. 10) nomen ἀποῤῥοίας de S. Spiritu adhibuit : « S. Spiritum esse ἀπόῤῥοιαν (emanationem) Dei dicimus utpote emanantem (ἀποῤῥέον) et redeuntem, sicut radium solis. »

ipsius effigiem gignit, Sapientiam scilicet genitam, quae ingenitae Sapientiae non tantum est simillima sed aequalis, quum eadem sapientia uti essentia est Patris ac Filii. Probe quippe id quod supra monuimus ante oculos habeatur oportet, metaphoras ex rebus creatis desumptas, si ad divina illustranda adhibentur, non licere omni ex parte urgere atque quiquid est imperfectum sollicite esse removendum.

Sensu quidem haec altera explicatio primi membri a priore et communiore haud multum differt, nexum tamen, si admittitur, commodiorem et concinniorem praebet praesertim cum duobus sequentibus, quae certo modo, quum effigiei notionem clarius exprimant, primo tamquam explanatio vel illustratio addi videntur. Etenim in secunda (ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας *speculum sine macula maiestatis Dei*, proprie : energiae seu vigoris Dei) nomine ἔσοπτρον (*speculum*) hic, uti saepius, non tam ipsum instrumentum, quo radii lucis colorumque repercutiuntur, quam metonymice imago in speculo expressa (das Spiegelbild, l'image reflétée) significatur, quae *immaculata* dicitur tamquam accurata et perfecta divini vigoris repraesentatio, quae nulla in re ab archetypo dissentiat. Similiter in tertio (εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ *imago bonitatis illius* sc. Dei) nomen εἰκών non tantum Sapientiam similem esse bonitati divinae declarat, sed etiam hanc similitudinem ex bonitatis divinae imitatione derivari ac dependere; nam « natura effigiei (εἰκόνος), inquit *Greg. Naz.* (Orat. 35), est ut sit archetypi imitatio » et secundum *S. Ioan. Damasc.* (de imagin. I. 9. « effigies est similitudo, quae prototypum expressum refert » (εἰκών ἐστιν ὁμοίωμα χαρακτηρίζον τὸ πρωτότυπον). Tribus igitur his similitudinibus Sapientiam ex Deo oriri et ipso ortu suo Deo perfecte similem vel potius aequalem esse docetur. Porro eadem ratione, qua in duobus *v.* 25 membris nominibus δυνάμεως (*virtutis*) et δόξης (*claritatis* vel *gloriae*), etiam in his tribus divina essentia, prout in Patre subsistit, nominibus φωτὸς ἀϊδίου (*lucis aeternae*), ἐνεργείας (*maiestatis*), ἀγαθότητος (*bonitatis*) designatur. Ac primam quidem appellationem *lucis aeternae* aptissimam esse divinae naturae metaphoram facile apparet consideranti in Scriptura nomine lucis non tantum splendorem et gloriam, sed veritatem quoque, sanctitatem, beatitudinem, uno verbo quidquid in suo genere praestantissimum hominique maxime optabile est describi, tenebras vero, quae « in Deo non sunt ullae » (1 *Ioan.* 1,5) appellari quidquid est malum. Minus certa est alterius nominis ἐνεργείας significatio; parum recte a nonnullis *virtus* seu potestas (i. q. δύναμις) redditur; nam est potius potestatis exercitium; unde nonnulli illud reddunt *operationem* vel *inoperationem*; sed ne hoc quidem nostrae metaphorae satis congruit; cum antiquo igitur interprete quodam (*Ps. Aug.* de incarn. Verbi 13) illud latino *vigor* reddere malumus; quo nomine hic designari censemus ipsam essentiam divinam, quatenus est actus purus, atque id nostram Vulgatam quoque versione sua libera *speculum immaculatum Dei maiestatis* exprimere voluisse probabile est (*Gutb.*). Tertio demum in loco nomine *bonitatis* hic non tam benignitas intelligitur, qua Deus sese cum creaturis communicat, quam interna illius perfectio, qua non

tantum bonus, sapiens, potens etc., sed ipsa est bonitas, sapientia, potentia etc.

A Sapientiae natura divina auctor ad divinam eius virtutem transit novamque descriptionem praecedenti per δέ metabaticum adiungit (quam particulam *Vulg.* recte latino *et* expressit) : 27. *Et quum sit una, omnia potest, Et in se permanens omnia innovat, Et per nationes* (κατὰ γενεάς i. q. quavis hominum aetate) *in animas sanctas se transfert* (μεταβαίνουσα, *transferens*) *Amicos Dei et prophetas constituit*. Haud dubie tertium et quartum ex epithetis, quibus (*vv.* 22.23) Spiritum qui in Sapientia est descripsit (μονογενές, πολυμερές *unicus, multiplex*), hac in sententia vult explanare, ita tamen ut ad ea quae immediate antea de natura Sapientiae tradidit, respiciat. Namque Sapientia (hypostatica), quum a Deo (Patre), uno simplicissimo ac simul omnipotente suaque virtute omnia conservante atque gubernante, tamquam eius absolutissima atque consubstantialis imago ac repraesentatio procedat, numero quidem una et ratione naturae simplicissima, multiplex vero virtute et operatione sit necesse est. Unde *quamvis una sit* et simplicissima, *omnia* aeque ac Pater facere *potest, et in se* semper eadem et immutata *permanens* (namque in actu puro in eiusque imagine consubstantiali ne minima quidem immutatio potest cogitari nedum fieri) *omnia innovat* novos semper producens effectus in ordine tum naturali tum supernaturali suasque perfectiones sine ulla sui ipsius diminutione diversissimis modis cum creaturis communicans. Auctorem his verbis Sapientiae immutabilitatem, quae strictissimo sensu divinum attributum vocari meretur, quum solus Deus reliquis omnibus nascentibus crescentibus intereuntibus idem semper permaneat, celebrare voluisse *Castro* sua explicatione innuit; nam « licet ipsa sapientia, inquit, nihil admittat novi, quia ipsamet perseverat, nova tamen semper operatur, dum diversa facit; et licet omnes res diversis modis eam participent ipsaque per diversa effecta in rebus omnibus tanta cum claritate eluceat, eadem ipsa permanet ». Dubitari nequit, quin auctor his verbis ad *Ps.* 101,26-28 et 103,30 respexerit, quibus in locis Dei Creatoris universarumque rerum gubernatoris immutabilitas proxime celebratur; nihilominus *S. Aug.* (de fide et symb. 3) recte loco nostro usus est ad divini Verbi immutabilitatem adstruendam. Altero enim quod addit membro auctor Sapientiam praeprimis velut gratiarum auctricem et distributricem considerat, quae sua operatione homines ad intimam cum Deo amicitiam adducat, quia quavis aetate et omnibus in populis (κατὰ γενεάς) in animas sanctas se transferat. Dictio distributiva κατὰ γενεάς

a plerisque ita explicatur, ut idem valeat quod « quavis in generatione » seu « quavis aetate ». Quae explicatio ad nostram sententiam egregie quadrat, quum Deum nullo tempore populo suo defuisse sed quavis aetate usque ad Messiae adventum in eo viros sanctos et prophetas excitasse historice constet; haec explicatio etiam versioni Vulgatae (*per nationes*) satis congruit, siquidem vetus noster interpres interdum graecum γενεά ibi quoque latino *natio* reddidit, ubi non nisi sensu aetatis vel potius generationis hominum certa aetate degentium intelligi potest (cfr *Eccli.* 2,10 ἐμβλέψατε εἰς ἀρχαίας γενεάς *Vulg.* : « respicite nationes [i. e. generationes priscas] hominum) ». Attamen altera ex parte sententiae nostrae illa quoque explicatio congruit, quam latina versio *per nationes* menti proxime suggerit, ut Sapientia in cunctis populis viros sanctos et prophetas constituisse significetur; nam graecum γενεά etiam stirpem seu gentem ac nationem valet (cfr *Lev.* 13,18, ubi hebr. עַם respondet). Quod autem *Gr.* obiicit, ardens odium, quo auctor noster in exteras nationes flagret, prohibere, quominus eum etiam inter illas viros sanctos et prophetas agnovisse dicamus, id nullius est momenti; namque in libro nostro absurditas quidem et impietas idololatriae acriter impugnatur poenaeque, quibus Deus contumaces aegyptios et chananaeos afflixit, fusius describuntur, caeci autem aliarum nationum odii vestigium non invenitur. Quare nihil obstat, quominus a Sapiente hic simul idem innui dicamus, quod S. Petrus coram Cornelio centurione clare asserturus erat, « omni in gente Deo acceptos esse, qui eum timent et iustitiam operantur « (*Act.* 10,35).

Quibus ultimis verbis quasi definitio quaedam continetur *animarum sanctarum,* in quas Sapientia se transferre (vel immigrare μεταβαίνειν) asseritur. Dubium quippe non est, quin eorum hic animae intelligantur, quos auctor *supra* (cfr ad 6,17) « sapientia dignos » appellavit, quia cum gratia praeveniente cooperati Deum vocantem sequi studioque sapientiae sese tradere atque hac ratione ad sapientiam recipiendam sese rite disponere iam incepissent. In eorum igitur animas, quae hic quasi proleptice sanctae appellantur (vel si mavis : inchoative iam sanctae sunt), Sapientia ingreditur, ut praesens gratiam sanctificantem eis infundat in eisque mansionem faciens stabile sibi domicilium condat (cfr *Ioan.* 14,23). Cuius immigrationis deinde ultimus finis est, ut eas ipsa sua inhabitatione *amicos Dei et prophetas faciat* (κατασκευάζει proprie : idoneos facit, qui sint amici Dei). *Amicus Dei* (φίλος Θεοῦ) inter Veteris Test. iustos solus Abraham tum in Scripturis (*Is.* 41,8 אַבְרָהָם אֹהֲבִי *Abraham amicus meus,* cfr 2 Par. 20,7; Dan. 3,35 seu Orat. Azar. *v.* 11; Iudith 8,22 Vulg.; Iac. 2,23) tum a

iunioribus Iudaeis, maxime a Philone, diserte nominatur. Unde legitime colligere nobis videmur, hac *amici Dei* appellatione auctorem voluisse praestantissimum, ad quod Veteris Testam. iusti pervenire potuerunt, beneficium ac praemium designare. Haud immerito quippe amicitiam Dei iustis illis cum Sapientia cohabitantibus promissam comparare, opinor, et assimilare licet longe praestantiori et eminentiori dono iustis Novi Testam. promisso, divinae nimirum filiationis adoptivae, qua iuxta S. Paulum (cfr nostrum Comm. in Gal. 4,5.6, p. 526 sqq.; Comm. in Rom. 8,14-16, p. 414 sqq.) fideles exornantur, quando per fidem et gratiam in Christum, Filium Dei naturalem, inseruntur ut eius membra fiant et unum cum eo tamquam capite suo corpus mysticum constituant; cuius autem filiationis certi redduntur Spiritu Filii (cfr *v.* 22 Spiritus qui in Sapientia est) in eorum corda misso, a quo incitantur et impelluntur, ut Deum eodem *Patris* nomine, quo Christus in terris degens usus est, invocantes se ipsos Dei filios (adoptivos) profiteantur; id quod Iudaeis sub Lege servientibus neque usitatum neque licitum fuisse *antea* (cfr append. p. 104 sq.) monuimus. Altero porro nomine *prophetae* non ii in Scripturis proprie appellantur, qui res futuras praedicunt, sed appellatio haec proxime ac directe valet *interpretem Dei* seu iuxta *S. Aug.* (Quaest. in Heptat. II. 17) « enuntiatorem verborum Dei hominibus, qui Deum vel non possunt vel non merentur audire ». Haec procul dubio notio nomini subiecta est, ubi Abraham, quamquam nihil unquam, quantum sciamus, futuri praedixit, a Deo ipso propheta suus vocatur, quia « filiis suis et domui suae praecepit, ut custodirent viam Domini », quam ille scilicet a Deo revelante didicerat (*Gen.* 20,7; cfr 18,17-19). Eandem autem notionem nostro loco egregie congruere clarum est; et vix dubitari potest, quin auctor hunc Abrahae titulum ante oculos habuerit; aptissime quippe iusti inhabitatione Sapientiae non tantum amici Dei, uti Abraham, sed etiam prophetae, sicut ille, constitui dicuntur, quatenus voluntatem Dei ipsi sint edocti eandemque impellente Deo (sive verbis sive tota sua vita) alios edoceant. Minus recte alii (cfr *Lor. Lap. Calm. Les.* etc.) nomine prophetae hic « per catachresin virum eximie sapientem et sanctum » significari putant; nam neque catachreseos admittendae ulla adest ratio neque vir, quamvis sapiens et sanctus, iam propheta appellari potest, nisi sapientiam suam cum aliis tamquam Dei interpres communicet. Longius a vero aberrare censemus illos, qui nomine prophetiae hic omnes gratias gratis datas quodammodo comprehendi volunt (cfr *Tirin. Gutb.* etc.).

Sequitur iam causa, cur Deus eos solos, in quos Sapientia se trans-

fert, tam praeclaris donis exornet : 28. *Neminem* (graece : *nihil*) *enim diligit Deus Nisi eum qui cum Sapientia inhabitat* (graece : *cohabitat*). Graeci adiectivum neutrum (sing. et plur.) haud raro de personis usurpant, ubi totam aliquam earum classem designare volunt (cfr *Beel.* Gram. p. 178; *Blass.* Gr. 81. 152); similiter auctor οὐθέν pro οὐθένα hic adhibere maluit, ut universali suae sententiae maiorem vim adderet. Quam integram sententiolae vim latinum *neminem* non exhaurit. Significanter quoque auctor solum τὸν σοφίᾳ συνοικοῦντα a Deo amicitiae amore diligi dixit. Etenim verbum συνοικεῖν, quum plerumque de coniugibus cohabitantibus adhibeatur, perpetuam et familiarem coniunctionem seu quasi connubium quoddam iusti cum Sapientia (cfr 8,2 sqq.) connotat; unde consequens est, ut participium μεταβαίνουσα (*se transferens*) non liceat cum nonnullis ita interpretari, quasi Sapientia dumtaxat salutandi causa, mox iterum abitura, in animas sanctas intrare dicatur, sed in eas ingreditur, uti ante iam diximus, ut in eis manens stabileque sibi domicilium collocans familiariter cum iis conversetur. Qua familiari deinde et continua Sapientiae inhabitatione efficitur, ut animae ei fiant similes et consequenter dignae, quas Deus in suam amicitiam recipiat optimisque suis donis augeat.

Quae confirmaturus auctor ad Sapientiae eximiam pulchritudinem dignitatemque eminentem praedicandam transit, quippe in qua sita sit causa, cur Deus et eam ipsam et illos quos inhabitatione sua sibi reddit similes tanto cum amore complectatur : 29. *Est enim haec speciosior* (εὐπρεπεστέρα) *sole, Et super omnem dispositionem* (θέσιν) *stellarum; Luci comparata invenitur prior*[1] (προτέρα); 30. *Illi enim succedit nox*; *Sapientiam autem non vincit malitia* (οὐκ ἀντισχύει κακία); 8,1. *Attingit ergo* (lege : *pertingit autem*) *a fine usque ad finem fortiter, Et disponit omnia suaviter.* Satis mirum est, quod unus alterve non amplius de ipsa Sapientia, de qua in tota praecedente pericope et iterum inde ab 8,2 agitur, dici arbitretur, sed de homine iusto per inhabitantem Sapientiam ad dignitatem quasi divinam provecto; id enim quominus admittatur contextus sermonis omnino prohibet neque quidquam nostro in loco legitur, quo a communi interpretatione recedere cogamur. Egregie enim auctor Sapientiam, postquam eam quum sua natura et origine tum felici operationis suae fructu plane singularem locum occupare ostendit, nunc pulchritudine quoque et dignitate omnibus longe praestare demonstrat. Quem in finem res

1. In responsorio lectionis quintae Officii de Immaculata Conceptione legitur accommodaticie : « Luci comparata invenitur *purior* ».

creatas illas, quae splendore, magnificentia, puritate inter reliquas ita eminent, ut summis laudibus ab omnibus celebrentur, quin etiam a nonnullis pro diis habeantur, solem dico coelumque stelliferum et lucem, cum Sapientia comparat. Quam apta sit Sapientiae notionalis, a qua tota nostra pendet lux et vita spiritualis, comparatio cum sole, qui lumine et calore suo terram hanc exornat et fecundat, non est quod dicam; ad nostram sententiam respiciens auctor hymni « Iesu dulcis memoria » exclamat : « Iesu sole serenior, ceteris amabilior » et precatur Ecclesia (in festo Ascens.) : « O sol salutis, intimis, Iesu, refulge mentibus ». Sicuti autem solem splendore, ita pulchritudine Sapientia superat stellas in coelo tanta cum varietate, non obstante suo ordine, dispositas; *supra* (*v.* 19) de stellarum dispositionibus seu sitibus agebatur, quatenus ordine suo tempora definiunt, hic autem quatenus varietate sua magnificum praebent oculis spectaculum. Luce quoque, quamvis sit pura et pulchra, Sapientia deprehenditur *prior* i. e. praestantior non tantum ob maiorem suam puritatem, sed praeprimis ob suam immutabilitatem et constantiam; lux materialis crescit et descrescit atque saepe tenebris obruitur, ut plane dispareat (*luci enim succedit nox*); Sapientia vero, utpote aeternae lucis candor (cfr *v.* 26), semper eadem manet neque quidquam tenebrae malitiae seu malignitatis et impietatis, quamvis eam vehementissime impugnent, contra eam valent (ἀντισχύει).

Tantum autem abest, ut a malitia vincatur aut impediatur, ut ubique ac semper eadem ratione operetur; *a fine enim usque ad finem* seu ab una extremitate usque ad alteram universitatis rerum creatarum pertingit seu se extendit, omnia pervadens et penetrans (cfr ad *v.* 24), idque *fortiter* (εὐρώστως) i. e. ita ut nihil sit in rerum universitate, in quo eius vigor et virtus sese non exserat ac manifestet. Iure miraberis, quod *Gr.* ob affinitatem, quam inter auctoris nostri et Philonis doctrinas adesse sibi persuasit, asserere non dubitet, sententiam hanc non nisi de emanatione quadam explicari posse auctoremque nostrum eadem ratione qua Philonem Sapientiam sicut lucis radium quendam mundum pervadere putasse (p. 166 cfr etiam p. 160 etc.); oblivioni quippe dedisse videtur, Sapientiam in praecedente descriptione saepe et quidem disertissime ens simplicissimum et a materia remotissimum dici (cfr *vv.* 22-27). Bene iam suo tempore *S. Aug.* (ad Dard. ep. 57, qu. 1), qui ex nostra sententia Sapientiam Deum esse confirmat, « sic, inquit, Deus est per cuncta diffusus, ut non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens et sine onere continens mundum »; atque *S. Bern.* (de gr. et lib. arb. c. 10, n. 33) : « *attingit fortiter* non quidem mobili discur-

sione vel locali diffusione vel subiectae creaturae tantum officiali administratione, sed substantiali quadam et ubique praesente fortitudine, qua utique universa potentissime movet, ordinat et administrat ». Tamquam ubique igitur praesens Sapientia *disponit omnia suaviter* (διοικεῖ τὰ πάντα χρηστῶς). Verbum διοικεῖν pro sua etymologia (ab οἶκος *domus*) proxime valet negotia domestica curare seu domum familiamque administrare; unde latiore sensu etiam de reipublicae administratione usurpari coeptum est (cfr *v.* 14. διοικήσω λαούς gubernabo populos). Cum Platone autem (Phaedr. 246 C., de Legib. X. 896 C etc.) et Stoicis (cfr *Diog. Laert.* VII. 133; *Chrysipp.* apud Plut. Plac. philos. I. 28) noster quoque auctor illud aptissime ad divinam mundi gubernationem transtulit (hic et 12,18; 15,1; cfr *S. Thom.* de verit. qu. 5, a. 2). Quae divina providentia *omnia* (τὰ πάντα) complecti dicitur, ut nihil neque inter maxima neque inter minima inveniri doceatur, quod divinae providentiae non subiaceat aut ad finem ei praestitutum ab illa non dirigatur. Modus porro, quo divina gubernatio exercetur, adverbio χρηστῶς exprimitur, quod hic a *Vulg.* recte vertitur *suaviter*. Namque divinam gubernationem, quamvis efficacissima sit, violentam tamen non esse, sed rerum naturis convenientem ac consonam Sapiens significare vult. Procul quidem dubio rerum omnium directio ad fines suos a principio extrinseco provenit, nimirum a divina sapientia, sed haec cunctas res ita disponit, ut a principio quoque intrinseco ad fines suos inclinentur. Egregie *S. Thom.* (Summ. 1, 2, qu. 110, a. 2) : « Creaturis naturalibus Deus sic providet, ut non solum moveat eas ad actus naturales, sed etiam largiatur eis formas et virtutes quasdam, quae sunt principia actuum, ut secundum seipsas inclinentur ad huiusmodi motus; et sic motus, quibus a Deo moventur, fiunt creaturis connaturales et faciles secundum illud : *disponit omnia suaviter.* » Quam doctrinam S. Thomas a *S. Aug.* (de civ. Dei VII. 30) haereditate accepit, iuxta quem « Deus sic administrat omnia quae creavit, ut etiam ipsa proprios (secundum formas sibi inditas) exercere et agere motus sinat. » Hac igitur ratione divina gubernatio efficax est, sed simul suavis, quum se causis secundis attemperet. Quae autem de suavi rerum naturalium gubernatione et administratione valent, ea de supranaturalibus quoque valere manifestum est. « Neque enim, inquit *S. Thom.* (l. c.), conveniens est, ut Deus minus provideat his, quos diligit ad bonum supernaturale habendum, quam creaturis, quas diligit ad bonum naturale habendum... Multo igitur magis his quos movet ad consequendum bonum supernaturale aeternum, infundit aliquas formas seu qualitates supernaturales, secundum quas suaviter et prompte ab ipso moveantur ad bonum

aeternum consequendum » (cfr etiam Summ. 2, 2, qu. 23, a. 2; qu. 165 a. 1, etc.). Similiter *Ps. Dion.* (de div. nomin. 5) contra eos, qui nos a Deo ad virtutem cogi oportuisse dicebant, monet : « non est providentiae divinae violare naturam, sed ea (sc. providentia) est naturae cuiusque conservatrix, eis quae per se moventur et libero aguntur arbitrio convenienter providens omnibusque et singulis proprie, prout omnium singulorumque natura capit, pro modo cuiusque providentissimam bonitatem impartiens » etc.

4. — *Cur Salomon cum divina Sapientia uniri et hac ratione vere sapiens fieri concupierit* (8,2-18).

Haud sine ratione Sapiens per Salomonem praecedenti sectione divinam Sapientiam hypostaticam tot tantisque laudibus exornavit; laudes enim, quas increatae sapientiae tribuit, suo modo ad creatam quoque, quam legentibus maxime commendare vult, pertinent. Namque « sapientia, qua formaliter sapientes sumus, est participatio quaedam divinae sapientiae » (*S. Thom.* Summ. theol. 2, 2, qu. 23, a. 2, ad 1; cfr *Proleg.* § 2,2); vere sapientes quippe, uti paullo ante (7,27 sq.) indicatum est, non constituimur nisi Sapientiae hypostaticae in nostro animo inhabitatione seu intima illius nobiscum unione. Id autem hac in sectione accuratius explanat ardenti suo unionis illius desiderio descripto atque ex eiusdem praestantia et utilitate omnimoda explicato et confirmato. Quam vehementer autem illam unionem concupierit et quam arcta sit illa unio, coniugii similitudine declarat, qua doctrinam suam proponit. Etenim inter coniunctiones humanas nulla est, quae arctior sit coniugio, quo vir et mulier ita inter se quasi coalescunt, ut duo fiant una caro, neque ulla, quam sponsus ac sponsa ardentius desiderare soleant, quum novae unionis causa vetus illud vinculum, quo ex nativitate astringuntur parentibus, quodam modo dirumpere non dubitent (cfr *Gen.* 2,24; *Matth.* 19,5).

Supra (7,28) iam haec similitudo verbo συνοικεῖν (cohabitare) leviter est indicata, quippe quod de familiari coniugum usu et consuetudine frequenter a profanis scriptoribus atque etiam in S. Scriptura aliquoties (cfr 1 *Petr.* 3,7) usurpari diximus, eadem autem hanc sectionem ita regit et continet (cfr *vv.* 2. 9. 18), ut nonnulli ad illam totius nostri capitis sententias dispositas esse arbitrentur.

Satis lepide *Holc.* hanc divisionis rationem his fere verbis proponit : « Salomon, ut suae sapientiae amorem vehementem manifestet, poetica cum licentia narratione licta quidem sed veram continente doctrinam se ipsum inducit sub forma iuvenis nobilis, qui nuptias cum virgine nobilissima, quam Sapientiam vocat, affectet. Pru-

dens autem vir matrimonium initurus sic procedere solet; primum indolem gratiasque puellae considerat, quam ducere sibi proponit, deinde dotem divitiasque quas per eam sibi allatum iri sperat perpendit, tum, sua ipsius conditio conveniatne puellae cognoscere studet, ac demum inquirit, quomodo a puellae parentibus eam impetrare possit. Hinc Salomon quoque matrimonium cum Sapientia contracturus praeprimis sponsam ostendit mirabiliter amabilem esse et gratiosam (*vv.* 2-8), atque illius dotem summe esse desiderabilem et ditissimam (*vv.* 9-18), suam autem ipsius conditionem esse spectabilem ac virtuosam (*vv.* 19-20), ac tandem puellae datorem nobilissimum et gloriosum esse (*v.* 21).

Attamen haec capitis nostri disponendi ratio, quamvis specie quadam unitatis et convenientiae sese commendare videatur, vel ideo nobis non probatur, quia trium ultimarum capitis sententiarum erroneam supponit interpretationem easque immerito cum praecedentibus tam arcte coniungit. Neque enim illis sententiis (*vv.* 19-21) Salomon naturales suas dispositiones ita exponit, ut eas utrinque congruere tantae sponsae intelligi velit (id quod cum *Holc.* aliisque antiquioribus etiam *Corl. Gutb.* etc. arbitrantur), sed e contrario aperte profitetur hominem, etiamsi optimis donis naturalibus sit instructus, assequendae sapientiae imparem esse, quia donum gratuitum sit, quod non nisi humiliter a Deo illud petentibus concedatur. Sententiae illae igitur ad sequentem pertinent sectionem, in qua ex suo ipsius exemplo proposito qua via ad veram sapientiam perveniatur docet.

Ceterum priorem capitis partem i. e. *vv.* 2-18, quos solos haec sectio complectitur, simili modo quo *Holc.* duas in particulas distribuimus, in quarum priore (*vv.* 2-8) Salomon quam expetenda optandaque sit unio cum Sapientia hypostatica, huius nobilitate iterum commemorata bonisque quae omnibus afferat recensitis, demonstrat, in altera (*vv.* 9-18) vero fructus illos enumerat, quos sibi regi ex illa unione proventuros esse speravit, quosque re obtinuit.

1). *Quam praestans omnibusque utilis sit unio cum divina Sapientia* (8,2-8).

8,2. Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea, Et quaesivi sponsam mihi eam assumere, Et amator factus sum formae illius. 3. Generositatem illius glorificat contubernium habens Dei, Sed et omnium Dominus dilexit illam; 4. Doctrix enim est disciplinae Dei Et electrix operum illius. 5. Et si divitiae appetuntur in vita, Quid sapientia locupletius, quae operatur omnia? 6. Si autem sensus operatur, Quis horum, quae sunt, magis quam illa

8,2. Ταύτην ἐφίλησα καὶ ἐξεζήτησα ἐκ νεότητός μου, Καὶ ἐζήτησα νύμφην ἀγαγέσθαι ἐμαυτῷ, Καὶ ἐραστὴς ἐγενόμην τοῦ κάλλους αὐτῆς. 3. Εὐγένειαν δοξάζει συμβίωσιν Θεοῦ ἔχουσα, Καὶ ὁ πάντων δεσπότης ἠγάπησεν αὐτήν. 4. Μύστις γάρ ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιστήμης, Καὶ αἱρετὶς τῶν ἔργων αὐτοῦ. 5. Εἰ δὲ πλοῦτός ἐστιν ἐπιθυμητὸν κτῆμα ἐν βίῳ, Τί σοφίας πλουσιώτερον τῆς τὰ πάντα ἐργαζομένης; 6. Εἰ δὲ φρόνησις ἐργάζεται, Τίς αὐτῆς τῶν ὄντων μᾶλλόν ἐστι

est artifex? 7. Et si iustitiam quis diligit, Labores huius magnas habent virtutes; Sobrietatem enim et prudentiam docet, Et iustitiam et virtutem, Quibus utilius nihil est in vita hominibus. 8. Et si multitudinem scientiae desiderat quis, Scit praeterita et de futuris aestimat; Scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum; Signa et monstra scit antequam fiant, Et eventus temporum et saeculorum.

τεχνίτης; 7. Καὶ εἰ δικαιοσύνην ἀγαπᾷ τις, Οἱ πόνοι ταύτης εἰσὶν ἀρεταί· Σωφροσύνην γὰρ καὶ φρόνησιν ἐκδιδάσκει, Δικαιοσύνην καὶ ἀνδρίαν, Ὧν χρησιμώτερον οὐδέν ἐστιν ἐν βίῳ ἀνθρώποις. 8. Εἰ δὲ καὶ πολυπειρίαν ποθεῖ τις, Οἶδε τὰ ἀρχαῖα καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζειν, Ἐπίσταται στροφὰς λόγων καὶ λύσεις αἰνιγμάτων, Σημεῖα καὶ τέρατα προγινώσκει Καὶ ἐκβάσεις καιρῶν καὶ χρόνων [1].

A modernis nonnullis (*Gutb.* — *Gr. Deane*) pulcherrima Sapientiae hypostaticae descriptio (7,22-8,1) ferme pro digressione quadam ab auctoris argumento aliena haberi videtur, qua terminata auctor nunc (8,2) ad narrationem de suae ipsius sapientiae origine (7,7-21) continuandam revertatur. At enim interruptionis eiusmodi nullum invenitur vestigium, quoniam descriptionis initium cum sectione cam praecedente et finis cum nostra sectione non tantum constructione grammatica sed etiam interno nexu logico arcte colligantur (7,22. « *est enim in illa* sc. Sapientia divina, quam magistram suam fuisse dixit, *Spiritus intelligens* » etc.; 8,2 « *hanc,* sc. Sapientiam divinam, quam virtutibus eius recensitis idoneam magistram fuisse ostendit, *amavi* » etc.). Insuper etiam consideretur oportet, secundum libri nostri doctrinam hominem vere sapientem non fieri, nisi Sapientia divina in eius animo sibi habitationem eligat eumque secum coniungat et uniat. Omnino ergo Sapientiae hypostaticae descriptio ad argumentum auctoris pertinet; quare rectius dicemus, Salomonem in nos-

1. *VV. LL.* — 3. Genet. *illius* et partic. *sed* neque in graeco neque in verss. neque apud antiquiores Patres : cfr S. Hilar. in Ps. 127,9; S. Aug. de mor. Eccl. I. 28. — 4. αἱρετίς (*electrix*) plurimi codd. graec. ac verss.; paucissimi codd. parum recte εὑρετίς vel εὑρετής (inventrix) exhibent; lectio arm. *amatrix* est potius liberior versio quam (Feldm.) lectionis gr. ἐραστής vestigium cfr versionis authenticae anglicanae *lover.* — 5. πλουσιώτερον (*locupletius*) omnes codd. graec. et verss.; solus, ut videtur, ℵ habet τιμιώτερον (pretiosius). Item omnes ἐργαζομένης (operosae seu *quae operatur*), ℵ minus apte περιεργαζομένης (in supervacaneis operosae, vel si mavis : curiose inquirentis). — 6. εἰ δὲ φρόνησις ἐργάζεται (*si autem sensus* seu intelligentia *operatur*) omnes codd. graeci cum *Vulg.*; *Copt.* et *Syr.* legisse dicuntur εἴ τις vel εἰ δὲ φρόνησιν ἐργάζεται (si quis autem prudentiam operando [sibi] comparat) cfr *Feldm.*; quae lectio, si genuina esset, contextum concinniorem redderet; ob eandem rationem *Bois* legendum esse coniicit : εἰ δὲ φρονήσεως ἔραται (τις?) et *Schulth.* : εἰ φρονήσεως ἐρᾷ τις (si quis prudentiam amat seu desiderat); sed cfr *Comment.* — 8. οἶδεν τὰ ἀρχαῖα καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζειν (scit praeterita et futura aestimare seu explorare) B C cum paucis minusc.; melius autem : οἶδεν τὰ ἀρχαῖα καὶ τὰ μέλλοντα εἰκάζει (*... de futuris aestimat*) ℵ A 23, multi minusc., *Vulg. Syr. Ar. Shex.*

trae sectionis principio laudes Sapientiae in praecedenti inchoatas eo consilio continuare, ut ex omnimoda illius excellentia, quam praestans sit hominis cum illa unio ac proinde vera sapientia humana, clarius eluceat. Re enim vera Salomon *primum* sese arctissimam cum Sapientia notionali coniunctionem propter illius pulchritudinem ac nobilitatem ardenter concupivisse significat (*vv.* 2-4) ac *deinde* ad multa et magna dona recensenda transit, quae omni homini, cui inhabitare dignatur, pro dote secum afferat (*vv.* 5-8).

Ad superiora ergo respiciens Salomon magno cum animi ardore exclamans inducitur : 2. *Hanc* (sc. τὴν σοφίαν tantis laudibus modo a me celebratam) *amavi et exquisivi a iuventute mea, Et quaesivi sponsam mihi eam assumere, Et amator factus sum formae illius* (vel potius : *pulchritudinis eius* τοῦς κάλλους αὐτῆς). Tristichi huius synonymi structuram *Gutb.* iure merito vocat artificiosam, quoniam duobus primi stichi verbis (*amavi, exquisivi*) duo ultimi stichi chiastice ita respondeant, ut ea simul accuratius definiant. Etenim verbum ἐφίλησα (*amavi*), quo amicitiae non minus quam concupiscentiae amor significari potest, hic proxime de amore, quo sponsus sponsam complectitur eamque nuptiis secum unire cupit, intelligendum esse suo ἐραστὴς ἐγενόμην declarat; ἐρᾶν quippe cum suis derivatis (ἐραστής etc.) potissime amorem concupiscentiae et quidem sensualis denotat, ita ut frequentissime de impuro amore adhibeatur; « φιλοῦσιν *amici,* inquit *Sturz* (Lexic. Xenoph.), sed qui vehementius amant tamquam *amasii,* ii ἐρῶσιν »[1]. Accedit quod aoristus ἐφίλησα proprie initium amoris indicat (i. q. incepi amare s. adamavi); verum ἐραστὴς ἐγενόμην amoris habitum quendam seu amorem stabilem et continuum designat. Similiter secundum verbum (ἐξεζήτησα *exquisivi*) electionem quidem factam esse dicit, sed quem ad finem una ex variis electa sit, non declarat, finem autem supplet secundus stichus suo ἐζήτησα νύμφην ἀγαγέσθαι, qui ad arctissimam et perpetuam unionem Sapientiam electam esse explicat. Nuptiarum porro similitudinem, qua coniunctionis cum Sapientia desiderium describitur, nihil habere quo quis offendatur, non est quod demonstremus. Namque aptissima est quum ad vehementiam amoris tum ad arctissimae atque indeficientis coniunctionis

1. Nunquam in Novo Test. et raro in vetere ἐρᾶν et ἐραστής leguntur, et nomen ἐραστής, si nostrum locum excipis, semper malo sensu et plerumque quidem de eo, qui impuro idolorum cultui est deditus (cfr infra 15,6 ἐρασταὶ κακῶν i. q. idolorum cultores; *Ezech.* 16,33. 36. 37; 23,5. 9. 22; *Ierem.* 22,20. 22 etc.). Cur verbi huius derivatorumque eius tam rarus sit in Scripturis usus, *Trench* (Synonyms of the New Test. 1871; de ἔρως, ἐρᾶν, ἐραστής) ita explicat : « Their absence (sc. in Novo T.) is significant; in part no doubt to be explained from the fact, that the truth of God abstained from the defiling contact with them ».

desiderium illustrandum; neque quisquam ignorat, quam frequenter haec similitudo, ordine utique ut ita dicam inverso, in S. Scripturis adhibita sit non tantum de unione inter Deum et gentem israeliticam, quam Dominus singulari dilectione prae reliquis nationibus complectebatur, sed etiam de unione inter Christum sponsum sponsamque Ecclesiam, quam unionem hac nuptiarum allegoria prophetice auctor psalmi 44(45) pulcherrime adumbravit et uberius diligentiusque sacer scriptor Cantic. expolivit, Christus vero ipse eiusque Apostoli eadem allegoria velut omnibus nota interdum obiter indicarunt, interdum plenius exposuerunt aut illustrarunt (cfr *Matth.* 9,15; 22, 1 sqq. etc.; 2 *Cor.* 11,2; *Eph.* 5,23 sqq. etc.).

Sicut autem in humanis nuptiis pulchritudo ac nobilitas virginis iuvenem allicere atque primae, ut illam sibi sponsam eligat, impellere solent, ita in his spiritualibus quoque nuptiis Salomon suae similitudini inhaerens primo loco Sapientiae *pulchritudinem* nominat, qua iam adolescens (*a iuventute mea*) captus permotusque sit, ut eam adamaret rebusque creatis omnibus praeferret (7,8 sqq.). Cui pulchritudini statim velut secundam amoris sui rationem Sapientiae nobilitatem adiungit : 3. *Generositatem* (εὐγένειαν proprie *generis nobilitatem*) *illius glorificat contubernium* (συμβίωσιν proprie *convictum* seu vitae societatem ac familiaritatem cfr *vv.* 9,16) *habens Dei, Sed et omnium Dominus dilexit illam.* In Vulgatae textu *illius* et *sed* a iunioribus librariis satis arbitrarie videntur inserta neque ad sacrum textum pertinent. Nihilominus latino isto pronomine (*illius*), ut videtur, seductus *Gutb.* cum paucis antiquioribus hic non Sapientiae ipsius sed Salomonis vel potius hominis cuiuslibet unionem cum illa appetentis nobilitatem intelligendam esse putat, quia haec glorificetur, i. e. maiorem gloriam acquirat (δοξάζει) Sapientiae Deo consubstantialis cum eoque conviventis nobilitate infinita, nobilitas autem Sapientiae ipsius glorificari i. e. augeri nequeat, quum infinita iam sit. Hinc sententiam nostram hac fere ratione exponit : « si quis sui generis nobilitati consulturus nobilissimam sibi quaerit sponsam, Sapientia tam nobili genere orta est, ut sua nobilitate generi sponsi maiorem gloriam addat, quia ex Deo prognata cum eodem familiariter vivit. » Verumenimvero unica ratio, qua praeter spurium istud pronomen *Gutb.* suam interpretationem probabilem reddere conatur, nullius est momenti; siquidem verbum δοξάζειν (*glorificare*), ex quo argumentatur, non tantum valet « gloriam alicui parare » vel augere, sed etiam « aliquem conspicuum reddere » i. e. efficere, ut alicuius dignitas et excellentia patefiat et agnoscatur cfr *Ioan.* 8,54; 11,4 etc.; 13,31 sq; 14,13 etc., ubi Christus et Deus Pater « glorificari » dicun-

tur). Qua significatione admissa cum plerisque antiquioribus et modernis illa sententiae explicatio retinenda est, quam paucis verbis *Calm.* complectitur : « consuetudo, quam Sapientia cum Deo habet, originis illius nobilitatem ostendit ». Ad illa nimirum respiciens, quae paulo ante (7,25. 26) de divino Sapientiae ortu dixit, Salomon docet, eam nobile suum genus (*generositatem suam*) *conspicuum* manifestumque *reddere familiari suo convictu cum Deo,* quatenus cum eo quasi eodem thalamo eademque mensa utatur et velut ei par et aequalis eiusdem socia sit regni, quo *Dominus omnium rerum potitur, quippe a quo diligatur.* Eandem interpretationem *S. Aug.* (l. c.) iam insinuavit duabus brevissimis interrogationibus : « An vero, inquiens, *generositas* solet significare aliud, quam parentes (i. e. parentum nobilitatem)? *Contubernium* (συμβίωσις) vero nonne cum ipso Patre aequalitatem clamat et asserit? » Nomen συμβίωσις proprie quidem idem valet quod convictus atque familiarem consuetudinem eorum, qui simul vivunt, designat, unde *S. Aug.* recte ad aequalitatem eorum, qui familiariter inter se agunt, concludit; saepe autem strictiore sensu de coniugum cohabitatione usurpatur; quare *Lap.* praemonens « graecum nomen συμβίωσις tribui solere coniugibus, quorum iugis est societas, intima conversatio, par et aequalis amor » hanc arctiorem significationem hoc in loco haud immerito praefert, quia ex membro parallelo (*Dominus rerum omnium amavit eam*) appareat, auctoris animo similitudinem nuptiarum semper obversatam esse. Apposite autem *Gutb.* amorem hic intelligendum esse monet purissimum et plane gratuitum, non solum quia verbum ἀγαπᾶν sit adhibitum, sed maxime quia Deo attribuatur. Aoristus ἠγάπησα proxime amoris initium indicat, nihilominus hic ob Dei immutabilitatem amorem perpetuo duraturum designat. Contextu quippe accuratus vocabulorum sensus certo in loco definiatur oportet.

Quanto autem cum amore Dominus Sapientiam complectatur, Salomon duobus summis divinae dilectionis indiciis exhibitis insinuat potius quam declarat : 4. *Doctrix enim est disciplinae Dei* (melius : *initiata* μύστις *enim est scientiâ Dei*) *Et electrix operum illius.* Sunt qui hanc sententiolam pro causali habent, qua ratio, cur Deus diligat Sapientiam, indicetur; cum plerisque tamen eam pro explicativa rectius sumemus, qua magnitudo divini amoris adumbretur. Ceterum interpres noster verba graeca minus diligenter interpretatus est. Etenim μύστης (fem. μύστις) interdum quidem idem valet quod μυσταγωγός i. e. mysteriorum initiator; hic tamen nulla adest ratio, cur a propria et communi *mysteriis initiatus* recedamus. Similiter ἐπιστήμη θεοῦ significare potest *disciplinam Dei* i. e. disciplinam de Deo co-

gnoscendo ámandoque et colendo, sed propria et simplicior explicatio « scientia Dei » omnino est praeferenda. Summo igitur cum amore Sapientiam a Deo diligi ex eo apparet, quod ipsius Dei scientiae (τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιστήμης) mysteriis *initiata* ac proinde idonea sit, quae opera Dei contemplans ac perscrutans ex eis illa eligat, quae exsecutioni mandentur (cfr *Prov.* 8,22 sqq.). Bene *Calm.* sententiae nostrae sensum (illius tamen nexu cum praecedentibus neglecto) paucis his comprehendit : « Sapientia divinae scientiae arcana penitus novit operumque divinorum contemplatione occupatur; haec mente versat, haec meditatur; unius quippe verae sapientiae est probe contemplari et perscrutari arcana operum Omnipotentis ».

Pulchritudine magna eximiaque nobilitate Sapientiae, quam sibi, ut eius convictu familiarique consuetudine vere sapiens fiat, sponsam assumere tam ardenter cupit, breviter quidem sed praeclare celebratis, Salomon secundo in loco externa considerat bona, quae sponso velut dotem sit allatura quaeque, quamvis inferioris sint ordinis ac pretii, suis tamen utilitatibus non carent et ad augendum nuptiarum illarum desiderium pro suo modo aliquid conferant. Neque tamen hoc in loco tautologicam habemus supra (7,11; 7,17 sqq.) dictorum repetitionem; nam suae similitudini inhaerens singula dona velut partes dotis sibi per sponsam adventurae describit atque potissimum clarius quam antea illa ad Sapientiam re pertinere ab eaque omnino pendere ideoque cum illa et per illam tradi docet. Quum enim electrix sit operum divinorum, fieri nequit, ut illa non vere contineat, quae ut exsecutioni mandarentur, elegit. Quatuor porro bonorum genera recensentur, quibus *Holc.* quasi cuncta comprehendi recte dicit, quae homines varii pro ingeniorum indolumque varietate sibi ad vitam hac in terra felicem peragendam honeste appetunt. « Alii enim, inquit, abundantiam divitiarum maxime quaerunt; alii artibus delectantur; alii virtutibus, quibus vita civilis regitur et condecoratur, splendere cupiunt; alii scientiis excellere malunt : his autem omne fere continetur honestum hominum desiderium ».

Ab illo bonorum genere, quod licet infimum esse videatur, plurimorum tamen hominum animos abripere solet, i. e. a divitiis exorditur, quas innumerabiles per Sapientiam afferri sua ipsius experientia edoctus est : 5. *Et si divitiae appetuntur in vita, Quid sapientia locupletius, quae operatur omnia?* Prioris membri pleniorem et clariorem sensum ex graeco textu (εἰ δὲ πλοῦτός ἐστιν ἐπιθυμητὸν κτῆμα ἐν βίῳ) antiqua exhibuit *Vulg.*, in qua teste *S. Aug.* (de morib. Eccl. I. 16,27) tota sententia ita currebat : *quod si honestas* (i. e. opulentia, divitiae

cfr ad 7,11) *est possessio quae concupiscitur* (seu concupiscibilis possessio) *in vita, quid sapientia est honestius* (seu opulentius) *quae operatur omnia?* Mirum est quod *Nann.* in hac argumentatione difficultatem invenerit; etenim « mihi videtur, inquit, ista αἰτιολογία (*sapientia nihil est divitius, quia omnia facit*) non admodum quadrare; nam si tale quid praecessisset : *si potentia est res expetibilis, quid potentius sapientia, quae omnia facit?* causam magis conventuram esse arbitrarer; neque enim qui omnia facit, ideo est ditissimus quia omnia facit, sed omnium efficacissimus seu potentissimus »; quare verbum ἐργάζεσθαι hic *quaestum facere* valere vult, ita ut sapientia dicatur ditissima, quia lucris studeat. Quae subtilius quam verius dici manifestum est. Sapientia enim universa operans eodem sensu vocatur, quo paullo antea (*v.* 1) universa suaviter disponere dicta est et mox (*v.* 6, cfr 7,21) eorum quae sunt artifex vocatur. Dictione τὰ πάντα igitur universitas rerum designatur, atque evidens est Creatorem universorum esse ditissimum; « Domini est terra et plenitudo eius, orbis terrarum et universi qui habitant in eo : *quia* ipse super maria fundavit eum et super flumina praeparavit eum » (*Ps.* 23,1. 2).

Neque ditissima tantum est Sapientia solasque divitias suas sponso pro dote affert, sed etiam tamquam suprema omnium rerum artifex cum eo intelligentiam atque peritiam suam in negotiis omnibus gerendis rebusque debito modo conficiendis communicabit : 6 *Si autem sensus* (φρόνησις i. e. *intelligentia*) *operatur* (ἐργάζεται), *Quis horum quae sunt magis quam illa est artifex* (ex graeco : *quis magis quam illa rerum universarum est artifex?*) Nomen φρόνησις hic non definito *sapientiae* (ut nonnunquam, cfr ad 7,7) aut *prudentiae* (nempe virtutis cardinalis, de qua v. ad *v.* 16), sed generali *intelligentiae* sensu sumi debere ac potissimum iudicium consiliumque, quo quis negotia sua bene gerit, atque peritiam, qua quis omnia recto ordine disponit administratque declarare, altero membro edocemur, quo Sapientia velut *artifex* (cfr 7,21) exhibetur. Animadverte autem priorem stichum (*si intelligentia operatur*) ad parallelarum sententiarum (*vv.* 5.7.8) priores stichos (si divitiae appetuntur, — si iustitiam quis diligit, — si quis multitudinem scientiae desiderat) parum concinne constructum videri. Attamen emendatione non indigebit, qui auctorem, ut eiusdem constructionis saepius repetitae taedium evitaret, secundae sententiae conditionem brachylogice atque simul certo modo elliptice expressisse admiserit. Scilicet verbum ἐργάζεσθαι, si intelligentia ipsa operari dicitur, sensu praegnante sumere licet, ut valeat *scite* vel *egregie operari;* quia autem intelligentia non nisi scite

operari potest, virtus est, quae maxime desiderari meretur; hinc iure supponimus, auctorem verbo istum sensum significantiorem attribuisse, conclusionem autem utpote per se evidentem praetermisisse itaque significare voluisse : « si intelligentia eximie operatur ideoque desiderari meretur ». Simili modo paene omnes hanc difficultatem expediunt. Haud pauci Salomonem in hac Sapientiae dote describenda pulcherrimi sui carminis de muliere forti (*Prov.* 31,10 sqq.) memorem fuisse censent idque rectissime, quia ratio tota, qua mulier ista familiae suae praeest domumque suam administrat etc., summam prodit intelligentiam ac peritiam.

Praeter dona autem, quae inferioribus hominis inclinationibus potius respondent, Sapientia illa quoque secum affert altiora, quibus voluntas et intellectus ad perfectionem adducuntur. Ac primum quidem ad voluntatem quod attinet, 7 *Et si iustitiam quis diligit, Labores huius* (sc. sapientiae) *magnas habent virtutes* (vel ex graeco simplicius sed nervosius : *sunt virtutes* εἰσὶν ἀρεταί); *Sobrietatem enim et prudentiam docet et iustitiam et virtutem* (in graeco : *temperantiam enim et prudentiam docet, iustitiam et fortitudinem*)[1], *Quibus nihil utilius est in vita hominibus,* quia harum virtutum, quas Sapientia sponso pro dote affert, exercitio vita hominis vere honesta redditur, ita ut Deo probetur. Vix opus videtur monere nomen δικαιοσύνης (*iustitiae*) hic in sententia duabus diversis significationibus esse adhibitum; in priore enim loco (*si iustitiam quis diligit*) universam morum honestatem vitaeque sanctitatem denotat (cfr ad 1,1); in altero autem loco (sapientia *docet... iustitiam*), uti ex contextu apparet, nomine iustitiae strictiore sensu specialis illa virtus designatur, qua voluntas ad suum cuique ius tribuendum constanter inclinatur et impellitur. Pulchre porro *sapientiae labores* (πόνοι) *esse virtutes* (ἀρεταί cfr 4,1; 5,13) dicuntur; *labor* enim non tantum « est functio quaedam vel animi vel corporis gravioris operis vel muneris » (cfr *Cic.* Tusc. II, 15,35), sed etiam metonymice fructum labore productum denotat (cfr

1. *Clem. Alex.* (Strom. VI. 11) erronee legit : σωφροσύνη καὶ φρόνησις ἐκδιδάσκει δικαιοσύνην καὶ ἀνδρείαν (temperantia et prudentia doce[n]t iustitiam et fortitudinem). Ac simili modo *S. Aug.* (de morib. Eccl. I. 16,27) « sobrietatem enim sapientia docet et iustitiam et virtutem »; in Retract. I. 7,3 autem monet, « codices eiusdem interpretationis (latinae) *veriores* habere : sobrietatem et sapientiam docet, et iustitiam et virtutem » additque : « His enim nominibus latinus interpres quatuor illas virtutes, quae maxime in ore philosophorum esse assolent, nominavit; sobrietatem appellans temperantiam, prudentiae imponens nomen sapientiam, fortitudinem vero virtutis vocabulo enuntians, solam iustitiam suo nomine interpretatus est. Has autem quatuor virtutes in eodem libro Sapientiae suis nominibus appellatas, sicut a Graecis vocantur, longe postea repperimus in codicibus graecis ».

infra 10.10; *Prov.* 3.9 τίμα τὸν Κύριον ἀπὸ τῶν δικαίων πόνων honora Dominum ex iustorum tuorum laborum fructibus; *Eccli.* 14.15; 28.19 [15 etc.]. Sapientia igitur velut parens virtutum celebratur atque unio cum illa significatur necessaria esse homini ad omnimodam iustitiam anhelanti. Quae explicatio altero membro congruit, quo Sapientia [illas edocere] ἐκδιδάσκει dicitur quatuor illas temperantiae, prudentiae, iustitiae fortitudinisque virtutes, quae secundum *S. Aug.* « maxime in ore philosophorum esse assolent » et inde a Patrum aetate cfr *S. Ambr.* de offic. II. 14; expos. Ev. S. Luc. l. V. 65 in theologorum scholis *cardinales* vocantur, « quia tum ad quamlibet virtutem rite exercendam illae animi dispositiones requiruntur, quae cardinalibus exprimuntur, tum tamquam speciales virtutes in ea materia versantur, ad quam reliquae virtutes omnes per analogiam reducuntur et cohaerent » [cfr *Lehmkuhl* Theol. mor. Ed. 9, I. n. 687]. Quoniam theologi hanc virtutum cardinalium quaestionem fuse ac diligenter tractare solent [cfr *S. Thom.* Summ. Theol. I. 2, qu. 61 sqq.; Quaest. disp. de virt. cardin. etc.], nobis illam praetermittere licet: iuverit tamen earum definitionem quandam per philosophum non multum nostro auctore iuniorem traditam adscripsisse : « proprium, inquit *Cic.* de fin. V. 23.67 [, suum cuiusque munus est, ut fortitudo in laboribus periculisque cernatur, temperantia in praetermittendis voluptatibus, prudentia in delectu bonorum et malorum, iustitia in suo cuique tribuendo ».

Quarta demum dos, quam Sapientia sponso unione sua et inhabitatione affert, amplissima est eruditio et doctrina : 8. *Et si* ad graec. εἰ δὲ καὶ accuratius : *si autem etiam* [*multitudinem scientiae* πολυπειρίαν] *desiderat quis*, Sapientia *Scit praeterita et de futuris aestimat* [cfr *VV. LL.* : *Scit versutias sermonum et dissolutiones argumentorum* se. obscurorum ac perplexorum; *Signa et monstra* [σημεῖα καὶ τέρατα] *scit, antequam fiant* [vel potius : *praenoscit* seu praesagit προγινώσκει], *Et eventus* [ἐκβάσεις i. e. exitus seu fines] *temporum et saeculorum* [καιρῶν καὶ χρόνων]. Particula εἰ δὲ καὶ indicat eum de dote loqui velle, quae vulgo parvipendi, immo vero negligi solet. Etenim iuvenis, si sponsam sibi eligit, ad tres priores quidem quae enumeratae sunt dotes attendens sollicite inquirit, sitne sponsa divitiis instructa et in rebus domesticis procurandis administrandisque prudens et industria ac demum morum honestate et sanctitate ornata; utrum vero in scientiis sit versata necne, inquirere mos non fert. Hinc auctor, ut Sapientiam plane singularem inter sponsas locum tenere ostendat, postquam eam tribus ordinariis dotibus uberrime instructam esse docuit, quartam hanc velut insolitam, quae per se neque quaeratur

neque exspectetur, cum emphasi quadam adiungit : « si autem *etiam* scientia in ea desideratur ». Cave tamen ne hac formula scientiam tamquam supremam dotem significari putes, quae reliquis ac praesertim morum sanctitati praestet; namque eius insolentia sola et singularitas effertur (cfr *Gutb.*). Nomen πολυπειρία vi etymologiae proxime dicit multarum rerum scientiam *experientia* acquisitam (cfr *Eccli.* 25,8 [5] στέφανος γερόντων πολυπειρία corona senum multa peritia); latiore tamen sensu, modo quo rerum cognitio acquisita est neglecto, a classicis adhibitum legitur, eodemque modo illud hic adhiberi enumeratio disciplinarum quae sequitur extra dubitationem ponit. *Supra* (cfr 7, 17-20) Salomon iam Sapientiam scientiarum magistram celebravit iis potissimum disciplinis recensitis, quae circa rerum visibilium naturam, leges viresque versantur; quibus hic praetermissis nonnullas recenset, quae de hominum fatis conditionibusque agunt; in nostro autem loco eum non omnes enumerare voluisse evidens est, sed aliquas tantum nominat, quibus maiorem ipse sibi famam acquisiverat.

Ad singula quod attinet, primum Sapientia omnia, quaecunque in terris hucusque facta vel gesta sunt aut in posterum fient vel gerentur, novisse dicitur : *scit praeterita et futura coniicit* seu uti *Vulg.* habet *de futuris aestimat.* Quoniam εἰκάζειν proprie « assimilare », translate « comparando et ex similibus concludendo coniectare » valet, Sapientiae certa quidem et infallibilis praeteritorum scientia, sed incerta tantum et coniecturalis futurorum cognitio attribui videtur; id quod admitti nequit, quia divina Sapientia, de qua hic agitur, omnia futura non minus quam praeterita eadem cum certitudine et infallibilitate novit, siquidem eadem ratione omnia velut praesentia intuetur. (Cfr *S. Thom.* Summ. 1, qu. a. 13). Homo utique futurorum non habet nisi coniecturalem scientiam, quia illa non in seipsis videt, sed in proximis suis causis iisque contingentibus et plerumque ex causarum similitudine ad similitudinem effectuum maiore minoreve cum veri similitudine concludit. Hinc homo futura coniicere recte dicitur; auctor autem noster hanc dictionem quodammodo anthropopathice ad Deum divinamque Sapientiam transtulit, uti saepissime in Scripturis eiusmodi locutiones ad Deum transferuntur, sed sensu plane diverso pro mutato subiecto intelligi debent (ex gr. si Deus irasci, dolere, poenitere etc. dicitur).

Secundo Sapientia *scit* vel potius *intelligit versutias sermonum* et *dissolutiones argumentorum.* « Στροφάς, inquit *Iaeger* (cfr *Schleusn.* Lex. s. v.) graeca consuetudo dixit in deteriorem partem [sc. ubi sensu translato sumitur] de artibus ad decipiendum comparatis (cfr Schol.

Aristoph. Plut. *v.* 1154); eodem sensu in Latinum quoque haec vox migravit, unde apud *Phaedr.* I. 14,4 *verbosae strophae* sutoris in re parum laudabili ». Etiam *Bielio* (cfr *Schleusn.* l. c.) στροφαὶ λόγων nostro in loco eadem videntur, quae *Ciceroni* (Acad. quaest. IV. 24) audiunt « contorta sophismata » vel « tortuosum genus disputandi », quo sophistae utebantur. Nostri vero interpretes antiquiores et aliqui iuniores, qui ad latinam versionem potissimum attenderunt (*versutias sermonum*) similiter hic sermonem esse voluerunt « de contortis sententiis astutiisque sermonum, quibus Sapientia falli nequeat » et pro exemplo fallacia verba attulerunt, quibus Scribae et Pharisaei Dominum N. tentare conati sunt; revera *versutia* idem est quod astutia dolosa et a *S. Ambr.* (de off. III. 6,37) simplicitati sanctae recte opponitur (cfr *Holc. Carth. Castro Lap.* etc.). Explicatio haec per se inepta non est et contextui quoque aliquatenus accommodari potest. Animadvertatur tamen oportet, sinistram illam graeci nominis στροφῶν significationem nullo graecarum Scripturarum exemplo confirmari; contra vero in paucis, in quibus invenitur, locis semper bono sensu esse sumendum. Profecto Septuaginta, si *Prov.* 1,3 parabolas Salomonis idoneas dicunt « ad intelligenda *verba prudentiae,* ad suscipiendas στροφὰς λόγων, ad intelligendam *iustitiam veram* », in hoc contextu dictionem nostram in malam partem non accepisse evidens est, et Siracida quoque, si sapientem « narrationem virorum nominatorum conservaturum et in στροφαῖς παραβολῶν (seu uti *Vulg.* habet : *in versutias parabolarum*) simul introiturum » promittit (*Eccli.* 39,2), « de artibus ad decipiendum comparatis » aut de fallacibus dolosisque verbis non cogitavit. Accedit quod iam *Ps. Athan.* (Synops. S. S^{ae} 22. *M.* 28,344) acute dicta monet vocari στροφάς « quia si quis eas mente versat (στρέφων) aperit et invenit in eis sensum contentum ». Itaque στροφαὶ λόγων in Scripturis dicuntur « acutae subtilesque sententiae, quibus sapientes suam doctrinam expresserunt » (*Knabenb.* Comment. in Eccli. l. c.), vel uti *Baurm* (cfr *Gr.*) ait : « sermones, qui prima fronte aliud significare videntur, aliud exprimunt, metaphorici et parabolici, breviter et sententiose dicta et id genus alia, quorum multa exempla in Prov. et Eccli. ». Illa autem Sapientia ἐπίστασθαι *intelligere* dicitur potissimum, quatenus iis ipsa uti iisque altiorem suam doctrinam proponere scit. Priori membro sic explicato parallelum respondet, quo scire dicitur *dissolutiones argumentorum* vel potius *aenigmatum* (λύσεις αἰνιγμάτων). Namque αἴνιγμα, quo Alexandrini hebr. חִידָה et מְלִיצָה reddunt, omnem sententiam acutam, maxime si obscurius est expressa, ita ut mentis acumen ad eam intelligendam requiratur, similitudinemque minus obviam significat (cfr

meam Introd. spec. in Vet. Test. Ed. 2, II. 27 sqq. de didactica S. S^ae poesi). Ad membrum porro hoc illustrandum ea inserviunt, quae Siracida (39,3) addit, sapientem inquisiturum esse occulta proverbiorum (ἀπόκρυφα παροιμιῶν) et *in aenigmatis parabolarum* (ἐν αἰνίγμασιν παραβολῶν) conversaturum. Experientia autem edoctus Salomon Sapientiam ob paroemiarum acutarum et aenigmatum scientiam merito celebrat, quia ipse ab ea illam tam abundantem accepit, ut tribus millibus parabolarum et quinque millibus carminum compositis (3 *Reg.* 4,32) totoque fere orbe subtilibus proverbiis quasi repleto (*Eccli.* 47,17) summam ubique famam adeptus sit (3 *Reg.* 4,34; 10, 1 sqq.; *Flav. Ios.* Antiqu. VIII. 2 etc.).

Deinde Sapientia *signa et monstra* vel potius *prodigia* seu *portenta praenovisse* asseritur (σημεῖα καὶ τέρατα προγινώσκει). Nominibus σημεῖα καὶ τέρατα (hebr. אֹתוֹת וּמוֹפְתִים), quae in Utriusque Test. libris saepe coniunguntur quibusque interdum tertium (δυνάμεις *virtutes*) adiungitur, non tam duo vel tria diversa miraculorum genera designantur, uti multi opinati sunt, quam eadem divina opera diversis rationibus describuntur : *virtutes* quippe vocantur, quatenus creaturarum vires superant atque divinae omnipotentiae auctori directe attribui debent; *prodigia* vel *portenta*, quatenus quum praeter ordinarium naturae cursum fiant, hominum attentionem ac stuporem provocant; *signa* demum, quatenus ad divinam voluntatem hominibus manifestandam vel confirmandam aut etiam ad fidem auctoritatemque divinis legatis conciliandam fiunt. Eiusmodi signorum et prodigiorum, quae Deum innumera in populo electo operatum esse et in Ecclesia continuo operari fide firma tenemus, Sapientiae est quum originem supranaturalem tum finem significationemque a Deo intentam cognoscere; immo vero Sapientia *ea praenovisse* (« novisse antequam fient ») rectissime asseritur, quia ipsa tamquam operum divinorum electrix (*v.* 4) illa suo tempore eventura esse decrevit illaque, si vult, cum iis quibus inhabitat communicat.

Veterum de hoc membro opiniones *Calm.* his verbis complectitur et approbat : « solis et lunae defectus, aestum et frigus, terrae motus et procellas, ubertatem aut sterilitatem agrorum, aëris mutationes morborumque symptomata novit Sapiens, antequam fiant; quidquid naturalem hominis cognitionem superat, in eius potestate est. Harum rerum cognitio, quae nostra aetate paene vulgaris est, olim paucissimorum erat tantaque earum ignorantia vulgus tenebatur, ut solis defectibus velut *monstris* terreretur. Animadverte haec a Sapiente *signa et monstra* communi nomine appellari. » Vocabulo *monstri* quod hic et in Eccli. graeco τέρας, aequivalet, a recta intelligentia veteres abducti videntur. Certe quidem in Scripturis interdum ea quoque, quae secundum ordinarias cognitasque leges eveniunt maxime si vehementiora sunt, Deo auctori directe attribuuntur, ut eius maiestas ac potentia celebretur; idque ut

patet rectissime; quo autem cum iure eiusmodi eventus ordinarii in nostro contextu nominibus σημεῖα καὶ τέρατα designari potuerint, nemo facile dixerit. *Supra* (7,17-21) Sapiens de rerum naturalium scientia Salomoni per Sapientiam tradita uberius clariusque iam egit; neque ulla profecto est ratio, cur eum ordine perturbato hic ad eam revertisse eamque tam aenigmaticis verbis indicasse dicamus.

Demum Sapientia, sicut supranaturalia divinae omnipotentiae opera, quibus supranaturalis revelatio confirmatur, ita omnes etiam *eventus temporum et saeculorum* (ἐκβάσεις καιρῶν καὶ χρόνων) i. e. quae secundum ordinarium rerum cursum variis temporis periodis eveniunt, praenovit et cum amicis suis, si id ei placuerit, communicat. Nomina καιροί et χρόνοι, ubi coniuncta leguntur (Dan. 2,21; Act. 1,7; 1 Thess. 5,1 al.), ea ratione inter se differre recte dicuntur, ut καιροί definitas temporis partes certasque periodos, χρόνοι autem generatim varia temporis spatia certis limitibus non circumscripta (similiter atque interdum latinum *saecula*) significent. Ceterum utroque nomine insuper ea connotantur, quae illis temporis spatiis evenerunt aut gesta sunt. Haec autem omnia praevidens Sapientia etiam praenovit, quis sit eventuum rerumque gestarum *exitus* (ἔκβασις cfr 2,7; 11,5), i. e. non tantum quando finitura, sed etiam quem fructum, felicemne an infelicem etc., productura sint. Uno igitur verbo Sapientiae omniscientia hoc membro celebratur; quia autem omnia quae eventura sunt, praenovit, etiam tamquam παντεπίσκοπος (7,22) omnia providentia sua gubernare et tamquam operum divinorum electrix (*v.* 4) singula ad fines eis praestitutos adducere potest. Antiquiores iterum interpretes, quum de divina hic agi Sapientia non attenderent, satis ieiune verba nostra de opportunitatibus temporis, quae ex signis maxime meteorologicis praevideantur vel potius coniectentur, explicarunt; sed his immorari opus non est.

2). *Quot quantaque commoda regibus ex unione cum Sapientia proveniant* (8,9-18).

8,9. Proposui ergo hanc adducere mihi ad convivendum, Sciens quoniam mecum communicabit de bonis, Et erit allocutio cogitationis et taedii mei. 10. Habebo propter hanc claritatem ad turbas, Et honorem apud seniores iuvenis; 11. Et acutus inveniar in iudicio, Et in conspectu potentium admirabilis ero, Et facies principum mirabuntur me; 12. Tacentem me sustinebunt, Et loquentem me respicient, Et sermocinante me plura, manus ori suo imponent. 13. Praeterea

8,9. Ἔκρινα τοίνυν ταύτην ἀγαγέσθαι πρὸς συμβίωσιν, εἰδὼς ὅτι ἔσται μοι σύμβουλος ἀγαθῶν Καὶ παραίνεσις φροντίδων καὶ λύπης. 10. Ἕξω δι' αὐτὴν δόξαν ἐν ὄχλοις Καὶ τιμὴν παρὰ πρεσβυτέροις ὁ νέος. 11. Ὀξὺς εὑρεθήσομαι ἐν κρίσει, Καὶ ἐν ὄψει δυναστῶν θαυμασθήσομαι. 12. Σιγῶντά με περιμενοῦσιν, Καὶ φθεγγομένῳ προσέξουσι, Καὶ λαλοῦντος ἐπιπλεῖον χεῖρα ἐπιθήσουσιν ἐπὶ στόμα αὐτῶν. 13. Ἕξω δι' αὐτὴν ἀθανασίαν, Καὶ μνήμην αἰώνιον τοῖς μετ' ἐμὲ ἀπολείψω. 14. Διοικήσω λαοὺς, Καὶ ἔθνη

habebo per hanc immortalitatem, Et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt, relinquam. 14. Disponam populos, Et nationes mihi erunt subditae. 15. Timebunt me audientes reges horrendi; In multitudine videbor bonus, et in bello fortis. 16. Intrans in domum meam, conquiescam cum illa; Non enim habet amaritudinem conversatio illius, Nec taedium convictus illius, Sed laetitiam et gaudium. 17. Haec cogitans apud me et commemorans in corde meo, Quoniam immortalitas est in cognatione sapientiae, 18. Et in amicitia illius delectatio bona, Et in operibus manuum illius honestas sine defectione, Et in certamine loquelae illius sapientia, Et praeclaritas in communicatione sermonum ipsius, Circuibam quaerens, ut mihi illam assumerem.

ὑποταγήσεταί μοι. 15. Φοβηθήσονταί με ἀκούσαντες τύραννοι φρικτοί, Ἐν πλήθει φανοῦμαι ἀγαθὸς, καὶ ἐν πολέμῳ ἀνδρεῖος. 16. Εἰσελθὼν εἰς τὸν οἶκόν μου προσαναπαύσομαι αὐτῇ· Οὐ γὰρ ἔχει πικρίαν ἡ συναναστροφὴ αὐτῆς, Οὐδὲ ὀδύνην ἡ συμβίωσις αὐτῆς, Ἀλλὰ εὐφροσύνην καὶ χαράν. 17. Ταῦτα λογισάμενος ἐν ἐμαυτῷ καὶ φροντίσας ἐν καρδίᾳ μου, Ὅτι ἐστὶν ἀθανασία ἐν συγγενείᾳ σοφίας, 18. Καὶ ἐν φιλίᾳ αὐτῆς τέρψις ἀγαθὴ, Καὶ ἐν πόνοις χειρῶν αὐτῆς πλοῦτος ἀνεκλιπὴς, Καὶ ἐν συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς φρόνησις, Καὶ εὔκλεια ἐν κοινωνίᾳ λόγων αὐτῆς, Περιήειν ζητῶν ὅπως λάβω αὐτὴν εἰς ἐμαυτόν[1].

Postquam consilium suum de Sapientia sponsa sibi ducenda consideratione bonorum illorum, quae *omnibus* cum illa cohabitare cupientibus pro dote esset allatura, quodammodo confirmavit novaeque, quae sequitur, particulae argumentum ac divisionem leviter indicavit (*v.* 9), Salomon singulares illos fructus describere aggreditur, quos regibus ex unione cum illa provenire experientia edoctus est. Tres autem enumerat : gloriam famamque, qua propter illam iuventute sua non obstante apud omnes fruitus est (*vv.* 10-13); prosperitatem, ad quam regnum subditis suis sapienter gubernatis hostibusque suis fortiter debellatis adduxit (*vv.* 14-15); laetitiam felicitatemque, quam in privata sua vita ex continuo suo cum Sapientia convictu et commercio percipit (*v.* 16). Quibus expositis laudes Sapientiae sponsae terminat brevi recapitulatione emolumentorum, quae ex unione cum illa exoriuntur, ac propositi sui repetitione (*vv.* 17,18).

Quoniam in tota hac sectione historice refert, quomodo ipse ad

1. *VV. LL.* — 9. ἔκρινα τοίνυν ταύτην ἀγαγέσθαι πρὸς συμβίωσιν (*proposui ergo hanc adducere* [*mihi*] *ad convivendum*) B ℵ A 23 ac plerique minusc.; erronee C omittit ἀγαγέσθαι; aliqui minusc. superflue medio addunt pronomen ἐμαυτῷ. — 10. ἐν ὄχλοις (*ad turbas*) est communis lectio; C ἐν ὄχλῳ. — 12. B A alii χεῖρας ἐπιθήσουσιν (manum imponent); ℵ aliique et *Vulg.* χεῖρας ἐπιθ. (*manus imponent*); ad sensum nihil interest. — 13. Post ἀθανασίαν (*immortalitatem*) solus C addit : καὶ τιμὴν παρὰ...; sententiolam, cuius reliqua verba deleta sunt, *Gr.* supplendum putat παρὰ τοῖς ἐκγόνοις (et honorem apud posteros), *Sw.* autem supplet παρὰ τοῦ παντοκράτορος (a Domino universi); sed aliis testibus deficientibus verba addita pro genuinis haberi nequeunt. — 14. ἔθνη ὑποταγήσεται B ℵ A etc.; ℵ² cum nonnullis minusc. ἔθνη ὑποταγήσονται.

unionem illam pervenerit, facile intelligitur, cur ultima haec dona, quibus iam diu potitus est, velut futura descripserit. Animum quippe in illud quasi remittit tempus, quo Deum ut sibi solam daret sapientiam precatus ab eo sibi promitti audierat, se praeter sapientiam simul reliquorum bonorum, quae non rogaverat, divitiarum gloriaeque tantam copiam esse accepturum, ut omnes reges sit superaturus (cfr 2 *Par.* 1,11. 12; 3 *Reg.* 3,12 sq.). Atque ex vivida illius temporis commemoratione etiam explicatur, cur in tota hac particula laetitia gaudioque quasi gestiens et exsultans praeclara dona praedicet, quae sibi propter sapientiae studium datum iri iuvenis non solum speravit sed confisus est.

Eximiis igitur bonis, quae communem et ut ita dicam ordinariam dotem Sapientiae sponsae constituere significavit (*vv.* 4-8), commotus propositum suum sectandae Sapientiae iterum profert : 9. *Proposui* (ἔκρινα *decrevi* seu *constitui;* hoc sensu etiam *Iudith* 11,13; 1 *Mach.* 11, 33 etc.; *Act.* 20,16; 1 *Cor.* 2,2 etc.) *ergo hanc adducere mihi ad convivendum* (πρὸς συμβίωσιν cfr ad *vv.* 3,16), *Sciens quoniam mecum communicabit de bonis, Et erit allocutio cogitationis et taedii mei;* aut ad graecum textum : εἰδὼς ὅτι ἔσται μοι σύμβουλος ἀγαθῶν καὶ παραίνεσις φροντίδων καὶ λύπης, accuratius et clarius : *Sciens eam mihi futuram esse consultricem bonorum Et consolationem* (vel si pro παραίνεσις legere liceret παραινέτις, concinnius *consolatricem*) *curarum et taedii.* Cum emphasi quadam se *hanc* (ταύτην), scilicet Sapientiam tam ampla divitiarum, prudentiae, iustitiae scientiaeque dote instructam, sibi sponsam deligere decrevisse declarat; dotis enim, quam allatura sit, consideratione se ad illam ducendam permotum esse ultima in sententiae parte clare asserit. Cui assertioni profecto non repugnat, quod antea se illam esse bonorum externorum matrem ignorasse professus est (namque 7,12 de eo tempore loquitur, quo eam a Deo sibi expetere incepit), neque quod se illius pulchritudine, nobilitate, omnimoda perfectione in illius amorem abreptum esse modo (*vv.* 2-4) significavit. Etenim duae istae rationes amice conspirant; siquidem Salomon, quum primum summam illius perfectionem cognovit, illam adamavit et cum illa uniri desideravit (nam qui diligit, cum dilecto uniri concupiscit); postquam vero sibi ex illa unione etiam innumera alia bona, quae non exspectaverat, provenire expertus est, mirum non est, quod unionis desiderium in eo non tantum confirmatum sed etiam auctum sit et quod Sapientiam, quam propter eius pulchritudinem etc. iam sponsam elegerat, propter eius utilitatem ducere etiam ardentius concupierit.

Ad participialem porro sententiam additam animadverte, Vulgatam prioris membri sensum non integrum expressisse; nam graeco textu non tantum Sapientiam cum amicis suis de bonis (utique antea enumeratis) communicaturam esse promittitur, sed modus quoque, quo illos eorum participes faciat, ita explicatur, ut illorum cooperationem ad ea reapse obtinenda requiri doceatur. Etenim consiliis suis Sapientia viam tantummodo monstrat, qua ad ea perveniri queat; hominis autem est consilia Sapientiae sequi et exsecutioni mandare i. e. viam monstratam ingredi et persequi, ut ea inveniat (cfr ad 7,11.14). Multo autem infelicior est versio latina alterius membri, cuius graeco textu etiam Sapientiae amicis, quamvis illius donis sint ditati, hac in terra neque moestas suas durasque horas esse defuturas edocemur; quod monitum non minus utile quam grave noster interpres sua versione paene obliterasse dicendus est. Nomen παραίνεσις (a παραινεῖν) similiter ac παράκλησις (a παρακαλεῖν) proxime quidem valet i. q. *allocutio* seu colloquium, attamen pro diverso fine, propter quem alter alterum alloquitur, etiam valet institutionem aut admonitionem aut exhortationem aut consolationem etc., atque ex contextu, quaenam singulis in locis praeferenda sit significatio, definiatur oportet; iam vero hic duobus genetivis φροντίδων (curarum[1]) et λύπης (moestitiae) significationem consolationis praeferre cogimur, ita ut Sapientiam etiam amicos suos, quando curis opprimuntur aut affliguntur moerore, solatio suo recreaturam et confirmaturam esse promittatur.

Quamvis dubium non sit, quin duobus sententiae principalis stichis proxime communia Sapientiae munera sponsalia antea descripta verusque eorum valor designentur, addendum tamen est iisdem orationem ad praeclaram illam praedicandam dotem apte traduci, quam regibus separatim a Sapientia afferri Salomon expertus est. Immo vero quum Sapientia *v.* 9. vocetur *consultrix bonorum et consolatrix curarum*, dicere licet auctorem quodammodo ad nova bona, quae enumeraturus erat, respexisse; re enim vera duo priora quae recensentur dona (*vv.* 10-13; 14.15), Sapientiae consultrici bonorum debentur, tertium(*v.* 16) vero Sapientiae consolatrici moeroris. Primum igitur famae gloriaeque sibi iuveni promissae recordatus velut gaudio triumphans exclamat : 10. *Habebo propter hanc* (melius : *propter eam* δι' αὐτήν) *claritatem* (vel potius : *laudem* seu *gloriam* δόξαν) *ad turbas* (seu *apud vulgus* vel iuxta alios minus apte : *in coetibus* ἐν ὄχλοις) *Et honorem apud seniores iuvenis;* 11. *Et acutus* (i. e. mentis acumine praeditus ὀξύς) *inveniar in iudicio* (sc. exercendo), *Et in conspectu potentium admirabilis ero* (lege : *admirationi ero* seu admirationem mei excitabo θαυμασθήσομαι), *Et facies principum mirabuntur me;* 12. *Tacentem me sustinebunt* (lege :

1. Neque in Scripturis latinis neque in aliorum scriptorum operibus nomen cogitationis, quo noster utitur, sensu *curae* adhibitum videtur; bis tantum in *Eccli.* 31,1. 2, cuius libri versio latina nostro interpreti deberi creditur, nomine *cogitatus* vertitur graecum μέριμνα, quod etiam i. q. cura et sollicitudo est.

exspectabunt περιμενοῦσιν), *Et loquentem me respicient* (lege : *auscultabunt* seu attenti audient προσέξουσιν cfr *Deut.* 32,1; *Ps.* 76 [77], 2; 140 [141], 1 etc. ubi προσέχειν hebr. הַאֲזִין respondet), *Et sermocinante me plura, manus ori suo imponent;* 13. *Praeterea habebo per hanc* (lege : *propter eam* δι' αὐτήν cfr *v.* 10) *immortalitatem, Et memoriam aeternam his, qui post me futuri sunt, relinquam.*

Praemonuisse iuverit, tertium in Vulgata *v.* 11 membrum (*et facies principum mirabuntur me*) non esse nisi alteram secundi membri graeci (καὶ ἐν ὄψει δυναστῶν θαυμασθήσομαι) translationem a librario quodam aut ex alio codice aut ex nota marginali in textum transumptam. Cum *Lap.* igitur aliisque multis secundum membrum ea quam indicavi ratione emendandum et tertium praetermittendum est, quum aliae quoque versiones antiquae duo tantum membra cum graeco textu habeant. Porro in principio *v.* 13 particula *praeterea* (pro qua antiquissimus Vulgatae codex *amiatin.* legit *propterea*) expungenda est, quia nec in graeco textu neque in reliquis verss. habet, cui respondeat[1], eius insertione autem orationis vis et incitatio, quae in tota hac descriptione conspicitur, mirum quantum turbatur sententiaque impedita et languida redditur.

Primis duobus membris (*v.* 10) Salomon de fama, quam sua iuventute non obstante apud totum populum, apud vulgus seu imperitam multitudinem et apud seniores assecuturus erat, universe gloriatur. Bene autem sese *propter* Sapientiam i. e. propter suam cum illa unionem laudem obtenturum dicit; neque enim directe Sapientia aut eius unio cum illa ei gloriam contulit, sed cum eo convivens consiliisque suis eum dirigens ei viam ostendit, qua sibi ipse (utique a Sapientia adiutus) eam compararet (cfr ad *v.* 9). Parum recte igitur aliqui moderni (*Reusch, Les.* etc.) cum nonnullis codicibus latinis hic aeque ac *v.* 13. pro *propter hanc* legere malunt *per hanc*, ad vim quoque graecae praepositionis διά, ubi cum accusativo construitur, non attendentes; utroque enim in loco omnino legatur oportet *propter eam* (δι' αὐτήν). Porro quoniam nomen ὄχλος, quod plerumque multitudinem hominum temere ac fortuito conflatam ac deinde plebem quatenus proceribus populi opponitur denotat, satis frequenter a profanis scriptoribus de populi contionibus conventibusque usurpatur (*Xenoph.* Memor. III. 7,5; Hellen. II. 2,21 cfr *Gr.*) et Alexandrinis quoque hebraico קָהָל (i. q. contio seu coetus) reddendo aliquoties inservit (cfr *Ier.* 31,8; *Ezech.* 16,39; 17,17 etc.), aliqui hanc significationem hic praeferunt; minus tamen apte, ni

1. *Reusch* (Obs. crit. p. 23) haud improbabiliter coniicit, illud *praeterea* (pro quo Amiat. habet propterea) ortum esse e verbis *propter eam*, quae altera fuerit interpretatio verborum δι' αὐτήν; id autem eo maiore cum iure admitti potest, quia etiam *S. Ambr.* pro *et habebo per hanc* semel ordine inverso legit *per hanc habebo.*

fallor, si membrum parallelum consideratur, in quo nomine πρεσβυτέρων, quamvis ὁ νέος eis opponatur, non tam aetatem quam dignitatem significari manifestum est, ita ut nominibus ὄχλων et πρεσβυτέρων totus populus i. e. plebs et nobilitas comprehendatur. In sequentibus deinde membris Salomon singula quaedam de bona sua fama persequitur ac primum quidem de laude, quam iudicio exercendo et administrando regno nacturus sit. Priore enim in *v.* 11 membro vix non omnes ad « nobile illud iudicium » (3 *Reg.* 3,16 sqq.) alludi recte censent « quo, inquit *S. Ambr.* (de Spirit. S. III. 6,37; cfr de Offic. II. 8,44 sqq.), Salomon et fraudem in ipsis cogitationibus occultis et pietatem in maternis visceribus deprehendit, utique per S. Spiritus munus; neque enim latentem conscientiam alia aliqua penetrasset nisi S. Spiritus machaera » etc., et quo audito omnes Israelitae « timuerunt regem videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium » (3 *Reg.* 3,28). Parallelo autem membro δυνάσται (*potentes* seu principes), qui Salomonem esse admiraturi dicuntur, illi videntur esse reguli, quos imperio suo ita tenebat subiectos, « ut haberet pacem ex omni parte in circuitu habitarentque Iuda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua et sub ficu sua a Dan usque Bersabee » (3 *Reg.* 4,25 sq.). Pulcherrima deinde gradatione *v.* 12 tribus membris gloriam describit et auctoritatem, quam eloquentia ei erat paritura; in contionibus enim nemo loqui audebat, antequam ipse suam sententiam proposuerat, sed omnes eo tacente taciti exspectabant, quid esset dicturus, ubi primum autem dicere incepit, omnes eius verba attentis animis auscultabant; immo vero quando orationem suam producebat, indignati aut taedio affecti non sunt, sed stuporem admirationemque suam manu ori reverenter imposita manifestabant (de dictionis satis frequentis *manum* vel *digitum ori imponere* significatione cfr *Iob* 21,5; 29,9; 39,34; *Prov.* 30,32; *Eccli.* 5,14). Ultimis demum duobus membris (*v.* 13) gloriam suam cum vita sua non esse desituram sed semper apud posteros perduraturam praedicat. Neque enim nomine ἀθανασίας hic beatam animi immortalitatem, sive solam (uti vult *Corl.*) sive cum nominis immortalitate coniunctam (uti *Lap. Les.* et alii arbitrantur) intelligi, contextus quum proximus docet, quandoquidem prior stichus (*habebo immortalitatem*) altero (*memoriam aeternam relinquam*) quodammodo exponitur, tum remotior, quia in toto hoc loco non de praemio agitur, quod sapientiae studiosis in altera vita est reservatum, sed de donis, quae Sapientia suis amicis hac in terra affert. Quantopere autem Israelitae desideraverint, ut memoria famaque sua apud posteros permaneret, multis S. Scripturae testimoniis constat (cfr ad

2,4; 4,1; 10,14; *Eccli.* 37,29; 39,13; 41,15. 16; 44,7 sqq.; *Prov.* 10,7. etc.)

Secundo loco de regni prosperitate gloriari recte dicitur, quum eius amplitudinem continuamque pacem ac sapientem suam illius administrationem breviter quidem, sed eleganter praedicet : 14. *Disponam* (seu *gubernabo* διοικήσω cfr ad *v.* 1) *populos* (λαούς), *Et nationes* (ἔθνη) *mihi erunt subditae* (ὑποταγήσεταί μοι); 15. *Timebunt me audientes* (ἀκούσαντες) *reges horrendi* (τύραννοι φρικτοί); *In multitudine* (ἐν πλήθει) *videbor* (melius : *apparebo* seu reperiar φανοῦμαι) *bonus et in bello fortis*. Primis duobus membris regni sui amplitudinem adumbrat, quum illud multos populos multasque nationes complexurum esse significet. Nomina λαός et ἔθνος, licet per se eiusdem paene significationis sint et a profanis scriptoribus promiscue adhiberi soleant, ab alexandrinis Scripturarum interpretibus (et Novi quoque Test. auctoribus) similiter atque hebr. עַם (עַמִּים) et גּוֹי (גּוֹיִם) saepissime ita distinguuntur, ut prius praeferatur, ubi de israelitico populo, alterum ubi de reliquis nationibus verum Deum non colentibus agitur. Nonnulli quidem solum priorem stichum de regno salomonico, alterum autem de vicinis gentibus interpretantur, quas rex sapiens, qui hic describatur, sibi sit subiecturus; adduntque non tam de Salomone ipso agi, quippe qui bellicosus rex non fuerit, quam de imagine regis omnibus numeris perfecti, quam auctor omnibus principibus velut normam et exemplar proponat (cfr *Gutb.* — *Gr.*). Attamen nominum distinctione illa, etiamsi retineatur, utrumque stichum ad Salomonis ipsius regnum referre nequaquam prohibemur. Namque aptissime nomine λαοί duodecim tribus Israel intelliguntur (cfr Act. 4,27 λαοὶ Ἰσραήλ et *Ps.* 2,1), quae nucleum et robur constituebant imperii a Davide fundati et filio Salomoni traditi, nomine ἔθνη autem multae illae gentes ac tribus ethnicae, quae a Davide olim vi subiectae et imperio suo annexae iam sua sponte et voluntate sapienti eius filio parebant (cfr 3 *Reg.* 4,24). Si autem malueris, dicere etiam poteris, Salomonem gentes a patre suo vi subiectas manu forti in ditione ac potestate sua retinuisse; quamvis enim pacis quam belli esset amantior, satis multa bella ad gentes illas in officio retinendas gerere coactus erat (cfr 3 *Reg.* 11,14. 23 etc.). Itaque vastissimi sui regni, quod ab urbe Thaphsa in ripa Euphratis sita usque ad Gazam in Aegypti finibus se extendebat, quasi duas partes distinguit, Palaestinam, cuius incolas israeliticos Sapientiae consilia secutus ad Legis normam gubernavit, regionesque annexas, quarum incolas exercitu suo per civitates munitas disposito sibi subiectos tenebat (cfr 3 *Reg.* 10,26). Una igitur cum regni amplitu-

dine simul eius internam pacem unionemque duo primi stichi asserunt, tertius autem addit pacem illam, qua diversarum nationum multitudine non obstante regnum fruiturum erat, invasione aliarum gentium non turbatum iri; cum reliquis enim regibus vicinis illi ipsi quoque, qui audacia et atrocitate sua omnibus erant terrori et horrori (τύραννοι φρικτοι[1]) timebant Salomonem, cuius fama sapientiae longe lateque sparsa ad eos quoque pervenerat (3 *Reg.* 4,34). Regni porro cuiuscumque prosperitas a sapiente eius administratione pendet, quae duo complectitur; sapientis enim regis est, ut non solum se exhibeat *bonum*, i. e. benevolum et clementem ac simul iustum, in subditis suis regendis, sed etiam *fortem* in repellendis hostibus pacisque perturbatoribus coercendis; quod utrumque se ope Sapientiae esse praestiturum Salomon duobus ultimis stichis gloriatur. Ad quos illustrandos *Lap.* apposite hanc sententiam e Legibus Visigothorum (lib. I. tit. 2, c. 6) affert : « Ex institutione morum et ex mansuetudine principum, quae ex legum dispositione oritur, fit et concordia civium et triumphus hostium; atque sic bonus princeps interna regens et externa conquirens, dum suam pacem possidet et alienam litem abrumpit, celebratur in civibus rector et in hostibus victor. » Atque recte quoque *Gr.* monet, nihil miri in eo esse, quod Sapientia hic fortitudinem (ἀνδρείαν) gloriaeque bellicae studium conferre supponatur, quum toties in Scripturis Dei Spiritus, qui in Sapientia est (7,22), instinctu suo duces ad fortitudinem excitasse dicatur (cfr *Iudic.* 3,10; 6,34; 11,29; 13,25; 14,6. 19; 15,14). Minus recte autem idem in paenultimo sticho dictionem ἐν πλήθει explicandam esse coniicit *in coetu* vel *in contione;* haec enim significatio, etsi nomini πλῆθος aliquoties tribuatur (cfr *Exod.* 12,6 ubi hebr. קָהָל respondet; *Eccli.* 6,35 [33] et 7,15 [14] ἐν πλήθει πρεσβυτέρων), nostro loco non convenit, in quo fortitudo, qua rex sapiens bella gerit, toti eius rationi reipublicae tempore pacis administrandae opponitur. Quapropter dictione illa minus usitata duas subditorum classes, quae *v.* 14 distinguuntur, Israelitas et ethnicos imperio subiectos, comprehendi rectius dicemus, ut idem valeat quod *inter* vel *erga subditos* (vel *cives*).

Neque vero in publica tantum vita sed in privata quoque et domestica Sapientiam regibus magnae utilitatis esse Salomon quatuor sequentibus stichis docet, quibus superiore illa imagine connubii

1. Φρικτός (ad. verb. φρίσσειν *horrere*) ab *Hesych.* i. 4. l. explicatur φρικώδης, φοβερός, πάνυ δεινός (horribilis, terribilis, plane formidabilis) cfr *Ier.* 5,30; 18,13; 23,14 pro hebr. שַׁעֲרוּרִי (horrendus).

resumpta adumbrat, quam iucunda laetaque sit familiaris consuetudo Sapientiae viro multis negotiis publicis occupato : 16. *Intrans in domum meam conquiescam cum illa* (προσαναπαύσομαι αὐτῇ proprie : *illi accubans quiescam* vel *reficiar*); *Non enim habet amaritudinem conversatio illius* (ἡ συναναστροφὴ αὐτῆς) *Nec taedium convictus illius* (ἡ συμβίωσις αὐτῆς cfr ad *v.* 3), *sed laetitiam et gaudium* (εὐφροσύνην καὶ χαράν). Sapientiam amicos suos, quamdiu hac in terra degunt, non omni curae et moerori eximere, auctor supra (*v.* 9) iam insinuavit, quum eam consolatricem curarum et moeroris appellaret; quomodo autem hoc munere fungatur, hic paucis exponit. Ad bonae quippe coniugis instar regem ex foro vel ex bello revertentem amantissima sua salutatione recreat sibique assidentis curas iucundis suis dulcibusque sermonibus dispellit animumque eius omni quo potest modo a molestis cogitationibus avocare studet. Similitudinem autem adhibitam accuratius explanaturus Salomon, quum hominum etiam coniunctissimorum familiarem conversationem haud raro mutuas provocare iras eorumque convictum assiduum saepissime parere taedium non ignoraret, sollicite monet, neutrum regi, qui Sapientiam sibi elegit sponsam, esse timendum, quia divinae huius sponsae conversatio nihil habeat amaritudinis, quo ira aut tristitia concitetur, sed gaudio tantum et laetitia animum afficiat. Similitudine conversationis et convictus cum Sapientia ipsam divinae Sapientiae contemplationem intelligi, qua mens illustratur et affectus inflammatur, demonstratione non indiget; quare *S. Thom.* nostra sententia recte probat, contemplatione delectationem procreari, quae omnem delectationem humanam superet (Summ. 2, 2, q. 180, a. 7) neque ullam admixtam habeat tristitiam (l. c. 1, 2, qu. 35, a. 5); sed haec uberius explicare non est huius loci.

Pro sectionis denique epilogo Salomon Sapientiae laudibus, quas modo adumbravit (*vv.* 2-16), comprehensis potioribusque earum capitibus summatim repetitis firmum suum illius sectandae propositum denuo (cfr *vv.* 2, 9) explanat : 17. *Haec cogitans apud me* (accuratius : *mecum reputans* i. e. collatis utrimque rationibus perpendens λογισάμενος ἐν ἐμαυτῷ) *et commemorans* (accuratius : *sollicite meditans* φροντίσας) *in corde meo, Quoniam immortalitas est in cognatione* (ἐν συγγενείᾳ) *sapientiae,* 18. *Et in amicitia illius delectatio bona* (i. e. *pura* seu honesta ἀγαθή cfr *Eccli.* 14,14 ἐπιθυμία ἀγαθή) *Et in operibus manuum illius honestas sine defectione* (i. e. *divitiae* quae exhauriri nequeunt, πλοῦτος ἀνεκλιπής cfr ad 7,11. 14), *Et in certamine loquelae illius* (melius : *in exercitatione consuetudinis cum*

illa ἐν συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς) *sapientia* (lege : *prudentia* vel potius *intelligentia* φρόνησις cfr ad *v.* 6) *Et praeclaritas* (potius : *bona fama* seu gloria εὐκλεια) *in communicatione* (melius *in commercio* ἐν κοινωνίᾳ) *sermonum ipsius, Circuibam quaerens, ut illam mihi assumerem* (ὅπως λάβω αὐτὴν εἰς ἐμαυτόν). Pronomine *haec* (ταῦτα) auctorem cuncta complecti, quae de Sapientiae sponsae omnimoda perfectione et utilitate summa proxime disseruit, omnes consentiunt; eorum igitur omnium consideratione vel potius reputatione et perpensione se permotum dicit, *ut illam* sibi sponsam *assumere* studiose quaereret (*circuibam quaerens*). Primum autem stichum diligentius quodammodo expositurus nonnulla recapitulat, quae maiore cum cura et sollicitudine se meditatum esse innuit; nam verbum φροντίζειν (a φροντίς *cura*) proprie valet *curam habere* seu sollicitum esse (cfr 1 *Reg.* 9,5; *Ps.* 39,18; 2 *Mach.* 4,21 etc.) ac translate *studiose rem considerare*, ne quid attentionem fugiat. Quinque autem Sapientiae virtutes hac ratione intentius perpendit, quarum duas primas ad *v.* 3, duas sequentes ad *vv.* 5 et 6, quintam ad *v.* 13 recte referemus.

Ante omnia enim meditatus est *immortalitatem* (ἀθανασίαν) *esse in cognatione sapientiae* i. e. cognatione illa obtineri[1]. Nomine *cognationis* (συγγενείας) hic illa propinquitas procul dubio significatur, quae ipso nuptiarum vinculo inter sponsum et sponsam exoritur et quae efficit, ut ambo iam, utpote una caro, non tantum sint eiusdem generis ac familiae (συγγενεῖς), sed bonorum quoque alterutrius participes. Qui igitur Sapientiam sibi sponsam assumit, is particeps redditur tum nobilitatis generis (εὐγένεια), qua Sapientia eminet, tum intimae et continuae coniunctionis (seu convictus συμβίωσις) cum Deo, qua Sapientia nobilitatem generis sui conspicuam facit et illustrem (cfr ad *v.* 3); atqui in hac unione perpetua cum Deo sita est beatitudo aeterna seu *immortalitas* iustis promissa, qui Sapientiae praeceptis obsecuti meruerunt Deo esse proximi (cfr ad 5,16 et ad 6,20 sq.); itaque iure merito cognatione Sapientiae immortalitas beata obtineri asseritur. Sunt quidem, qui immortalitatem hic non aeternam vitam apud Deum, sed eodem modo ac *v.* 13 perennem memoriam interpretantur, quam Sapientiae studiosus apud posteros relicturus sit; verum si illo in loco alteram hanc interpretationem praeferre contextu cogebamur, in hoc eandem admittere contextu vetamur. Namque

1. Antiquiores interpretes nonnulli (*Hugo* C., *Carth.* etc.) cum *S. Fulg.* (ad Monimum III. 16) pro *in cognatione Sapientiae* erronee legerunt : *in cogitatione Sapientiae,* quam corruptam lectionem etiam Sixtus V in suam editionem Vulgatae receperat. Alii cum *Idacio Clario* (c. Varim. III.) non minus erronee legerunt *in cognitione Sapientiae*, qua lectione Idac. usus erat ad Filii aequalitatem cum Patre probandam; cfr. *Lap.*

hac ipsa in sententia de bona fama, quae Sapientiae amicis propter eam contingat, statim diserte agitur (*v.* 18[c]); parum apte vero eam, quasi praecipua dotis Sapientiae pars habita esset, in principio et in fine recapitulationis ab auctore nominari diceremus. Accedit autem quod alter qui sequitur stichus (*in amicitia illius delectatio pura*) ad eiusdem *v.* 3 secundum membrum nos remittit, quo Sapientiae amicitia cum Deo sicuti priore unio eius cum Deo celebratur, ita ut totam *v.* 3 sententiam prioribus his duobus stichis summatim repeti dicendum sit. Nomine φιλία quidem, quod a nostro interprete *amicitia* translatum est, hic amorem coniugalem designari patet (cfr ad *vv.* 2, 3); sed de spiritualibus nuptiis agitur, quare caute additur illis obtineri non delectationem quamcunque, verum *puram* honestamque (ἁγαθή); ac profecto delectatio, quae ex amore Sapientiae exoritur et qua per totam aeternitatem Sapientiae studiosi fruentur, summa est et purissima sicut ipse amor quo producitur; dilectio enim operationem, uti decor iuventutem, consequitur.

A perfectione Sapientiae aeternisque bonis, quae illius studiosis ex unione cum illa proveniunt, Salomon ad ea recapitulanda commoda sese convertit, quae hac iam in terra amicis suis confert. Inter quae ad *v.* 5 respiciens primo loco divitias nominat : *in operibus manuum illius est* (i. e. ope illius obtinetur) *honestas sine defectione* i. e. divitiae indeficientes. Imaginem mulieris fortis, quae diligentia et industria marito suo totique familiae suae magnas opes comparat (*Prov.* 31,13 sqq.), ante oculos habuisse recte asseritur; quoniam autem dubitari nequit, quin etiam ea quae *v.* 5 de Sapientiae ingentibus divitiis dicit, in memoriam revocare voluerit, iure concludimus eum dictione πλοῦτος ἀνελλιπής (*honestas sine defectione*) hic eadem ratione qua 7,11 πλοῦτος ἀναρίθμητος (*innumerabilis honestas*) solas divitias temporales i. e. copiam auri, argenti aliorumque bonorum externorum designasse. Inepta quidem nonnullis haec explicatio videtur, quia huius terrae divitiae *indeficientes* seu perennes vocari nequeant; nomine honestatis igitur bona spiritualia et temporalia simul comprehendi volunt, idque eo magis, quia temporalia ad spiritualia et aeterna ordinentur temporaliumque usus per Sapientiam ita regatur, ut ad altiora recte conducant. — Verum eodem hyperboles genere auctori divitias temporales dicere licuit *non deficientes* seu perennes, quo eas dixit *innumerabiles* (7,11) aut memoriam, quam apud posteros relicturus esset, vocavit *aeternam* (αἰώνιον cfr *v.* 13[b]); deinde aeterna bona, quae unio cum Sapientia affert, duobus praecedentibus stichis diserte iam et accurate nominavit, ut nullam haberet rationem, cur ea denuo idque dictione ambigua, ergo quasi tecte commemora-

ret; qui demum consideraverit, quanta cum admiratione Salomon de divitiis loquatur, quas non petitas praeter omnem exspectationem una cum sapientia et propter eam a Deo obtinuit (7,12; cfr 3 *Reg.* 3,13 etc.), is nihil miri in eo inveniet, quod easdem hic separatim aeque atque alia bona temporalia nominare voluerit; neque enim oblivioni dare licet, librum nostrum ad vetus pertinere Testamentum, cuius Lex non tantum praeter aeterna etiam temporalia bona tamquam iustitiae mercedem promittebat, sed etiam pro populi, cui data est, indole rudi et carnali haec saepius quam illa velut sanctionem suam proponebat (cfr *S. Aug.* c. Faust. Man. IV. 2).

Quarto porro sticho (ἐν συγγυμνασίᾳ ὁμιλίας αὐτῆς φρόνησις) auctorem ad *v.* 6. respicere ex eo iam elucet, quod utroque φρόνησις (*intelligentia*, nequaquam *sapientia*, uti *Vulg.* hic legit) velut fructus Sapientiae commendatur; quapropter φρόνησις etiam hic, uti *v.* 6, de intelligentia et peritia in negotiis bene gerendis rebusque omnibus apte disponendis administrandisque explicetur oportet, qua mulierem fortem insigniter praeditam fuisse ac totius domus suae prosperitatem felicitatemque mirifice auxisse tota illius descriptio ostendit (cfr *Prov.* 31, 10 sqq.). Sed quid sibi vult συγγυμνασία ὁμιλίας σοφίας qua intelligentia obtineri dicitur? Nomen συγγυμνασίας a verbo συγγυμνάζειν (simul exercitare) valet i. q. communis seu mutua exercitatio, ὁμιλία autem a nomine ὅμιλος (ὁμός et ἴλη turba congregata) i. q. congressus vel translate mutuus usus et consuetudo; assiduo igitur usu et convictu familiarique consuetudine cum Sapientia amicum eius obtinere intelligentiam significatur, atque idem, licet minus clare minusque feliciter, latina dictio *in certamine loquelae Sapientiae* exprimere videtur. Hucusque singulas sententias a *v.* 3-6 auctor ex ordine recapitulavit; nunc autem reliquis omissis quinto sticho ad unum ex commodis transit, quae nominatim regibus ex unione cum Sapientia provenire docuit; dubium enim non est, quin ad *v.* 13 respiciens *praeclaritatem* vel potius bonam famam et gloriam (εὔκλεια cfr 2 *Mach.* 6,19 ὁ μετ' εὐκλείας θάνατος *Vulg.* gloriosissima mors et *supra* 3,15 καρπὸς εὐκλεής fructus gloriosus) *communicatione* (rectius *commercio* κοινωνίᾳ) *sermonum* cum Sapientia obtineri doceat. In latina nostra versione duo ultima membra (*certamen loquelae* et communicatio seu *commercium sermonum*) paene plane synonyma sunt; in graeco autem textu ita distingui videntur, ut priore (συγγυμνασία ὁμιλίας) Sapientiae exempla, quae amicus eius continuo ante oculos habet et ad quae animum suum excolere moresque conformare debet, altero autem (κοινωνία λόγων) eius sermones et consilia praedicentur et commendentur, quibus exsecutioni mandatis amicus eius nomen famamque sibi acquirit.

5. — *Sola pia precatione ad unionem cum divina Sapientia perveniri Salomon expertus est* (8,19-9,19).

Nova haec sectio praecedenti arcte adiungitur, ut illius sit quasi complementum. Salomon enim, postquam intimae cum divina Sapientia unionis, qua homo vere sapiens redditur, summam praestantiam omnimodamque utilitatem non minus accurate quam pulchre descripsit atque suam illius unionis cupidinem hac consideratione tam incensam esse significavit, ut omnes vias ad illam assequendam tentasset (cfr 8,2-18), facere iam non potuit, quin relationem suam historicam persequens explicaret, qua tandem via ipse illius particeps esset factus, atque exemplo suo proposito legentibus unicam hanc viam ostenderet. In tractatus huius exordio sese, utpote reliquis hominibus parem et aequalem eodemque quo illi modo in lucem editum, sapientiam neque secum in terram attulisse neque propriis viribus acquisivisse sed precibus a Deo impetrasse iam professus est (7,1-12). Quae ut accuratius explicet, ulterius nunc progrediens eam alia ratione obtineri non posse declarat. Paucis quippe narrat, quomodo puer praeclaris quidem naturae donis instructus fuerit, quibus unioni cum Sapientia aptus videri potuit, sed divinitus illustratus unionem illam, quum gratuitum sit Dei donum, non nisi pie precantibus concedi intellexerit atque ideo supplex Deum adierit (8,19-21). Precationem ipsam autem, qua illam impetravit, addendam censuit, ut omnes intelligerent, quam humiliter et impense gratia tam eximia et tam necessaria a Deo expeti deberet (9,1-19).

1) *Cur Salomon intimam cum divina Sapientia unionem precibus a Deo obtinere studuerit* (8,19-21).

8,19. Puer autem eram ingeniosus, Et sortitus sum animam bonam. 20. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. 21. Et ut scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det (Et hoc ipsum erat sapientiae, scire, cuius esset hoc donum), Adii Dominum et deprecatus sum illum, Et dixi ex totis praecordiis meis :...

8,19. Παῖς δὲ ἤμην εὐφυὴς, Ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, 20. Μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. 21. Γνοὺς δὲ ὅτι οὐκ ἄλλως ἔσομαι ἐγκρατὴς, ἐὰν μὴ ὁ Θεὸς δῷ (Καὶ τοῦτο δ' ἦν φρονήσεως, τὸ εἰδέναι τίνος ἡ χάρις), Ἐνέτυχον τῷ Κυρίῳ, καὶ ἐδεήθην αὐτοῦ, Καὶ εἶπον ἐξ ὅλης τῆς καρδίας μου[1].

VV. LL. — 21. ὅτι οὐκ ἄλλως ἔσομαι ἐγκρατής (quod non aliter futurus sim continens) codd. graec. et verss.; soli AC habent : ὅτι οὐ καλῶς ἔσομαι ἐγκ. (quod non bene [vel forte : non facile] futurus sim cont.). — καὶ τοῦτο δ' ἦν φρονήσεως (etiam hoc autem erat prudentiae) communis lectio; soli ℵ C exhibent : καὶ τοῦτο δὴ ἦν φρονή-

Itaque ut ad unionem cum divina Sapientia assequendam ne optimas quidem corporis animique dotes homini sufficere ostendat — nequaquam vero ut secundum multorum antiquiorum iuniorumque (cfr *Bonav. Lyr. Holc.*; *Lorin. Castro, Lap.*) paucorumque modernorum (cfr *Corl. Gutb.* — *Deane*) opinionem semet ipsum propter eximia, quibus eminebat, dona naturalia unionis illius capacem aut dignum fuisse demonstret (cfr *supra* p. 302), — Salomon a bona sua indole describenda exorditur : 19. *Puer autem eram ingeniosus* (rectius : *bene figuratus* vel *formosus* i. e. bona *corporis* indole praeditus εὐφυής), *Et sortitus sum animam bonam* (ex graeco : ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς, verborum ordine retento et spectata vi particulae τε i. q. *que*, accuratius verte : *animamque sortitus sum bonam*); 20. *Et cum essem magis bonus* (graeca phrasis : μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὤν omnino vertatur oportet : *potius autem* seu *immo potius, quum essem bonus,* aut iuxta alios : *insuper autem quum essem bonus*) *veni ad corpus incoinquinatum* (ἀμίαντον). Quae brevis descriptio, quamvis in primigenio textu clara esse videatur, mirum est quot diversis modis ob minus aptam Vulgatae versionem iam inde ab Augustini aetate a latinis commentatoribus sit explicata; magis mirum autem, quod a plerisque modernis acatholicis, quia praeexistentiam animarum doceat, sacro scriptore indigna esse declaretur. Sed varietates illas et accusationes omnes interim seponamus, ut sola sacri auctoris verba prius diligenter examinemus eorumque genuinum sensum definiamus.

Iam primo in sticho Vulgata nostra, quum Salomonem sese puerum *ingeniosum* dixisse indicaret, latinos interpretes a recta explicationis via deduxit. Namque graecum adiectivum εὐφυής frequentius quidem de bono animi quam corporis habitu usurpatur, ita ut facile intelligatur, cur noster illud latino *ingeniosus* reddere voluerit; at proprie et vi etymologiae (εὖ et φυῆναι crescere) corporis bonam conformationem et constitutionem designat neque potest nisi translaticie animo attribui[1]. Iam vero hic non tantum nulla adest ratio, cur si-

σεως, qua cum lectione *Vulg.* accuratius consentit : *et hoc ipsum erat sapientiae.* Parum recte aliqui minusc. genetivo φρονήσεως addunt nomen τελειότης (prudentiae perfectio) procul dubio ex 6,16, ubi similem habes sententiam. — In sententiola τίνος ἡ χάρις (cuius haec gratia) A male omittit articulum, C cum *Vulg.* superflue copulam (ἐστίν *est*) addit.

1. De adiectivi εὐφυής propria significatione cfr *Pape* Griech. Handwörterb. s. v. et *Passow* s. v. — Ceterum etiam Arist. (Ethic. III, 9; cfr *Lap.* a quo hoc testimonium transumsimus) adiectivum illud non nisi translate de anima usurpari indicat : « is, inquit, est εὐφυής, cui quid est innatum bene, qui est a natura bene formatus et propensus; quemadmodum enim arbor virescens et copiose succrescens et germinans et coalescens dicitur

gnificatione propria relicta ad translatam confugiamus, sed etiam propriam praeferre contextu cogi videmur. Diligenter enim considerctur oportet, secundum stichum, quo animae bonitas aperte asseritur, coniunctione enclitica τε (*que*) priori arcte tamquam complementum adiungi, ita ut ambo coniuncti unam sententiam constituant[1]; atqui si vocabulum εὐφυής de animi bona indole interpretamur, duo membra habemus non tam synonyma quam tautologica, quum utroque plane eadem idea exprimatur, ac praesertim intelligi nequit, cur nomen ψυχῆς tanta cum emphasi in principio secundi stichi sit positum; si vero corpus priore describi tenemus, quod ita sit temperatum et conformatum, ut idoneum esse appareat animae instrumentum, et ordo verborum secundi stichi cur sit electus, sua sponte liquet et tota sententia completam nobis praebet imaginem hominis naturaliter boni. Ceterum recte *Estius* ad secundum stichum annotat « *animam bonam* hoc loco intelligi non bonitate morali aut gratiae sanctificantis, sed bonitate naturali, quae est quaedam ad multas virtutes morales in quibusdam hominibus dispositio, ex qua dicuntur esse bona indole », animam igitur ita a Deo constitutam, ut scientiis et sapientiae discendis sit apta (*Calm.*) seu ad verum et bonum amplectendum propensa (*Corl.*).

Quae duorum priorum stichorum explicatio tertio, qui sequitur, haud parum confirmatur et accuratius definitur, dummodo illum ad graecam uti decet lectionem interpretemur; latina enim nostra versio duobus vitiis laborat, quia interpres graecae particulae adversativae δέ (*autem*) latinam copulativam (*et*) arbitrarie substituit atque adverbium comparativum μᾶλλον contra auctoris nostri usum cum adiectivo ἀγαθός coniunxit, ac si μᾶλλον ἀγαθός idem quod βελτίων (*melior*) valeret. At dictio μᾶλλον δέ hic uti frequenter apud scriptores profanos (cfr *Plat.* de republ. X. 595 C; Tim. 57 E et saepe; *Xenoph.* Cyrop. V. 4,49; Memor. III. 13,6) et aliquoties in Sacra Scriptura (cfr *Eph.* 4,28; 5,11) praecedenti sententiae correctionem quandam addere recte dicitur, ut idem sit quod *potius autem* vel *immo potius*. Auctor quippe noster in duobus illis stichis, quum corpori primum locum assignaret, animam velut partem hominis, ut ita dicam, accessoriam vel secundariam considerasse atque simul verbo ἔλαχον (quod proprie est : sorte vel casu obtinui) adhibito coniunctionem corporis

φυτὸν εὐφυές, ita ingenium amoenum et acre, quod virescit et germinat et coalescit in virtute et in his quae cum virtute et sapientia coniuncta sunt, dicitur εὐφυές ».

1. De coniunctionis τε, si solitaria coniungendis sententiis inservit, genuina potestate cfr *Blass* Gr. p. 258 : « In der Verbindung von Sätzen zeigt τε engere Zusammengehörigkeit und Verwandtschaft an ».

et animae seu totam hominis originem et constitutionem simili modo, quo impii antea descripti (2,2 αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν casu et fortuito seu caeco fato nati sumus), caeco attribuisse casui putari potuit. Quare ut duplicem hunc errorem praecaveret, correctione vel si mavis explicatione addita contrarium accidisse atque animae bonitatem normam fuisse, cui adaptatum esset corpus, statim adiunxit. Sensus ergo est : Bonum meum corpus cum anima bona coniunctum est, *immo potius* (ut accuratius loquar) *quum* (anima) *essem bonus, veni ad corpus incoinquinatum,* i. e. corpus nulla deturpatum deformitate sed bene temperatum animaeque bonae accommodatum assecutus sum. Bene *Ians. Gand. :* « significat, inquit, animae bonitatem (naturalem), quam ex Dei munere habuit, fuisse causam munditiei corporis, non contra corporis dotibus bonitatem animae esse paratam et animae bonitatem praecessisse, non secutam esse », praecessisse autem, uti per se patet, non temporis sed naturae ac dignitatis prioritate. Harmoniam enim quandam inter duas hominis partes constitutivas divinitus ita esse stabilitam Salomon supponit, ut nobilior pars sit norma, ad quam altera adaptetur; anima autem, quum causa sit non tantum finalis sed etiam formalis corporis, haud dubie corpore est nobilior, et quum omnis causa suo effectu saltem natura sit prior, sua sponte consequitur duplicem illam prioritatem animae competere.

Alia tertii membri explicatio haec est. Dictio μᾶλλον δέ scilicet non corrigendae tantum sed etiam interdum, uti supra indicavi, augendae sententiae praecedenti inservit, ut latino *insuper autem* seu *quod maioris autem est momenti* apte reddatur cfr 2 *Mach.* 2,23; *Rom.* 8,34; *Gal.* 4,9). Qua significatione hic admissa sensum totius sententiae hoc fere modo exponere licet : « Divino munere fui puer bona corporis et animae indole praeditus; *insuper autem* (seu immo vero, quod maioris est momenti) quum hac ratione bonus essem (i. e. bonum me exhiberem, debito nimirum indolis meae bono usu seu virtutis exercitio), veni ad corpus incoinquinatum, i. e. eo deveni, ut corpus meum nulla esset macula inquinatum ». Qua in explicatione corpus eatenus dici purum supponendum est, quatenus multis iam superatis libidinis insultibus imperio animae ita est subiectum et obnoxium, ut cum facilitate quadam eius praeceptis obediens sese ab omni inquinamento custodiat atque defendat. Contextui quidem haec explicatio omnino congruit, siquidem non tantum bonam corporis animaeque indolem ad assequendam unionem cum Sapientia non sufficere, sed ne ipsum quoque bonum illius usum isti fini attingendo esse idoneum docet; longius tamen quaesita et coacta, ne dicam con-

torta, videtur verborum interpretatio (cfr quomodo *Schmid* p. 270 hanc explicationem vindicare conetur).

Nonnulla de variis aliorum catholicorum explicationibus addimus. Moderni plerique aut eandem quam nos tradunt aut saltem vicinam, quum in solo primo sticho dissentiant; namque alii eum cum *Vulg.* de sola anima ita intelligunt ut secundo membro explanetur vel confirmetur; alii autem de tota persona, i. e. de anima et corpore, idque ita, ut secundo et tertio stichis quasi per partes exponatur (« *puer* fui bona indole praeditus, *animam* scilicet sortitus bonam et *corpus* incoinquinatum »). Cur vero prior nobis non probetur explicatio, *supra* iam diximus; altera autem, etiamsi priore aptior esse videatur, eo laborat vitio, quod non apparet, cur auctor, si nihil aliud nisi se praeter bonam animam etiam bonum corpus sortitum esse dicere voluit, constructione tam insolenti usus sit, et quid corrigendum vel augendum duxerit. Similiter atque moderni etiam iuniores non pauci iam graecam lectionem latinae praetulerunt atque tertio sticho secundum aut corrigi aut augeri admiserunt; primi autem sensum ad vulgatae lectionem definierunt (cfr *Osor. Vat. Nann. Ians. Gand. Lap.*[1] *Calm.* etc.). Alii tamen ex eis, teste *Lap.*, ut ad eundem fere sensum latinam lectionem detorquerent, latini adverbii *magis* traiectionem supponentes Vulgatae verba explicarunt, ac si scriptum esset : « *et magis* (i. e. *insuper*) *quum essem boñus* ». De antiquioribus autem expositionibus idem auctor iuremerito notat : « nihil horum satisfacit, nihil germanum et appositum »; eas igitur omittimus. Neque videmus. quo ab eis differat latini textus interpretatio, quam *Lap.*[2] ipse ex Castro affert et velut « accommodam » approbat : « quum essem magis bonus, i. e. quum in dies in bonitate per actus virtutum proficerem et maiora in dies probitatis et praeclarae indolis indicia ederem animoque aeque ac sapientiae studio adolescerem, veni ad corpus incoinquinatum, i. e. consecutus sum corporis munditiem et donum castitatis, primo virginalis, deinde coniugalis, in eaque continuo profeci et crevi. » *S. Aug.* denique multa quidem, ubi in animae originem inquirit, de nostra sententia habet (cfr de Gen. ad lit. X, cpp. 7. 17. 18), sed nihil quod interpreti inserviat.

Restat, ut de Protestantium quoque, qui libri nostri negant inspirationem, interpretatione huius sententiae dicamus. Antiquiores, etsi Vulgata repudiata sese solum primogenium textum sequi gloriantur, eam tamen hoc in loco tam accurate retinuerunt, ut cum ea vel ipsum illud μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὤν interpretarentur : quum *magis bonus* essem. « Unde inter eorum explicationes non aliae inveniuntur nisi eae, quae in mediae aetatis postillis et in nonnullorum iuniorum cath. commentariis. Recentiores dictione quidem μᾶλλον δέ praecedentem sententiam corrigi (praecuntibus tamen Vatablo † 1547 aliisque cath.) recte statuerunt; neque vero quidquam in hoc loco invenerunt, quod carpendum ducerent. Inde autem a medio sacc. 18. aliqui auctorem nostrum accusare coeperunt, quod hac in sententia cum Platone et Philone praeexsistentiam animarum supponeret; quae deinde criminatio

circa medium saec. 19.[1]) tam vehementer est propugnata tamque late inter eos est sparsa, ut hodie tantum non omnes eam pro comperta et explorata habeant atque non nisi paucissimi ex eorum, qui se orthodoxos vocant, schola (uti *Hengstenberg, Stier, Deane,* et si qui sunt alii) eam cum catholicis depellere ausi sint.

In hac obiectione refutanda illa potissimum attendemus, quibus *Gr.* eam in suo commentario (p. 176 sqq.) stabilire conatus est; quae enim recentissimi (*Bois, Siegfr. Zöckler*) afferunt, omnia in illius explicatione iam leguntur.

Cuius summa capita haec sunt. « Primo sticho (παῖς δὲ ἦμην εὐφυής) auctor sese bona tum animae tum corporis indole praeditum fuisse significat (cfr *Plato* de republ. III. 409 E. εὐφυεῖς τὰ σώματα καὶ τὰς ψυχάς); id autem accuratius explanaturus summa cum probabilitate pergere voluit : ψυχῆς τε ἔλαχον ἀγαθῆς καὶ σώματος ἀμιάντου (animamque sortitus sum bonam et corpus immaculatum) atque ita etiam dicere debuisset, si animam eodem tempore, quo corpus generaretur, creari cum communi sententia admisisset; quia vero ab ea dissensit, sibi id scribere non licere animadvertens inchoatum membrum non complevit, sed tribus ultimis vocabulis suppressis eorum in locum aliquam dicti sui (ψυχῆς ἔλαχον ἀγαθῆς) correctionem addidit, qua genuinam suam opinionem exprimeret, nimirum animam suam iam ante eius coniunctionem cum corpore exstitisse ac bonam fuisse : μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν κτλ. *immo potius, ut rectius dicam, quia bonus eram, veni in corpus incoinquinatum.* Per se quidem dicere debuit : μᾶλλον δὲ ψυχὴ ἀγαθὴ ὢν ἦλθον κτλ. (immo potius *quia anima bona eram* veni etc.); quoniam autem cum alexandrinis philosophis solam animam essentiam suam veram ipsumque suum Ego constituere putavit, ei pro *anima mea bona erat* dicere licuit : *ego bonus eram.* Itaque quum animam suam iam ante eius ingressum in corpus bonam appellarat, necessario consequitur eum cum Platonicis, quorum doctrinam Philo quoque amplexus est, praeexistentiam animarum admisisse et hoc in loco supposuisse ». Haec *Gr.* cum aliis; contra quae animadverte 1) adversario nostro ipso diserte fatente nihil in verbis ipsis et in contextu inveniri, quo sententiam ea ratione, quam supra descripsimus, de harmonia inter animam, quae tempore generationis corporis creetur, et corpus praestabilita intelligere prohibeamur; atqui aequitatem et iustitiam postulare, ut auctor quicunque ne incusetur erroris, nisi in eius verbis vel contextu liquido sit expressus; plane illegitime ergo et iniuste auctori impingi novam istam explicationem, quippe quae non ex auctoris verbis, sed ex praeiudicio interpretis derivetur. 2) Plane erroneum quoque est, opinionem, quam *Gr.* auctori nostro affingit, esse platonicam aut philonianam. Etenim Platonici praeexistentiam quidem animarum docuerunt, sed ante earum ingressum in corpora bonas et malas animas non distinxerunt, id quod noster supposuisse asseritur; quod autem maioris momenti videtur, Platonicis omnis materia impura erat et mala, ita ut anima ipso suo ingressu in corpus inquinaretur, ac proinde de *corpore incoinquinato* loqui non potuerunt. Philo autem duas utique classes animarum praeexistentium distinxit, sed solas malas, quae terrestribus inhiarunt, in corpora demitti, ut poenas luant, diserte docet (cfr de somn. 22; de mundo 3, etc. Ed. Mang. I. 641 sq.; II. 604). Novum igitur systema philosophicum, cuius in tota antiquitate non invenitur vestigium, *Gr.* fingere coactus est, ut auctori nostro errorem impingeret. 3) Considerari oportet, nos pronomine primae personae indiscriminatim uti, sive de tota nostra persona sive de solo corpore sive de sola anima loqui-

1. Eo tempore inter societates biblicas lis exorta est, num in suis Scripturarum editionibus libros deuterocanonicos, quos apocryphos vocant, velut appendicem retinere ac propagare sibi liceret.

mur; idque quia corpus et anima substantialiter sunt unita, neque quisquam dicere dubitat : « ego bonam animam sortitus sum », quamvis in hac sententia pronomen *ego* (quasi synecdochice) corpus proxime respiciat. Verum Platonici unionem corporis et animae in unam substantiam negarunt ideoque illo loquendi modo, quem in secundo membro habemus, uti non potuerunt, sicut etiam dicere eis non licuit : ἐγὼ ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην σάρξ (ego in utero matris figuratus sum caro), uti noster dicit 7,1. 2. — Ceterum cfr de hac obiectione *Gutb.* p. 215 sqq. et ex protestanticis *Deane* p. 157 sq.

Itaque bona quidem corporis et animae indole, quae unioni suae cum Sapientia obicem non ponat, Salomon sese praeditum esse scivit; attamen altera ex parte haec naturalia bona ad illam, quippe quae gratuitum sit Dei donum, assequendam non sufficere etiam divina luce illustratus persuasum habuit; quapropter supplicibus precibus illam a Deo impetrare studuit : **21**. *Et ut scivi* (lege : *quum vero scirem* γνοὺς δέ), *quoniam aliter non possem esse continens* (lege : *compos* ἐγκρατής scilicet illius unionis), *nisi Deus det — Et hoc ipsum erat* (potius : *et hoc ipsum iam erat* καὶ τοῦτο δὴ ἦν cfr *VV. LL.*) *sapientiae* (φρονήσεως) *scire, cuius esset hoc donum* (ἡ χάρις) —, *Adii Dominum* (ἐνέτυχον τῷ Κυρίῳ) *et deprecatus sum illum, Et dixi ex totis praecordiis meis* (seu *ex toto corde meo* ἐξ ὅλης τῆς καρδίας μου) : ... Latinus interpres iterum, uti *v.* 20, quum coniunctione copulativa (*et*) graecam adversativam (δέ) permutaret, huius sententiae nexum cum praecedente obscuravit; namque auctor hanc praecedenti opponere voluit ad praecavendam opinionem, sese hominem solis naturalibus viribus capacem illius unionis, de qua in toto hoc agitur tractatu, fieri putasse; tantum enim abest, ut id senserit, ut contrarium sit verum, siquidem eam a Deo gratis cui vult concedi, quin ipsum iam eius desiderium Deo deberi perspexit. Porro adiectivum ἐγκρατής (ab ἐγκρατέω in potestate habeo, ἐν et κράτος), quod a Vulgata semper *continens* vertitur (*Eccli.* **6**,28 [26]; **15**,1; **26**,20 [15]; **27**,30 [33]; *Tit.* **1**,8) proprie non tam id valet quod *validus* seu *robustus* (ὁ ἐν κράτει ὤν), uti *Gr.* vult, licet aliquoties hanc significationem admittat, quam id quod *compos* alicuius rei seu ei dominans vel eam coercens et continens (ὁ ἐν κράτει ἔχων[1]). *Continens* autem proxime is vocatur, qui libidines suas continet et coercet, et quia voluptates venereae vehementissimae esse difficiliusque coerceri solent, κατ' ἐξοχήν *castus* appellatur continens, maxime a scriptoribus ecclesiasticis. Hoc sensu

1. Cfr *Plat.* de republ. VI. 499 D ἐγκρατῆ γίγνεσθαί τινος (aliqua re potiri seu eius compotem fieri ; de legib. I. 645 E ἐγκρατὴς ἑαυτοῦ sui compos seu sibi dominans etc.; *Xenoph.* Memorab. IV. 1,14 ἐγκρατὴς ἡδονῆς (voluptati dominans eamque coercens); I. 2,1 ἀφροδισίων καὶ γαστρὸς ἐγκρατὴς venereis et ventri dominans i. q. continens seu *castus et sobrius*) etc.

latinum adiectivum etiam nostro in loco a *S. Aug.* (Confess. VI. 11,20; X. 29,40) antiquioribusque et nonnullis iunioribus sumitur, qui ex his Salomonis verbis castitatem sine gratia supranaturali custodiri non posse deducunt. Etiamsi autem hanc doctrinam ex illis (per sensum consequentem) recte colligi libentes concedamus, proxime tamen et directe de castitate in illis agi negamus. Cum plerisque enim iunioribus et modernis considerandum esse censemus, adiectivum ἐγκρατής ad illud referri debere, quod Salomon in longa, quae sequitur, precatione a Deo postulat; in illa autem castitatis mentionem non facit, sed unionis tantum cum Sapientia, uti etiam in praecedentibus (cfr *v.* 18; 9,4.10.17). Toto igitur contextu interpretationem veterem admittere vetamur, primam autem graeci adiectivi significationem (*compos*) praeferre cogimur (cfr *Vatab. Ians. Gand. Osor. Castro Lorin. Lap. Calm. Gutb. Corl. Les.*; — *Siegfr. Zöckl. Deane*). Neque obstat, quod genetivus rei, cuius Salomon se sine divino auxilio compotem fieri non posse asserit, sit omissus; ex contextu enim genetivus σοφίας (*sapientiae*) eadem ratione supplendus est, qua in simili Siracidae loco (cfr *Eccli.* 6,28 [26] καὶ ἐγκρατὴς γενόμενος μὴ ἀφῇς αὐτήν *et continens factus* i. e. compos illius sc. sapientiae *factus ne derelinquas eam* sc. *sapientiam*). Neque vero sapientia ipsa tantum a Deo concedi debet, sed etiam prima eius initia a Deo sunt, uti parenthesis inserta docet : *et hoc ipsum iam erat sapientiae, scire cuius esset hoc donum.* Praeprimis animadvertatur, unionem ipsam cum Sapientia divina, de qua hic agitur et cuius effectus est sapientia humana, appellari χάριν (utique Θεοῦ), divinum igitur donum, quod homini non debetur, sed ex mera benevolentia a Deo ei gratis confertur. Immo vero homo nudis suis viribus naturalibus ne id quidem intelligit, hoc donum a Deo esse, sed gratiis divinis eius mens illustrari eiusque voluntas impelli debet, ut eam apud Deum quaerere et ab eo precibus impetrare incipiat. Pulcherrima autem imagine virginis, quae eis a quibus concupiscitur, se antea iam cognoscendam et appetendam exhibere debuit, sapientiam veram, quae a Deo est, describens auctor supra (6,14.16) eandem iam doctrinam proposuit. Utroque porro in loco prima haec unionis cum divina Sapientia initia φρονήσει (prudentiae vel sapientiae) attribuit; supra autem nomine φρονήσεως significari *prudentiam* diximus, quia prima meditatio affectuosa de Sapientia nondum vocari possit *perfectio sapientiae* (φρονήσεως τελειότης cfr ad 6,16); hic vero nihil per se videtur obstare, quominus Vulgatae versionem (hoc ipsum iam erat *sapientiae*) retineamus, quum auctor noster graecum nomen alibi quoque pro σοφία usurpet (cfr 3,15; 4,9 etc.); nihilominus ob superiorem locum parallelum hic quoque

strictiorem *prudentiae* interpretationem praeferimus. Praeveniente igitur gratia illustratus et impulsus Salomon unionem cum Sapientia ab eo obtinere studuit, a quo solo obtineri potuit. Ad Deum quippe se convertit et quum eam gratuitum Dei donum esse cognovisset, precibus eum adiit, neque precibus qualibuscunque sed ardentissimis : *ex totis praecordiis* vel potius *ex toto corde* (ἐξ ὅλης τῆς καρδίας) i. e. toto cordis mentisque affectu hanc gratiam petiit, quia eam sibi plane necessariam esse cognovit. Apposite ad hanc dictionem illustrandam iuniores rationem diversam conferunt, qua *S. Augustinus* adolescens simili in occasione Deum adierat quidem, non tamen *toto ex corde* sed animo diviso ac secum ipso pugnante : « at ego, inquit (Confess. VIII. 7,17) adolescens miser, valde miser etiam petieram a te castitatem et continentiam et dixeram : Da mihi castitatem et continentiam, sed noli modo. Timebam enim, ne me cito exaudires et cito sanares a morbo concupiscentiae, quam malebam expleri quam exstingui. »

2. *Precatio Salomonis, qua sapientiam impetravit* (9,1-19).

9,1. Deus patrum meorum, et Domine misericordiae, Qui fecisti omnia verbo tuo, 2. Et sapientia tua constituisti hominem, Ut dominaretur creaturae, quae a te facta est, 3. Ut disponat orbem terrarum in aequitate et iustitia, Et in directione cordis iudicium iudicet : 4. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, Et noli me reprobare a pueris tuis : 5. Quoniam servus tuus sum ego, et filius ancillae tuae, Homo infirmus et exigui temporis, Et minor ad intellectum iudicii et legum. 6. Nam etsi quis erit consummatus inter filios hominum, Si ab illo abfuerit sapientia tua, in nihilum computabitur.

7. Tu elegisti me regem populo tuo, Et iudicem filiorum tuorum et filiarum, 8. Et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo, Et in civitate habitationis tuae altare, Similitudinem tabernaculi sancti tui, quod praeparasti ab initio : 9. Et tecum sapientia tua, quae novit opera tua, Quae et affuit tunc, cum orbem terrarum faceres, Et sciebat, quid esset placitum oculis tuis, Et quid directum in praeceptis tuis. 10. Mitte illam

9,1. Θεὲ πατέρων καὶ Κύριε τοῦ ἐλέους σου, Ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου, 2. Καὶ τῇ σοφίᾳ σου κατεσκεύασας ἄνθρωπον, Ἵνα δεσπόζῃ τῶν ὑπὸ σοῦ γενομένων κτισμάτων, 3. Καὶ διέπῃ τὸν κόσμον ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ, Καὶ ἐν εὐθύτητι ψυχῆς κρίσιν κρίνῃ· 4. Δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν, Καὶ μή με ἀποδοκιμάσῃς ἐκ παίδων σου. 5. Ὅτι ἐγὼ δοῦλος σὸς καὶ υἱὸς τῆς παιδίσκης σου, Ἄνθρωπος ἀσθενὴς καὶ ὀλιγοχρόνιος Καὶ ἐλάσσων ἐν συνέσει κρίσεως καὶ νόμων. 6. Κἂν γάρ τις ᾖ τέλειος ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων, Τῆς ἀπὸ σοῦ σοφίας ἀπούσης, εἰς οὐδὲν λογισθήσεται.

7. Σύ με προείλω βασιλέα λαοῦ σου, Καὶ δικαστὴν υἱῶν σου καὶ θυγατέρων. 8. Εἶπας, οἰκοδομῆσαι ναὸν ἐν ὄρει ἁγίῳ σου, Καὶ ἐν πόλει κατασκηνώσεώς σου θυσιαστήριον, Μίμημα σκηνῆς ἁγίας ἣν προητοίμασας ἀπ' ἀρχῆς. 9. Καὶ μετὰ σοῦ ἡ σοφία ἡ εἰδυῖα τὰ ἔργα σου, Καὶ παροῦσα ὅτε ἐποίεις τὸν κόσμον, Καὶ ἐπισταμένη τί ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου, Καὶ τί εὐθὲς ἐν ἐντολαῖς σου. 10. Ἐξαπόστειλον αὐτὴν ἐξ ἁγίων οὐρανῶν, Καὶ ἀπὸ θρόνου δόξης σου πέμψον αὐτήν, Ἵνα συμπαροῦσά

de coelis sanctis tuis, Et a sede magnitudinis tuae, Ut mecum sit, et mecum laboret, Ut sciam, quid acceptum sit apud te : 11. Scit enim illa omnia, et intelligit, Et deducet me in operibus meis sobrie, Et custodiet me in sua potentia. 12. Et erunt accepta opera mea, Et disponam populum tuum iuste, Et ero dignus sedium patris mei.

13. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? 14. Cogitationes enim mortalium timidae Et incertae providentiae nostrae; 15. Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, Et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. 16. Et difficile aestimamus, quae in terra sunt, Et quae in prospectu sunt, invenimus cum labore. Quae autem in coelis sunt quis investigabit? 17. Sensum autem tuum quis sciet, Nisi tu dederis sapientiam Et miseris spiritum sanctum tuum de altissimis : 18. Et sic correctae sint semitae eorum, qui sunt in terris, Et quae tibi placent, didicerint homines? 19. Nam per sapientiam sanati sunt, Quicunque placuerunt tibi Domine a principio.

μοι κοπιάσῃ, Καὶ γνῶ, τί εὐάρεστόν ἐστι παρὰ σοί. 11. Οἶδε γὰρ ἐκείνη πάντα καὶ συνίει, Καὶ ὁδηγήσει με ἐν ταῖς πράξεσί μου σωφρόνως, Καὶ φυλάξει με ἐν τῇ δόξῃ αὐτῆς. 12. Καὶ ἔσται προσδεκτὰ τὰ ἔργα μου, Καὶ διακρινῶ τὸν λαόν σου δικαίως, Καὶ ἔσομαι ἄξιος θρόνων πατρός μου.

13. Τίς γὰρ ἄνθρωπος γνώσεται βουλὴν Θεοῦ; Ἢ τίς ἐνθυμηθήσεται τί θέλει ὁ Κύριος; 14. Λογισμοὶ γὰρ θνητῶν δειλοί, Καὶ ἐπισφαλεῖς αἱ ἐπίνοιαι ἡμῶν. 15. Φθαρτὸν γὰρ σῶμα βαρύνει ψυχήν, Καὶ βρίθει τὸ γεῶδες σκῆνος νοῦν πολυφρόντιδα. 16. Καὶ μόλις εἰκάζομεν τὰ ἐπὶ γῆς, Καὶ τὰ ἐν χερσὶν εὑρίσκομεν μετὰ πόνου· τὰ δὲ ἐν οὐρανοῖς τίς ἐξιχνίασεν; 17. Βουλὴν δέ σου τίς ἔγνω, Εἰ μὴ σὺ ἔδωκας σοφίαν, Καὶ ἔπεμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἀπὸ ὑψίστων; 18. Καὶ οὕτως διωρθώθησαν αἱ τρίβοι τῶν ἐπὶ γῆς, Καὶ τὰ ἀρεστά σου ἐδιδάχθησαν ἄνθρωποι, 19. Καὶ τῇ σοφίᾳ ἐσώθησαν[1].

1) *VV. LL.* — 1. Κύριε τοῦ ἐλέους σου (D. misericordiae tuae) BℵA23 et plerique minusc.; om. σου (D. misericordiae) C, minusc. non multi, sed verss. omnes. Haec altera lectio propter unanime versionum testimonium uno egregio cod. gr. confirmatum retinenda est (σου fort. ex sequentis stichi fine huc transcriptum). — 2. τῇ σοφίᾳ σου (sapientia tua); C omittit σου. — κατεσκεύασας (constituisti) BC 23, multi minusc.; rectius κατασκευάσας (qui constituisti) ℵ A, multi minusc., verss. omnes. — 6. κἂν γάρ τις (nam etiamsi quis) communior et certior lectio: minus recte ἐὰν γάρ τις (nam si quis) aliqui minusc. εἰς οὐθὲν (vel οὐδὲν) λογισθήσεται (in nihilum computabitur) lectio communior et gravior quam οὐθὲν λ. (nihilum comp.). — 10. ἐξ ἁγίων οὐρανῶν (de sanctis coelis) paene omnes codd. gr.; aptius tamen addito σου (de sanctis coelis tuis) pauci minusc., sed verss. praecipuae (*Vulg. Syr. Copt. Arm.*). — In altero sticho interpres lat. praetermisit πέμψον αὐτήν (mitte illam), forte ne imperativum « mitte » repetere cogeretur; cfr comment. — 12. Pro θρόνων πατρός μου (sedium patris mei) ℵ *Arm.* aptius θρόνου (sedis)... — 13. τίς γὰρ ἄνθρωπος (quis enim homo) l. communis; τίς γὰρ ἀνθρώπων (quis enim hominum) pauci minusc., *Vulg.* — 15. τὸ γεῶδες σκῆνος (terrenum tabernaculum, Vulg. « t. habitatio ») omnes, praeter paucos minusc. qui habent, imagine remota, τὸ γεῶδες σῶμα (t. corpus). — 16. τὰ ἐν χερσίν (quae in manibus sunt) BA et plerique testes; ℵ τὰ ἐν ποσίν (quae ante pedes sunt); *Vulg. : quae in prospectu sunt.* — τίς ἐξιχνίασεν (quis investigavit), fere omnes; soli duo minusc. et *Arm. :* τίς ἐξιχνιάσει (quis investigabit); item *Vulg.*, ubi tamen potest

Ardentis precationis, qua Salomon ut Sapientiam sibi sociam daret, Deum exoravit, summarium quoddam libri historici nobis iam conservarunt (cfr 3 *Reg.* 3, 6, sqq.; 2 *Par.* 1,8 sqq.); uberiorem tamen accuratioremque expositionem liber noster ex salomonico ut mihi videtur commentario desumptam nobis exhibet. Quam *Lap.* « cuilibet religioso et sapientiae studioso, praesertim vero praelatis et principibus, usurpandam » haud immerito dicit, quoniam « piis affectibus ac rationibus efficacissimis sit plena sapientiamque ostendat homini tum ad seipsum tum ad alios recte et ordine gubernandos esse necessariam, quia ipsa norit omnia, sine illa autem homo ignarus et imbecillus nihil efficere possit, quod felicem habeat successum aut bonum eventum[1] ». Ac profecto hac precandi formula Salomon eximium nobis praebet exemplum, quo quomodo nobis eadem gratia sit expetenda edoceamur. Tribus quippe rationibus, quae totidem orationis membris fere aequalibus seu, si mavis, strophis absolvuntur, sese munera divinitus sibi imposita, nisi Sapientiam habeat sibi inhabitantem et opitulantem, rite obire et explere non posse magna cum animi modestia profitens et clare explicans Deum permovere studet, ut eam sibi sociam adiungat. Atque *primo* quidem in membro (*vv.* 1-6) a munere, quod omnibus hominibus ab ipso iam creationis tempore incumbit, exorsus a Deo hominem toti mundo visibili sapientissime constituto et ordinato eum in finem praefectum monet, ut illum ad

esse scribarum (saepe B et V commutantium) mendum. — 17. τίς ἔγνω (quis scivit seu cognovit) codd. et verss. omnes, quum testibus S. Fulg. et paucis codd. antiquioribus (cfr *Reusch*) etiam Vulg. olim habuerit *quis scivit;* hodierna lectio *sciet* etiam contextui repugnat; cfr comment. Praeterea pro *dederis* et *miseris* rectius et graeco textui conformius cum *S. Hier.* in Zach. 12 *dedisti* (ἔδωκας) et *misisti* (ἔπεμψας); quibus formis etiam id clarius indicatur, revera Deum Sapientiam dedisse et Spiritum misisse. — 18.19. Clementina *Vulg.* cum iunioribus codd. lat. duos priores stichos, ut ex coniunctivis *correctae sint* et *didicerint* apparet, pro continuatione sententiae praecedentis habet; at textus gr., reliquae verss., antiqua versio lat. (*correctae sunt, didicerunt:* testibus *S. Aug.* de mor. Eccl. I. 16,24, *S. Fulg., Ps. Cypr.*, bonisque quibusdam codd.) a primo sticho novam sententiam inchoant. — In tertio sticho καὶ τῇ σοφίᾳ (σου : add. ℵ et duo minusc.) ἐσώθησαν (et per sapientiam sanati, seu salvi facti sunt). Ita text. gr., verss. omnes, antiqua *Vulg.* (*S. Aug., S. Fulg., Ps. Cypr.*); Clementina Vulg. cum iunioribus, sententiis aliter iunctis et novo subiecto addito : *nam per sapientiam sanati sunt quicunque placuerunt tibi Domine ab initio.*

1. Similiter *Castro, Lorin.* etc. *Lap.* addit : « Ex hac oratione Ven. *Henr. Suso* circa a. 1350 confecit Horas *de aeterna Sapientia* eius studiosis perutiles aeque ac pias, quae exstant in eius operibus et in *Hortulo animae* ». Similiter *Gr.* adnotat, *Paulum Gerhardt* pium poetam acath. († 1676), ex illa argumentum carminis germanici de Sapientia desumsisse (« Herr, aller Weisheit Quell und Grund »).

aequitatis iustitiaeque normam regeret et administraret; propter suam autem infirmitatem et imbecillitatem, nisi ipse a Sapientia regatur et adiuvetur, huic muneri obeundo plane esse imparem. In *altero* deinde (*vv.* 7-12) ad munus sibi proprium transiens se non modo regem populo ipsius Dei esse constitutum commemorat, ut illum iuste ac sapienter ad patris sui (David) exemplum gubernet, sed etiam electum esse ad templum exstruendum, quod divinae maiestatis dignum sit habitaculum et sanctuarium; neutrum vero se praestare posse nisi Sapientiam, quae sola cognorit, quid Deo sit acceptum, habeat doctricem et adiutricem. In *tertio* demum (*vv.* 13-18) ad primam rationem omnibus communem quasi revertens ignorantiam infirmitatemque hominum, quales nunc omnes peccati originalis sequelis onusti et aggravati nascuntur, vividius explicatiusque describens neminem, nisi a Sapientia illustretur et impellatur, divinam voluntatem cognoscere aut exsequi posse magna cum vi urget. Artificiose igitur tres rationes sunt dispositae neque minore cum arte, ut ex dicendis elucebit, a sapientissimo rege explicantur.

A triplici Dei invocatione Salomon precationem suam ita exorditur, ut tribus quibus utitur appellationibus tria illa attributa divina commemoret, quibus nixus preces suas exauditum iri certo confidit, Dei nimirum fidelitatem, misericordiam, omnipotentiam : 1. *Deus patrum meorum* (Θεὲ πατέρων) *et Domine misericordiae, Qui fecisti* (ὁ ποιήσας) *omnia verbo tuo* (ἐν λόγῳ σου). In prima appellatione genetivus *meorum,* pro quo haud pauci codd. latini cum *Fulg.* minus apte habent *nostrorum,* non esse genuinus videtur, quia neque primigenius textus neque antiquae versiones (*It.* et *Syr.* exceptis) eum habent; eum tamen retinere licet, quia sententiae omnino congruit. Etenim *patres* hic proxime quidem intelligendi sunt totius populi israelitici patriarchae, Abraham, Isaac, Iacob, qui ob fidem suam Deo tam erant probati, ut non tantum promissiones de Messia ex suo semine nasciturо accipere meruerint, sed etiam Deus tamquam eorum Deus a filiis Israel in aeternum invocari voluerit (cfr *Exod.* 3,15) seque propter eorum merita filiis eorum propitium fore promiserit (cfr *Gen.* 17,7; 22,17 etc.). Attamen in precationis huius summario, prout in 3 *Reg.* 3 et 2 *Par.* 1 legitur, Salomon diserte etiam ad promissionem *Davidi* patri suo divinitus factam provocat; quare una cum tribus patriarchis hic Davidem quoque nomine *patrum* designari haud sine causa tenemus, ita ut genetivus *meorum* apte insertus sit. Quidquid autem hac de quaestione statuitur, Salomon *Deo patrum* (*suorum*) invocato fiduciam exprimit, pro sua fidelitate Deum promissiones tum antiquis patriar-

chis tum Davidi factas in ipso utpote eorum filio adimpleturum esse. Quamvis autem velut filius patriarcharum propter divinam fidelitatem ius quoddam ad precum suarum exauditionem habere videatur, animo tamen demisso altera invocatione ad divinam misericordiam appellat Deum vocans *Dominum misericordiae* (Κύριε τοῦ ἐλέους) simili ratione qua Paulus eum dicit *Patrem misericordiarum* (ὁ πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν 2 *Cor.* 1,3); quia misericordia ei est « maxime propria et ut ita dicam connaturalis » (cfr *S. Chrys.* τῇ φύσει συγκεκληρωμένη[1]). Cave enim, ne genetivum τοῦ ἐλέους (*misericordiae*) a nomine Κύριος (*Dominus*) ita pendere putes, ut Deus de sua misericordia liberrime disponere significetur, id quod illi admittere coguntur, qui cum plerisque graecis codd. hic legunt Κύριε τοῦ ἐλέους σου (Domine misericordiae *tuae* cfr *VV. LL.*); rectius quippe genetivum dicis esse qualitatis locumque adiectivi tenere (ἐλεήμων ὁ Κύριος misericors Dominus *Ps.* 144,8), multo expressius tamen Deo hoc attributum tamquam proprium asserere, quippe quo nullum aliud frequentius per totam S. Scripturam celebretur. Sicuti porro Salomon propter divinam fidelitatem ac misericordiam Deum suas preces exaudire *velle* confidit, ita tertia appellatione eum easdem implere *posse* significat, qui enim uno verbo oris sui totum mundum omniaque, quae in eo sunt, ex nihilo produxit, is profecto etiam Sapientiam, qua socia omnia produxit, homini illam petenti sociam et adiutricem mittere poterit..

Sunt qui nomine *verbi* (λόγου), quo vel in quo Deus omnia fecisse dicitur, hic simili modo quo *Ioan.* 1,3 ipsum Dei Verbum hypostaticum seu Unigenitum Filium Dei diserte designari opinentur (*Calm. Schmid* etc. — *Pellic. Osiand. Calov.* etc.); recte tamen cum antiquioribus fere omnes iuniores ac moderni nomen hic de divinae voluntatis manifestatione interpretantur secundum illud *Gen.* 1,3 « *dixit* Deus : fiat lux et facta est lux ». Hoc enim sensu Dei *verbum* vel *sermo* vel *eloquium* etc. (λόγος, ῥῆμα, λόγιον etc.) quasi per personificationem quandam saepe usurpatur de divina voluntate tum creante (uti hic; cfr *Ps.* 32,6 « verbo Domini [τῷ λόγῳ Κυρίου] coeli firmati sunt, et *spiritu oris eius* omnis virtus [omne agmen כָּל־צְבָאָ] eorum;... 9. quoniam *ipse dixit* et facta sunt, *ipse mandavit* et creata sunt »; *Eccli.* 42,15 « *in sermonibus Domini* [ἐν λόγοις Κυρίου] omnia opera

1. « Quod miseretur, inquit *S. Bern.* (in nativ. Dom. sermo 5,3) *proprium* est Deo; ex se enim sumit materiam et velut quoddam seminarium miserendi. Nam quod iudicat et condemnat, nos eum quodam modo cogimus, ut longe aliter de corde ipsius miseratio quam animadversio procedere videatur. Recte igitur non Pater iudiciorum et ultionum dicitur, sed Pater misericordiarum, non modo quod Pater videtur misereri potius quam indignari, sed eo magis, quod miserendi causam et originem sumat ex proprio, iudicandi et ulciscendi ex nostro ».

eius » etc.), tum alia producente aut beneficia praestante (*infra* 16,12 *tuus sermo* [ὁ σὸς λόγος] sanat omnia »; 16,26 « sermo tuus [τὸ ῥῆμά σου] hos qui in te crediderint conservat »; cfr *Ps.* 106,20 « misit *verbum* suum [τὸν λόγον αὐτοῦ] et sanavit eos »; *Ps.* 147,15 « emittet *eloquium suum* [τὸ λόγιον αὐτοῦ] terrae, velociter currit *sermo eius* [ὁ λόγος αὐτοῦ]... 18 emittet *verbum suum* [τὸν λόγον αὐτοῦ] et liquefaciet ea » [sc. nivem et glaciem] etc.), tum iudicante et puniente *infra* 18,15 « *omnipotens sermo* [λόγος] tuus de coelo... durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit... et stans replevit omnia morte » etc.); nequaquam vero per totam Scripturam *Verbum* (ὁ λόγος) velut nomen proprium secundae personae SS. Trinitatis adhibetur, solis exceptis libris *S. Ioannis Ap.*, qui unde et cur hanc appellationem elegerit, cfr apud *Knabenb.* Comm. in Ev. S. Ioan. p. 65 sqq. Nulla autem prorsus apparet ratio, cur auctorem nostrum a communi usu loquendi recessisse statuamus. Si enim in sequenti sticho nomen *sapientiae,* quo auctor noster certissime Filium Dei designat, velut synonymum nostri nominis *verbi* poni obiicitur, id quidem concedere certo modo licet; monemus autem in sequenti sticho non agi de Sapientia notionali seu hypostatica, sed de attributiva, nihil proinde illo parallelismo effici. *Lap.* dictione *in verbo tuo* Filium Dei « mystice » designari, *Deane* Verbum personale « adumbrari, « *Gutb.* illud implicite significari arbitrantur; sed ex eo quod Pater revera in Verbo suo personali omnia creavit, profecto nondum sequitur hanc doctrinam etiam hoc in loco aut *Ps.* 32,6 etc. nudo nomine *verbi* indicari.

Proximis quatuor stichis, qui si meliorem ut decet lectionem (καὶ κατασκευάσας pro anacoluthico καὶ κατεσκεύασας cfr *VV. LL.*) praeferimus, invocationem continuant, Salomon ad *Gen.* 1,26 sqq. alludens grave munus describit toti generi humano a Deo creatore assignatum idque ita, ut homines ad illud rite implendum divinae Sapientiae auxilio indigere sua sponte eluceat : 2. *Et* (qui) *sapientia tua constituisti* (κατασκευάσας) *hominem, Ut dominaretur creaturae, quae a te facta est* (ad graecum textum : τῶν ὑπὸ σοῦ γενομένων κτισμάτων accuratius : *a te factis creaturis*), 3. *Ut disponat* (lege : *et disponeret* καὶ διέπῃ) *orbem terrarum* (τὸν κόσμον) *in aequitate* (potius : *in sanctitate* ἐν ὁσιότητι) *et iustitia, Et in directione cordis* (melius : *in rectitudine animae* ἐν εὐθύτητι ψυχῆς) *iudicium iudicet* (lege : *iudicaret*). Dictionem *sapientia tua* (τῇ σοφίᾳ σου) praecedenti *verbo tuo* respondere ac parallelam esse iam monuimus; eadem igitur ratione ad verbum *constituisti,* qua prior ad verbum *fecisti* referatur oportet. Sicut autem *verbum Dei* hic non est nomen secundae personae SS. Trinitatis, ita nomine *sapientiae* quoque hic non intelligitur sapientia hypostatica sed attributiva; quam Deus procul dubio etiam in creaturis expertibus rationis producendis manifestavit, sed summam manifestare voluit in humani generis

creatione et in fine eidem praestituto; quare etiam auctor eam in hoc sticho potius quam in praecedente diserte nominat. Etenim Deus ad suam ipsius imaginem homines creavit, ut suo ipsius loco reliquis creaturis visibilibus praeessent atque iis secundum divinam voluntatem rite utentes perfectionesque divinas in iis manifestatas agnoscentes et admirantes Deo et debitas laudes gratiasque referrent et debitum servitium praestarent, id quod creaturae reliquae utpote ratione carentes facere nequeunt. Mirum est, quod haec explicatio, quamvis non minus obvia quam apta sit, non omnibus probetur. Nam multi primum stichum interpretari malunt : *sapientia tua exornasti hominem* scilicet Adamum; unde Salomonem hoc modo argumentari arbitrantur : « Tu Domine, Adamum tua ipsius sapientia instruxisti et exornasti, ut reliquis creaturis tamquam rex dominaretur; atqui me quoque regem constituisti; ergo da mihi quoque, uti primo homini, sapientiam tuam » (cfr *Castro, Lap. Corl.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.). Quae argumentatio quam longe sit petita, non est quod multis ostendamus, quum ne verbulo quidem indicetur, de solo Adamo hic sermonem esse, neque id inferri potest ex allusione ad *Gen.* 1,26, quia in isto loco *Gen.* etiam de fine omnibus hominibus praefixo agitur. Praeterea animadverte, verbum κατασκευάζειν, quo auctor usus est, apud profanos quidem scriptores interdum id valere quod latinum « aliquem aliqua re instruere seu exornare » (κατασκ. τινά τινι), verum in alexandrina versione *semper* hebraicis verbis בָּרָא (creare *Is.* 40,28 etc.) aut יָצַר (formare *Is.* 45,7) aut עָשָׂה (facere, fabricare 2 *Par.* 32,5 etc.) respondere similique sensu in nostro libro *semper* adhiberi (cfr 7,27; 11,25; 13,4), ita ut Vulgatae versio *constituisti,* quam etiam reliquae versiones antiquae exprimunt, omnino sit retinenda.

Munus porro hominibus omnibus divinitus assignatum, ut creaturis rationis expertibus dominentur (δεσπόζειν), auctor duobus membris accuratius definit, ut clarius appareat, eos illud nisi Sapientiam habeant adiutricem, implere non posse. Priore autem in loco homo dicitur *mundum* (τὸν κόσμον i. e. rerum creatarum, quae ei subiectae sunt, universitatem) *in sanctitate et iustitia* (ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ) *disponere* vel potius *administrare* (διέπειν) debere. Noster interpres nomen ὁσιότης hic vertit latino *aequitas*, uti supra (6,12) adiectivum ὅσιος latine *iustus;* quae versio minus quidem propria (ὅσιος enim est sanctus) sed haud erronea est, ut ad 6,12 monuimus, dummodo *aequitatis* et *iustitiae* nominibus recta illa designari dicatur hominis dispositio ad divinam voluntatem sequendam finemque sibi divinitus praefixum consectandum, quo animi habitu homo Deo gratus acceptusque redditur. Fere idem altero membro (*et in rectitudine animae*

iudicium iudicaret) significatur. Namque locutio *iudicium iudicare* (κρίσιν κρίνειν[1]) hoc in loco, in quo Salomon de hominis dominatione in solas creaturas rationis expertes loquitur, arcto sensu forensi de iudicio proprie dicto agendo et de sententia in tribunali ferenda explicari nequit, sed latiore sensu regendi ac gubernandi sumatur oportet (cfr ad 1,1 οἱ κρίνοντες τὴν γῆν); locutio autem *in rectitudine animae* seu cordis (ἐν εὐθύτητι ψυχῆς) praecedenti *in sanctitate* (ἐν ὁσιότητι) plane respondere et synonyma esse iuremerito asseritur, siquidem Alexandrini hebraicum יֹשֶׁר לֵבָב (rectitudo cordis) interdum graeco ὁσιότης καρδίας (cfr *Deut.* 9,5), interdum εὐθύτης καρδίας (cfr 3 *Reg.* 3,6) interpretantur. Itaque ambobus stichis parallelis declaratur homini nequaquam licere dominium sibi in creaturas inferiores concreditum ad arbitrium suum suamque libidinem exercere, sed in illo exercendo ei imprimis ad Dei Creatoris, supremi sui ipsius ac rerum omnium domini, voluntatem attendendum esse et consequenter etiam ad singularum creaturarum sibi subiectarum naturam diversam, ut ad illam congruenter et convenienter singulis utens aut non utens ad suum ipsius finem perveniat. Quapropter homo, ut munere dominatoris creaturarum rite fungatur, accurate quid Deus de singularum usu aut non usu singulis in casibus statuerit, scire debet; quomodo autem illa scire poterit, nisi divinam Sapientiam, a qua edoceatur, secum habeat cohabitantem?

Aptissime ergo Salomon gravissimi huius muneris, quod ei cum omnibus est commune, descriptioni asyndete suam auxilii petitionem subiungit : 4. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam* (τὴν τῶν σῶν θρόνων πάρεδρον σοφίαν), *Et noli me reprobare a pueris tuis* (ἐκ παίδων σου). Qui ad totam orationis seriem arctumque huius sectionis nexum cum duabus praecedentibus attenderit, non poterit, opinor, dubitare, quin Salomon eandem Sapientiam hic sibi dari roget, quam velut divinam personam ex Patre genitam eique aequalem tanta cum sollicitudine descripsit (cfr 7,22 sqq.) seseque inde a iuventute tam ardenter adamasse sibique, ut illius bonorum particeps fieret, sponsam studiose quaesivisse declaravit (cfr 8,2 sqq.). Praeter contextum autem etiam verba, quibus utitur, omnino prohibent, ne eum mera prosopopoeia hic uti cum *Lap.* aliisque admittamus, praesertim si duas

1. Uti in lingua hebraica, ita etiam in graeca verbis nonnullis ad eorum vim augendam interdum apponitur accusativus nominis ex eadem radice derivati (cfr *Blass* Gr. p. 89 sq. qui accusativum hunc vocat « interni obiecti » [« Acc. des innern Objectes oder des Inhaltes »], *Win.* Gr. p. 210 sq.; *Beel.* Gr. p. 228), uti φόβον φοβεῖσθαι (valde timere *Marc.* 4,41), χαίρειν χάραν μεγάλην σφόδρα (*Matth.* 2,10) etc.; huic etiam pertinet nostrum κρίσιν κρίνειν, ita ut accusativo addito significatio verbi non coarctetur aut accuratius definiatur, sed augeatur.

alias petitiones huic parallelas (*vv.* 10, 17) aliosque locos comparamus, quos eum ante oculos habuisse vix non certum videtur. Neque enim sapientia persona esse fingitur, sed supponitur, si socia vocatur et consors Dei ipsius, quae una cum Patre eundem thronum occupat tamquam ei par et aequalis; nomen quippe πάρεδρος (παρά et ἕδρα *sedes*) proprie illum designat, qui alicui eadem in sede assidet (i. q. latinum *assessor*, cuius forma feminina antiquior *assestrix* recentior *assistrix*), et velut synonymum adhibetur nominum σύνεδρος et σύνθρονος (cfr *Hesych.*). Probabiliter scilicet auctor (noster ad *Prov.* 8,22 sqq. respexit, quo in loco Sapientia (hypostatica) sese ipsam reginam appellat ab aeterno unctam (*v.* 23 מֵעוֹלָם נְסַכְתִּי ab aeterno *uncta sum*, pro quo *Vulg.* minus recte « ordinata sum »), quae Deo creanti mundumque disponenti, ordinanti, regenti continuo velut adiutrix adfuerit (*vv.* 27-31; cfr similiter *vv.* 9, 10; eundem locum Siracida imitatus videtur cfr *Eccli.* 24,5 sqq. 12 sqq.).

Quare minus nobis opinio probatur eorum, qui alteram nominis πάρεδρος significationem (qui *iuxta thronum* sedet cfr 6,15 πάρεδρος τῶν πυλῶν foribus assidens) praeferentes Sapientiam velut consiliariam designari arbitrantur, quae a Deo in consilium adhibeatur; quam explicationem ex eo probari putant, quod Salomon quoque sibi Sapientiam velut consiliariam adesse desideret (cfr *Gutb.*). At profecto de solis consiliis dandis aut accipiendis non agitur, sed de toto munere rite fungendo, quod Deus hominibus assignavit, quum illis omnes creaturas visibiles regendas subiiceret. Recte igitur *Corl.* cum aliis interpretatur : « da mihi Sapientiam, quae tibi creanti, regenti, iudicanti etc. assidet, omnia tecum operans una et identica operatione. » Imaginem, qua Salomon Sapientiam Patri sociam esse imperii significat, a poetis ethnicis transsumptam esse, cur dicamus, non apparet (*Gr.*); namque ipsae Scripturae ei hanc figuram suppeditabant. Sufficit unum illud vaticinium messianicum attulisse, in quo Iahve Messiae dixisse refertur : « *Sede a dextris meis,* donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum » (*Ps.* 109,1); ad quem locum egregie *S. Thom.* (Summ. theol. III. q. 58, a. 2) « sedere ad dexteram Patris nihil aliud est quam simul cum Patre habere gloriam divinitatis et beatitudinem et iudiciariam potestatem idque immutabiliter et regaliter » seu aliis verbis Messiam consortem ac participem esse maiestatis ac potentiae divinae, id quod etiam nostro πάρεδρος τῶν τοῦ Θεοῦ θρόνων significari diximus. Per transennam autem addamus, Dei thronum plurali θρόνους granditate quadam sermonis ad eius sublimitatem connotandam vocari (cfr 18,15) simili modo, quo pluralis οἱ οὐρανοί saepe adhibetur, ubi de uno coelo, Dei ac beatorum sede, agitur (cfr *Matth.* 3,2 et saepe : ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, 5,16 : ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς etc.; *Luc.* 10,20 τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγγέγραπται ἐν τοῖς οὐρανοῖς etc.).

Unica autem illa petitione non contentus eam antithetico sticho iterat instantiusque urget : *noli me reprobare a pueris tuis* (μή με ἀποδοκιμάσῃς ἐκ παίδων σου) mihi scilicet denegans Sapientiam tantopere mihi necessariam et tam ardenter concupitam. Frequenter in Scripturis « παῖς (i. g. נַעַר *puer*) in universum omnis dicitur, cuius opera reges et principes utuntur in negotiis vel publicis vel privatis » (Schleusn.); hoc sensu nomen etiam hic usurpatum videtur, ita ut *pueri Dei* hic homines illi omnes sint intelligendi, qui pro munere sibi imposito creaturas sibi subiectas ad divinae voluntatis normam regunt ac gubernant. Iamvero ut id praestare possint, Sapientia secum cohabitante, a qua continuo illustrentur et impellantur, omnino indigent, ut paullo antea iam satis est indicatum et mox (*v.* 6) apertissime declaratur. Quare Deus, si cui Sapientiam sponsam denegat, eum velut non idoneum ad munere famuli sui fungendum reiicere et *reprobare* (ἀποδοκιμάζειν) censendus est, sicut argentarius argentum scoriatum reprobat (cfr. Ierem. 6,30 « argentum reprobatum ἀποδεδοκιμασμένον vocate eos, quia Dominus reprobavit ἀπεδοκίμασεν eos » ; *Ps.* 117,22 etc.). Itaque hac reprobationis deprecatione idem petitur quod prioris stichi precatione, sed maiore cum vehementia.

Ut deinde precatio sua certius exaudiatur, rex infirmitatem imbecillitatemque suam, qua ab imposito munere implendo retineatur, duabus sequentibus sententiis (*vv.* 5,6) ingenue profitens divinam misericordiam commovere studet : Da mihi Sapientiam tuam, quae me adiuvet, 5. *Quoniam servus tuus* (δοῦλος σός) *sum ego et filius ancillae tuae* (τῆς παιδίσκης σου), *Homo infirmus et exigui temporis* (ὀλιγοχρόνιος) *Et minor ad intellectum iudicii et legum* (ἐλάσσων ἐν συνέσει κρίσεως καὶ νόμων). Magna cum animi demissione Salomon similiter ac pater eius David (cfr Ps. 85,16 ; 115,16) sese, regia qua ornatus iam erat dignitate non obstante, *servum Dei et filium ancillae eius* i. e. origine servum seu vernam, utpote a serva natum (cfr *Exod.* 23,12), appellare non veretur, ut se eadem ratione qua reliquos homines omni quidem ex parte a Deo dependere, sed etiam cum illis iure se sperare significet fore, ut ab eo omnia obtineat, quibus ad eius iussa exsequenda indiget; heri enim est, servis suis providere atque necessaria suppeditare. Parum recte autem nonnulli cum *Gr.* appellationem hanc ita interpretantur, ut Salomon fidelitatem, qua Deo servivit (vernae enim servis pretio emtis aut bello captis fideliores esse censebantur) velut rationem afferat, cur petitio sua exaudiri mereatur. Hanc enim interpretationem duo alii stichi excludunt, quibus Salomon figuratam, qua in primo sticho usus erat, dictionem quasi exponens infirmitatem communem hominum disertis verbis asserit. Sicuti *supra* (7,1 sqq.) se

origine et nativitate ab aliis hominibus non differre fassus est, ut se non magis quam alios sapientiam secum in mundum attulisse ostenderet, ita hic se natura et conditione aliis aequalem dicit, ut se suis solis viribus munere omnibus hominibus communi fungi non posse probet. Hinc aliis sese aequiparans se *hominem infirmum*, cui igitur vires necessariae desint, et *exigui temporis* (ὀλιγοχρόνιον) se vocat, i. e. cuius vita tam sit brevis (cfr 2,1 ὀλίγος ἐστὶν... ὁ βίος ἡμῶν), ut exiguo illius tempore cognitio ac scientia ad munus implendum requisita studio aut exercitio acquiri nequeat. Aliqui ad 3 *Reg.* 3,7 (« ego sum puer parvulus et ignorans egressum et introitum meum ») respicientes Salomonem adiectivo ὀλιγοχρόνιος adolescentiam suam quasi praetendere volunt (cfr *Lap. Schm.*); quae tamen explicatio contextui nostro parum congruit, neque vocabulo istam significationem competere ullo idoneo exemplo probatur; ceterum etiam vita longissima non sufficit, ut quis suis viribus se ad munus, de quo agitur, implendum aptum reddat. Id tertius stichus confirmat, qui hominem declarat *minorem* i. e. « imbecilliorem esse, quam *ut iudicium et leges intelligat* » (*Lap. Calm.* etc.). Ad contextum autem plerique interpretes non satis attendunt, quum auctorem de legibus mosaicis plene cognoscendis et recte applicandis loqui arbitrentur; de republica enim sive iudaica sive alia administranda et gubernanda nondum agitur, sed de munere *vv.* 2, 3 descripto et consequenter de divinis praeceptis et legibus, ad quorum normam homo creaturas sibi divinitus subiectas regere tenetur; ea autem omnia neminem, nisi a divina Sapientia ipsa edoceatur et illustretur, neque iuvenem neque senem accurate cognoscere posse clarum est. Nihilominus disertis quoque verbis Salomon communem hanc indigentiam Deo quasi novam, qua ad misericordiam praestandam permoveri queat, rationem proponit cum emphasi addens : 6. *Nam et si* (κἂν γάρ) *quis erit* (vel *sit* ᾖ) *consummatus inter filios hominum, Si ab illo abfuerit sapientia tua* (ad graecum textum τῆς ἀπὸ σοῦ σοφίας accuratius *sapientia a te procedens* seu *a te missa*), *in nihilum computabitur* (εἰς οὐδὲν λογισθήσεται cfr 2,16). Praecedentibus verbis se reliquis hominibus aequavit seque velut unum ex eis ob imbecillitatem sibi ingenitam continuo Sapientiae auxilio indigere Deum quodammodo commonefecit; recte autem se ita esse locutum nunc ex eo probat vel confirmat (attende ad particulam causalem γάρ *nam*), quod ne ille quidem filius hominis, qui consummatissimus i. e. perfectissimus (τέλειος), omnibus igitur naturalibus donis praeditus esse creditur, creaturas sibi divinitus subiectas ea, qua Deus vult, ratione administrare et regere queat, nisi Sapientiam, quae est splendor lucis aeternae et imago bonitatis Dei (7,26),

secum habeat cohabitantem. Vix opus est dicere perfectionem hic naturalem, quam homo solis naturae suae viribus sibi comparat, supranaturali opponi perfectioni, quam a Sapientia sibi inhabitante illustratus et adiutus sibi acquirit. Idem quippe, uti *Orig.* (in *Matth.* tom. IX. 23) iam monuit, hoc loco supponitur, quod disertius *Ierem.* 9, 27 sqq docet, hominem scilicet nihil ex se habere, quo Deo placere ac proinde vere gloriari possit, sed eo solo gloriari illi licere, quod *cognoscat Dominum* (יהוה), qui supranaturali modo misericordiam et iustitiam suam manifestavit, quam scientiam homo utique sua naturali ex sapientia neque haurit neque haurire potest, sed a solo Deo suam ipsius Sapientiam velut donum plane gratuitum cum eo communicante accipit. Ad singula deinde quod attinet, animadverte, ex Hebraeorum (et etiam graecorum poetarum) loquendi usu adiectivum positivum, si cum substantivo quandam rerum classem designante coniungitur, vim induere superlativi, ita ut τέλειος ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων (*perfectus inter filios hominum*) idem valeat quod τελειότατος ἄνθρωπος (*homo perfectissimus*) [1]; porro verba υἱὸς ἀνθρώπου ac praesertim pluralem υἱοὶ ἀνθρώπων frequenter infirmitatem homini ex sua origine et natura inhaerentem connotare, hominem igitur naturalem designare, qui supranaturalibus donis aut nondum est ornatus aut iis orbatus [2]; itaque tota dictione τέλειος ἐν υἱοῖς ἀνθρώπων describi hominem, qui naturalibus suis donis inter reliquos quidem homines imbecillos et infirmos eminet, vere tamen ipse quoque infirmus est et ideo a Deo *in nihilum computatur*, utpote haud idoneus ad creaturas inferiores eo quo decet modo regendas.

In altera precationis parte Salomon ad munera sibi proprie assignata transiens, magna eorum gravitate ac difficultate indicata (*vv.* 7-9), instantius Deum rogat, ut Sapientiam sibi mittat sociam (*v.* 10), quia non nisi illa doctrice et adiutrice se divina iussa rite exsequi posse persuasum habet (*vv.* 11, 12). Duo autem munera ei

1. Cfr. *Gesen. Kautzsch* Hebr. Gr. Ed. 27, § 133 g.; ex. gr. *Cant.* 1,7 הַיָּפָה בַּנָּשִׁים bene *Vulg.* « O *pulcherrima* inter mulieres » scil. quae pulchritudine reliquas mulieres superat; *Win.* Gr. p. 231; *Bl.* Gr. p. 139; ex. gr. *Luc.* 1,42 εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν i. q. benedictionibus amplissimis ornata prae reliquis mulieribus, quippe quae cum illa comparatae quasi benedictione omni carere videantur; *Matth.* 22,36 ποία ἐντολὴ μεγάλη ἐν τῷ νόμῳ i. q. ἐν ταῖς ἐντολαῖς i. e. quod praeceptum maximum est inter praecepta seu tam magnum, ut reliqua complectatur? etc.; ex profanis cfr *Pindar.* (Nem. III,76) αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς i. e. aquila celerrima est inter volucres; *Eur.* Alcest. 473 ὦ φίλα γυναικῶν i. q. ὦ φιλτάτη γυνή etc.

2. Cfr *Gen.* 11,5 (οἱ) υἱοὶ (τῶν) ἀνθρώπων, ubi *Vulg.* cum *Hebr.* eodem sensu : *filii Adam*; 1 *Reg.* 26,19; *Ps.* 10,4; *Prov.* 8,31 etc.; singularis (ὁ) υἱὸς (τοῦ) ἀνθρώπου cfr *Num.* 23,19; *Iob.* 16,22; 25,6; *Ps.* 8,5; *Ezech.* 2,1. 3. 6. 8; 3,1 et frequentissime.

demandata sunt, quum prae fratribus suis rex et iudex populi israelitici constitutus et templum divina maiestate dignum exstruere iussus sit : 7. *Tu elegisti* (σὺ προείλω proprie et accuratius : *tu praeelegisti*) *me regem populo tuo et iudicem* (δικαστήν) *filiorum tuorum et filiarum*, 8. *Et dixisti me aedificare* (i. q. *et iussisti me aedificare* καὶ εἶπας οἰκοδομῆσαι [1]) *templum in monte sancto tuo, Et in civitate habitationis tuae altare, Similitudinem* (potius : *imitationem* μίμημα) *tabernaculi sancti tui, quod praeparasti* (προητοίμασας *antea parasti*) *ab initio : Et tecum sapientia* (*tua* [2]), *quae novit* (ἡ εἰδυῖα) *opera tua*, (Quae [3]) *et affuit* (καὶ παροῦσα) *tunc quum orbem terrarum faceres, Et sciebat* (*lege : et scit* καὶ ἐπισταμένη), *quid esset* (*lege : sit*) *placitum oculis tuis Et quid directum* (εὐθές) *in praeceptis tuis*. Quemadmodum supra (*v.* 2) ab ipso Deo hominibus munus regendarum inferiorum creaturarum impositum esse significavit, ita etiam hoc in loco, cum maiore tamen vi, nimirum pronomine σύ (*tu*) toti sententiae emphatice praemisso, a Deo sibi duplex munus impositum esse monet; idque non sine causa, siquidem qui alteri munus iniungit, is eidem, quaecunque ad illud implendum requiruntur, liberaliter subministraturus esse speratur. Quam causam haud parum urget, quum se regiam dignitatem neque sibi arripuisse neque proprio quodam iure obtinuisse, sed ad eam assumtum esse dicit prae fratribus suis omnibus, ne iis quidem exceptis, qui potiore iure illam sibi vindicare (uti Adonias cfr 3 *Reg.* 1,5 sqq.) et magis idonei ad illam sustinendam esse videbantur. De electione quippe prae aliis verbum προείλω (*elegisti* seu *praeelegisti*) explicetur necesse est (cfr 1 *Paral.* 28,5); quod enim *Gr.* cum nonnullis illo verbo ad 2 *Reg.* 7,12 sqq. alludi atque Salomonem iam ante suam nativitatem destinatum fuisse, ut patris fieret successor, significari arbitratur, id admitti nequit, quia verbum προαιρεῖν neque a sacris neque a profanis scriptoribus temporali isto sensu adhibitum legitur et plerumque idem valet quod praeferre (cfr 7,10). Quantae porro gravitatis ac difficultatis sit regium munus,

1. Antiquiores grammatici in hoc loco eique similibus verbum δεῖν (debere) supplendum esse opinati sunt (*dixisti* me debere *aedificare*); moderni vero monent infinitivo a verbis λέγειν etc. dependente solam verbi notionem omnis relationis expertem per se exprimi ac proin totius sententiae nexu relationem eius debere definiri, utrum nimirum enuntiationem contineat an praeceptum etc. Cfr. de huius constructionis ratione *A. Buttm.* Gr. p. 235; *Win.* p. 302; *Beel.* Gr. p. 354.

2. Pronomen *tua* tum in textu primigenio tum in reliquis verss. antiquis non adest, atque similiter *S. Aug.* (de mor. eccles. I. 16,28) illud non habet; quare praetermittendum videtur.

3. Haud satis accurate interpres noster verba graeca : ἡ σοφία ἡ εἰδυῖα... καὶ παροῦσα... καί ἐπισταμένη... vertit : *sapientia quae novit... quae et adfuit..., et sciebat...*; lege : *sapientia quae novit... et adfuit... et sciebat*; *cfr S. Aug.* l. c.

ad quod ipse electus est, Salomon innuit, quum suae curae populum ipsius Dei (*tuo populo*) commissum esse dicit, illum ergo populum, quem Deus solum ex omnibus terrae nationibus, ut sibi esset peculiaris, elegit ac *sui populi* titulo diserte ornavit (cfr *Exod.* 19,5; *Deut.* 7,6; 14,2 etc.) et velut filium suum primogenitum singulari semper amore amplexus et prosecutus est (cfr *Exod.* 4,22; *Ps.* 88,28; *Ierem.* 31,9; *Eccli.* 36,4), sed etiam cuius membra singula, quae nomine *filiorum suorum et filiarum* interdum insignire dignatus est (*Deut.* 14,1; *Is.* 43,6; *Sap.* 12,19 sq.; 16,26; 18,4; cfr supra 104 sq. et *Rom.* 9,4), prae reliquis hominibus sanctitate ac puritate non minus quam fideli Legis eis per se datae observatione eminere voluit (cfr *Exod.* 22,31; *Lev.* 11,44 sq.; 20,7.26; 21,6,9; *Deut.* 4,1-9 etc.).

Alterum munus, quod sibi proprium Salomon explicat, duo quidem, si verba urgere volueris, diversa complecti videtur, templum aedificandum et altare exstruendum, re tamen unum solum est, quandoquidem altare, sive cum modernis plerisque aureum illud thymiamatum in ipso sanctuario ante velum Sancti Sanctorum positum intelligitur, sive cum plurimis antiquioribus aeneum holocaustorum, quod ante sanctuarium in atrio sub dio erectum est, omnino ad templum ipsum tamquam eius pars essentialis pertinet; quare etiam tertius stichus (μίμημα κτλ. *similitudinem* etc.), quamquam grammatica constructione ad *altare* refertur, ab omnibus interpretibus ad *templum* simul pertinere recte tenetur. Iamvero quam grave ac difficile hoc negotium sit, ex eo iam apparet, quod templum et altare *in monte sancto Dei* et *in civitate habitationis eius* aedificanda dicuntur; sanctitati enim loci, quem Deus magnis ibi gratiis collatis certo modo ipse consecraverat, et dignitati civitatis, in qua maiestas divina stabilem sedem sibi elegerat, respondere debuit magnificentia et splendor domus Dei in medio populo suo residentis. *Mons sanctus* autem est mons *Moria* (cfr 2 *Paral.* 3,1), qui hic non proleptice, uti nonnulli volunt, propter templum scilicet postea in eo exstructum sanctus vocatur, sed Deo iam consecratus est, quando David in area Areuna (s. Ornan), quae in eo sita erat, altari erecto oblatisque sacrificiis divinam iram placavit gravissimaeque poenae ob populi censum ei irrogatae finem a Deo obtinuit (cfr 2 *Reg.* 24,18 sqq.; 1 *Paral.* 21, 18 sqq.); immo vero iam multis saeculis antea, quando Abraham pro filio Isaac, quem Deo holocaustum in eo monte mactare iussus erat, ab angelo Domini monitus aliud sacrificium obtulit atque pro mercede perfectae suae obedientiae sollemnissimam promissionum messianicarum confirmationem accepit (cfr *Gen.* 22,1-19). Similiter Ierusalem non proleptice *habitatio Dei* appellatur, sed magnifico hoc titulo

ornari ab eo tempore coepta est, quo arca foederis, symbolum Dei in medio populo suo habitantis, per Davidem summa cum pompa in montem Sion translata est ibique fixam suam invenit sedem (cfr 2 *Reg.* 6,12 sqq. et 15,25); exinde quippe Sion et Ierusalem vocantur mons et civitas Dei (*Ps.* 47,1), utpote tabernaculum Dei (*Ps.* 14,1), in quo Deus inhabitat (*Ps.* 9,12), hymnis celebratur et vota accipit (*Ps.* 64,2) etc., ex quo preces exaudit (*Ps.* 3,5), auxilium suis mittit eosque tuetur (*Ps.* 19,3) etc.

Neque vero ideo tantum, quia futuri templi locus a Deo ipso erat electus et consecratus templumque loci sanctitati ac dignitati congruere debuit, Salomon ad illud exstruendum auxilio divino plane singulari sibi opus esse iure censuit, sed gravissimum illud accedebat, quod in illo aedificando *tabernaculum sanctum, quod Deus praeparavit ab initio, imitari iussus est.* Quid his verbis proprie significetur et cur ad muneris difficultatem ostendendam hic sint allata, inter libri commentatores non convenit; quare diligentius inquiramus oportet, de quonam tabernaculo a Deo ab initio praeparato agatur. Multi mosaicum tabernaculum in deserto olim erectum designari volunt. Re enim vera templum salomonicum trium partium suarum praecipuarum (Sancti sanctorum, in quo supra arcam foederis aureumque propitiatorium Deus inter duos cherubim suum quasi thronum habebat, — Sancti velo a Sancto Sanctorum separati, quod altare thymiamatis, aureum candelabrum ac mensam propositionis panum continebat, — Atrii sacrarium proprie dictum circumdantis, in quo aeneum altare holocaustorum, lavacrum aeneum aliaque erant) dispositione ac destinatione simile fuit tabernaculo foederis, quod Moyses secundum exemplar (תַּבְנִית Alex. : παράδειγμα ac τύπος, *Vulg.* : exemplar et descriptio) sibi in monte Sinai monstratum iam primo anno peregrinationis in deserto exstruendum curavit (cfr *Exod.* 25,8 sqq. 40 etc.), ita ut templum imitatio tabernaculi dici posse videatur, quamvis illo non tantum longe amplius et solidius, sed etiam multo augustius ac magnificentius fuerit. Quae sententia si admittitur, dictio *ab initio* proxime intelligenda est de initio foederis a Deo cum filiis Israel pacti; quia autem haec dictionis expositio satis ieiuna et tam sollemni precationi parum adaptata esse nonnullis visa est, addunt verbis istis simul initium temporis seu creationis, immo ipsam aeternitatem significari, quatenus Deus ab aeterno iam decreverit, ut hac ratione tabernaculum in deserto aedificaretur (cfr *Lyr.* etc., *Lorin. Lap.*[1] *Calm.* etc. *Corl. Schm. Gutb.*[1], *Les.*[1] etc.; — *Osiand. Klenk. Hasse, Deane* etc.). Attamen sola similitudine inter mosaicum tabernaculum et templum salomonicum, quam magnam quidem fuisse concedimus,

sed ne in ipsa quidem partium proportionali magnitudine etc. perfectam et absolutam fuisse monemus, nequaquam probatur nostro in loco de prioris imitatione agi. Satis clare enim Salomon sibi praeceptum esse significat, ut suum templum fieret « imitatio tabernaculi sancti a Deo ab initio praeparati »; atqui nusquam in Scripturis quidquam legitur, quo eum *mosaicum* tabernaculum imitari debuisse aut voluisse indicetur; diserte vero David filium suum admonuisse refertur, ut in templo omnibusque aedificiis, quae ad illud pertinebant, exstruendis et in cunctis eius vasis sacris conficiendis illud sequeretur exemplar (תַּבְנִית παράδειγμα descriptio) quod « manu Dei scriptum » ipse a Deo acceperat ac filio suo tradebat, ut ad illius normam cuncta perficienda curaret (cfr 1 *Paral.* 28,11 sqq. 19 sqq.). Neque oblivioni dare licet, mosaicum tabernaculum una cum sua supellectili sacra et cum aeneo altari holocaustorum aetate Davidis ac Salomonis in excelso Gabaon superstita eisque bene nota fuisse (cfr 1 *Paral.* 21,29; 2 *Paral.* 1,3 sqq. etc.); si igitur salomonica aedificia nihil nisi imitatio mosaici tabernaculi esse debuissent, aegre explicaretur, cur Deus « sua manu » novam illius monumenti superstitis delineationem adornasset, quae Davidi eiusque filio inserviret. Quae quum ita sint, erroneam dicere non dubitamus eorum sententiam, qui nostro in sticho ad *Exod.* 25. respici arbitrantur istoque ex loco significationem dictionis *ab initio* definire conantur. Aliud potius fuisse dicendum videtur exemplar tabernaculi Moysi monstratum, aliud templi exemplar Davidi traditum; ambo tamen, uti ex simili trium partium praecipuarum utriusque distinctione et dispositione legitime colligitur, unius eiusdem archetypi formam ita repraesentabant, ut alterum priore esset accuratius et perfectius. Qui archetypus recte illud fuisse asseritur « verum tabernaculum, quod fixit Deus et non homo » (*Hebr.* 8,2), quando nimirum « in principio Deus creavit coelum et terram », i. e. universum mundum, ut in eo tamquam in templo suo una ex parte invisibilem suam gloriam, sempiternam suam virtutem et divinitatem clarissime manifestaret, altera ex parte a creaturis ratione praeditis cognosceretur atque continuis laudibus gratiarumque actionibus ac supplicibus precibus celebraretur et coleretur. Quae explicatio sententia sequente manifeste confirmatur iisque apprime consonat, quae *infra* (18,24) auctor noster de veste talari Pontificis in tabernaculo et in templo ministrantis tradit, in qua « totus mundus » erat descriptus.

Hanc interpretationem iam supponit *S. Hieron.*; namque (ad Fabiol. ep. 64,9) tribus tabernaculi partibus commemoratis « totus mundus, inquit, in tabernaculi describitur sacramento; » quae tamen addit, aliquid miri

habent. Similiter *S. Thom.* (Sum. theol. 1, 2, q. 102, a. 4, ad 4) « diversas mundi partes in distinctione tabernaculi figurari » dicit, sed in singulis comparandis ipse quoque iustos limites transgredi videtur. Expolitionibus magis minusve arbitrariis recte omissis iuniores haud pauci ideam fabricae templi esse fabricam mundi simili modo quo nos tenent (uti *Lap. Tir. Schm. Gutb. Les.*). — Ex eo, quod duae res sibi similes sunt vel una ad alteram ordinatur, non efficitur unam imaginem alterius esse; quare neque coelum, quod Dei sedes est, proprie typus templi hierosolymitani vocari potest (*Gr. Zöckl*); neque regnum Dei, quod ab aeterno decretum in principio rerum initium sumsit, ut paullatim increscens in coelo perficiatur, velut ideam tabernaculi construendi Moysi exhibitum esse, apte dicitur.

In templo igitur aedificando Salomon in exemplum assumere debuit mundum, quem Deus a rerum initiis iam praeparaverat (προητοίμασε) i. e. fundaverat seu creaverat; verbum ἑτοιμάζειν nimirum, licet ab ἕτοιμος (paratus) derivatum proxime *parare* valeat, ab Alexandrinis etiam fundandi et creandi sensu interdum usurpatur (cfr *Prov.* 3,19 et 8,27 pro hebr. כּוֹנֵן, ad quem alterum locum auctor noster respexisse recte dicitur) et propter tabernaculi metaphoram hic vix non debuit adhiberi. Probabiliter quoque auctor hoc verbo connotare voluit mundum tamquam exemplar futuri sanctuarii conditum esse, et compositum προ-ετοιμάζειν, quod admodum raro legitur, eo consilio elegit, ut dictionem ἀπ' ἀρχῆς quodammodo confirmaturus et auctu-rus Deum diu, antequam homines de sanctuario erigendo cogitare potuissent, illius ideam iam in creationis opere expressisse insinuaret. Verum Deus non solus mundum creavit, sed Sapientiam (hypostaticam) cunctarum rerum artificem (7,21) secum habuit collaborantem omniaque disponentem; id Salomon clare *Prov.* 8,27-30 docuit ac similiter hoc in loco, ut petitionem suam (*v.* 10) praepararet, enuntiare voluit. Namque relativam sententiam ultimo *v.* 8 sticho inchoatam toto *v.* 9 continuat et complet hac ratione : « quod (sc. tabernaculum) praeparasti ab initio, 9. *et tecum Sapientia* (praeparavit), *quae novit opera tua et adfuit, quum orbem terrarum* (τὸν κόσμον i. e. mundum universum) *faceres* » etc. Quem nexum clarum et simplicem interpunctione *Vulg. Clem.* indicatum et a plerisque antiquioribus iunioribusque et nonnullis modernis adoptatum (cfr *Lyran. Lorin. Lap. Tirin. Calm. Schm.* etc. — *Luther. Strigel G. Arn.* etc.) maior quidem modernorum numerus respuit, ut a *v.* 9 novam sententiam incipiant (cfr *Corl. Gutb. LR. Les.* etc. — *Gr. Siegfr. Zöckl. Deane* etc.); at non tantum temere ac nulla ratione, sed etiam erronee. Quod enim contra nexum traditum cum *Gr.* obiiciunt, auctorem, si sententiam relativam continuare voluisset, clarius scrip-

turum fuisse : ἣν (σκηνήν) προητοίμασας σὺ καὶ ἡ μετὰ σοῦ σοφία (quod tabernaculum praeparasti *tu et Sapientia quae tecum est* etc.), id profecto nullius est momenti, quum *Gr.* ipse sententiam hac constructione tantummodo planiorem reddi arbitretur, nequaquam vero eam, prout iacet, satis perspicuam esse neget. Attendas autem velim, auctorem suam constructionem de industria praetulisse, ut Sapientiam simili modo, quo id *Prov.* 8 describitur, Deo mundum creanti adstitisse declararet, id quod minus aperte constructione Grimmii exprimitur. Praeterea animadverte, novae constructionis patronos neque quid particula copulativa καὶ (*et*) in principio *v.* 9 sibi velit explicare posse, neque cur Salomon tam abrupte a muneris sui descriptione ad Sapientiae laudes transeat, neque quid nova hac, quam statuunt, sententia proprie significetur. Alii quippe pro verbo finito cum *Gr.* praeteritum ἦν (*fuit*) supplentes (et tecum *fuit* Sapientia sc. quum orbem terrarum faceres) id unum efferri volunt, Sapientiam adfuisse, quum mundus crearetur; alii autem praesens ἐστίν (*est*) cum *Gutb.* inserentes (et tecum *est* Sapientia) metaphoram πάρεδρος (*v.* 4) hic quodammodo resumi et explanari sibi persuadent. Quibus consideratis constructionem traditam iure merito retinere nobis videmur, quae contextui egregie congruit. Quoniam enim Sapientia tamquam Dei socia cum eo mundum fabricasse, mundus ipse autem exemplar, quod in exstruendo templo sit imitandum, esse dicuntur, sua sponte apparet, cur Salomon statim (*v.* 10) sibi quoque Sapientiam velut sociam mitti a Deo petat, ut per eam in gravissimo suo munere implendo adiuvetur. Hinc etiam eam *novisse opera Dei* diserte addit (ἡ εἰδυῖα τὰ ἔργα σου) i. e. eam clare intelligere eorum « rationem, formam, dispositionem aeque ac scopum et finem » (*Lap.*) eamque speciatim mundi fabricae interfuisse (καὶ παροῦσα ὅτε ἐποίεις τὸν κόσμον) ac proinde cuncta quoque, quae ad templi fabricam pertinent, plenissime cognita habere haud sine emphasi repetit. Neque vero in solo templo Dei aedificando, sed etiam in Dei populo regendo se auxilio indigere persuasum habet, atque hoc quoque sibi a Sapientia praestari posse non ignorat, quippe quae non minus moralem ordinem divinitus institutum quam physicum penitus perspiciat et comprehendat, quum Spiritus qui in ea est cunctos spiritus, etiam sublimissimos, penetret iisque totis intime praesens sit (cfr ad 7,23). Quare duobus reliquis stichis ad moralem ordinem transiens eam celebrat, quia *sciat quid placitum sit oculis divinis* (καὶ ἐπισταμένη τί ἀρεστὸν ἐν ὀφθαλμοῖς σου) i. e. quid Deo corda renesque scrutanti probetur, *et quid directum sit in praeceptis divinis* vel ad graecum textum (καὶ τί εὐθὲς ἐν ἐντολαῖς σου) accuratius : *et*

quid sit rectum secundum praecepta divina. Adiectivum scilicet neutrum εὐθές, quod profanis scriptoribus non erat usitatum, ab Alexandrinis fere semper pro εὐθύ ad reddenda hebr. טוֹב et יָשָׁר (bonum, rectum) usurpatur; praepositio ἐν autem simili modo quo hebr. ב haud infrequenter apud eos normam designat, ad quam aliquid agendum vel aestimandum sit, ita ut fere pro κατά adhibita esse videatur (cfr *Win. Gr.* p. 362 et *Gesen.-Kautzsch* Hebr. *Gr.* Ed. 24, p. 366). Duobus igitur ultimis stichis se a Sapientia edoceri oportere Salomon insinuat, quomodo Dei populum suae curae commissum iuste moderetur gubernetque et in divinae Legis observatione promoveat, uti duobus prioribus se ea adiuvante idoneum fore significat, qui templum Deo dignum ad exemplar manu Dei delineatum ac patri suo traditum exstruat. Sicuti scilicet Beseleel et Ooliab spiritu Dei repleti, id est, sapientia et intelligentia et scientia instructi sunt, ut ad exemplar Moysi in monte monstratum in deserto tabernaculum erigerent et adornarent (cfr *Exod.* 31,1 sqq.), ita Salomoni ad novi sanctuarii exstructionem sola illius descriptio a patre accepta sufficere non potuit.

Petitionem porro suam, quamvis ex adumbrata munerum suorum difficultate et ex Sapientiae laudibus additis velut consectarium necessarium profluat, asyndete tamen et quasi ex abrupto subiungit : 10 *Mitte* (ad graecum ἐξαπόστειλονacc uratius et significantius : *emitte* vel potius *ablega*) *eam de coelis sanctis tuis Et a sede magnitudinis tuae* (proprie *gloriae tuae* δόξης σου) mitte illam (cfr *VV. LL.* πέμψον αὐτήν), *Ut mecum sit et mecum laboret* (ἵνα συμπαροῦσά μοι κοπιάσῃ accuratius : *ut mihi praesens* [seu *me adiuvans*] *mecum laboret*), *Ut* (lege : *et* καὶ) *sciam, quid acceptum sit apud te* (τί εὐάρεστόν ἐστιν παρὰ σοί). Haud male *Ians. Ipr.* sententiam hunc in modum explanat : « Mitte illam de throno gloriae, ubi tecum assistit iudicans ac disponens orbem terrarum, mitte illam, non ut locali migratione coelos deserat, quod impossibite est, sed *ut mecum sit,* infuso mihi sancto sapientiae spiritu, et *mecum laboret* sive collaboret mihi utique laboranti. Frustra proinde haeretici gratiae efficaciam statuunt libertatis interitum; adiuvat enim Spiritus infirmitatem nostram, tanto nos magis reddens liberos, quanto minus servituti peccatorum obnoxios[1] ».

Nonnullae tamen notae, quibus tota sententiae vis et gravitas aliquantum illustratur, haud inutiliter addi videntur. Praeprimis notatu digna

1. Mirum, quod *Ians. Ipr.* hac sua interpretatione non obstante in similem errorem labi potuerit, quum immunitatem a peccato non satis distingueret a libertate arbitrii.

est vehementia affectus, quae non sola sententiae asynthesia sed in genuino textu potissimum petitionis iteratione sese manifestat; attenta quippe debilitatis et ad munera iniuncta imbecillitatis suae consideratione quodammodo abreptus Salomon subito in hanc petitionem prorumpens eandem pro more hominum rem aliquam ardentissime cupientium repetere vix non cogitur. Haud recte igitur latinus interpres suppressa secundi stichi dictione πέμψον αὐτήν iterationem illam abstulit. Neque vero pondus tantum petitionis hac suppressione extenuavit, sed etiam primum imperativum ἐξαπόστειλον latino *mitte* reddens integram petitionis vim non expressit. Verbum ἐξαποστέλλειν enim procul dubio notionem mittendi similiter ac πέμπειν continet, sed duabus praepositionibus, quae simplici verbo στέλλειν (i. q. legere) praefixae sunt, intima quaedam relatio missi seu legati ad mittentem connotatur. S. Paulus verbo ἐξαποστέλλειν de missione quum Verbi aeterni in mundum tum S. Spiritus in corda fidelium ita utitur, ut una cum eorum missione in tempore aeternam eorum processionem a Patre declarare voluisse videatur (*Gal.* 4,4. 6 cfr meum Comm. in 2 Cor. et Gal. pag. 525, 529); neque quid obstet video, quominus S. Spiritus auctori nostro hoc verbum hoc in loco suggessisse dicatur, utpote in quo de divina sapientia agatur, quam antea emanationem quandam claritatis Omnipotentis et splendorem lucis aeternae etc. esse docuit (cfr ad 7,25) et nunc velut auxiliatricem hominum a Deo de coelis ablegari dicit. Quare legitime quoque ex huius verbi usu colligere nobis videmur, sententiam hanc non de sapientia divina attributiva, quae persona esse fingatur, interpretandam esse sed de notionali ac personali, quamvis primi lectores libri id nondum clare intelligere potuerint[1]. Porro Sapientiae divinitas indicatur, quum *de coelis*, qui tamquam Dei sedes *sancti* sunt, et *a throno magnitudinis* (vel potius *gloriae* seu *maiestatis* ἀπὸ θρόνου δόξης) mittenda significatur, in quo Sapientia Deo assidet tamquam eiusdem maiestatis ac gloriae consors (cfr *supra* ad *v.* 4). Ad tertium denique stichum adnotari meretur verbum decompositum συμπαρεῖναι apud antiquiores quidem scriptores graecos latino « cum aliquo esse » respondere, apud iuniores autem idem esse quod « *adiuvandi causa* cum aliquo esse » (cfr *Xenoph.* Hellen. IX. 6,1; *Polyb.* passim etc.); quae significatio ad nostrum locum eo melius quadrat, quia verbum κοπιᾶν (*laborare*), uti antea iam monuimus (6,14), apud Alexandrinos proprie valet « cum virium contentione usque ad defatigationem laborare » (i. q. hebr. יָגַע cfr *Deut.* 25,18; 2 *Reg.* [Sam.] 17,2 etc.). Sapientia scilicet divina cum homine collaborat non tantummodo ea suadens, quae agenda sunt, sed agentis vires quoque sustinens et corroborans, ita ut operatio et tota a Sapientia et tota ab homine proveniens utrique tota recte attribuatur, diversa utique ratione.

1. In LXX verbum simplex στέλλειν = *mittere aliquem* nusquam occurrit; ἀποστέλλειν, quod fere 470^ies^ ibi legitur, verbo simplici *mittere* respondet; hinc ἐξ-αποστέλλειν, valet i. q. *emittere, foras mittere* etc. (cfr. Gen. 3,23; 8,10; 45,24; Ex. 4,21 etc.) et 237^ies^ in V. T. occurit. *Ex ipsa verbi decompositi forma* profundior sensus quam *emittendi* elici non potest. — *Nota editoris.*

Quemadmodum autem laudibus Sapientiae suam petitionem praeparavit (*v.* 9), ita similibus eam confirmans sese absque illius auxilio non posse munera sibi demandata prospere obire et exsequi, denuo Deo animo supplici proponit : **11.** *Scit enim illa omnia et intelligit* (συνίει a συνίω i. q. συνίημι), *Et* (καὶ consecutivum : *et ita*) *deducet me in operibus meis sobrie* (σωφρόνως), *Et custodiet me in sua potentia* (proprie : *in sua gloria* ἐν τῇ δόξῃ αὐτῆς). Sapientia, quae omnium rerum artifex ac singulas penetrans cunctas suaviter pro earum natura et indole administrat (cfr 7,21. 24 ; 8,1), cunctarum omnimodam quoque scientiam plenamque intelligentiam habeat necesse est. Unde consequitur, ut sui studiosos velut idonea itineris dux *in omnibus eorum operibus* tam prudenter regere ac moderari possit, ut illa feliciter peragant. Σώφρων proprie is dicitur, qui sanam habet mentem (cfr *Chrys.* ad Rom. 12,13 ὁ σώας ἔχων φρένας), qui igitur neque iusto plus neque iusto minus sed sane recteque omnia aestimans auream in agendo mediocritatem tenet, ac σωφρόνως ὁδηγεῖ aliquem, qui rectam viam ad finem ei propositum monstrat, ita ut hic neque ad dexteram neque ad sinistram devians sine ullo circuitu propositum assequatur. Boni autem ducis est, ut eos, qui illius curae ac fidei sese commiserunt, a periculis quoque itineris tueatur; id quod Sapientia *sua gloria* (ἐν τῇ δόξῃ αὐτῆς) efficere tertio sticho asseritur; quid vero dictione ista δόξης, quam *Vulg.* latino *potentia* reddidit, significetur, haud satis constat. Aliqui moderni cum *Gutb.* nomine illo bona consilia practica designari opinantur, quae Sapientia clienti suo singulis in occasionibus ad pericula vitanda vel superanda suggerat, atque hoc sticho praecedentem dictionem σωφρόνως ὁδηγεῖν quodammodo exponi volunt; suis quippe consiliis (« durch ihren Rat ») in recta via eum retinens Sapientia eum custodit. Contra quos monemus nomen δόξης, etiamsi apud profanos saepe valeat *opinio* (utpote a δοκεῖν opinari) ac de philosophicis quoque placitis (seu si mavis sententiis) interdum usurpetur, hoc sensu neque in Veteris neque in Novi Test. libris adhibitum inveniri; praeterea opinio vel sententia nondum idem est atque consilium practicum; si autem notio consilii nomini δόξης in Scripturis attribui posse certis exemplis demonstraretur, explicandum remaneret, cur auctor ad omnem ambiguitatem vitandam non potius pluralem (ἐν ταῖς δόξαις αὐτῆς) adhibuisset. Alii moderni cum *Gr.* nomen δόξης splendorem interpretantur, quo Sapientia utpote candor seu effulgentia lucis aeternae (7,26) viam illuminans clientem suum impediat, ne rectum tramitem deserat. Quae explicatio priori quidem praeferri meretur, quia nomini significationem in Scripturis usitatam attribuit, minus tamen nobis probatur, quia similiter ac prior de

solo aberrandi periculo in nostro sticho agi erronee supponit. Parum recte etiam *Castro,* licet genuinam δόξης significationem retineat, stichum interpretatur (« custodiet me... ut gloriam sibi comparet ex meis actionibus et ex mea gubernatione, vel ut Deus gloriosus ostendatur in suo ministro ») ac si scriptum sit εἰς τὴν δόξαν αὐτῆς (in gloriam illius). Neque minus aperte *Corl.* a vero aberrat, quum gloriam intelligit, quam Sapientia sui studioso tribuat. Iuniores plerique cum *Lap.* sequuntur interpretem Vulgatae, qui nomen δόξης latino *potentia* vertens virtutem divinam intelligendam esse indicavit, qua Sapientia divinam suam maiestatem et gloriam in clientum suorum custodia manifestat. Quam interpretationem rectam quidem sed arctiorem esse censemus, siquidem Sapientia in suis custodiendis non solam potentiam suam gloriosam, verum alia quoque divina sua attributa patefecit. Simili modo S. Paulus nomine δόξης usus est, ubi Christum *per gloriam Patris* (διὰ τῆς δόξης τοῦ Πατρός) a mortuis suscitatum dixit (*Rom.* 6,4); namque ibi quoque nomine *gloriae* omnia divina attributa comprehenduntur, quibus Pater in Filio suo resuscitando maiestatem suam revelavit, suam nimirum potentiam, sapientiam, fidelitatem etc. (cfr meum Comm. in Rom. p. 318).

Complementi gratia totius huius sententiae explicationem a *Lap.*[1] traditam addere liceat. « Tria hic munia, inquit, sapientiae notat eaque sibi dari deposcit. Primum est scientia et intelligentia rerum agendarum sive per virtutem sive per artem, puta architectonicae et fabricae templi. Secundum in exsequendo et operando prudentia, discretio, regula, norma et modus, quem significat τὸ *sobrie,* graece σωφρόνως, id est, moderate, discrete, sapienter, prudenter; postulat ergo auream mediocritatem, quae omnium actionum nostrarum debet esse norma; haec enim modum praescribit operationi, ne remissius aut ardentius quis operi incumbat, quam recta ratio flagitat. Tertium est operis et actionis custodia, ne ab hoste vel alia causa impediatur; hanc enim praestat pervigil sapientiae providentia, indeque potentia, quae omnia impedimenta solerter praevidet et potenter discutit ».

Demum alterum precationis suae membrum rex felicibus recensitis fructibus terminat, quos sese auxiliante Sapientia in muneribus suis rite obeundis obtenturum esse confidit; 12. *Et erunt accepta* (προσδεκτά a προσδέχεσθαι benevole accipere) *opera mea, Et disponam populum tuum iuste, Et ero dignus sedium* θρόνων, vel *sedis* seu throni θρόνου) *patris mei.* Quia haec sententia ex praecedente rite colligitur, primum καὶ recte hic, uti *v.* 11[b] consecutivum esse dicitur (i. q. *et ita*); qui nimirum sese in operando Sapientiae duci committit, eius opera Deo grata et exoptata sint necesse est. Primo sticho Salomon ad templi aedificandi munus respicere videtur, duobus vero reliquis de regio munere sibi demandato loquitur. Verbum διακρίνειν, quod proprie dis-

cernere vel diiudicare aut etiam interdum litigare vel disceptare valet ac rarissime sensu litis dirimendae aut sententiae iudiciariae ferendae usurpatur (*Ezech.* 34,17. 20 i. q. שָׁפַט; 1. *Cor.* 5,6), hoc in loco sensu iudicandi ac regendi sumendum esse ex contextu elucet. In tertio sticho *Lap.* plurali θρόνων (*sedium*) « multas provincias et iudiciorum tribunalia, quibus Salomon per suos praefectos et iudices praesederit », designari haud satis recte opinatur; rectius pluralem simili modo, quo *v.* 4 ad divini throni, hic ad davidici throni sublimitatem indicandam adhibitum dicimus, quippe quem Deus ipse fundavit et sese in aeternum stabiliturum esse promisit (cfr 2 *Reg.* 7,13 etc.); nisi forte quis singularem, quem pauci quidem sed graves testes antiqui exhibent (cfr *VV. LL.*), nobiscum praetulerit.

Tertium sequitur precationis membrum (*vv.* 13-18), quod arcte cum secundo connexum simul ad primum pertinet, quippe cuius ultimam sententiam quodammodo resumat et demonstret. Nullum enim ex filiis hominum, quamvis perfectus habeatur, quidquam coram Deo valere, nisi Sapientiam secum habeat cohabitantem, Salomon ibi professus erat; atque huius asserti nunc quasi supplet probationem monens ac demonstrans nullum hominem solis viribus suis naturalibus divinam circa se voluntatem plane cognoscere, nedum implere posse. Eadem autem ratione simul confirmat se ipsum, si Sapientiae auxilio destitutus sibi soli relinquatur, idoneum non esse, qui populum a Deo electum eo modo, quo Deus vult, regat ac sanctuarium exstruat, quod divino consilio ideaeque divinae respondeat. Rationem autem hanc, quae utrique membro praecedenti explicando urgendoque inservit, ex infirmitate ac debilitate intellectus hominis desumit, qualis hodie protoparentum peccati sequelis oneratus nascitur (cfr ad *v.* 5).

Ab initio thesim suam de communi hominum imbecillitate duabus interrogationibus rhetoricis proponit, quae quum negativum responsum postulent, maiore cum vi negationem ad universum genus pertinere declarant : 13. *Quis enim hominum poterit scire* (γνώσεται proprie : *cognoscat*[1]) *voluntatem* (βουλήν) *Dei? Aut quis poterit cogitare* (ἐνθυμήσεται proprie : cogitet seu *mente concipiat*) *quid velit Deus?* In errore procul dubio nonnulli versantur quum iuniores, qui cum *Lap.* Apostolum (*Rom.* 11,34; 1 *Cor.* 2,16) ad nostrum locum alludere, immo eum quasi citare autumant, tum moderni (*Dug.* apud *Les.*

1. « Futuro, inquit *Beelen* (*Gr.* p. 299) significatur interdum, maxime in interrogationibus, ipsum illud quod latini scriptores passim exprimere solent *coniunctivo*, ut vocant, *potentiali*, ut *Rom.* 10,14 πῶς οὖν ἐπικαλέσονται, *quomodo ergo invocent* (invocare poterunt) » etc.; cfr *Win. Gr.* p. 262 sq.; *Blass. Gr.* p. 205.

Gutb.) qui eum ex S. Pauli locis explicare conantur, aut ex *Is.* 40,13 desumtum cum *Deane* putant. Nam nemo prudens dubitaverit, quin ab Apostolo *Is.* 40,13 ex alexandrina versione (τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου κτλ.) allegetur; isaianae vero et paulinae interrogationes, quamvis simili interrogandi formula proponantur (« quis novit » i. q. nemo plane novit), sensu suo a nostris tam longe discedunt, ut vix intelligatur, quomodo quis alteras alteris explicandis inservire sibi persuaserit. Propheta quippe quemquam scientiam Dei in creationis opere manifestatam plene cognoscere negat, atque Apostolus iisdem verbis per sensum consequentem probat, a fortiore neminem scientiam divinam in redemtione et sanctificatione hominum manifestatam intelligere; ambo igitur de iis cognoscendis loquuntur, quae Deus per seipsum facere intendit et re ipse fecit aut facturus est; Salomon vero de eorum cognitione agit, quae Deus quidem utpote sibi grata et accepta fieri vult, homines autem, ut Deo placeant, facere debent (cfr *Ps. Cypr.* de singular. cleric. 4). Duae interrogationes synonymae sunt; namque alterius stichi verbum ἐνθυμεῖσθαι, licet haud raro actum quendam voluntatis connotet (uti 3,14; 6,16), hic tamen primariam consuetamque suam significationem (in mente habere seu etiam animo volvere) nudam retinere recte dicitur, ita ut praecedenti γνῶναι (novisse) respondeat et latino *cogitare* a nostro interprete apte redditum sit; neque enim ulla est ratio, cur illud cum *Gr.* considerandi et curandi (zu Herzen nehmen) sensu explicemus, quia in toto quod sequitur membro proxime ac directe de sola cognitione, nequaquam vero de observatione voluntatis divinae agitur. Similiter utriusque stichi obiecta, βουλὴ Θεοῦ (*consilium Dei*) et θέλημα Κυρίου (i. q. ἃ ὁ Κύριος θέλει *quod Dominus vult*) eadem ratione, qua verba βούλεσθαι et θέλειν, eo solo hic differunt, quod priore nomine actus intellectus, qui voluntatis expressionem praecessit, i. e. deliberatio, aliquo modo simul indicatur (βουλὴ quippe etiam interdum valet tum consultatio tum consilium), quare a *Vulg.* recte nomen *consilium* adhibetur; altero autem nomine vis obligandi ac statuendi seu praecipiendi magis effertur (cfr *Eph.* 1,11 ἡ βουλὴ τοῦ θελήματος Θεοῦ consilium voluntatis Dei).

Cave autem, ne Salomonem suis interrogationibus *omnem* voluntatis divinae scientiam homini abiudicare putes; subiecto quidem omnes homines comprehenduntur, sed quominus item obiecto omnis scientia intelligatur, praeter ipsas dictiones ea quoque prohibent, quae paullo antea dicta sunt (*v.* 5 etc.) et totius precationis contextus, qui munera sibi divinitus imposita (*vv.* 2 sq. 7 sq.) singulis nota esse evidenter supponit. Quin etiam omnes homines praecepta divina cor-

dibus suis inscripta habent, ut ipsi sibi sint lex, atque Israelitae suam habebant legislationem sinaiticam, qua Deus eis legem cordi iam inscriptam accuratius proposuerat ac praecepta quaedam addiderat, quibus in lege naturali melius cognoscenda et observanda adiuvarentur. Normam igitur generalem, ad quam omnes suas actiones vitamque suam totam dirigere debent, ut Deo placeant, homines ignorare nequeunt; at hac scientia non obstante quam plurima in vita quotidiana occurrere possunt et frequentissime occurrunt, in quibus quid Deus eos agere velit aut non clare aut omnino non percipiunt. Cuius ignorantiae causa est infirmitas et imbecillitas intellectus, qua omnes laboramus, uti Salomon ipse addit : 14. *Cogitationes* (λογισμοί) *enim mortalium timidae* (δειλοί), *Et incertae* (ἐπισφαλεῖς) *providentiae nostrae* (αἱ ἐπίνοιαι ἡμῶν). Parum accurate interpres noster prius nomen hic reddidit; namque λογισμοί (α λογίζεσθαι ratiocinari) proprie valet *ratiocinia,* atque illa hic designantur, quibus generalem morum normam cognitam ad singulas nostras actiones accommodare debemus. Neque immerito Salomon haec dicit *timida* esse, quia saepe ancipites haeremus nec decidere audemus, quomodo in hac vel illa occasione norma sit accommodanda, vel utrum id quod agere volumus sit Deo placiturum necne, vel sitne certo in casu praeceptum aliquod observandum et quomodo etc.; immo quia nos saepe in praecedentibus decisionibus a vero aberrasse deprehendimus, facile evenit, ut « segnius ac timidius decernamus diutiusque deliberemus neque adeo facile cogitationes ad opus applicemus neque audeamus arduas res moliri ac suscipere » (*Lorin.*). Altero porro sticho intellectus humani infirmitas confirmatur ex eo, quod *providentiae nostrae* i. e. nostrae de agendis *deliberationes* (ἐπίνοιαι ab ἐπινοεῖν deliberare seu meditari) sint incertae vel ad graecum ἐπισφαλεῖς (ab ἐπί et σφάλλειν in errorem inducere seu fallere), accuratius *errori obnoxiae* et ideo periculosae. Optime et cum animi commotione quadam *Lorin.* : « Quam multis, inquit, reciderunt in deterius excogitata consilia? quoties deprehensi paralogismi ratiocinationum nostrarum et sophismatum? ut apte provisa nescio quo impedimento cursum non tenuerunt? Illud vero, *non putaram,* quotus est vel ex sapientissimis, qui non cogatur usurpare? Infinitas quaedam est in casibus humanis, cui prospici vel occurri ab humana, quanta quanta sit peritia et prudentia, non potest. Lex generalis est, ad singula nequit descendere : mentem eius, quum hoc illudve accidit, prudens interpretabitur... Hinc orta iuris legitimi correctio, necnon quae vocatur ἐπιείκεια seu aequum et bonum, quo si adesset legislator, uteretur etc. ».

Infirmitatem autem intellectus nostri iis, quae omnes quotidie

experimur, illustrans ac demonstrans Salomon fontem quoque, ex quo illa ortum suum trahit, aliquo modo iam indicat. Namque quum *mortalium* ratiocinia timida dicat, non tantummodo primos nostros parentes, quos Deus secundum naturae suae imaginem atque immortales creavit (2,23), infirmitate illa ab initio caruisse satis clare docet, verum etiam nexu quodam illam cum mortali nostra conditione colligari insinuat, ita ut mors, quam invidia diaboli in mundum invexit (2,24), vel potius mortis nostrae causa, i. e. peccatum, ad quod diabolus primos nostros parentes seduxit quodque ab iis in omnes eorum posteros hereditate transmissum est, fons imbecillitatis intellectus dici mereatur. Quae auctor sequenti sententia quasi per parenthesin interiecta diserte exponit : 15. *Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, Et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (ex graeco, quod vide supra, accuratius : *Corruptibile enim corpus aggravat animam, Et terrenum tabernaculum onerat mentem multa curantem* [*seu multis curis distentam*]). Duo stichi iterum plene iter se consonant, quum eorum subiecta et verba et obiecta sint synonyma. Quod enim in priore sticho nomine suo proprio vocatur φθαρτὸν σῶμα, id in altero metaphorice appellatur γεῶδες σκῆνος (terrenum tabernaculum). Corpus nostrum nimirum, quia in illo anima, praecipua hominis pars constitutiva, quae per se sola exsistere ac vires suas exserere potest, sedem suam habet et quodammodo inhabitat, aliquoties in Scripturis (cfr *Iob* 4,19 οἰκία πηλίνη *domus* lutea; *Is.* 38,12; 2 *Cor.* 5,1. 4 ἡ ἐπίγειος ἡμῶν οἰκία τοῦ σκήνους terrestris *domus* nostra, i. e. *tabernaculum* omnibus notum [τοῦ σκήνους, genetivus explicativus]; 2 *Petr.* 1,13. 14. τοῦτο τὸ σκήνωμα hoc *tabernaculum*) ac frequenter a pythagoricis aliisque philosophis (cfr *Pape* Lex. Gr. II, s. v. *Passow* Lex. gr. s. v.) domicilio comparatur. In S. Scripturis autem hac metaphora tabernaculi, quod non nisi temporariam vilemque habitationem, quae non minus facile convellitur quam erigitur (cfr *Is.* 38,12), tum vilitas et corruptibilitas tum brevis duratio corporis nostri mortalis significantur; id quod ex omnibus quidem locis allatis, imprimis autem ex paulino apparet in quo Apostolus tabernaculo corruptibilis corporis, in quo hac in vita ingemiscimus, corpus nostrum gloriosum, quod in altera vita nos habituros esse confidimus, velut firmum aedificium (οἰκοδομήν) opponit, quod Deus ipse (ἐκ Θεοῦ) sine ullo humano auxilio (ἀχειροποίητον) in coelis exstructurus sit, ut in aeternum duret (cfr. meum Comm. in 2 Cor. et Gal. p. 138 sq.). Unde de plena subiectorum synonymia dubitari nequit; item verbis βαρύνειν et βρίθειν eadem aggravandi et onerandi et deprimendi vis subiecta est, ita ut interdum inter se permutentur.

Neque dubium est, quin nominibus ψυχή et νοῦς anima hominis praedita intellectu et voluntate designetur, quae eadem corpus vivificet; auctor igitur noster a Platonicorum placitis longe abfuit.

Quibus de stichorum synonymia praemissis de eorum interpretatione dicendum est. Praeprimis autem probe observetur oportet, Salomonem non de corporis cuiuslibet sed de corruptibilis, quale est hominum nunc in terris degentium, vi et effectu in animam loqui; neque enim temere illud φθαρτόν (*corruptibile*) cum emphasi in principio huius sententiae ponit neque solius ornatus causa nomini tabernaculi, quod per se iam aliquid transitorii et caduci significat, epitheton γεώδης *terrosus, terrenus* adiecit, quo fragilitatis notionem augeret (cfr 15,13 ὕλης γεώδους εὔθραυστα σκεύη *materiae terrenae fragilia vasa*). Egregie autem *S. Aug.* (Enarr. in *Ps.* 141 *n.* 18) in explicatione similis sententiae Psalmistae, quem corpus velut carcerem animae considerare putat, haec monet : « Duo consideranda sunt in corpore nostro, figmentum Dei et poena meriti. Tota ista forma, status, incessus, membra ordinata, sensuum dispositiones..., omnis haec compages et fabricae distinctio non potuit fieri nisi a Deo, qui omnia operatus est, coelestia et terrestria, summa et ima, visibilia et invisibilia. Quid ergo ibi poenale nostrum? Quod corruptibilis caro, quod fragilis, quod mortalis, quod indigens, hoc non erit in praemio; non enim corpus ibi non erit, quum corpus resurgat; sed quid ibi non erit? Corruptio; corruptibile enim hoc induet incorruptionem (1 *Cor.* 15,53). Ergo si caro tibi carcer est, non corpus [per se] est carcer tuus, sed corruptio corporis tui. Corpus enim tuum fecit Deus bonum, quia bonus est; corruptionem intulit Iustus, quia iudex est; illud habes de beneficio, illud habes de supplicio ». Atque paullo post (l. c. n. 19) : « Nunc impedit carcer, quia *corruptibile corpus aggravat animam;* non corpus [per se] aggravat animam (nam et tunc [sc. in gloria] habebimus corpus), sed corruptibile corpus; ergo carcerem non facit corpus, sed corruptio ». Quae quamvis rectissime sint dicta, ad nostrum locum non plane quadrant, siquidem Salomon suis in verbis non attendit, uti S. Aug. in sua explicatione, ad futurum gloriae statum sed ad primitivum statum integritatis, in qua primi nostri parentes erant constituti, ita ut corpus animae perfecte subiectum eius semper obedientissimum instrumentum, nunquam vero impedimentum esset, sicuti etiam inferiores vires animi perfecte obediebant rationi. « Quia autem primitivi status tota integritas causabatur ex subiectione humanae voluntatis ad Deum, consequens fuit, ut subducta humana voluntate a subiectione divina deperiret illa perfecta subiectio inferiorum virium ad rationem et corporis ad animam. Unde

consecutum est, ut homo sentiret in inferiore appetitu sensibili concupiscentiae et irae et ceterarum passionum inordinatos motus non secundum ordinem rationis, sed magis ei repugnantes et eam plerumque obnubilantes et quasi perturbantes » (*S. Thom.* Compend. theol. c. 197). Corruptibilis igitur corporis ac terreni tabernaculi nominibus Salomon sequelam quandam peccati originalis indicat. Etenim animam corpore gravari ac deprimi dicit, quatenus illo nunc non iam, uti ante protoparentum lapsum, velut instrumento obedienti uti potest, sed perpetuis eius indigentiis et necessitatibus et desideriis subservire, ne citius corrumpatur, coactus a propriis suis studiis negotiisque avocatur, ita ut sibi impedimento potius quam adiumento sit. Quam mentis aggravatae ac depressae causam Salomon ipse innuit, quum mentem (quasi proleptice[1]) vocat πολυφρόντιδα i. e. *multa curantem* scilicet de corruptibilis corporis salute et conservatione seu *multis curis* pro fragili corpore *occupatam* et distentam.

Quas multiplices curas perpendens *Thom. a Kempen*, pius libelli de Imit. Christi auctor, merito conqueritur (I. 22) : « Vere miseria est vivere super terram. Quanto homo voluerit esse spiritualior, tanto praesens vita fit ei amarior, quia sentit melius et videt clarius humanae corruptionis defectus. Nam comedere, bibere, vigilare, dormire, quiscere, laborare et ceteris necessitatibus naturae subiacere vere magna miseria est et afflictio homini devoto, qui libenter esset liber ab omni peccato. Valde enim gravatur interior homo necessitatibus corporalibus in hoc mundo ». Recte quoque *Lap.* tot tantasque esse has curas dicit, ut « longe maior pars hominum per omnem paene vitam circa corpus occupetur, ut illi de victu et vestitu ceterisque indigentiis et commodis et voluptatibus provideant, ita ut parum et raro de anima eiusque salute cogitent ».

Ad has deinde perpetuas curas, quibus distenta anima una ex parte impeditur, ne pro sua spirituali natura spiritualibus et coelestibus aeternisque rebus investigandis ac meditandis studium tempusque suum impendat, et altera ex parte contra suam naturam corporea et materialia semper sectari cogitur et proinde ad eadem amanda et amplectenda adigitur, velut altera aggravationis animae causa haud minus gravis accedit intimus eius nexus cum corruptibili corpore. Tam arcte enim corpus et anima hominis sunt colligata, ut anima, quamvis separata per se et exsistere et operari queat, nunc tamen ad suas ipsius potentias exercendas variis corporis organis et membris etc. omnino indigeat ab iisque in tota sua operatione magis minusque pendeat; unde consequitur, ut etiam in tota sua actione certo quodam modo de ipsa corporis, quod informat et vivificat, corruptibilitate et

1. De proleptico hoc usu « adiectivorum effectus « cfr *Win.* Gr. p. 577 sq. *Beelen* Gr. p. 541 sq.

fragilitate participet eaque non parum impediatur et deprimatur. Namque sicut in pueris, quamdiu et quatenus eorum membra et organa nondum plene sunt formata et corroborata, anima intellectuales vires exserere aut omnino non potest aut non perfecte, atque in senibus, quando eorum sensus obtundi aliaeque corporis partes paullatim deteri et consumi incipiunt, anima ipsa quoque suo modo hebescit, ita anima in omnibus hominibus similiter omni corporis defatigatione, infirmitate, aegritudine aliove malo et dolore ita afficitur et gravatur, ut aut ad certas aut ad omnes operationes sibi proprias non amplius idonea esse videatur.

Sed haec uberius et enucleatius exponere supersedemus, quia ex iis quae diximus satis elucet, quo sensu Salomon animam corruptibili corpore gravari et deprimi asseruerit. Ad totius vero loci, quippe qui de solius intellectus nostri infirmitate agat, argumentum et scopum plerique interpretes non sufficienter attendunt, quum S. Pauli verba *supra* commemorata (*Rom.* 6,6; 7,24 etc.) huc trahentes Sapientem simili modo quo Apostolum proxime ac directe non tam de corporis ob protoparentum peccatum immortalitate orbati et corruptioni subiecti relatione ad animam, quam de inferiorum animae potentiarum (seu de concupiscentiae) rebellione contra superiores atque imprimis contra voluntatem loqui arbitrantur. Multo longius tamen a vero recedunt, qui cum *Gr.* auctorem nostrum illa, quae de corpore animam aggravante tradit, ex Platonicorum systemate derivasse aut transumsisse opinantur, ac si cum illis admisisset, animam iam ante corporis formationem exstitisse atque sive propter peccata, quae iam commiserat, sive propter indebitam quandam inclinationem ad materiam in corpus materiale velut in carcerem esse detrusam et nunc naturali corporis tarditate et ignavia ita deprimi, ut ad aeterna et spiritualia cognoscenda et appetenda assurgere non possit. Contra quam opinionem *Gutb.* optime monet, praeter homines qui toti in corporis voluptatibus immersi sunt vix quemquam inveniri, quin sua ipsius experientia quam verum sit Salomonis dictum cognoverit, ita ut non intelligatur, quomodo interpres, nisi mentem habeat praeiudiciis occupatam, illud ex Platonicorum systemate transumptum asserere audeat. Similibus quippe sententiis quam plurimis Ethnici non minus quam Christiani, poetae et philosophi, de molestiis conquesti sunt, quas corpore sibi creari experti sunt et experiuntur, quoties mens ad altiora assurgere voluit et vult. Ceterum auctorem nostrum ab animarum praeexsistentia longe abfuisse antea iam ostendimus (cfr ad 8,19 sq.); hoc ipso autem in loco solum nomen ψυχή, quo hic animam rationalem designari *Gr.* non minus quam alii diserte fatetur, eum prohibere debuit, ne auctorem nostrum platonici illius erroris incusaret.

Fonte autem debilitatis qua intellectus hominis dominio mortis

corruptionisque subiecti laborat quasi per parenthesin quandam indicato, Salomon in ea describenda pergit atque sententiam in principio huius membri positam (*vv.* 13 sq.), qua hominem divinis de se consiliis cognoscendis et intelligendis inhabilem esse declaravit, argumento a minore ad maius ita confirmat, ut tribus gradibus ab iis, quae cognitu sunt faciliora neque tamen nisi aegre et imperfecte a nobis cognoscuntur, ad difficiliora ac demum ad difficillima ascendat, quae vires nostras naturales plane superant. Argumentationem autem suam coniunctione copulativa καὶ (*et*) connectit cum altero sticho sententiae, quae parenthesin (*v.* 15) praecedit (*v.* 14^{b} « et incertae deliberationes nostrae ») : 16 *Et difficile aestimamus* (ex graeco : καὶ μόλις εἰκάζομεν cfr ad 8,8 accuratius : *et* vix seu *aegre coniicimus* seu *coniectando assequimur*) *quae in terra sunt* (τὰ ἐπὶ γῆς), *Et quae in prospectu sunt* (τὰ ἐν χερσίν cfr *VV. LL.*) *invenimus cum labore; Quae autem in coelis sunt* (τὰ δὲ ἐν οὐρανοῖς) *quis investigabit* (cum melioribus testibus criticis cfr *VV. LL.* lege *investigavit* ἐξιχνίασεν)? 17. *Sensum* (lege : *consilium* βουλήν cfr *v.* 13) *autem tuum quis sciet* (ad graecum textum τίς ἔγνω lege : *quis scivit* cfr *VV. LL.*), *Nisi tu dederis* (cum *S. Hier.* Lege : *dedisti* ἔδωκας) *sapientiam Et miseris* (cum *S. Hier.* iterum lege : *misisti* ἔπεμψας) *spiritum sanctum tuum de altissimis* (ἐξ ὑψίστων). Duobus primis stichis, qui synonymia sua arctius sunt connexi mutuoque inter se explicant, *res terrestres* (τὰ ἐπὶ γῆς) comprehenduntur, quae quum sensibus obviae nobisque vicinae quodammodo *in manibus* (ἐν χερσίν) vel secundum alteram lectionem *ante pedes* (ἐν ποσίν) vel demum secundum liberiorem sed aptam *Vulg.* versionem *in prospectu* sint, primae sese nobis cognoscendas offerunt faciliusque cognosci possunt. Neque enim sensibus solis illas attingimus, sed etiam intellectualem illarum cognitionem acquirimus, quando ex iis, quae in illis apparent, illarum naturas et causas primum quidem coniecturis magis minusve incertis imperfecte *coniicimus* (εἰκάζομεν) ac deinde accuratius inquirentes certis ratiociniis deprehendimus et *invenimus* (εὑρίσκομεν); namque ipsam quoque primam illarum causam nos viribus nostris naturalibus certo invenire posse auctor infra (13,5) diserte docet. Animadvertatur autem oportet, quanta cum vi Salomon ad vicinarum harum rerum cognitionem labore ac studio opus esse eamque nihilominus haud semper probabilitatis fines excedere declaret; etenim si vicinarum rerum cognitio iam laboriosa et saepe incerta est, multo difficilorem et incertiorem esse oportet scientiam eorum, quae remotiora sunt; id quod tertius stichus sua interrogatione non sine emphasi docet. Quia τὰ ἐν οὐρανοῖς (*coelestia*) hic terrestribus (τὰ ἐπὶ γῆς) opponuntur, pro certo habemus

Salomonem hic de coelo materiali i. e. de astrorum ordinibus et motibus et de similibus rebus coelestibus cogitasse. Ac profecto tam rari, immo si totum genus humanum consideramus, prope nulli sunt, qui coelestia illa investigarunt, et tam pauca quoque certa impigerrimo suo labore de iis detexerunt, ut suo iure quemquam illa felici cum successu investigasse negare potuerit. Immo vero nobis quoque, quamvis nostra aetas in astronomicis non minus quam in physicis studiis felicissimos ac praeclarissimos fecerit progressus, cum Salomone interrogare licet : Quis investigavit coelestia? Atque posteris nostris idem interrogare licebit, quia quo plura detecta sunt et quotidie deteguntur, eo plura nos nobis adhuc ignota esse fateri oportet, quum omnia, quae nova deteguntur, novas nobis proponant quaestiones solvendas, ita ut progressus ipsi totidem dici mereantur argumenta, quibus debilitas intellectus nostri confirmatur. Iamvero ex infirmitate nostra in illis rebus cognoscendis, quæ aut manibus tractamus aut aliis saltem, si remotae sunt, sensibus attingimus, legitime colligitur hebetissimum esse intellectum nostrum ad illa cognoscenda, quae Deus a nobis certa in occasione fieri vult, nisi ipse illa nobis revelare dignatus est; haec est conclusio totius huius argumentationis, qua Salomon totam suam inopiam et indigentiam denuo confirmat, ut a divina misericordia exauditionem precationis suae impetret. Nomine βουλῆς hic non divina consilia universim, sed aeque ac *v.* 13 tantummodo illa designari, quibus modus adimplendi muneris cuiusdam divinitus alicui assignati definitur, tota orationis serie extra dubitationem ponitur, quamquam certissimum est, etiam reliqua Dei consilia, quae similiter a libera eius voluntate pendent, sola supernaturali revelatione vel illustratione creaturis innotescere posse. Namque haec omnia immediate nota non sunt nisi Sapientiae, quae utpote divini throni assistrix cum Deo (Patre) semper conversatur omniaque operatur (cfr *vv.* 4,9 sqq.), et Dei Spiritui, qui in Sapientia est (7,22), et omnia, etiam profunda Dei, simili modo cognita habet, quo spiritus, qui in homine est, ea quae sunt hominis novit (1 *Cor.* 2,10 sq.). Unde Salomon rectissime totam retro antiquam generis humani historiam complectens neminem praeter eos, quibus Deus Sapientiam tamquam sponsam et sociam dedit suumque Spiritum misit, ad consiliorum eius scientiam pervenisse velut rem certam asserit, de qua dubitari non possit. Itaque thesin, qua *v.* 13 ullum hominem naturalibus suis viribus divina de se consilia cognoscere negavit, argumento ut ita dicam historico stabilivit; quam demonstrationem aptissimam latini illi librarii disturbarunt, qui praeteritum *scivit,* quod antiqua versio cum graeco aliarumque versionum textu

consentiens exhibuit, in futurum *sciet* aut in praesens *scit* permutantes effecerunt, ut hodierna nostra Vulgatae editio in *v.* 17 nudam habeat repetitionem theseos *v.* 13 enuntiatae, quae quid sibi hic velit, nemo facile dixerit.

Neque tamen Salomon in asserenda missione Sapientiae et Spiritus acquievit, sed felicissimos quoque illius fructus tribus sequentibus stichis complexus historicum argumentum explicavit confirmavitque et tractatum historicum praeparavit, quo usque ad finem libri, quid praeclari Sapientia inde a generis humani initiis ad eius salutem praestitisset, enucleatius explanaturus erat. Quoniam Clementina Vulgata horum quoque stichorum verba a iunioribus librariis haud leviter mutata exhibet, illius lectione interim praetermissa antiquiorem, quam cum primogenio textu aliisque versionibus consonam *S. Aug.* (de mor. Eccl. I. 16,28) aliique idonei testes nobis conservarunt (cfr *VV. LL.*), priore in loco interpretabimur : 18. *Et sic* (καὶ οὕτως per Sapientiam nimirum datam et Spiritum S. missum) *correctae sunt* (διωρθώθησαν) *semitae eorum, qui sunt in terra* (αἱ τρίβοι τῶν ἐπὶ γῆς), *Et quae tibi placent* (τὰ ἀρεστά σου placita tua, hic i. q. consilia tua) *didicerunt* (potius : *edocti sunt* ἐδιδάχθησαν) *homines Et per sapientiam sanati sunt* (melius : *servati* seu *salvati sunt* ἐσώθησαν). Nomine τῶν ἐπὶ γῆς i. q. terricolarum hic ideo homines vocari *Gr.* arbitratur, ut Sapientiae *de coelis missae* opponantur. Rectius insolitam hanc appellationem hic usurpari dicemus, ut de hominibus agi significetur, qui rebus terrenis dediti et implicati earum studio a recta via, quam tenere debebant, aberrantes quasi toti ad terram pertinent. Etenim Salomon, quum Sapientiam vias terricolarum *correxisse* i. e. rectas fecisse (διορθοῦν i. q. ὀρθὸν ποιεῖν) asserat, vias eorum, qui sibi solis naturalibusque suis viribus erant derelicti, tortuosas curvasque i. e. perversas fuisse evidenter supponit (cfr *Prov.* 2,15 ὧν αἱ τρίβοι σκολιαί *quorum viae tortuosae sunt;* opponitur ὁδὸς εὐθεῖα *via recta*) atque perversionis huius causam in conversione ad res terrenas sitam esse insolenti illa appellatione insinuat. Primus quippe homo, ad quem hic simul respici ex 10,2 elucet, a quo tempore terrenis rebus peccato suo se implicavit terribilique sententia « *terra es et in terram reverteris* » (γῆ εἶ καὶ εἰς γῆν ἀπελεύσῃ) ad mortem damnatus est et de paradiso eiectus terram, de qua sumtus erat, operari debuit (*Gen.* 3,19. 23), aeque ac eius posteri omnes eadem damnatione comprehensi aptissime οἱ ἐπὶ γῆς appellantur. Correxit autem Sapientia vias eorum, quum eis rectam salutis viam, a qua aberraverant, tum externa institutione tum interna illustratione iterum ostenderet eosque iis, *quae Deo placita sunt* (i. e. consiliis di-

vinis) manifestatis *edoceret*, qua ratione eos hac in via ambulare oporteret. Unde deinde factum est, ut ii omnes *per Sapientiam servati sint* (ἐσώθησαν), qui illius doctrinam secuti sunt. Verbo σώζειν Alexandrini plus centies ad hebr. הוֹשִׁיעַ (sc. servavit seu salvum fecit) reddendum usi sunt, quod aliquoties etiam synonymis διασώζειν vel ἀνασώζειν verterunt; quare eandem servandi significationem etiam a nostro auctore verbo σώζειν attribui iure concludere nobis videmur, ita ut Sapientia *salvatrix* hominum merito appelletur. Itaque genuina huius loci lectio, quam interpretati sumus, orationem apte traducit ad historicam libri partem, qua exemplis demonstratur Sapientiam sui studiosos semper servasse et protexisse.

Moderni aliqui interpretes (*Corl. Gutb. Les.* etc.), quamvis in *v.* 17. lectionem τίς ἔγνω (*quis scivit*) genuinam esse concedant, sententiam tamen generalem esse atque cum hodierna latina lectione *quis sciet* consonare arbitrantur, quum aoristum gnomicum esse dicant, qui latine etiam futuro aut praesente tempore reddi queat; at generalem sententiam, quae nuda repetitio sit aut amplificatio quaedam theseos *v.* 13 propositae, hic propter contextum admitti non posse iam monuimus. Multo minus autem cum iisdem duos priores *v.* 18 stichos, in quibus pro coniunctivis latinis (*correctae sint, didicerint*) indicativos (*correctae sunt, didicerunt*) recte restituunt, sensu generali interpretari atque aoristos (διωρθώθησαν, ἐδιδάχθησαν) pro gnomicis sumere licet; nimis clarum enim est, auctorem his verbis varia iam exempla salutis per Sapientiam praestitae comprehendere, quae mox enarraturus est. Si de generali sententia in *vv.* 17,18 ageretur, praeferendi essent coniunctivi, quos hodierna *Vulg.* exhibet, atque duo priores *v.* 18 stichi arcte cum *v.* 17 connectendi, ita ut aeque ac duo praecedentes a coniunctione *nisi* regerentur. Quae constructio si admitteretur, sensus utique sententiae aliquantulum mutaretur, at non in deterius sed in melius; significaretur enim neminem consilia divina plene ac perfecte cognoscere, nisi Deus per Sapientiam datam et Spiritum missum effecerit, ut a perversis terricolarum viis sit avocatus eaque, quae Deo placent, edoctus. At haec quoque explicatio ad contextum non quadraret et (ut alia praetermittam) in eo peccaret, quod dictionum βουλὴ Θεοῦ et τὸ ἀρεστὸν Θεοῦ synonymiam auferret. Additamentum demum, quo tertius stichus in hodierna *Vulg.* in completam sententiam est transmutatus (« *nam* per sapientiam sanati sunt, *quicunque placuerunt tibi Domine a principio* ») genuinum esse *Gutb.* censet, quia similis dictio (πάντες οἱ ἅγιοι οἱ ἀπ' αἰῶνός σοι εὐαρεστήσαντες omnes sancti qui a saeculo [cfr *Luc.* 1,70; *Act.* 3,21 etc.] tibi placuerunt) iam in antiquissimis liturgiis legatur et ex nostro loco desumta sit. At profecto mirum esset, si haec verba, licet quotidie in liturgiis recitabantur, in libro ipso, ex quo desumpta dicuntur, tam complete periissent, ut ne unus quidem codex graecus neque ulla versio praeter vulgatam vel levissimum eorum vestigium haberet atque ipsi quoque Patres latini illa in suis codicibus non invenirent; rectius igitur dicemus verba ista ab aliquo librario latino, qui illa nescio unde et quomodo cognovit, in nostrum locum esse transumta, ut nexum cum sequente tractatu restitueret, qui in latina versione deest. Coniunctionem *nam* autem, quae etiam a primigenio textu abest, *Gutb.* ipse quoque omittit, neque tamen omissionis illius ullam rationem affert.

SECTIO ALTERA.

UTILITATEM SAPIENTIAE SALOMON EXEMPLIS EX HISTORIA INITIORUM POPULI SUI ET HOSTIUM EIUS DESUMTIS COMMENDAT (10,1-19,20).

Sunt qui novam sectionem a **10,1** inchoari infitiati cum *Calm.* precationem, qua Salomon inde a **9,1** unionem cum Sapientia sibi implorare coepit, per totum reliquum librum continuari arbitrentur, idque potissimum ideo, quia auctor in sequentibus saepius Deum directe alloquatur et invocet (cfr **10,20**; **11,7** sqq. **16** sqq.; **12,1** sqq. etc.). Qua ratione rem non definiri patet consideranti non tantum totidem fere alios inveniri locos, in quibus auctor de Deo loquens tertiam adhibeat personam, id quod in precationibus fieri non solet (cfr **10,5. 10.16**; **11,14** sq.; **12,26** sq.; **13,1** sq. 5 sqq.; **14,9. 11. 22. 30** etc.), sed imprimis longiorem illam dissertationem de idololatria (*cpp.* **13-15**) precationis partem nullo modo dici posse. Quapropter cum plerisque pro certo tenemus, inde a **10,1** novam inchoari sectionem, atque per reliquum librum ultimum precationis stichum (**9,18**^{c} τῇ σοφίᾳ ἐσώθησαν scil. ἄνθρωποι : *per sapientiam salvati sunt homines*) uberius exponi et historice demonstrari. Etenim a primo humani generis parente Adam exorsus Salomon plurimis exemplis ostendit, quomodo Sapientia una quidem ex parte patriarchas populi electi ad salutem adduxerit filiosque Israel ipsos ex dura Aegyptiorum servitute feliciter liberatos in terram eis promissam introduxerit et in illa occupanda adiuverit, altera vero ex parte impios Israelitarum oppressores et hostes, Aegyptios et Chananaeos, qui omnes sapientiae studio non tam neglecto quam spreto et repudiato sese stultissimae dederant idololatriae, gravissimis poenis castigaverit ac misere perdiderit. Similem igitur viam Salomon in hac paragrapho tenet atque auctor libri, qui in priore eius parte (**3,1-5,24**), ut contraria contrariis dilucidaret et augeret, contrariis piorum et impiorum sortibus descriptis studium sapientiae efficacissime commendavit. Nihil autem profecto miri in eo est, quod Salomon sapientiae et providentiae divinae, quae in tota populi sui formatione, institutione, protectione aeque ac in idololatrarum punitione tam splendide sese manifestavit, admiratione abreptus

saepius in Dei laudes prorumpat atque descriptionem suam interdum quasi in piam meditationem transmutet.

Neque enim historiographum auctor hac in sectione agit, sed pro consilio, quod in opere suo conscribendo prosequitur, exemplis historicis, quibus salutifera sapientiae ac pietatis efficacia tristissimique insipientiae et idololatriae effectus demonstrantur, contribules suos propter patriam suam fidem oppressos ad sapientiae amorem perseverantiamque instanter adhortatur armisque validis subministratis contra infidelitatem stultumque idolorum cultum praemunit; simul autem multa graviaque monita ac praecepta exemplis interserens doctrinas, quas ex illis colligi vult, clariore luce circumfundit, ut facilius menti se ingerant memoriaeque profundius infigantur. De historia autem ipsa narranda aut docenda auctorem nequaquam cogitasse, praeprimis ex eo iam elucet, quod in tota hac exemplorum collectione a nominibus propriis afferendis omnino abstinuerit atque personas populosque, de quibus agit, sola sua descriptione dignosci voluerit, exempla ipsa igitur cuncta legentibus plane nota esse persuasum habuerit. Revera tota haec pars accuratam historiae sacrae Israelitarum scientiam supponit neque iis, qui eam ignorant, quidquam est nisi obscurum et perplexum aenigma quod, quid sibi velit aut quid significet, intelligere nequeunt; quare ab interpretibus illis, qui librum nostrum proxime ethnicis destinatum fuisse magistratibus coniecerunt, nos dissentire diximus (cfr. *Proleg.* § 1,3). *Gr.* « ostentationis cuiusdam putidae causa » (aus Ziererei) auctorem nomina silentio praetermisisse suspicatur. Minime vero! rectius *Gutb.* eum ita egisse arbitratur, ut exemplis suis universaliorem attribueret auctoritatem; addere autem licet, silentium illud saltem ex parte timori attribui posse, ne Aegyptii, qui eo tempore, similiter atque antiquitus eorum maiores, Israelitas pios crudeliter vexabant et opprimebant, ad maiorem incitarentur iram, si de suorum patrum criminibus hic tam prolixe et aperte agi gravissimasque eorum poenas sibi ipsis haud obscure praedici intellexissent. Porro eodem auctoris consilio etiam explicatur, cur exempla sua non continenter et per ordinem afferat, sed ad eadem interdum revertatur, immo totam suam expositionem longiore dissertatione de idololatriae origine, malitia, stultitia interrumpat. Digressione quippe hac clarius edocentur Deum iniustum non fuisse, quum aegyptios chananaeosque idololatras tam diris poenis persequeretur et perderet, sed eum pro infinita sua iustitia crimen gravissimum gravissimo supplicio ulcisci debuisse, postquam peccatoribus tempus ad poenitentiam agendam incassum ac frustra dedisset (cfr 12,18 sqq.); sibi autem simul ca-

vere monentur, ne crimine simili similem poenam sibi attrahant.

Porro dissertatione illa mediam in sectionem inserta contigit, ut tota in tres paragraphos fere aequales apte possit dispertiri, quarum prima et tertia ad historicum genus pertinent, secunda ad didacticum. In *prima* enim (10,1-12,27) multis exemplis ostenditur, quomodo Sapientia tum in generis humani primordiis tum in populi electi initiis usque ad terrae promissae occupationem virtutem suam salvificam erga sui studiosos et iustitiam suam vindicativam contra adversarios suos idololatras manifestaverit; ad idololatriam autem, insipientiae sequelam, quasi digressione facta in *secunda* (13,1-15,19) variarum illius specierum origo ita exponitur, ut illius stultitia malitiaque severe castigetur; atque in *tertia* (16,1-19,20) rursus exemplis, nempe narratis contrariis Israelitarum et Aegyptiorum sortibus, qui sapientiae sint fructus et quae poenae insipientiae, declaratur.

§ 5. — *Quomodo Sapientia divina inde ab Adamo usque ad Moysen sese piorum salvatricem et castigatricem impiorum exhibuerit* (10,1-12,27).

Bipartita est haec sectio; sumto enim initio a generis humani parente Adam, auctor priore in loco exemplis nonnullis ex patriarcharum aetate selectis explanat, quid Sapientia in *singulorum* potissimum *hominum* vita effecerit (10,1-14), ac deinde ad illud tempus progressus, quo filii Israel in magnum populum excreverant, eam *populum* illum, quem Deus sibi peculium elegerat, ex Aegypto liberasse et in terram promissam feliciter introduxisse ita refert, ut impios populi hostes ob suam idololatriam iustissime per eam interemptos esse simul demonstret (10,15-12,27).

1. — *Sapientia patriarchas ad salutem adduxit, impios autem poenis meritis interemit* 10,1-14.

10,1. Haec illum, qui primus formatus est a Deo pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodivit, 2. Et eduxit illum a dilecto suo, Et dedit illi virtutem continendi omnia. 3. Ab hac ut recessit iniustus in ira sua, Per iram homicidii fraterni deperiit. 4. Propter quem, cum aqua deleret terram, sanavit iterum sapientia, Per contemptibile lignum iustum gubernans. 5. Haec et in consensu nequitiae, cum se nationes contulissent,

10,1. Αὕτη πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα διεφύλαξεν, Καὶ ἐξείλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου, 2. Ἔδωκέ τε αὐτῷ ἰσχὺν κρατῆσαι ἁπάντων. 3. Ἀποστὰς δὲ ἀπ' αὐτῆς ἄδικος ἐν ὀργῇ αὐτοῦ, Ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς. 4. Δι' ὃν κατακλυζομένην γῆν πάλιν διέσωσε σοφία, Δι' εὐτελοῦς ξύλου τὸν δίκαιον κυβερνήσασα. 5. αὕτη καὶ ἐν ὁμονοίᾳ πονηρίας ἐθνῶν συγχυθέντων Εὗρε τὸν δίκαιον καὶ ἐτήρησεν αὐτὸν ἄμεμπτον Θεῷ, Καὶ ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις

Scivit iustum et conservavit sine querela Deo, Et in filii misericordia fortem custodivit. 6. Haec iustum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, Descendente igne in Pentapolim; 7. Quibus in testimonium nequitiae Fumigabunda constat deserta terra, Et incerto tempore fructus habentes arbores, Et incredibilis animae memoria stans figmentum salis. 8. Sapientiam enim praetereuntes, Non tantum in hoc lapsi sunt ut ignorarent bona, Sed et insipientiae suae reliquerunt hominibus memoriam, Ut in his, quae peccaverunt, nec latere potuissent. 9. Sapientia autem hos, qui se observant, a doloribus liberavit. 10. Haec profugum irae fratris iustum Deduxit per vias rectas, Et ostendit illi regnum Dei, Et dedit illi scientiam sanctorum : Honestavit illum in laboribus, Et complevit labores illius. 11. In fraude circumvenientium illum affuit illi, Et honestum fecit illum. 12. Custodivit illum ab inimicis, Et a seductoribus tutavit illum, Et certamen forte dedit illi ut vinceret, Et sciret, quoniam omnium potentior est sapientia. 13. Haec venditum iustum non dereliquit, Sed a peccatoribus liberavit eum; Descenditque cum illo in foveam, 14. Et in vinculis non dereliquit illum, Donec afferret illi sceptrum regni, Et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant : Et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum, Et dedit illi claritatem aeternam.

ἰσχυρὸν ἐφύλαξεν. 6. Αὕτη δίκαιον ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν ἐῤῥύσατο Φυγόντα πῦρ καταβάσιον Πενταπόλεως. 7. Οἷς ἐπὶ μαρτύριον τῆς πονηρίας Καπνιζομένη καθέστηκε χέρσος, Καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, Ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυῖα στήλη ἁλός. 8. Σοφίαν γὰρ παροδεύσαντες Οὐ μόνον ἐβλάβησαν τοῦ μὴ γνῶναι τὰ καλά, Ἀλλὰ καὶ τῆς ἀφροσύνης ἀπέλιπον τῷ βίῳ μνημόσυνον, Ἵνα ἐν οἷς ἐσφάλησαν μηδὲ λαθεῖν δυνηθῶσι. 9. Σοφία δὲ τοὺς θεραπεύσαντας αὐτὴν ἐκ πόνων ἐῤῥύσατο. 10. Αὕτη φυγάδα ὀργῆς ἀδελφοῦ δίκαιον Ὡδήγησεν ἐν τρίβοις εὐθείαις, Ἔδειξεν αὐτῷ βασιλείαν Θεοῦ, Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ γνῶσιν ἁγίων, Εὐπόρησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις, Καὶ ἐπλήθυνεν τοὺς πόνους αὐτοῦ. 11. Ἐν πλεονεξίᾳ κατισχυόντων αὐτὸν παρέστη, Καὶ ἐπλούτισεν αὐτόν. 12. Διεφύλαξεν αὐτὸν ἀπὸ ἐχθρῶν, Καὶ ἀπὸ ἐνεδρευόντων ἠσφαλίσατο, Καὶ ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ, Ἵνα γνῷ, ὅτι παντὸς δυνατωτέρα ἐστὶν εὐσέβεια. 13. Αὕτη πραθέντα δίκαιον οὐκ ἐγκατέλιπεν, Ἀλλὰ ἐξ ἁμαρτίας ἐῤῥύσατο αὐτόν. 14. Συγκατέβη αὐτῷ εἰς λάκκον, Καὶ ἐν δεσμοῖς οὐκ ἀφῆκεν αὐτὸν, Ἕως ἤνεγκεν αὐτῷ σκῆπτρα βασιλείας Καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ, Ψευδεῖς τε ἔδειξεν τοὺς μωμησαμένους αὐτὸν, Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ δόξαν αἰώνιον [1].

1. *VV. LL.* 10,2. ἐξείλατο (cripuit seu *eduxit*) communis et certa est lectio codd. et verss., in pauciss. minusc. legitur ἐξέτεινε, quod cum significet « extendit » (nusquam « elevavit »), in hunc contextum non quadrat. — 2. Pro ἔδωκέ τε (deditque) solus ut videtur, ac parum apte C habet ἔδωκε δέ (dedit autem). — πάντων (*omnium*) B, ἁπάντων ℵ A C etc. — δι' ὃν (*propter quem*) BA 23, plerique minusc., *Vulg.* (Clem. cum melioribus codd.) *Syr. Arm. Copt.* etc.; minus recte διό vel δι' ὅ (propter quod) ℵ C, aliqui minusc., consentientibus haud paucis *Vulg.* codd. — διέσωσε (servavit) B; sed ἔσωσε (sensu eodem) ℵ A C. 23 ac plerique minusc. — 5. εὗρε τὸν δίκαιον (invenit iustum) B cum paucis minusc.; lege ἔγνω (cognovit seu *scivit* cum ℵ A C 23, plerisque minusc., *Vulg. Syr. Arm. Copt. Shex. Aeth.* cfr *Feldm.* — 6. ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν est genet. absol. (« quum perirent impii »), pro quo *Feldm.* interpretes *Vulg. Syr. Arm. Ar. Shex. Aeth.* legisse coniicit : ἐξ ἀπολλυμένων ἀσεβῶν (*a pereuntibus impiis*). — 7. οἷς ἐπὶ μαρτύριον (*quibus in testimonium*) vulgo legi dicitur, quamquam ne unus quidem codex graecus eam exhibere videtur; ex Sixtina editione Veteris Test.

Sapientiam primis iam humani generis temporibus salvatricem suam manifestasse virtutem explanaturus, auctor ordine chronologico sex recenset patriarchas per eam variis ex calamitatibus periculisque ereptos et ad salutem adductos, Adam (*vv.* 1,2), Noe (*v.* 4[b]), Abraham (*v.* 5), Lot (*v.* 6), Iacob (*vv.*10-12), Ioseph (*vv.* 13,14), atque simul quam omnibus sit necessarium eius studium, declarat quatuor interpositis exemplis, quibus gravissimas eorum poenas describit, qui ab ea recesserant, Caini interitum (*v.* 3), genus humanum fere totum diluvio submersum (*v.* 4[a]) novumque genus confusione linguarum dispersum (*v.* 5[a]), Pentapolim igne deletam (*vv.* 7-9). Haud immerito multi interpretes nostro cum loco catalogum illum comparant, quo *Hebr.* 11,1 sqq. recensentur sancti Veteris Foederis, qui fide salutem adepti sunt, Apostolumque nostrum locum imitatum esse censent; in eo solo enim potissimum differunt, quod Sapiens Dei ipsius hominibus gratiam suam offerentis ac largientis operationem praedicet, Apostolus autem hominis gratiam recipientis et adhibentis cooperationem inculcet et urgeat. Si quis nexum nostrae paragraphi cum praecedenti ac totius tractatus seriem continuationemque consideraverit, facile sibi persuadebit, Sapientiam hic quoque intelligendam esse notionalem, quippe cuius laudes Salomon antea (*cc.* 7,8) celebraverit et quacum, ut uniretur, tam ardenter precatus sit (*c.* 9), quam autem animo suo semper observari pronomine *haec* (sc. Sapientia) toties repetito indicet; attamen per se nihil obstare arbitror, quominus abhinc attributum divinae sapientiae magis spectari concedatur, quod per prosopopoeiae figuram agens inducatur.

Quod igitur per sapientiam homines universim servatos salutemque adeptos esse ultimo suae precationis sticho (9,18[c]) asseruit, id Salomon primo in loco exemplo communis nostri parentis illustrat, in quo posterorum sors quasi praefigurata est. 1. *Haec* (αὕτη sc. sapientia

graeci verisimiliter in alias editiones transiit; pro ea B ℵ A cum haud paucis minusc., nonnullis *Vulg.* codd., *Syr. Arm. Shex. Aeth.* exhibent : ἧς ἔτι μαρτύριον (cuius adhuc testimonium), quam lectionem hodierni editores critici recte praetulerunt; 23 legit ἧς ἐστιν μαρτύριον (cuius est testimonium), C autem ἥ ἐστι μαρτ. (quae est testimonium) cfr *Reusch.* — In ultimo sticho pro asyndeto ἀπιστούσης ψυχῆς (infidelis animae), quod B ℵ A C cum minusc. multis tuentur, rectius cum aliis minusc., *Vulg. Syr. Copt. Ar.* scribendum videtur καὶ ἀπιστούσης ψυχῆς (*et incredibilis* [i. e. *infidelis*] *animae*). — 8. *in hoc lapsi sunt* errore librariorum scriptum videtur pro : *in hoc laesi sunt*, quum graecam lectionem ἐξελάθησαν reliquae quoque versiones tueantur. — 10. τοὺς πόνους (labores) B C, sed τοὺς κόπους (eodem sensu) ℵ A 23. — 13. ἐξ ἁμαρτίας (ex peccato) est communis et certa lectio, pro qua *Vulg.* per librariorum ut videtur errorem : *a peccatoribus*, quod minus ad sententiam quadrat.

increata) *illum, qui primus formatus est a Deo*[1] *pater orbis terrarum* (graeca verba πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου simplicius clariusque verte : *primoformatum patrem generis humani* cfr ad 7,1 *n.* et 6,26 *n.*), *quum solus esset creatus* (μόνον κτισθέντα), *custodivit,* 2. *Et eduxit illum a delicto suo* (ἐκ παραπτώματος ἰδίου) *Et dedit illi virtutem continendi omnia* (rectius : *dominandi omnibus* κρατῆσαι πάντων cfr. 9,2). Tria recensentur beneficia Adamo praestita, quae diversa vitae eius tempora spectare videntur : per sapientiam custoditus est ante suum lapsum, per eam a peccato suo liberatus est, per eam munus in creatione ipsa ei iam demandatum, ut reliquis creaturis in terra dominaretur, ei conservatum est. Primus stichus sua non caret difficultate, quia non satis apparet, quae mutua sit relatio quatuor accusativorum, quibus Adam describitur : πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου μόνον κτισθέντα *primoformatum patrem humani generis solum creatum.* Illud utique in aperto est, ad substantivum πατέρα reliqua membra ita esse referenda, ut Adam proxime et directe pater generis humani dicatur atque haec dignitas reliquis certo modo definiatur. Haud quoque incertum videtur primum adiectivum (primoformatus) eo consilio praemitti, ut quasi fundamentum huius dignitatis exponatur; quum enim sit primus homo, a quo reliqui, qui eiusdem sunt generis, cuncti originem ducunt, in eo a posteris suis differt, quod eius corpus immediate a Deo sit formatum, ipse igitur simili modo *filius Dei* vocari mereatur, quo alii homines vocantur filii eorum, a quibus secundum corpus generantur (cfr *Luc.* 3,38). Quia autem totius generis pater est, peculiari custodia indiget, ut in posteris suis rite instituendis dirigatur, et quia filius Dei est, eam sibi non esse defuturam iure merito confidere potest. Difficultatem autem quandam tertia dictio participialis (μόνον κτισθέντα *solum creatum*) affert, quia non satis constat, num ad Adae descriptionem continuandam et complendam adiecta sit, an potius tempus, quo primus noster parens per sapientiam custodiebatur, ac simul causam indicet, cur peculiari custodia indigebat. Priorem interpretandi rationem plerique praetulerunt, sed haud felici cum successu, ut ex variis eorum explicationibus apparebit, de quibus infra dicemus. Ac revera duobus prioribus accusativis (primoformatum patrem generis humani) persona Adae tam clare est descripta, ut nemo de eo solo hic agi amplius dubitare queat. Alteram igitur interpretationis viam tenebimus cum *Vulg.*, quae dictionem illam recte vertit : « *quum solus esset creatus* ».

1. Vocabula *a Deo* textui quidem congruunt, sed cum in graeco, in versionibus, in haud paucis codd. lat. absint, videntur esse spuria.

Salomon enim, uti ex ipsis eius verbis aliqua ex parte elucet, ad Dei decretum de Eva, ut Adamó sit adiutrix, creanda alludit : « non est bonum esse hominem *solum*; faciamus ei adiutorium simile sibi » (*Gen.* 2,18). Itaque proxime de tempore agi declarat ante Evae creationem, quod quam longum fuerit utique ignoramus, sed illud non ita breve fuisse ex tota narratione (*Gen.* 2,15-28) haud temere nobis colligere videmur. Neque vero putandum est Evae creatione illi peculiari Adae custodiae finem esse impositum; nam id verbis nostris non continetur; Eva quippe ei data non est protectrix sed adiutrix, scilicet ut eius ope munus sibi in paradiso demandatum facilius expleret; quapropter illud peculiare custodiae beneficium usque ad eius lapsum, quo se ipse illo reddidit indignum, perdurasse censendum est. Interroganti porro, a qua re sapientia primum hominem custodierit, *Lyr.* et *Lorin.* cum haud paucis respondent : « a peccato », *Lap.* vero et *Calm.* cum plerisque : « ab omni externo periculo et corporis interitu »; verum nulla adest ratio, cur ad certum periculorum genus indefinitam auctoris dictionem coarctemus. Cum *Gutb.* potius nomine custodiae hic omnia supranaturalia et praeternaturalia dona comprehendi censemus, quibus Deus Adamum exornaverat, ut pro munere suo omnibus reliquis creaturis in terra dominari finemque sibi propositum assequi posset. Libero autem eius arbitrio custodia sapientiae neque vim neque necessitatem inferebat; unde factum est, ut Adam divinum praeceptum transgressus sit seque ipse praeclaris, quae acceperat, donis privaverit.

Dictionem participalem μόνον κτισθέντα (*solum creatum*) iuniores non pauci pro appositione habent, qua adiectivum πρωτόπλαστος exponatur, quasi Adam *primoformatus* appellatur, quia *solus* ex hominibus *creatus* sit (cfr *Lorin. Lap.* etc. — *Bretschn. Baurm.* etc.); verum ut definitionem hanc cum adiectivo *primoformatus* parum congruere praetermittamus, contra hanc explicationem monuisse satis fuerit verbum κτίζειν, etsi ab alexandrinis interpretibus de creatione proprie dicta pro hebr. בָּרָא saepius (non tamen semper; cfr *Gen.* 1,1 sqq. etc.) sit usurpatum, eis etiam haud semel ad alia reddenda verba inservire (uti יָסַד fundavit, יָצַר formavit, עָשָׂה fecit etc.). Neque clare igitur neque accurate auctor noster locutus esset, si nudo verbo κτίζειν notionem creationis proprie dictae efferre et urgere voluisset; ut Adae creatio a reliquorum hominum creatione clare distingueretur, omnino vocari debuit μόνος κυρίως (proprie) κτισθείς (cfr *Gr.*). — Neque rectius alii dictionem cum nomine πατέρα arctius connectunt hoc modo : « primoformatus (homo), qui *creatus est unicus pater generis humani* et proinde velut *universi generis* pater ad illud instituendum peculiari Dei auxilio indiguit » (*Gutb.*); etenim nudo adiectivo μόνος addito auctor, opinor, hunc sensum clarius exprimere potuit ac debuit, siquidem participio (κτισθείς) simul adiecto sententiam ita obscuravit, ut iste sensus vix erui queat. Idem recte contra eorum opinionem obiicitur, qui duobus prioribus accusativis hanc dictionem additam volunt, ut singularis praedicetur dignitas Adae, quippe qui *solus*

fuerit in terra, sicut Deus solus est in coelis (*Deane*). — Alii adiectivum μόνος non tam *solus* quam *indefensus* hoc in loco valere arbitrantur : « qui creatus est inermis, ut se ipse defendere non valeat » (*Calm. Schm.* etc. — *Gr. Zoeckl.* etc.). Quae explicatio prioribus praeferri mereretur, si de hac adiectivi significatione constaret; sed μόνος nusquam per se valet *indefensus*, sed haec significatio ei aliquoties ipso contextu attribuitur (uti in exemplis, quae sola afferri solent *Ioan.* 8,29; 16,32); in nostro autem contextu nihil adest, quo ad eam confugere cogamur[1].

Alterum porro beneficium ac quidem praeclarum sapientia Adamo post eius lapsum tribuit; etenim 2. *eduxit illum a delicto suo*[2] (ἐξεῖλατο αὐτὸν ἐκ παραπτώματος ἰδίου), ei nimirum, ut *Tirin.* bene habet, « inspirans poenitentiam et indulgens veniam ». Dictionem ἐξαιρεῖν ἔκ τινος, qua Alexandrini hebr. הִצִּיל מִן reddere solent (cfr *Gen.* 32,12; 37,21. 22 etc.) quaeque proprie valet aliquem ex periculo vel malo eripere seu salvare, interpres noster aptissime latino *educere* hoc in loco transtulit; nam gratiis ei collatis sapientia effecit, ut Adam supranaturali dolore ex delicti sui recordatione suscepto in statum amicitiae cum Deo rediret. Sunt qui adiectivum ἰδίου, quod *Vulg.* (uti semper in nostro libro cfr ad 2,23 *n.*) pronomine possessivo (*suo*) reddidit, hic urgendum esse arbitrentur, quoniam peccatum, quod Adamo proprium fuerit, peccato originali opponatur, a quo ille poenitentia sua posteros educere non potuerit (cfr. *Gutb.*); verum eiusmodi oppositio in nostram sententiam potius ingeri, quam ex ea egeri videtur, quum de solo primo homine beneficiisque ei soli per sapientiam praestitis

1. Alia via *Bois* (Essai etc. p. 398 sqq.) difficultatem removere conatur; pro μόνον (solum) enim, negatione οὐ addita, legendum esse coniicit οὐ μόνον (non tantummodo), atque deinde ad *Esth.* Addit. 5,3 (16,3) appellans particulam encliticam τε, quae nostro *v.* 2 legitur (ἔδωκέ τε deditque) hic i. g. ἀλλὰ καί (*sed etiam*) valere contendit, ut haec sit nostri loci interpretatio : C'est la sagesse qui *non seulement* garda le premier homme, le père du monde, une fois, qu'il eut été créé, et le préserva [? ἐξείλατο *eduxit*] des conséquences [?] de son péché, *mais encore* lui donna la force de se rendre maitre [κρατῆσαι] de toutes choses. » Quam sententiam (minoribus illis, quae notavimus exceptis) per se satis bonam esse non diffitemur, at remedia, quae proponuntur, utpote non minus violenta quem arbitraria, plane esse repudianda evidens est, quum auctoris verba, prout nobis in codicibus et versionibus omnibus sunt conservata, commodum contextuique consonum sensum exhibeant. Accedit autem, quod unicum exemplum, quo probare conatur, particulam τε pro ἀλλὰ καί poni potuisse (*Esth.* Addit 5,3) omnino sit ineptum. Illo nimirum in loco particula οὐ μόνον, quae *v.* 3 legitur, anacoluthice *v.* 4 resumitur ac sententia suo ἀλλὰ καί secundum constantem loquendi usum ita terminatur, ut infideles non tantummodo contra regem aliosque homines, sed etiam contra Deum peccasse dicantur.

2. Haud pauci codices latini pro nostra sententia legunt : « *eduxit illum de limo terrae* atque alii, uti etiam mediae aetatis interpretes (*Hugo Car. Lyran. Holcoth, Dion. Carth.* eadem verba genuino textui adnectunt. Dubium non est, quin haec lectio non tantum ob criticae auctoritatis defectum, sed etiam ob loci nostri contextum, utpote quem perturbet, omnino sit repudianda. Ac mirum est, quod tot iuniores librarii erroneam illam lectionem retinuerunt.

agatur; si quis vero eam hic innui voluerit, nomen παράπτωμα (*delictum*), quo hic uti *Rom.* 5,15.17.18. ipsa actualis inobedientia Adami designatur, rectius quam adiectivum ἴδιος urgebit. *S. Aug.* (c. Iulian. op. imperf. VI, 30 in fine) verba haec prophetice dicta esse putat de tempore, quo Christus ad inferna descendens Adamum cum reliquis Veteris Test. sanctis ab inferni vinculis soluturus erat : « tunc enim iuxta librum Sapientiae intelligendus est *eductus a delicto suo,* ut hoc ille liber non factum dixisse, sed futurum praedixisse monstretur, quamvis per verbum praeteriti temporis. Sic enim ait : *eduxit illum a delicto suo,* quemadmodum dictum est : *foderunt manus meas* (*Ps.* 21,17) et cetera, quae ibi per verba praeteriti temporis futura esse dicuntur »; cfr etiam ep. 164 ad Evod. 3,6, ubi nostra verba « magis pro hac sententia, quam pro ullo alio intellectu facere videri » asserit. Alii tamen Patres de hac explicatione prophetica nihil habent, quamvis consentiant primum nostrum parentem aeternam salutem adeptum esse (cfr *S. Iren.* c. haer. III. 23; *Tert.* de poenit. 12; *S. Greg. Thaumat.* [?] orat. in omnes SS.; *S. Hilar.* Tract. in Ps. 119 n. 4; *S. Greg. Naz.* orat. 24 in S. Cypr. n. 4; *S. Basil. M.* Hom. 13,8; *S. Method.* Conv. virg. or. 3 etc.) Tatianumque accusent, quod primus Adamo salutem negare ausus fuerit (cfr *S. Iren.* l. c.; *Tert.* de praescr. 52; *S. Epiph.* haer. 46; *S. Aug.* de haeres. 25).

· Tertium denique beneficium est *virtus dominandi omnibus* huius terrae *creaturis* (ἔδωκέ τε αὐτῷ ἰσχὺν κρατῆσαι πάντων). Fere omnes hunc stichum ita interpretantur, ut sapientia Adamo ipsum dominium, quod iam ante lapsum acceperat (*Gen.* 1,26. 28), post eundem continuaverit vel potius reddiderit et renovaverit, licet non eadem plenitudine ac perfectione, qua antea eo fruitus erat (cfr. *Lorin. Lap. Calm.* etc. *Schm. Corl. Les.* etc. — *Gr. Deane* etc.). Verumtamen hanc explicationem neque verbis satis congruere neque cum antea dictis consonare censemus. Namque dominium hoc, ut ex *Gen.* 1,24 apparet et supra dictis (9,2) confirmatur, homini non tam velut beneficium est datum, quam velut munus et officium iniunctum, ut sapienti creaturarum usu ad finem sibi propositum perveniret, neque immerito *S. Thom.* (Summ. theol. I. qu. 96, a. 1) subiectionem creaturarum aliarum ad hominem vocat naturalem. Fieri igitur non potuit, ut Adam peccato suo dominium ipsum amitteret; viribus autem, quibus ad illud munus explendum tam abundanter in ipsa sua creatione instructus erat, peccato suo eadem ratione privatus est qua reliquis donis supranaturalibus et praeternaturalibus. Iamvero Deus, quum Adamum poenitentem a peccato suo educeret et in amicitiam reciperet, ei non solam gratiam sanctificantem restituit, sed

ius quoque ad gratias actuales contulit, quibus adiutus muneris sibi demandati officia iterum rite obire posset, seu aliis verbis *vitutem ei dedit dominandi omnibus* aliis creaturis. Probe enim animadvertatur oportet, tertium nostrum stichum coniunctione enclitica τε cum praecedenti arctius esse connexum eique quasi sequelam quamdam subiunctum, substantivo ἰσχύς autem proxime facultatem et virtutem dominandi denotari. Itaque secundo et tertio stichis coniunctis quodammodo completa peccati remissio significatur. Simili modo *Gutb.* quoque cum paucis aliis sententiam nostram interpretatur.

« Adam confessus, inquit *S. Hilar.* (tract. in Ps. 119, M. 4), veniae reservatus et glorificatus in Christo est; Cain negans maledicto diabolo adaequatus est. » Quibus verbis ad nostrum locum aperte alludens antithesin clare exprimit, qua Sapiens Adamo propter poenitentiam e peccato suo per sapientiam educto filium Cain opponit, qui sapientiae monitu spreto propter impoenitentiam in peccato et cum peccato suo periit : 3. *Ab hac* (sc. sapientia) *ut recessit* (vel clarius : *quum recessisset* ἀποστάς) *iniustus in ira sua* (ἐν ὀργῇ αὐτοῦ), *per iram homicidii fraterni deperiit* vel potius : *fratricidali furore simul periit* (ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς). Nomine *iniusti* Cainum designari evidens est, qui *a sapientia recessit,* quando suum sacrificium sacrificio fratris sui Abel a Deo postponi videns non contra se, sed contra Deum *iratus est vehementer* et divina inspiratione reiecta ad fratricidium furore suo abreptus est (cfr *Gen.* 4,5-8), atque criminis sui poenitentiam agere recusans ab uno in aliud crimen proruit infelicemque sibi ipse paravit interitum. Phrasis ἀδελφοκτόνοις συναπώλετο θυμοῖς, quam *Bauerm.* « exquisitissimam verborum compositionem Aeschyli tragoediis haud indignam » appellat, quae graecae originis libri nostri indicium sit (cfr *Gr.*), diversimode exponitur, quum ad quid praefixum συν in verbo decomposito συναπώλετο referenda sit, non satis appareat. Quam difficultatem aliqui removere volunt monentes, praepositionem συν aliquibus in verbis compositis eorum significationem augere (cfr καλύπτειν tegere, συγκαλύπτειν *undique* tegere etc.), ita ut nostrum συναπόλλυσθαι i. q. *deperire* (prorsus perire) valeat (cfr *Gutb.* : furoribus fratricidalibus prorsus interiit); at nullo exemplo probatur, auctiorem hanc significationem verbo nostro usquam tribui, sed ubi occurrit, valet *simul* (cum alio) *perire* (cfr *Gen.* 19,15; *Hebr.* 11,31), uti activum συναπολλύναι valet *simul perdere* (cfr *Gen.* 18,23; *Deut.* 29,18; *Ps.* 25,9). Non pauci praepositionem ad Abelem referunt, atque alii quidem praeeunte *Philone* (Opp. ed. Mang. I. 201) ita, ut Cain fratris sui corpus transfodiens suam ipsius animam confoderit (cfr *Nann. Lap.* etc.), alii autem ad iudaicas fa-

bellas, quas auctorem nostrum secutum esse temere ac sine ratione sibi persuadent, recurrentes Cainum simili violenta morte atque Abelem interiisse, quum a Lamech casu sit interfectus aut ruinis domus super eum procumbentis oppressus aut diluvii aquis submersus etc. Verum nulla adest ratio, cur in hac phrasi aliquid suppleamus, quum Cain in furoribus suis fratricidalibus et cum iis periisse apte dicatur, quia divina invitatione non obstante eorum poenitentiam agere recusans in iisdem semper usque ad miseram suam mortem perseveravit. Exemplum nostro loco simillimum habemus in apocrypha *Orat. Manasse v.* 13. μὴ συναπολέσῃς με ταῖς ἀνομίαις μου, quae verba *Vulg.* recte vertit : « ne *simul* perdas me cum iniquitatibus meis ».

Neque tamen Cain contumaci sua impoenitentia semet solum perdidit, sed propter eum universa quoque gens humana diluvio interiisset nisi divina sapientia Noe, unicum suae generationis iustum (*Gen.* 7,2), a communi interitu exemisset, ut semen generis futuri (14,6) evaderet atque divinam quoque promissionem, non amplius omnem carnem aquis submersum iri, mundo relinquens (*Eccli.* 44,19 cfr *Gen.* 9,9-16) secundus fieret pater generis nostri : 4. *Propter quem* (δι' ὃν sc. Cain cfr *VV. LL.*), *cum aqua deleret terram* (κατακλυζομένην γῆν clarius : *terram, quum aquis obrueretur*), *sanavit* (lege : *servavit* seu salvavit ἔσωσε vel διέσωσε cfr *VV. LL.*) *iterum sapientia, Per contemtibile lignum* (δι' εὐτελοῦς ξύλου) *iustum gubernans.* Omisso pio Henoch, quem Apostolus in suo catalogo inter Adae filios et Noe interponit (*Hebr.* 11,5) et ad quem noster quoque liber iam allusit (4,7. 10), Sapiens a primo nostro patre Adam, in quo ad poenitentiam adducto sapientia salvatricem suam virtutem manifestavit, statim ad Noe transit, quem propter suam iustitiam sapientia ex praesentissimo periculo velut spem mundi alterumque nostrum parentem (14,6) salvavit. *Propter Cain* terra diluvio dicitur obruta, quia ab eo et per eum communis illa morum perversitas initium cepit, qua factum est, ut Deum homines in terra creasse poeniteret (*Gen.* 6,6); unde Cain a *S. Aug.* (de civ Dei XV. 5) meritissimo vocatur « primus conditor civitatis terrenae », quae Dei civitati opponitur. Etenim Adam quidem peccandi initium fecerat, sed eius exemplum, quum non tantum poenitentiam egisset, sed etiam e paradiso eiectus durissimo supplicio affectus esset, posteros eius a peccando non potuit nisi absterrere; Cain vero, qui gravissimi sui criminis neque poenitentiam egit neque meritum supplicium hac in terra persolvit, immo contumacia sua non obstante semper florenti uti videbatur fortuna, pessimo suo exemplo filios posterosque suos ad suam nequitiam imitandam adduxit; unde facile intelligitur, quod hi omnibus vitiis flagitiisque sese dederint

atque inter pios quoque Sethi posteros, ubi primum illos matrimoniis contractis secum coniunxerunt, eosdem pessimos mores propagarint (*Gen.* cpp. 4,6; cfr *Fl. Ios.* Antiqu. l. 2,2). Caini igitur contumaci impoenitentia velut contagione quadam omnes illius aetatis homines infecti sunt, ut Deus solum Noe in ista generatione invenerit iustum et dignum, quem sapientia ipsa per diluvii fluctus vili in ligno servaret et ad salutem adduceret. Verbis εὐτελοῦς ξύλου (contemtibilis seu vilis ligni) arcam designari paene omnes consentiunt; pauci tantum, potissimum ob articuli defectum, non arcam sed materiam ipsam, ex qua confecta est, lignum vile appellari volunt (cfr *Gutb.*), non attendentes auctorem ob similem rationem, qua a nominum propriorum usu abstinet, etiam articulum in hac descriptione praetermisisse, ut eam nimirum certo modo vagam et subobscuram redderet[1]. Quod autem magnitudo arcae non obstet, quominus vile vel contemtibile lignum vocatur, per se patet; quamvis enim per se fuerit magna et opus multi laboris neque minoris artis, comparata tamen ad finem ad quem erat fabricata (ut nimirum spem mundi ab universalis diluvii periculo servaret), *lignum vile* (εὐτελής secundum *Hesych.* proprie ὀλίγης ὀαπάνης i. e. parvi pretii ac proinde contemtibilis) rectissime dicitur; siquidem sua mole non obstante contra violentissimos aquarum undique proruentium ac saevientium fluctus neminem tueri potuisset, nisi a divina sapientia esset gubernata. Sapientia autem eam gubernans per eam iustum Noe et una cum eo genus humanum, quod secunda iam vice interitui proximum erat, *iterum* (πάλιν) protexit et ab interitu vindicavit. Quae particulae *iterum* hoc in loco sit vis ac potestas, *Lap.* egregie explanat : « Adam, inquit, *primo* perdidit orbem [i. e. genus humanum], dum peccavit ac peccatum in omnes posteros transmisit: merebatur enim ipse cum omnibus posteris a Deo perdi et occidi, sed sapientiae divinae bonitas eum a peccato eduxit ac posteris de Christo Salvatore providit; *secundo,* Cain cum posteris orbem perdidit diluvio, sed iterum eum salvavit sapientia per Noe diluvium superans et orbem restaurans ».

Sicuti autem uno isto exemplo contrarios insipientiae effectus et sapientiae fructus, homines universos impietate Caini filiorumque eius interitui obiectos, sed pietate iusti Noe servatos complexus est,

1. Adamum articulo omisso vocari πρωτόπλαστον πατέρα κόσμου facile explicatur, quia dictio haec pro nomine proprio poni potuit; sed cur definitum illud Adami peccatum indefinito nomine παράπτωμα ἴδιον designatur? cur ἰσχύν caret articulo, quamvis de certa ac definita virtute agatur? cur Cain appellatur ἄδικος (*v.* 3) et Lot δίκαιος (*v.* 6) et Isaac τέκνον (*v.* 5) articulis semper omissis? etc.

ita etiam in sequente auctor poenae cuidam impietatis opponit felicissimam iusti sortem. Quisnam tertius hic iustus esset, olim ab uno alterove dubitatum est, qui primum novae sententiae stichum perperam interpretati Sem vel Heber designari coniecerunt (*Grot.* etc.); at « tota series orationis, uti *Calm.* reliquis omnibus consentientibus recte monet, Abraham intelligi iubet » : 5. *Haec* (αὕτη sapientia divina) *et in consensu nequitiae cum se nationes contulissent* (verba graeca : καὶ ἐν ὁμονοίᾳ πονηρίας ἐθνῶν συγχυθέντων rectius clariusque vertes : *etiam quum in consensu* [vel rectius : *ob consensum*] *nequitiae nationes essent confusae*), *Scivit* (ἔγνω vel minus recte : εὗρε *invenit* cfr *VV. LL.*) *iustum et conservavit* (ex graeco supple : *illum* αὐτόν) *sine querela* (i. e. irreprehensibilem ἄμεμπτον) *Deo, Et in filii misericordia* (ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις) *fortem custodivit.* Primum stichum latinus interpres obscuravit erronea sua verbi συγχεῖν translatione, quod nunquam *conspirare* (se conferre) valet, sed latino *confundere* tum etymologia sua tum significatione propria ac derivata exacte congruit. Alexandrini hoc verbo in narratione de turri babelica pro hebr. בָּלַל (confundere, perturbare) usi sunt ad poenam illam designandam, qua Deus superbos impii generis conatus repressit : « descendamus et *confundamus* (seu perturbemus συγχέωμεν בָּלְלָה) *ibi linguam eorum* » (*Gen.* 11,7); « ideo vocatum est nomen civitatis *Confusio* (seu Perturbatio Σύγχυσις בָּבֶל i. q. בַּלְבֵּל), quia ibi *confudit* (συνέχεεν בָּלַל Dominus labia universae terrae » (ibid. *v.* 9). Unde fere omnes iuremerito colligunt auctorem ad illam poenam respicere illasque designare nationes, quae propter communem suum conatum scelestum a Deo confusae ac perturbatae sunt. Crimini autem poena respondebat; veri Dei quippe cultu mutuoque amore, quibus genus humanum proprie ac perfecte unitur, reiectis homines illius aetatis, quum variis inter se dissiderent consiliis ac studiis, cum civitate turrim celsissimam sibi excitare consenserunt, quae gloriam famamque suam augeret atque novae suae unionis impiae centrum et symbolum esset; sed hunc *nequitiae consensum* Deus iustissima poena vindicaturus communem eorum linguam, quae velut unicum genuinae cuiusdam unionis vinculum eis erat relicta, ita confudit et perturbavit, ut alter alterum non amplius intelligentes et ab incoepto opere desistere et varias in terras sese dispergere coacti sint.

Quid autem huius poenae, qua Deus post diluvium denuo communem nostri generis nequitiam ac superbiam vindicare debuit, commemoratio hoc in loco sibi vult, in quo de iusto Abraham per sapientiam servato agi dicimus? Praeprimis caveamus oportet, ne verba *in consensu nequitiae* pro

indicatione chronologica sumentes ea, quae de Abraham dicuntur, ad idem tempus referamus, quo Deus superbae generationis linguam confudit. Moderni rationalistae quidam (*Gr. Zoeckl.* etc.) auctorem nostrum chronologici erroris accusare non verentur, eum scilicet, quoniam in Genesi fere immediate post relationem de turre babelica (*Gen.* 11,1-8) historiam Abrahae narrari vidisset (*Gen.* 11,27 sqq.) utramque eidem tempori attribuisse volunt. Attamen id ne rationalistis quidem omnem inspirationem negantibus persuadebunt; per totum enim suum opus auctor noster sese historiae sacrae apprime gnarum prodit, neque prudenti dubium esse potest, quin eadem ratione, qua duas pericopas (*Gen.* 11,1-9 et 11,27 sqq.) legisse et cognitas habuisse conceditur, etiam genealogiam *Gen.* 11,10-26 interpositam legerit et intellexerit et cognitam habuerit, qua (praesertim secundum alexandrinam versionem ab auctore nostro, uti omnes fatentur, adhibitam) apertissime docetur nativitatem Abrahae longe distare a morte Phaleg, qui a dispersione populorum tempore ipsius facta nomen traxit.

Frustra autem laborant, qui sola verba ἐν ὁμονοίᾳ πονηρίας pro temporis indicatione habent, velut *Holcoth* qui difficultatem eo solvit, « quod Deus tempore confusionis linguarum *praeviderit* Abraham futurum et *praeelegerit* sicut talem, per quem cultus Dei multipliciter augeretur et cui fieret specialis promissio de redemptione generis humani ». Nam profecto non de beneficiis ab aeterno praevisis sed de beneficiis in tempore Abrahamo per sapientiam collatis agitur. Itaque verba illa cum sequentibus ἐθνῶν συγχυθέντων arctissime sunt connexa atque tota phrasis ita vertatur oportet : *gentibus ob consensum nequitiae confusis* vel ut supra diximus : *quum gentes propter nequitiae consensum essent confusae.* Quibus verbis etiam temporis quidem indicatio quaedam habetur et temporis quoque quod aetatem Abrahae longe praecessit, attamen internus simul nexus designatur, quo consensus ille nequitiae cum gratiis Abrahamo collatis certa quadam ratione cohaeret. Communis nimirum nequitiae nomine ipsam idololatriam declarari cum multis censemus, quae haud diu post diluvium exorta rapidissimoque cursu longe lateque pervagata iam quinta filiorum Noe generatione totum fere genus humanum a veri Dei cultu averterat, id quod in ipsa aedificatione turris babelicae apparet, quam apostasiae suae communis voluerunt esse monumentum; tantum autem abfuit, ut divina poena homines ab idololatria sectanda absterreret, ut impietas haec in dies cresceret atque vix quisquam verum Deum adoraret; testimonio enim Iosuae totum populum Israel alloquentis constat, ipsos Abrahami maiores usque ad eius patrem Thare diis alienis serviisse (*Ios.* 24,2 cfr *Iudith* 5,6 sqq.). Cui aetati idololatriae universalis finem quodammodo Deus imposuit, quum Abrahamum cum patre eius prius ex Ur Chaldaeorum in Haran educeret eumque deinde e terra sua et cognatione sua egredi atque in terram Chanaan transmigrare iuberet, quia in eo benedicendae essent omnes cognationes terrae (*Gen.* 11,13; 12,1.2). Simili igitur ratione scriptor sacer duas universalis morum corruptionis et communis idololatriae pe-

riodos describit, quae ab Adam usque ad Abraham decurrerunt, priorem per Cainum fratricidam contumacem, qui sua ipsius perversitate totum genus humanum infecit, et per iustum Noe, qui a sapientia servatus novae generationi initium dedit, alteram per superbos illos homines, qui, idololatriae suae monumentum erigere conati sed divinitus dispersi, impium suum falsorum deorum cultum ubique terrarum sparserunt, et per Abrahamum Dei amicum, qui solus vero Deo adhaerens semen fieri meruit fidelium servorum Dei. Unde satis intelligitur, cur una hac sententia auctor confusionem linguarum et Abrahami electionem comprehendere voluerit.

Itaque idololatrarum poenae tria opponuntur beneficia, quibus Abraham ob suam in veri Dei servitio fidelitatem per sapientiam cumulatus est. Primo in loco sapientia eum *cognovit* (ἔγνω) seu cognoscens approbavit secumque coniunxit. Hoc praegnanti, quem dicunt, sensu verbum γινώσκειν (supra 4,1) iam est adhibitum neque admodum raro in Scripturis usurpatur. Quae tota eius sit vis, clarissime elucet ex notissima S. Pauli sententia : « si quis diligit Deum, hic cognitus est (ἔγνωσται) ab eo », i. e. a Deo approbationis scientia cognitus ac proinde eius amicus ac familiaris factus donisque eius ornatus est (1 *Cor.* 8,3; cfr *Ioan.* 14,23; simil. *Ps.* 1,6; 143, 3 etc.; *Ioan.* 10,14; *Gal.* 4,9; 2 *Tim.* 2,19 etc.). Proxime ergo nostro *cognovit* quasi fundamentum designatur omnium bonorum Abrahamo tributorum; quare haud immerito a plerisque ad primam vocationem refertur, qua patriarcha patriam familiamque suam relinquere iussus est, ut uni Deo adhaereret. Neque tamen quidquam videtur obstare, quominus cum aliis reliquas vocationes connotari concedamus, quibus semper morem gerens ob continuam suam fidelitatem in dies maiora dona obtinuit. Quem autem sapientia tam arcte secum coniunxit, eum etiam *conservavit* (ἐτήρησεν) i. e. a periculis ita tuita est, ut irreprehensibilis seu *inculpatus* (ἄμεμπτος *Vulg.* : sine querela) manserit *Deo*, scilicet coram Deo vel secundum iudicium Dei (de hoc dativo, qui dicitur iudicii cfr *Win.* Gr. p. 199; *Beel.* Gr. p. 217 sq. etc.). Procul dubio hoc sticho universam patriarchae vitam comprehendere voluit, ut multa illa et praeclara virtutum fere omnium exempla, quae in Genesi referuntur, eum non nisi a sapientia divina adiutum edidisse significaret. Ac profecto a sapientia illam habuit fidei fortitudinem, qua difficultatibus omnibus spretis Deum vocantem semper secutus est; spei illam constantiam, qua divinis promissionibus confidebat, etiamsi quomodo impleri possent non videret; caritatis illam perfectionem, qua omnia sua ac vel ipsum suum filium Deo in sacrificium offerre paratus erat, eximium illum hominum amorem non tantum

erga consanguineos et domesticos suos, sed etiam erga alienigenas atque ipsos peccatores, a quibus omni quo potuit modo perniciem avertere studuit etc. etc. Praeclarissimum autem virtutis eius exemplum auctor singulatim effert sapientiaeque deberi monet : *in filii misericordia fortem eum custodivit.* Antiquiores erronea codicum suorum latinorum lectione (*in filiis misericordiam* fortem custodivit) prohibiti sunt, ne genuinum sensum attingerent. Ex iunioribus aliqui rectam lectionem secuti verba « in filii misericordia » (ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις i. e. eo in affectu, quo pater filium solet prosequi[1] cfr *Lap.*) ad sapientiam referunt, quasi sapientia pro paterno amore, quo Abrahamum complexa sit, eum fortem contra hostes eius idololatras custodisse dicatur (*Vatabl.* etc.). Multo rectius autem alii Abrahami erga filium suum Isaac amorem significari tenent; quo sensu *Lap.* bene : « Abraham, inquit, ex intimis visceribus diligebat filium; unde summa commiseratione commota sunt eius viscera, quum iussus est eum mactare; sed obedientiae et amoris fortitudo [quam sapientia ei inspiravit] vicit omnem amorem et miserationem, etiam filii unigeniti, qualis Isaac erat ». Qua in explicatione *Lap.* praepositioni ἐπί cum dat. hostilem quandam vim attribuere videtur (« *contra* filii amorem custodivit eum fortem ») idque ni fallor recte, quum hanc significationem apud profanos haud ignotam (cfr *Pape* lex. s. v. II 1 b) etiam sacris scriptoribus usitatam fuisse constet (*Luc.* 12,52; *Act.* 11,19). Haud multum tamen sensus mutatur, si cum maiore interpretum numero significationem illam praepositionis satis raram praetermittimus, ut sensus sit : « sapientia eum fortem custodivit, quum amore filii commoveretur ».

Abrahamum, quum patria Dei iussu relicta in Chanaan transmigraret, secutus est eius nepos Lot, quem Sapiens quarto loco inter patriarchas per sapientiam servatos recenset : 6. *Haec* (sc. sapientia) *iustum a pereuntibus impiis liberavit fugientem, Descendente igne in Pentapolim.* Graeca tamen sententia (αὕτη δίκαιον ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν ἐῤῥύσατο φυγόντα πῦρ καταβάσιον Πενταπόλεως) vertatur oportet : *Haec iustum, quum penitus perirent impii, eripuit* (s. *liberavit*) *Fugientem ab igne, qui descendit in Pentapolim.* Probabile est, uti ante monuimus (cfr *VV. LL.*), latinum nostrum interpretem, aeque ac reliquarum versionum auctores, pro genetivo absoluto ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν (*intereuntibus impiis*) vocabula continue scripta non recte

1. *Viscera* (τὰ σπλάγχνα רַחֲמִים) ab Hebraeis velut sedes teneriorum affectuum animi, maxime misericordiae et amoris considerantur cfr *Luc.* 1,78 σπλάγχνα ἐλέους viscera misericordiae); unde haud raro per metonymiam ipsam misericordiam vel amorem declarant.

separantes legisse ἐξ ἀπολλυμένων ἀσεβῶν (*ex* vel *a pereuntibus impiis*). Qua erronea lectione factum est, ut et sensum sententiae aliquantum perverterent, quatenus contra ea, quae *Gen.* 19 leguntur, Lotum non tam a poena, qua Deus impios Pentapoleos incolas interempturus erat, quam a periculo, quod impii ei moliebantur, servatum esse significant, et eius constructionem perturbarent, quum poenam illam, a qua Lot fugit (πῦρ καταβάσιον Πενταπόλεως *ignem qui descendit in Pentapolim*), grammatico eorum nexu non attento, pro temporis indicatione sumerent, ac si scriptum esset : πυρὸς καταβαίνοντος εἰς Πεντάπολιν). Sententia autem graeca narrationem de Pentapoleos interitu, prout a Moyse narratur, paucis verbis tam clare complectitur, ut explicatione non indigeat. Quod enim ignis in Pentapolim (*quinque urbes*) descendisse dicitur, quamquam quatuor tantummodo (Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim cfr *Deut.* 29,22) eversae sunt, quinta vero, quae minima erat (Bala quae est Segor *Gen.* 14,2) est servata, id difficultatem non creat, quia Pentapolis nomen erat totius illius regionis.

Loti salutem strictim auctor indicat, copiosius autem et diligentius tria poenae, qua Pentapolis deleta est, vestigia exponit, quae suo adhuc tempore conspici poterant, ut ex poenae illius prodigiosis reliquiis gravitas cognoscatur scelerum turpium, quibus Sodomitae eorumque socii iram divinam in se converterant; unde vestigia illa non poenae, sed pravitatis Pentapoleos testimonium vocat : 7. *Quibus in testimonium pravitatis* (cfr VV. LL. ; rectius *cuius* sc. Pentapoleos *adhuc testimonium pravitatis*) *Fumigabunda constat* (καθέστηκε rectius : *exstat*) *deserta terra* (χέρσος) *Et incerto tempore fructus habentes arbores* (ad graeca verba : καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά accuratius : *et plantae imperfectis* [maturitatis] *temporibus fructificantes*) *Et incredibilis* (ἀπιστούσης i. e. *incredulae*) *animae memoria, stans figmentum salis* (ἑστηκυῖα στήλη ἁλός proprie : *columna* s. *cippus salis stans*). Horrendam igitur Pentapolitanorum pravitatem (cfr *Gen.* 18, 16 sqq. ; 19,4 sqq.) imprimis ipsa testari dicitur desolatio ac vastitas regionis illius, quae quum fuisset antea « tota irrigua et similis paradiso Domini » (*Gen.* 13,10), severo iudicio Dei super eam sulphur et ignem pluentis (*Gen.* 19,24) subito exusta et in desertum redacta est. Quin etiam ignis, qui in Pentapolim descendit, quasi reliquias quasdam ibi remansisse auctor significat, quum terram illam *fumigabundam* (καπνιζομένην) appellet. Qua appellatione proxime, opinor, ad *Gen.* 19,27 sqq. auctor alludere voluit, ubi Abraham postridie destructionem « de universa terra regionis illius fumum quasi fornacis fumum ascendentem » conspexisse refertur; verba autem eius ita sunt

comparata, ut etiam suo tempore fumus ibi conspectus esse videatur. Revera duobus circiter saeculis post *Philo* quoque (de Abrah. 27 ed. Mangey II. 21) Sodomorum terram adhuc ardere (μέχρι νῦν καίεται) et *Fl. Ios.* (de bello iud. IV. 8,4) « divini ignis reliquias adhuc superesse » (ἔστι γοῦν ἔτι λείψανα τοῦ θείου πυρός) asseruerunt, ac similiter suo tempore *Tert.* (Apologet. 40) « incendio *adhuc* olere » terram illam dixit. Moderni quidem regionum istarum exploratores se fumi vestigium ibi deprehendisse negant et de densiore tantum vapore loquuntur; quem ob maiorem aeris in depressa illa terra calorem et siccitatem aquae Maris mortui exhalent; unde interpretes nonnulli etiam a nostro auctore illum aquarum vaporem significari arbitrantur. Sed neque auctor noster neque Philo de aquarum vapore sed de terra fumigante et ardente loquuntur; quare illa explicatio nobis non probatur, neque videmus, cur a tradita, quae verbis inhaeret, ideo iam recedendum sit, quia *hodie* fumus ille non amplius deprehenditur; namque ne verbulo quidem auctor noster illum perpetuo usque ad finem mundi conspectum iri aut continuum fore devastationis illius signum indicat.

Res hac ratione apte explicari videtur. Vallem Siddim (vel silvestrem, uti *S. Hier.* vertit), in qua Pentapolis sita erat, multos bituminis liquidi habuisse puteos ex *Gen.* 14,10 constat; moderni autem regionum istarum exploratores prope meridionalem illam Maris mortui partem, quae vallis Siddim olim fuisse creditur, multa magnaque bituminis fossilis strata maxime versus occidentem invenerunt, versus orientem autem montes vulcanicos, quos etiam recentiore tempore, quum genus humanum iam esset creatum, massas igneas eiecisse censent; praeterea septentrionalem Maris mortui partem, quae meridionalem illam quum magnitudine tum profunditate longe superat, iam ante hominem creatum exstitisse ex geologicorum stratorum ordine confirmarunt. Quibus positis probabile est, Deum eruptione quadam vulcanica ad Pentapolitanorum scelera ulciscenda uti voluisse; eodem autem tempore, quo montes adiacentes favillis globisque igneis civitates facinorosas obruerunt, vallem ipsam vehementi terrae motu concussam ac depressam esse, ut septentrionalis maris fluctibus irruentibus tota sit submersa; globis porro igneis vel forte fulminibus, quae eruptionibus vulcanicis cooriri solent, bitumen quoque incensum esse tum liquidum puteorum tum maxime fossile magnorum quorumdam stratorum, quae ubi aliis materiis superpositis ab aere separabantur, non nisi lentissime comburebantur, ignem tamen latentem fumariolis per regionem dispersis prodebant; postquam autem strata combusta essent, fumum disparuisse. Ceterum ignem illum nondum plane exstinctum esse coniicere licet, quia etiam recentiore tempore ibi, si terra concutitur, interdum aquae calidae prosiliunt, aut lutum ac bitumen calidum eiicitur[1].

Alterum pravitatis ac poenae testimonium (ἀτελέσιν ὥραις καρποφο-

1. Alii tamen, qui vulcanicae eruptionis vestigia ibi inveniri negant, solo bituminis puteorum et stratorum incendio fulgoribus provocato terram exustam atque terrae motu depressam et submersam esse volunt, ad similia exempla provocantes cfr *Riehm* Handwörterb. des bibl. Alterth. Ed. 2 p. 1507.

ροῦντα φυτά) interpres noster suo « *incerto tempore fructus habentes arbores* » non satis recte reddidit; namque adiectivum ἀτελής non valet *incertus* sed *imperfectus* (α privat. et τέλος quasi ad finem non adductus) atque ὧραι ἀτελεῖς a *Lap.* hic recte explicantur « tempora frugum inchoata sed nondum perfecta »; unde auctor significat, in desolata illa regione plantas (φυτά, arbores enim ibi non inveniuntur) crescere quidem et fructificare, sed propter soli ariditatem aerisque nimium calorem nimiamque siccitatem fructus ad maturitatem adducere non posse, immaturos igitur gignere fructus, qui nullius sunt utilitatis[1]. Quoniam antiqui scriptores referunt, prope Mare mortuum gigni pomum, quod licet speciem habeat maturitatis, mandi tamen non possit, quia fuliginem intrinsecus favillaceam ambitus tantum extimae cutis cohibeat, quae vel levi tactu pressa fumum exhalet et fatiscat in vanum pulverem » (*Solin.* Polyhist. 38 cfr etiam *Fl. Ios.* De bello iud. IV. 8), multi ab auctore ad haec poma alludi arbitrantur, quae « sodomitica » appellari solent. Verum quo autoris vocabulo eiusmodi allusio contineatur, non apparet; quare hanc explicationem iure praetermittimus neque opus est, ut cum modernis inquiramus, de quonam fructu antiqui loquantur.

Tertium demum testimonium esse dicitur ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον, ἑστηκυῖα στήλη ἁλός, quae minus clare et accurate a nostro interprete redduntur : *incredibilis animae memoria, stans figmentum salis.* Adiectivum *incredibilis,* quod apud classicos scriptores semper passive sumitur (de eo quod credi nequit), in rustica latinitate etiam activam significationem (qui non credit) admittit (uti saepius in *Eccli.* 1,36; 2,18; 16,7. 29; 23,33; 41,4; simil. *Tit.* 1,16; cfr ad 1,14 « sanabilis »), atque hic quoque id valet quod incredulus seu infidelis. Graecum porro nomen στήλη proprie non dicit *figmentum* i. e. imaginem vel statuam, sed lapidem ex terra exstantem, qui in rei cuiusdam memoriam vel monumentum erectus est, sive columna, sive cippus, sive pyramis; quare alterum membrum rectius vertes : « *columna salis immota stans* » seu « *firma consistens* ». Auctor ad ea respicit, quae de uxore Lot referuntur (*Gen.* 19,26), nempe eam, cum contra Domini prohibitionem respexisset, factam esse columnam salis, id quod apte

1. Multi hic commode afferunt verba *Taciti* (Histor. V. 7) : « Haud procul, inquit, inde campi, quos ferunt olim uberes magnisque urbibus habitatos fulminum iactu arsisse et manere vestigia, terramque ipsam specie torridam, vim frugiferam perdidisse; nam cuncta sponte edita aut manu sata sive herba tenus aut flore seu solidam in speciem adolevere, atra et inania velut in cinerem vanescunt. Ego sicut inclutas quondam urbes igne coelesti flagrasse concesserim, ita halitu lacus infici terram, corrumpi superfusum spiritum eoque fetus segetum et autumni putrescere reor ».

explicaveris, si cadaver mulieris magno acervo fragmentorum salis fossilis obtectum esse ponis, quae quum salsis maris fluctibus frequenter obruerentur, quasi coaluerunt columnaeque vel cippi figuram exhibebant. Auctor noster vero non asserit eandem columnam salis, quae tunc exorta est, suo tempore exstare, sed monumentum salis ibi spectari, quod memoriam peccati et poenae mulieris incredulae conservet; profecto huiusmodi monumentum, praesertim si forma singulari eminebat, intuentem, qui rem gestam cognovit, sua sponte de anima diffidente commonere potuit. Verisimile tamen est, Sapientem eandem columnam, quam suis temporibus *Flav. Ios.* (Antiqu. I. 4,1) et *S. Clem. Rom.* (1 ad Cor. 11; cfr *Iren.* IV, 3) commemorarunt, ante oculos habuisse; eandem aut saltem similem moderni quoque exploratores ibi detexerunt et diligenter examinarunt[1]; utrum illa ipsa sit, quae Loti tempore exorta est, neque prudenter affirmari potest neque prudenter negari.

Quo cum iure autem impios illos poenarum suarum documentis relictis etiam testimonia pravitatis et insipientiae suae reliquisse dixerit, Sapiens generali sententia explicat, ut deinde ad felices, quos sapientia producit, fructus describendos revertatur : 8. *Sapientiam enim praetereuntes* (rectius : *praetergressi* παροδεύσαντες i. e. qui sapientiam, quum se viae ducem offerret, praetergressi sunt eamque ducem sequi noluerunt) *Non tantum in hoc lapsi sunt* (rectius : *ea ratione sibi nocuerunt* ἐβλάβησαν) *ut ignorarent bona* (τὰ καλὰ i. e. bona honesta seu virtutum bona, quae sola hoc nomine sunt digna), *Sed et insipientiae suae* (τῆς ἀφροσύνης i. q. impiae vitae suae) *reliquerunt hominibus* (τῷ βίῳ proprie : vitae, sed inde ab Arist. aetate saepe βίος metonymice idem est ac *viventes* seu hominum societas cfr *Pape* Lex. s. v.) *memoriam* (μνημόσυνον i. q. memoriale seu monumentum), *Ut in his, quae peccaverunt* (vel potius *deliquerunt* ἐσφάλησαν), *nec latere potuissent* (rectius : *possent*). Duplex igitur damnum sibi inferunt, quicumque sapientiam ducem sequi recusant, siquidem semet ipsos privant intelligentia veri ac boni, ita ut se ab interitu custodire iam nequeant, ac praeterea tantas talesque sibi attrahunt poenas, ut ex iis eorum delicta non tantum suae aetatis hominibus manifesta fiant, sed etiam posteros latere nequeant; id quod in reliquiis poena-

1. Cfr *Kauleń* Das todte Meer u. d. h. Schrift. Katholik 1864, I, p. 440-463. « Der h. Schriftsteller... hat vermuthlich dieselbe im Auge gehabt, von der auch Iosephus als Augenzeuge schreibt, und welche die neuesten Reisenden ebenfalls sorgfältig untersucht haben. Auf dem Abhange von Usdum nämlich steht nach der Seeseite hin eine 40 Fuss hohe Säule, die aus einem einzigen Salzkrystall besteht und zum Theil mit kohlensauern Kalkgebilden überzogen ist. Sie ist auf der einen Seite cylindrisch, auf der anderen prismatisch geformt und durch eine Art von Stütze mit dem Berge verbunden ».

rum Pentapolitanorum modo demonstravit. Dedecore potissimum et infamia, quae impii ita sibi affixa habent, ut ea effugere nequeant, Sapiens eos ad sapientiam sectandam exhortari conatur; quare etiam, ut ad sua patriarcharum exempla redeat, contraria contrariis elucidans tristissimis insipientiae sequelis praecipuum opponit sapientiae fructum, eum tamen, ut per miosis figuram augeatur, negative proponit : 9. *Sapientia autem hos qui se observant* (τοὺς θεραπεύσαντας αὐτήν i. q. *suos cultores*) *a laboribus* (potius *a molestis laboribus* ἐκ πόνων) *liberavit;* id quod statim exemplis patriarcharum Iacob (*vv.* 10-12) filiique eius Ioseph (*vv.* 13.14) copiosius expositis comprobat.

Namque 10. *Haec* (sc. sapientia) *profugum irae fratris iustum* (φυγάδα ὀργῆς ἀδελφοῦ δίκαιον) *Deduxit per vias rectas.* De Iacob ira invidiaque fratris sui Esau, qui ei insidias paraverat, ex Chanaan in Mesopotamiam fugere coacto hic agi in aperto est (cfr *Gen.* cpp. 27, 28). *Viae* autem *rectae* (τρίβοι εὐθεῖαι), quibus sapientia eum deduxit, proprie hic intelliguntur securae et a calamitatibus tutae, quae sine ambagibus ad locum petitum deducunt. Quod beneficium, quum iter per se summis cum periculis coniunctum esset, permagni aestimandum est; idem nos docet, in similibus incoeptis nos quoque e Deo pendere eiusque auxilium nobis non defuturum; nam peregrinatio Iacob symbolum vitae sanctae merito habetur. Quapropter altiora bona, quae in eodem itinere Iacob collata sunt, simul commemorantur : *Et ostendit illi regnum Dei, Et dedit illi scientiam sanctorum.* Ad primam itineris noctem a Iacobo prope Bethel peractam (*Gen.* 28,12 sqq.) respicit, ubi Iacob in somnis scalam vidit stantem super terram et cacumine suo coelum tangentem, in qua angeli Dei ascendebant et descendebant, Domino ipso scalae innixo. « Ea visione, inquit *Castro,* significata est Dei summi providentia omnia prospicientis et gubernantis et ministerio angelorum administrantis... Spem Iacob erigi voluit Deus, quo nosset omnia suae subesse potestati omnia ad fines suos deducere ministerio angelorum, atque ita ipsum suae curae futurum ». Etenim regis est consilia instituta per multos ministros exsequi; quae quidem exsecutio angelis ascendentibus et descendentibus repraesentatur, supremum autem Dei dominium eo significatur, quod ipse scalae fastigio nixus apparet[1]. Altero autem sententiae membro edocemur, Iacob indolem quoque regni Dei pro-

1. Verba (ἡ σοφία) ἔδειξεν αὐτῷ βασιλείαν θεοῦ significare posse « Sapientia fecit ut videret maiestatem Dei (Gottes Majestät, i. e. Deum) » editor indicavit in Zeitschrift f. kath. Theologie (Innsbruck) 1903, p. 581.

priam ibi cognovisse, siquidem *scientiam sanctorum* (γνῶσιν ἁγίων) seu rerum divinarum, quae sunt huius regni propriae, accepit. « Iacob, inquit *Lap.*, in illa visione scalae raptu mentis illuminatus a Deo multa cognovit mysteria, praesertim Dei providentiam, quam habet erga suos, concernentia; unde tunc ei, i. e. posteris eius, a Deo promissa est possessio terrae Chanaan, filiorum ac nepotum propagatio, immo Christus ex semine eius nasciturus, qui benedicturus erat omnes gentes (*Gen.* 28,13); quare Iacob hac revelatione excitatus fuit ad pietatem, sanctitatem atque ad Deum toto corde amandum et colendum; unde ibidem altare Deo erexit, illicque votum decimarum nuncupavit ac locum ungendo oleo Deo consecravit vocavitque *Bethel* i. e. domus Dei, ubi proinde posteri Deum magna veneratione coluerunt ». Nosse enim, quae Deo placent, scientia sanctorum est.

Quibus altioribus donis divina sapientia commoda vitae adiecit : *Honestavit illum in laboribus* seu *opulentum fecit in aerumnis* (εὐπόρησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις cfr 7,11 *n.*), *Et complevit labores illius* (καὶ ἐπλήθυνεν τοὺς πόνους αὐτοῦ). Nomen πόνοι hic, ut saepius (cfr ad 8,7) metonymice fructus laboribus productos significat, quos sapientia *complevisse* vel rectius *auxisse* ac multiplicasse (id quippe verbum πληθύνειν valet) dicitur, quia Iacobo viam quasi monstravit, qua durum famulatum, quem socero Laban praestare coactus fuerat, summa opum divitiarumque copia compensaret (cfr *Gen.* 30,29 sqq.). Apertius id duobus stichis sequentibus exponitur : 11. *In fraude circumvenientium illum* (ἐν πλεονεξίᾳ κατισχυόντων αὐτόν) *affuit illi Et honestum fecit* (ἐπλούτισεν cfr ad 7,11 *ditavit*) *illum*. Participio enim κατισχύοντες (proprie : *opprimentes*) Laban eiusque filii, qui patrem in opprimendo Iacob adiuverunt, designantur[1]; angustiis enim, quibus gener eius fugitivus premebatur, Laban cum suis abusus est, ut multis fallaciis dolisque eum mercede promissa ac debita fraudaret. Unde interpres noster verbum κατισχύειν, quod proprie valet *opprimere*, latino *circumvenire* recte reddidit, quia de aperta vi non agitur; similiter apte quoque nomen πλεονεξία, quod vi etymologiae suae idem est quod *plura habendi cupiditas* seu avaritia, latino *fraus* vertere maluit, quoniam avari ut vi ita potissimum fraude sitim divi-

1. Alii tamen (forte rectius) plurali hoc per enallagen solum Laban designari censent, quia Graeci interdum, etsi de una persona agatur, potius categoriam hominum, ad quam persona pertinet, quam numerum attendunt : ex. gr. *Matth.* 2,20, ubi de solius Herodis morte sermo est : τεθνήκασιν οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου (*mortui sunt, qui quaerebant* animam pueri); *Matth.* 9,8, ubi Iudaei miraculis solius Domini spectatis Deum glorificaverunt, qui talem potestatem τοῖς ἀνθρώποις (*hominibus* i. e. generi hominum) dedit. Cfr *Win.* Gr. p. 165; *Beel.* Gr. 174; *Blass* Gr. p. 82 etc.

tiarum explere solent. Optime autem Sapiens ea, quae *Gen.* 30,37-42 artificio Iacobi attribuuntur, divinae sapientiae, qua patriarcha regebatur, diserte ascribit; illa quippe secutus est, quae Iacob uxoribus suis hac de re narraverat (*Gen.* 31,9 sqq.). Sapientia autem, sicut effecit, ut Iacob fructibus laborum suorum non spoliatus ditesceret, ita 12. *Custodivit illum ab inimicis* (scil. apertis ἀπ' ἐχθρῶν), *Et a seductoribus* (lege : *insidiantibus* i. e. inimicis occultis insidias ei struentibus ἀπ' ἐνεδρευόντων) *tutavit* (i. e. tutum conservavit ἠσφαλίσατο) *illum*. Nomine inimicorum apertorum (ἐχθρῶν) Laban fratresque eius ac socii designantur, qui patriarcham una cum sua familia opibusque clam profectum aperte insecuti sunt castrisque positis eum debellare voluerunt, quando divino monitu ab incoepto desistere iussi sunt (*Gen.* 31,17 sqq.). Insidiantium autem nomine auctor probabiliter patriarchae fratrem Esau intelligi voluit; Iacob enim tota sua agendi ratione clare prodidit, se fratris sui, quamvis nuntii sui ab eo benigne recepti essent, insidias timuisse quum « populum, qui cum eo erat, ac greges ovesque et boves et camelos in duas turmas divideret », ut una saltem salvaretur (*Gen.* 32,27 sqq.), et in fratris advenientis receptione omne cautionis genus adhibendum esse duceret (*Gen.* 33, 1 sqq.). Haud recte autem alii quidam de insidiis, quas patriarcha postea a Chanaanitis sibi propter filiorum suorum violentiam structum iri timuerit (cfr *Gen.* 34,40), locum nostrum interpretantur; sed eiusmodi insidias ei re structas esse plane ignoramus atque praeterea animadvertatur oportet, Sapientem chronologico, ut ita dicamus, ordine exempla sua ex patriarchae vita desumsisse, quibus clarius eum a sapientia custoditum et ad salutem adductum esse demonstraret. Quare ea quae post eius reditum in Chanaan acciderunt, silentio praetermittit, quia eorum eventus victoriosa colluctatione cum angelo quodammodo sunt praesagiti; luctae autem huius prophetica significatio iure merito causa esse dicitur, cur, ordine chronologico neglecto, ex quo ante insidias commemoranda erat, quas Iacob a fratre sibi parari suspicabatur, ultimo in loco posita sit. *Et certamen forte dedit ei, ut vinceret* (καὶ ἀγῶνα ἰσχυρὸν ἐβράβευσεν αὐτῷ i. e. *et fortis certaminis bravium dedit illi*) *Et* (lege : *Ut* ἵνα) *sciret, quoniam omnium potentior* (lege : *omnibus potentior* παντὸς δυνατωτέρα) *est sapientia* (vel potius : *pietas* εὐσέβεια). Verbum βραβεύω proxime valet « *sum* βραβεύς »; βραβεύς autem seu βραβευτής (latine *designator*) « arbiter vocatur, inquit *Gr.* (Lex.), et moderator certaminis, qui praemium (βραβεῖον bravium s. brabeum) dat certaminis ». Itaque sapientia divina tamquam βραβευτής inducitur, quae Iacob « quasi certatori duram luctam et certamen aeque ac condigna certaminis victoriaeque

praemia et bravia proposuit » (*Lap.*), vel rectius illi palmam certaminis fortis adiudicavit seu iudicavit, quod in certamine strenuo victoriam reportaverit (*Schleusn*). Idem quoque est sensus latinae versionis, quum interpres, ut certaminis gravitatem magis efferret, hyperbato usus esse videatur, ita ut sententia hoc modo sit exponenda : « *dedit illi, ut vinceret certamen forte* ». Auctor, uti plerique recte censent, diserte luctam cum angelo prae oculis habuit (*Gen.* 32,24-29); quae pugna sine dubio actio symbolica fuit, qua Iacob non tantum pericula eaque gravia sibi esse subeunda, sed etiam se illa superaturum esse cognovit; qui enim superato angelo nomen « Israel » obtinuit, ac si Dominum vicisset, ei profecto se omnes adversarios esse devicturum iure confidere licuit. Attamen symbolum quoque est altioris illius, quam profitemur, militiae nosque admonet regnum caelorum, ad quod sapientia deductura sit, non obtineri sine certamine. Qua vero ratione Iacob vicerit, propheta Osee (12,4) nos docet : « *Flevit et rogavit eum* », lacrimis quippe fragilem se esse et impotentem hominem agnovit atque precibus se totam suam spem in Deo ponere, e quo omnia pendeant, professus est. Animi autem e Deo pendentis demissione atque confidentia uti pietas erga Deum praecipue continetur, ita etiam divinum auxilium obtinetur, id quod propheta (l. c.) confirmat suo *invaluit ad angelum et confortatus est.* Atqui gravis illius certaminis victoria patriarchae adiudicata est, ut experimento cognosceret *omni re superiorem esse pietatem* (ἵνα γνῷ, ὅτι παντὸς δυνατωτέρα ἐστὶν εὐσέβεια). Sensum igitur bene exhibet *Corluy,* cum scribit « Et certaminis fortis cum ipso Deo initi bravium ei contulit *nomen* sc. Israel, ut sciret omnibus potentiorem esse pietatem ».

Ultimo loco inter patriarchas per sapientiam custoditos et ad salutem adductos Ioseph recensetur, quo Deus velut instrumento uti voluit, ut filios Israel adduceret in Aegyptum; quae autem de eo dicuntur, tam clara sunt, ut vix explicatione indigeant; 13. *Haec* (sc. sapientia) *venditum iustum non dereliquit* (οὐκ ἐγκατέλιπεν i. e. auxilio non destituit), *Sed a peccatoribus* (lege : *a peccato* ἐξ ἁμαρτίας cfr. *VV. LL.*) *liberavit eum.* Qui latinam lectionem sequuntur, *peccatorum* nomine fratres Ioseph designari putant; quis autem sibi persuaserit, auctorem patriarchas duodecim tribuum peccatores nominasse? Lectio graeca (*a peccato*), quum reliquarum omnium versionum auctoritate confirmetur, pro certa admitti debet, praesertim quum aptior quoque sit; parum recte enim aliquis e manibus illius eripi (ῥύεσθαι) dicitur, a quo in servitutem venditur. Omnino igitur *peccatum* illud intelligendum est, ad quod uxor Putipharis pium iuvenem adducere conata est,

sed a quo sapientiam ducem secutus sese fuga eripiens innocentiam suam conservavit. Iterum ordine chronologico observato refertur, quid victoriam illam iuvenis secutum sit : *Descenditque cum illo in foveam* (εἰς λάκκον), quando nimirum Ioseph ab hero suo, qui calumniis impiae mulieris fidem adhibuit, in eam detrusus est. Nomen λάκκος proprie cisternam significat, sed in alexandrina versione etiam de carcere usurpatur, in quem Ioseph iniectus est (cfr *Gen.* 40,15). Cum eo autem carcerem ingressa sapientia 14. *Et in vinculis non dereliquit illum*, sed ei affuit, uti ex somniis eunuchorum pincernis ac pistoribus praefectorum ab eo explicatis elucet (*Gen.* 40,1 sqq.), *Donec afferret illi sceptrum regni Et potentiam adversus eos, qui eum deprimebant* (rectius *adversus oppressores eius* ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτόν) scilicet adversus fratres eius, Putiphar etc. (cfr. *Gen.* 41,39 sqq.; 42,6), *Et mendaces ostendit, qui maculaverunt illum.* Μωμησαμένους (vituperantes) latinus interpres, ut notat *Schleusner,* bene vertit « qui maculaverunt »; intelliguntur ii, qui eum accusaverant et criminati erant (*Gen.* 39,14); *Et dedit illi claritatem aeternam* « honores aequales regiis et famae immortalitatem ».

2. — *Sapientia Israelitas ex servitute liberatos in Palaestinam duxit hostibus eorum iuste castigatis* (10,15-12,27).

Contrarios Sapientiae effectus historice illustraturus auctor ex patriarcharum aetate quasi pro huius paragraphi prooemio pauca tantummodo delibavit, ut copiosiora exempla ex ipsius populi israelitici originibus desumeret. Tribus autem articulis illa complectitur; proxime enim Sapientiam filios Israel per Moysen ab eorum oppressoribus liberasse, per Mare rubrum traduxisse, in deserto adiuvisse ostendit (10,14-11,4); deinde eandem crudeles et idololatras Aegyptios iuxta talionis legem severe punivisse, in ipsis tamen poenis misericordiam suam manifestavisse docet (11,5-12,2); postremo eam similiter in Chananaeorum interitu et iustam et misericordem se exhibuisse probat, quum illis quoque tempus poenitentiae agendae concederet (12,3-27).

1) *Israelitae ex servitute aegyptiaca liberati, per mare traducti, in deserto protecti et adiuti* (10,15-11,4).

10,15. Haec populum iustum et semen sine querela liberavit a nationibus, quae illum deprimebant. 16. Intravit in animam servi Dei, Et stetit contra reges

10,15. Αὕτη λαὸν ὅσιον καὶ σπέρμα ἄμεμπτον ἐῤῥύσατο ἐξ ἔθνους θλιβόντων. 16. Εἰσῆλθεν εἰς ψυχὴν θεράποντος Κυρίου, Καὶ ἀντέστη βασιλεῦσι φοβεροῖς ἐν τέρασι καὶ ση-

horrendos in portentis et signis. 17. Et reddidit iustis mercedem laborum suorum, Et deduxit illos in via mirabili : Et fuit illis in velamento diei Et in luce stellarum per noctem : 18. Transtulit illos per Mare rubrum, Et transvexit illos per aquam nimiam. 19. Inimicos autem illorum demersit in mare, Et ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum, 20. Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum, Et victricem manum tuam laudaverunt pariter; 21. Quoniam sapientia aperuit os mutorum, Et linguas infantium fecit disertas. 11,1. Direxit opera eorum in manibus prophetae sancti. 2. Iter fecerunt per deserta quae non habitabantur, Et in locis desertis fixerunt casas. 3. Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt. 4. Sitierunt et invocaverunt te, Et data est illis aqua de petra altissima, Et requies sitis de lapide duro.

μείοις. 17. Ἀπέδωκεν ὁσίοις μισθὸν κόπων αὐτῶν, Ὡδήγησεν αὐτοὺς ἐν ὁδῷ θαυμαστῇ, Καὶ ἐγένετο αὐτοῖς εἰς σκέπην ἡμέρας, Καὶ εἰς φλόγα ἄστρων τὴν νύκτα. 18. Διεβίβασεν αὐτοὺς θάλασσαν ἐρυθράν, Καὶ διήγαγεν αὐτοὺς δι' ὕδατος πολλοῦ. 19. Τοὺς δὲ ἐχθροὺς αὐτῶν κατέκλυσε Καὶ ἐκ βάθους ἀβύσσου ἀνέβρασεν αὐτούς. 20. Διὰ τοῦτο δίκαιοι ἐσκύλευσαν ἀσεβεῖς, Καὶ ὕμνησαν Κύριε τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου, Τήν τε ὑπέρμαχόν σου χεῖρα ἤνεσαν ὁμοθυμαδόν. 21. Ὅτι ἡ σοφία ἤνοιξε στόμα κωφῶν Καὶ γλώσσας νηπίων ἔθηκεν τρανάς. 11,1. Εὐώδωσε τὰ ἔργα αὐτῶν ἐν χειρὶ προφήτου ἁγίου. 2. Διώδευσαν ἔρημον ἀοίκητον, Καὶ ἐν ἀβάτοις ἔπηξαν σκηνάς. 3. Ἀντέστησαν πολεμίοις, καὶ ἠμύναντο ἐχθρούς. 4. Ἐδίψησαν καὶ ἐπεκαλέσαντό σε, Καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐκ πέτρας ἀκροτόμου ὕδωρ, Καὶ ἴαμα δίψης ἐκ λίθου σκληροῦ [1].

A patriarcharum igitur aetate auctor ad populi israelitici origines transit primoque in loco summum illud beneficium celebrat, quo Sapientia illum per Moysen, ministrum Dei, a dura servitute liberavit; eadem autem pronominis αὕτη (*haec* sc. Sapientia, quam Salomon sibi sociam e coelis transmitti tam ardenter concupivit) anaphora, qua beneficia per eam quinque illis patriarchis praestita ex ordine recensuit (*vv.* 1, 5, 6, 10, 13), etiam summam hanc gratiam toti populo collatam efferre voluit : 15. *Haec populum iustum* (proprie : *sanctum* ὅσιον) *et semen sine querela* (seu *semen inculpatum* σπέρμα ἄμεμπτον cfr *v.* 5) *liberavit* (accuratius : *eripuit* ἐῤῥύσατο) *a nationibus, quae illum*

1. *VV. LL.* — 16. ἀντέστη βασιλεῦσιν (*stetit contra reges*) B A C cum plerisque; erronee ℵ ἀνέστη βασιλεύς (surrexit rex). — 17. ἀπέδωκεν ὁσίοις μισθὸν κόπων αὐτῶν (*reddidit iustis mercedem laborum suorum*) genuina et certa lectio; aliqui minusc. haud recte exhibent : ἀπέδωκεν ὁσίοις μισθὸν ὁσιότητος αὐτῶν (reddidit sanctis mercedem sanctitatis eorum); neque rectius pro κόπων αὐτῶν (laborum eorum) ℵ et C habent κόπων αὐτοῦ (laborum eius). — κατέκλυσε (*submersit*) B C cum plerisque apte; A perperam habet κατέκλυσαν (submerserunt) et ℵ inepte κατέπαυσεν (sedavit), qui non minus inepte pro ἐκ βάθου ἀβύσσου (ex profunditate abyssi) exhibet ἐκ θάμβους (ex stupore). — 11,1 προφήτου ἁγίου (*prophetae sancti*) B ℵ C genuina et certa lectio; parum apte A : προφητῶν ἁγίων (prophetarum sanctorum). — 3. καὶ ἠμύναντο ἐχθρούς (et propulerunt hostes) B, sed reliqui ordine inverso καὶ ἐχθροὺς ἠμύναντο (et hostes propulerunt); quae lectio, cui Vulg. quoque favet, quum per chiasmum priori sticho quasi opponatur, maiorem habet vim.

deprimebant (lege : *a natione opprimentium* ἐξ ἔθνους θλιβόντων ; singularem ἔθνους cum omnibus codd. graecis etiam aliae versiones tuentur). Nemo dubitat, quin de populo israelitico hic agatur; sed quod ille *sanctus et inculpatus* vocetur, quamvis vix ex Aegypto egressus contumacia sua aliisque criminibus, uti *Gr.* haud paucis allatis Scripturae testimoniis (*Deut.* 9,4 sqq. 27; 32,9. 15 sqq.; *Ezech.* 20,8 sqq.; 23,3 sqq.; *Nehem.* 9,16) demonstrandum duxit, divinam iram provocaverit, id non tantum admirationem excitavit, sed etiam acatholicos antiquiores ac iuniores aliquos adduxit, ut nostrum locum inter eos referrent, quibus librum nostrum non esse divinitus inspiratum probare conantur (cfr *Calov.* in h. l.; *Keerl* Die Apokryphenfr. p. 188 sq.; *Gr.* etc.). Verum appellatio haec non maiorem creat difficultatem, quam similis, qua S. Paulus Corinthios sanctificatos in Christo et in omni verbo et in omni scientia ita ditatos dicit, ut nulla gratia aliis sint inferiores (1 *Cor.* 1,2. 5 sq.), licet paulo post (l. c. 3,1 sqq.) eosdem vocet carnales, qui lacte indigeant nequedum solidi sibi digerendi sint capaces.

Nodum, si quis his in verbis adest, antiquiores iam duplici consideratione solverunt. Priorem breviter indicat *Castro :* « vocatur populus *sanctus et inculpatus* propter vocationem et electionem Dei, qua illum populum, reliquis praeteritis, selegit et sibi sanctificavit ad cultum verum sibi praestandum, quemadmodum Ecclesia Christi sancta, sine macula et sine ruga vocatur propter verum cultum, sanctas leges, fidem immaculatam et Spiritum S. eam gubernantem ». Distinguatur igitur oportet inter sanctitatem, quae toti populo propter eius electionem vocationemque ad veri Dei cultum continuandum ac promissiones messianicas conservandas competebat, eamque qua singuli Legis divinae observatione morumque puritate Deo sese acceptos reddunt; apparet autem neque populum totum illa privari, etsi minor maiorve pars hac sit destituta, neque etiam singulos, qui interna sanctitate carent, eo ipso illam amittere. Porro adverte fieri non potuisse, ut auctor noster, quem in Pentateucho aliisque sacris Scripturis instructissimum fuisse totus eius liber clamat, illa ignoraret, quae de Israelitarum in Aegypto degentium et in deserto peregrinantium contumacia pravisque moribus Moyses et prophetae tam aperte retulerunt, ut ne vulgus quidem laterent; stupidissimus igitur fuisset, si nihilominus populum, uti adversarii nostri arbitrantur, totum eo tempore sanctum purumque moribus fuisse significare voluisset (cfr *Gutb.*).

Altera consideratio haec est. Israelitae simul *semen sine querela* (σπέρμα ἄμεμπτον *semen* inculpatum) dicuntur, qua appellatione non plane priori synonyma interna quaedam singulorum puritas ac sanctitas denotari videtur. Iam vero tempore exitus populi ex Aegypto Israelitas plurimos inculpatos recte vocari potuisse iure asseritur. Quamvis enim antea diuturna sua in Aegypto commoratione pro naturae suae indole, quamdiu in omnium rerum abundantia viventes prospera utebantur fortuna, paullatim sese idololatriae aegyptiacae dedissent (*Ezech.* 20,5 sqq. cfr 23,3 sqq. etc.), crudeli tamen Aegyptiorum oppressione, ut ad Deum patrum suorum reverterentur eiusque auxilium implorarent, commoti sunt (cfr *Exod.* 3,7 etc.); neque dubium est, quin fere omnes sincere sese ad Deum converterint, postquam praeclara miracula,

quibus opressores sui a Deo per Moysen castigati fractique sunt, suis oculis spectaverunt. Id enim illa promptitudo declarat, quo totus populus secundum Moysi mandatum sese paschate celebrato ad exitum praeparavit eumque ducem in desertum secutus est; Deus autem ipse sinceram illam dilectionem diserte agnoscit et laudat, qua tamquam sponsus a toto populo sit receptus, quo tempore eum sibi desponsavit (*Ierem.* 2,2 cfr *Knabenb.* Comment. in Ierem. p. 36). Sapiens ergo, quum de eodem tempore, de quo propheta, loquatur, populum sine ullo scrupulo semen inculpatum appellare potuit. Si quis autem (utique parum recte) totum peregrinationis tempus ab auctore hic comprehendi contenderit, recordetur regulae, quam iam *S. Aug.* (ad Paulin. ep. 149,20) inculcavit : « Scripturae, inquit, mos est ita loqui de parte tamquam de toto... Istam consuetudinem quisquis diligenter adverterit, multa dissolvit, quae inter se videntur contraria ».

Quae generali sententia (*v.* 15) complexus est, auctor sequentibus explanaturus primo ministrum designat, quem Deus ad populum suum liberandum elegit instituitque, atque rationem universe adumbrat, qua Aegyptii a filiis Israel opprimendis desistere coacti sunt : 16. *Intravit* (sc. divina Sapientia) *in animam servi Dei* (vel ad graecum θεράποντος Κυρίου accuratius : *famuli* seu *ministri Domini*), *Et stetit contra reges horrendos* (seu *formidolosos* φοβεροῖς) *in portentis et signis* (ἐν τέρασιν καὶ σημείοις). Nomine θεράποντος Κυρίου alexandrini interpretes hebraicum עֶבֶד יהוה haud omnino infrequenter, multo tamen rarius quam synonymo δούλου Κυρίου transtulerunt. Quae duo synonyma eo quidem inter se differre ab aliquibus dicuntur, quod δοῦλος (a δέειν vincire) proxime eum designet, qui vi conditionis (velut captivus etc.) vel originis alteri servire etiam invitus tenetur, θεράπων vero eum, qui voluntarius alterius servitio sese addicit (cfr *Cremer* Bibl. theol. Wörterb. Ed. 4, p. 154); verum neque ab alexandrinis neque a Novi Test. scriptoribus haec distinctio attendi videtur. Nihilominus nomen θεράπων aliquoties alteri tamquam honorificentius praelatum esse censemus; probabile quippe est, Alexandrinos eo in loco, in quo Deus singularem praerogativam describit, qua Moyses prae reliquis servis Dei insignitus est (*Num.* 12,7. 8; cfr *Hebr.* 3,5), illud consulto ad hebr. עֶבֶד reddendum adhibuisse, neque quid obstet videmus, quominus auctor noster insolentiore hac appellatione ad eundem locum allusisse dicetur, ut peculiarem Moysi dignitatem legentibus in memoriam revocaret. Ad eam autem Deus eum promovit animo eius Sapientia sua, qua amicos ac prophetas instituit (7,27), immissa, ut eum dirigeret virtutemque suam cum eo communicaret. Unde ea, quae Moysen praeclara gessisse Scriptura refert, iam hic Sapientiae in eo inhabitanti, utpote causae principali et omnipotenti (7,23), apte tribuitur. Non tam Moyses igitur qui divinam missionem tot excusationibus precibusque a se avertere conatus est (*Exod.* 3,6-4,17), quam

Sapientia restitit Pharaoni multiplicibusque plagis contumaciam eius fregit. Plurali *regum horrendorum* una cum Pharaone principes eius significari multi arbitrantur; attamen quoniam in Exodo de solo Pharaone contumaci agitur, rectius hic quoque pluralem per enallagen pro singulari positum dicemus (cfr supra ad *v.* 11 *n.*); porro dictione τέρατα καὶ σημεῖα (de qua cfr ad 8,8) hic decem plagae comprehenduntur Aegyptiis inflictae (*Exod.* 7,10-12,29).

Ordine deinde chronologico, quo res in Scriptura referuntur, similiter atque in superioribus descriptionibus observato auctor *vv.* 17-19 singula quaedam recenset, quibus Sapientia in populo liberando tum suum eius amorem tum virtutem suam manifestavit : 17. *Et reddidit iustis* (proprie : *sanctis* ὁσίοις cfr ad *v.* 15) *mercedem laborum suorum* (μισθὸν πόνων αὐτῶν), *Et deduxit illos in via mirabili* (ἐν ὁδῷ θαυμαστῇ), *Et fuit* (potius : *et facta est* καὶ ἐγένετο) *illis in velamento* (lege : *velamentum* vel *in velamentum* εἰς σκέπην) *diei Et in luce* (lege : *lux* vel *in lucem* εἰς φλόγα) *stellarum per noctem.* Omnes fere interpretes, ordine quem diximus auctoris attento, *mercedem laborum*, quam Sapientia populo sancto *reddidisse* vel potius velut eis debitum solvisse (ἀπέδωκεν) dicitur, vasa illa aurea et argentea significare recte tenent, quae filii Israel profecturi sibi ab Aegyptiis postulare (שְׁאַל) iussi sunt (cfr *Exod.* 3,22; 11,2; 12,35); iustam quippe haec compensationem constituebant laborum, quos per tot annos pro oppressoribus suis suscipere debuerant; Sapientia autem eis hanc mercedem solvit, quatenus Aegyptorum animos inclinavit, ut postulata concederent (*Exod.* 3,21; 12,36; cfr *Gen.* 15,14). A qua obvia et communi interpretatione recedens *Gr.* cum nonnullis haud recte nomine *mercedis,* utpote hic indefinito, multa illa beneficia comprehendi vult, quibus Deus populum in deserto peregrinantem prosecutus est. Etenim ut ordinem chronologicum, quem in reliquis descriptionibus ab auctore sollicite servari *Gr.* ipse concedit, hac explicatione turbari praetermittamus, nemo opinor intellexerit, quo cum iure divina illa beneficia plane gratuita dicantur merces *laborum* (πόνων) ab Aegyptiis iniustissime populo impositorum et a populo ipso invite non ex Dei amore sed ex mero timore servili exantlatorum. Vasis igitur illis pretiosis acceptis, Israelitae iter ingressi *via mirabili* per Sapientiam *deducti* dicuntur. Quibus verbis auctorem ad *Exod.* 13,17 sq. alludere censemus; itinerantium enim procul dubio admiratio excitata est, quum sese non recta ac multo breviore via per Philistaeam in terram sibi promissam deduci viderent, sed longissimo circuitu per desertum iuxta Mare rubrum ducerentur; sapienti autem consilio, quod Deus in hac via praeferenda secutus est, considerato auctor aptissime eam mirabilem

vocavit. Minus vero recte plerique eam mirabilem vocari arbitrantur propter miracula, « quae profectionem Israel admirandam nationibus reddiderint et valde stupendam » (*Castro;* cfr *Lap.* etc. *Gutb.* etc.); namque in singulis divinae sapientiae et potentiae speciminibus auctor nunc versatur. Paulo aptior quidem eorum explicatio dici meretur, qui hoc sticho descriptionem insequentem columnae nubis quasi praeparari putant (*Gutb.*[2] etc.); sed eiusmodi praeparatio quoque plane superflua videtur. Mirabili autem in via « Dominus eos praecedebat per diem in columna nubis ad viam eis ostendendam et per noctem in columna ignis ad praebendam eis lucem, ita ut per diem et per noctem iter facere possent » (*Exod.* 13,21). Nemo dubitat, quin in tertio et quarto stichis Salomon hunc Exodi locum ante oculos habuerit; quia autem columnam nubis *velamentum* (σκέπην) fuisse significat, quo a solis ardore et aestu per diem protegerentur (id quod clarius 18,3; 19,7 repetit), simul ad Psalmistae verba (« expandit Dominus nubem *in velamentum* [εἰς σκέπην לְבָסָךְ *Vulg.* minus clare : in protectionem] eis, et ignem, ut luceret eis per noctem » *Ps.* 104,39) respexisse dicendus est, quippe quocum columnam duplici munere protectoris et ducis functam esse diserte tradat; ceterum protectionem hanc Moyses quoque insinuavit, quum « nubem Domini *super filios Israel* per diem, quum incederent, fuisse » narret (*Num.* 10,34).

Ex ordine sequitur Israelitarum transitus per mare Rubrum et interitus Aegyptiorum : 18. *Transtulit* (i. e. *traduxit* διεβίβασεν) *illos per mare Rubrum, Et transvexit illos per aquam nimiam* (δι' ὕδατος πολλοῦ per aquam multam seu magnam); 19. *Inimicos autem illorum demersit in mare* (in graeco nudum habetur verbum κατέκλυσεν *demersit;* liberius *Syr.* stichum vertit : « et inimicos eorum tenuerunt aquae »), *Et ab altitudine inferorum* (ad graecum ἐκ βάθους ἀβύσσου accuratius : *ex profundis abyssi* cfr *Eccli.* 24,8) *eduxit illos* (lege : *exaestuavit* seu *eiecit illos* ἀνέβρασεν αὐτούς). Paucis his comprehenduntur, quae Moyses *Exod.* 14,24-31 narrat; difficultatem quandam solus ultimus stichus creat, quem alii de Israelitis, alii de Aegyptiis agere tenent. Priorem explicationem *Vulg.*, quum graecum ἀνέβρασεν latino *eduxit* reddat, aperte commendat, eidemque etiam pronomen αὐτούς (*illos*) favere videtur, utpote quo *vv.* 17, 18 semper filii Israel designati sint. Hinc mirum non est, quod antiquiores interpretes (*Hugo C., Lyr. Holc. Carth.* etc.) eam praetulerint; ad eorum mentem Sapientia Israelitas, postquam in alveum siccum maris velut in abyssum descenderunt, incolumes ex ea eduxit. Recte tamen *Lap.* cum aliis iam monuit, ἀνέβρασεν nequaquam latino *educere* respondere, sed idem esse quod *ebullire* seu *exaestuare* i. e. aestuando expellere seu aestu et agitatione

eiicere, ita ut sensus stichi sit : « Pharaonem et Aegyptios in mare quasi in abyssum et voraginem profundissimam iam demersos et suffocatos Sapientia rursus aestu maris in eius superficiem egurgitavit et in litus despumavit, ut ibi eorum arma ac spolia ab Hebraeis diriperentur ». Quae explicatio hodie fere ab omnibus recepta etiam a constructione postulatur; si enim pronomen αὐτούς in secundo sticho non ad Aegyptios, de quorum sorte prior loquitur, sed ad Israelitas referendum esset, duo stichi ad ambiguitatem evitandam per particulam adversativam inter se opponi debuissent (« hostes illorum demersit, illos vero salvos ex abysso eduxit »). Accedit porro, quod sequens stichus, quo auctor ad ea, quae post maris transitum gesta sunt, omnino supponat eiectionem cadaverum Aegyptiorum, quam Moyses (*Exod.* 14,30) refert, iam esse commemoratam. Pergitur nimirum : 20. *Ideo* (διὰ τοῦτο, i. e. quia hostium cadavera iam eiecta in litore maris iacebant) *iusti* (Israelitae) *tulerunt spolia impiorum* (Aegyptiorum), arma scilicet ornamentaque, quae hostibus occisis iure victorum detraxerunt (cfr *Fl. Ioseph.* Antiqu. II. 6,6), *Et decantaverunt, Domine, nomen sanctum tuum* (τὸ ὄνομα τὸ ἅγιόν σου), *Et victricem manum tuam* (lege : *vindicemque manum tuam* τήν τε ὑπέρμαχόν σου χεῖρα) *laudaverunt pariter* (lege : *unanimiter* ὁμοθυμαδόν i. q. ὁμοψύχως) ; 21. *Quoniam Sapientia aperuit os mutorum* (κωφῶν), *Et linguas infantium* (νηπίων) *fecit disertas* (potius : *penetrantes* τρανάς cfr ad 7,22). Magnificum hymnum, quo Moyses cum universo populo, viris et mulieribus, Sapientia inspirante hostes suos ab eo gloriose devictos et in mare proiectos celebrat, ipse nobis conservavit (*Exod.* 15,1-19). In eo autem Dominum potissime tamquam protectorem et vindicem populi praedicat, idque ipsum auctor noster significat, quum eos *nomen sanctum*, i. e. maiestatem virtutemque in hostium clade manifestatam, Domini eiusque τὴν ὑπέρμαχον χεῖρα hymno laudasse dicit; namque ὑπέρμαχος proprie is est, qui pro altero pugnat latinoque *propugnator* etymologice respondet atque recte in aliis tribus locis, in quibus legitur, a nostro interprete *vindex* (cfr *infra* 16,17) vel *propugnator* (cfr 2 *Mach.* 8,36; 10,34) redditur; quare coniicere licet, eum etiam hic non *victricem* sed *vindicem manum* scripsisse. Attentione deinde dignum, quanta cum vi auctor adverbium ὁμοθυμαδόν (i. q. ὁμῷ θυμῷ uno animo, *unanimiter*) in fine prioris sententiae posuerit et quanta cum arte adverbii vim auxerit, quum Sapientiae ipsi communem istum universi populi in Deo laudando consensum deberi altera in sententia addat. Quoniam autem totius huius loci genus dicendi est poeticum, recte plerisque hanc sententiam per metaphoram (hyperbolicam) explicandam censent : « Sapientia, inquit *Lap.*, He-

braeorum, qui prius a Pharaone oppressi prae metu videbantur *muti et infantes elingues* neque hiscere audebant, animos laxavit oraque resolvit, ut epinicium iam libere, diserte alacriterque Deo canerent. » Satis mire *Gr.* nominibus *mutorum* et *infantium* Israelitas eos designatos videt, qui ingenio oratorio et poetico carebant, neque rectius *Gutb.* proxime Moysen ante oculos habuisse arbitratur, qui antea de eloquentiae defectu linguaque impedita et incircumcisa conquestus (*Exod.* 4,10; 6,12. 30) carmine post maris transitum cantato sese ab illo impedimento liberatum ostenderit. Neque enim, ut auctori licuerit metaphoram illam adhibere, requiritur, ut simile quid illa in occasione accidisse supponatur; metaphorae rationem ac fundamentum *Lap.* sua explicatione clare indicavit.

Nonnulli verba auctoris sensu proprio de vero quodam miraculo intellexerunt. Primus *Ps. August.* (De mirabil. S. Script. I. 21): « Enormi satis admiratione accidit dignum miraculum, ut cuncti pariter, senes cum pueris et omnes aetates, eodem inspirante flamine, uno quasi ex ore, nulla praemonitione edocti easdem continenter litteras decantarent in unum... » Aliud miraculum deprehendit *Carth.*, « forsitan aliquos naturaliter mutos tunc supernaturaliter loquendi canendique usum recepisse et in *nonnullis* infantibus anticipatum esse linguae usum ». Inter iuniores *Castro* « nihil obstat, inquit, verba *mutorum* et *infantium* proprie accipere et affirmare, pueros balbutientes et adhuc infantes simul cum parentibus et ceteris viris feminisque Deo laudes cecinisse gratulatorias ». Haud dissimiliter ex recentioribus *Les.* verba nostra premit et urget.

Quatuor primos cp. 11. versus, quibus beneficia filiis Israel toto peregrinationis tempore in deserto praestita adumbrantur, ad hanc sectionem distinctione capitum neglecta traximus, quia prima sententia tum subiecto (Sapientia), quod cum praecedentibus commune habet, tum constructione sua simili ad eas se pertinere prodit, tres vero sequentes non sunt nisi primae explicatio quaedam et illustratio, atque inde a *v.* 5 auctor ad novum quoddam argumentum transit comparationem instituturus sortium diversarum Aegyptiorum et Israelitarum causamque huius diversitatis explicaturus. Neque tamen eodem modo in utraque sectionis particula rem tractat; namque in priore praecipua, quae Sapientia ad populum electum ex Aegyptiorum potestate liberandum gessit, singulatim et ex ordine commemoravit, in hac autem summatim nonnulla tantummodo documenta proponit, quibus filios Israel usque ad suum introitum in Palaestinam singulari protectione Sapientiae fruitos esse apparet. Primo autem in loco, uti diximus, felicem totius itineris successum Sapientiae deberi monet; etenim illa 11,1. *Direxit* (lege : *prosperavit* εὐώδωσε) *opera eorum in manibus* (potius : *in manu* ἐν χειρί) *prophetae sancti* (προφήτου ἁγίου). Interpres noster suo *direxit* plenum sensum graeci verbi εὐώ-

δωσε non expressit; namque vi etymologiae suae εὐοδοῦν (εὖ et ὁδός) proprie valet *bonâ viâ ducere* seu prosperum iter praebere, tropice autem, uti hic, idem est quod prosperare (cfr 1 *Mach.* 4,55) seu efficere, ut aliquid prospere feliciterque succedat. Itaque per *sanctum prophetam* Moysen, in cuius animo inhabitabat (cfr 10,16) et quo velut instrumento suo in populo dirigendo utebatur (id quippe dictio *in manu* בְּיַד significat), Sapientia *effecit, ut opera* populi in deserto itinerantis, i. e. totum eius iter *prosperum successum* optatumque exitum *haberent*. Nomine *prophetae sancti* Moysen designari evidens est, qui inter prophetas, quoniam Dominus cum eo ore ad os colloqui seque palam ei videndum praebere dignatus est (*Num.* 12,6 sqq.), ita eminet, ut speciali modo typus sit magni prophetae, quem Deus populo suo ad opus per Moysen inchoatum complendum promiserat, i. e. Messiae (cfr *Deut.* 18,15 sqq.); sed immerito aliqui eum hanc ob causam hic *sanctum* appellari volunt, siquidem omnes prophetae sancti vocantur (cfr *Luc.* 1,70; *Act.* 3,21; *Eph.* 3,5; 2 *Pet.* 1,21; 3,2), utpote per Sapientiam, quae eis inhabitabat, ad peculiare Dei ministerium deputati eiusque amici constituti (cfr 7,27).

Qua vero ratione Sapientia iter populi electi prosperum reddiderit, auctor tribus argumentis illustrat; atque primum quidem ab ea protecti filii Israel 2. *Iter fecerunt per deserta, quae non habitabantur* (ad graecum textum διώδευσαν ἔρημον ἀοίκητον accuratius : *permearunt vastitatem inhospitalem* seu *inhabitabilem*), *Et in locis desertis* (ἐν ἀβάτοις rectius : *inaccessibilibus* vel *imperviis* cfr 5,7) *fixerunt casas* (potius *tentoria* σκηνάς). Non tam singulare quoddam itineris factum, quam ea quae toto peregrinationis tempore fieri solebant, auctorem hac sententia significare evidens est. Procul quippe dubio locos illos ante oculos habuit, quibus Moyses non semel in suis orationibus deuteronomicis tum horrorem vastitatis illius formidolosae describit, in qua propter suam inobedientiam (cfr *Num.* 14,26 sqq.) Israelitae tam diuturno tempore errabundi degere debuerunt (cfr *Deut.* 1,19; 8,2. 15), tum eximiam caritatem praedicat, qua Deus omnibus populi necessitatibus in ista solitudine succurrit (cfr *Deut.* 32,10 sec. LXX : αὐτάρκησεν αὐτὸν ἐν ἐρήμῳ Vet. Ital. « sufficientem eum sibi fecit » i. e. effecit, ut sibi sufficeret populus in deserto) eumque in omni via per desertum, donec venit prope Iordanem, portavit, sicut solet homo portare parvulum suum filium (cfr *Deut.* 1,31; 8,5; 32,10 sq.; bene graece ἐτροφοφόρησεν [vel, ad evitanda duo φ vicina, alia orthographia ἐτροποφόρησεν] Dt. 1,31. Act. 13,18, quod verbum dicitur de nutrice [τροφός] vel matre infantem portante). Tantum autem fuit hoc beneficium, ut Deus illius memoriam in Israelitarum animis semper vivam

permanere vellet; ideo enim omnes, qui de genere Israel essent, quotannis in festo, quod medio mense septimo ad gratias de finita messe agendas celebrabatur, per octo dies in tabernaculis habitare iussit (*Levit.* 23, 42 sq.). Quemadmodum autem Sapientia inhospitalem illam solitudinem filiis Israel fecit habitabilem, ita eandem suo auxilio illis reddidit tutam; ab ea scilicet adiuti 3. *Steterunt contra hostes, et de inimicis se vindicaverunt* (καὶ ἐχθροὺς ἠμύναντο proprie : *hostes a se propulerunt*). Hanc quoque sententiam nequaquam ad solam victoriam de Amalecitis reportatam, qui eis in itineris initio obstiterunt (*Exod.* 17,8 sqq.), referri, sed illa quoque bella comprehendi quae ultimo itineris anno ad occupandas regiones transiordanicas feliciter gesta velut totidem protectionis divinae documenta per Moysen coram populo celebrantur (cfr *Deut.* 2,31-3,12), verba ipsa clare produnt omnesque interpretes consentiunt. Unde iure concludere nobis videmur, ea similiter quae *v.* 4 de aqua Israelitis in deserto miraculose data dicuntur, de toto itineris tempore intelligenda esse : 4. *Sitierunt et invocaverunt te, Et data est illis aqua de petra altissima* (ἐκ πέτρας ἀκροτόμου ex petra silice) *Et requies* (ἴαμα melius : *remedium*) *sitis de lapide duro.* Difficultatem quandam dictio πέτρα ἀκρότομος creat, quam *Hesych.* et *Suid.* idem valere volunt quod petra acutissima vel alta vel dura (ὀξύτατος λίθος ἢ ὑψηλὸς ἢ σκληρὸς τέμνοντι); dubium autem non est, quin auctor noster eam ex alexandrina versione *Deut.* 8,15 desumserit; Alexandrini porro his verbis hebr. צוּר הַחַלָּמִישׁ i. e. *petra silicis* reddiderunt ad duritiem lapidis, ut videtur, potissimum attendentes. Iam vero auctor noster proxime ad *Deut.* 8,15 ac proinde ad illud miraculum respexisse dicendus est, quo in Raphidim petra a Moyse percussa sitienti populo aquam dedit (cfr *Exod.* 17,1-6); attamen sicut in ipso peregrinationis initio, ita etiam versus eius finem, quadragesimo scilicet anno simili iterum miraculo Moyse petram percutiente aqua filiis Israel data est (cfr *Num.* 20, 6 sqq.), neque unquam toto intermedio tempore aqua eis defuit, quamvis semper in aridis illis regionibus degerent; Sapientia quippe in columna nubis et ignis praecedens fontes rivosque eis ostendebat, prope quos tentoria sua figerent. Itaque primo illo miraculo commemorato auctor significare voluit, Sapientiae deberi illam aquarum copiam, quae Israelitis in vastitate illa propter ariditatem suam inhabitabili semper praesto fuit[1].

1. Haud plane dissimili modo S. Paulus quoque ad petram in Raphidim percussam alludens Verbum, quod Israelitas per desertum comitabatur, eis semper potum spiritalem (i. e. miraculosum) dedisse scribit; namque « bibebant de spiritali consequente eos petra; petra autem erat Christus » (1 *Cor.* 10,4 cfr nostrum Comment. in 1 *Cor.* p 274 sqq.).

2) *Aegyptiorum crudelitas et idololatria secundum legem talionis iuste sed misericorditer vindicatae* (11,5-12,2).

11,5. Per quae enim poenas passi sunt inimici illorum a defectione potus sui, Et in eis, cum abundarent filii Israel, laetati sunt : 6. Per haec, cum illis deessent, bene cum illis actum est. 7. Nam pro fonte quidem sempiterni fluminis Humanum sanguinem dedisti iniustis. 8. Qui cum minuerentur in traductione infantium occisorum, Dedisti illis abundantem aquam insperate, 9. Ostendens per sitim, quae tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, et adversarios illorum necares. 10. Cum enim tentati sunt, et quidem cum misericordia disciplinam accipientes, Scierunt quemadmodum cum ira iudicati impii tormenta paterentur. 11. Hos quidem tamquam pater monens probasti : Illos autem tamquam durus rex interrogans condemnasti. 12. Absentes enim et praesentes similiter torquebantur. 13. Duplex enim illos acceperat taedium Et gemitus cum memoria praeteritorum. 14. Cum enim audirent per sua tormenta bene secum agi, commemorati sunt Dominum, admirantes in finem exitus. 15. Quem enim in expositione prava proiectum deriserunt, In finem eventus mirati sunt : Non similiter iustis sitientes. 16. Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum, Quod quidam errantes colebant mutos serpentes et bestias supervacuas, Immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam : 17. Ut scirent, quia per quae peccat quis, per haec et torquetur. 18. Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, Quae creavit orbem terrarum ex materia invisa, Immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, 19. Aut novi generis ira plenas ignotas bestias, aut vaporem ignium spirantes, Aut fumi odorem proferentes, Aut horrendas ab oculis scintillas emittentes : 20. Quarum non solum laesura

11,5. Δι' ὧν γὰρ ἐκολάσθησαν οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν, 6. Διὰ τούτων αὐτοὶ ἀποροῦντες εὐεργετήθησαν. 7. Ἀντὶ μὲν πηγῆς ἀενάου ποταμοῦ Αἵματι λυθρώδει ταραχθέντες 8. Εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, Ἔδωκας αὐτοῖς δαψιλὲς ὕδωρ ἀνελπίστως, 9. Δείξας διὰ τοῦ τότε δίψους πῶς τοὺς ὑπεναντίους ἐκόλασας. 10. Ὅτε γὰρ ἐπειράσθησαν καίπερ ἐν ἐλέει παιδευόμενοι, Ἔγνωσαν, πῶς ἐν ὀργῇ κρινόμενοι ἀσεβεῖς ἐβασανίζοντο. 11. Τούτους μὲν γὰρ ὡς πατὴρ νουθετῶν ἐδοκίμασας, Ἐκείνους δὲ ὡς ἀπότομος βασιλεὺς καταδικάζων ἐξήτασας. 12. Καὶ ἀπόντες δὲ καὶ παρόντες ὁμοίως ἐτρύχοντο. 13. Διπλῆ γὰρ αὐτοὺς ἔλαβε λύπη Καὶ στεναγμὸς μνημῶν τῶν παρελθουσῶν. 14. Ὅτε γὰρ ἤκουσαν διὰ τῶν ἰδίων κολάσεων εὐεργετουμένους αὐτούς, ᾔσθοντο τοῦ Κυρίου. 15. Τὸν γὰρ ἐν ἐκθέσει πάλαι ῥιφέντα ἀπεῖπον χλευάζοντες, Ἐπὶ τέλει τῶν ἐκβάσεων ἐθαύμασαν, Οὐχ ὅμοια δικαίοις διψήσαντες. 16. Ἀντὶ δὲ λογισμῶν ἀσυνέτων ἀδικίας αὐτῶν, Ἐν οἷς πλανηθέντες ἐθρήσκευον ἄλογα ἑρπετὰ καὶ κνώδαλα εὐτελῆ, Ἐπαπέστειλας αὐτοῖς πλῆθος ἀλόγων ζώων εἰς ἐκδίκησιν, 17. Ἵνα γνῶσιν ὅτι δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ τούτων κολάζεται. 18. Οὐ γὰρ ἠπόρει ἡ παντοδύναμός σου χεὶρ Καὶ κτίσασα τὸν κόσμον ἐξ ἀμόρφου ὕλης, Ἐπιπέμψαι αὐτοῖς πλῆθος ἄρκων, ἢ θρασεῖς λέοντας, 19. Ἢ νεοκτίστους θυμοῦ πλήρεις θῆρας ἀγνώστους, Ἤτοι πυρπνόον φυσῶντας ἄσθμα, ἢ βρόμους λικμωμένους καπνοῦ, Ἢ δεινοὺς ἀπ' ὀμμάτων σπινθῆρας ἀστράπτοντας, 20. Ὧν οὐ μόνον ἡ βλάβη ἠδύνατο συνεκτρῖψαι αὐτούς, Ἀλλὰ καὶ ἡ ὄψις ἐκφοβήσασα διολέσαι. 21. Καὶ χωρὶς δὲ τούτων, ἑνὶ πνεύματι πεσεῖν ἐδύναντο Ὑπὸ τῆς δίκης διωχθέντες, Καὶ λικμηθέντες ὑπὸ πνεύματος δυνάμεώς σου, Ἀλλὰ πάντα μέτρῳ καὶ ἀριθμῷ καὶ σταθμῷ διέταξας. 22. Τὸ γὰρ μεγάλως ἰσχύειν πάρεστίν σοι πάντοτε, Καὶ κράτει βραχίονός σου τίς ἀντιστήσεται; 23. Ὅτι ὡς ῥοπὴ ἐκ πλαστίγγων ὅλος ὁ κόσμος ἐναν-

poterat illos exterminare, Sed et aspectus per timorem occidere. 21. Sed et sine his uno spiritu poterant occidi, Persecutionem passi ab ipsis factis suis, Et dispersi per spiritum virtutis tuae : Sed omnia in mensura et numero et pondere disposuisti. 22. Multum enim valere tibi soli supererat semper : Et virtuti brachii tui quis resistet? 23. Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum, Et tamquam gutta roris antelucani, quae descendit in terram. 24. Sed misereris omnium, quia omnia potes, Et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam. 25. Diligis enim omnia quae sunt, Et nihil odisti eorum quae fecisti, Nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti. 26. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod a te vocatum non esset, conservaretur? 27. Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas. 12,1. O quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus! 2. Ideoque eos, qui exerrant, partibus corripis, Et de quibus peccant, admones et alloqueris, Ut relicta malitia credant in te, Domine.

τίον σου, Καὶ ὡς ῥανὶς δρόσου ὀρθρινὴ κατελθοῦσα ἐπὶ γῆν. 24. Ἐλεεῖς δὲ πάντας, ὅτι πάντα δύνασαι, Καὶ παροράς ἁμαρτήματα ἀνθρώπων εἰς μετάνοιαν. 25. Ἀγαπᾷς γὰρ τὰ ὄντα πάντα, Καὶ οὐδὲν βδελύσσῃ ὧν ἐποίησας, Οὐδὲ γὰρ ἂν μισῶν τι κατεσκεύασας. 26. Πῶς δὲ ἔμεινεν ἄν τι εἰ μὴ σὺ ἠθέλησας; Ἢ τὸ μὴ κληθὲν ὑπὸ σοῦ διετηρήθη; 27. Φείδῃ δὲ πάντων, ὅτι σά ἐστι, δέσποτα φιλόψυχε. 12,1. Τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσιν. 2. Διὸ τοὺς παραπίπτοντας κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις, Καὶ ἐν οἷς ἁμαρτάνουσιν ὑπομιμνήσκων νουθετεῖς, Ἵνα ἀπαλλαγέντες τῆς κακίας πιστεύσωσιν ἐπὶ σὲ Κύριε[1].

1. *VV. LL.* — 5. Quid de hoc additamento Vulgatae : *a defectione potus sui et in eis, cum abundarent filii Israel laetati sunt* sentiendum sit cfr *Comment.* — 7(6). ταραχθέντες (perturbati) B C. 23. et minusc. nonnulli, *Copt.* et probabiliter *Vulg.*, qui suo « Qui cum minuerentur (sc. animo) » illum nominativum participii reddere videtur; pro hoc nominativo plur. autem genetivum sing. ταραχθέντος (turbati) ℵ A, nonnulli minusc., *Syr. Arm. Aeth. Shex.*, quae altera lectio hodie iure praefertur, cfr *Comment.* — Ad *Vulg. vv.* 6,7. annotat *Reusch :* « Vulgata a graeco textu his differt : addita sunt verba « *dedisti iniustis* » (cfr *v.* 8 *dedisti illis*); omissum est vocabulum διατάγματος [praecepti]; pro αἵματι λυθρώδει [quod fere sanguine purulento seu corrupto valet] scriptum est *sanguinem humanum* etc. ». — 9(8). Iterum interpres Vulgatae verba *tuos exaltares et* interpolavit; verbum *necares* autem probabiliter a socordibus librariis pro *vexares* scriptum est, quod graeco ἐκόλασας respondet. — 10(9). ἐν ὀργῇ (in ira) B A, nonnulli minusc., *Copt.*; sensu vix mutato μετ' ὀργῆς (*cum ira*) ℵ C 23, nonnulli minusc., *Vulg. Shex.* — 13(12). στεναγμὸς μνημῶν τῶν παρελθουσῶν (gemitus memoriarum praeteritarum i. e. gemitus de rebus praeteritis, quarum recordabantur) B C aliqui minusc., *Arm.*; aptius στεναγμὸς μνήμων τῶν παρελθόντων (gemitus memor praeteritorum) ℵ A 23 multi minusc. Num Vulgatae interpres et Copt. sua versione : *gemitus cum memoria praeteritorum* alteram lectionem liberius reddiderint, an potius legerint στεναγμὸς καὶ μνήμη τῶν πάρελθόντων non liquet; de hac lectionum varietate cfr *Feldm.* — 14(13). Bene *Reusch* monet « pro

Ad commendanda porro vel potius augenda beneficia populo Israel in eius exodo praestita Sapiens eis plagas aliquas opponit, quibus Sapientia brevi tempore antea eius oppressores castigaverat, « non quidem quoad poterat, sed quatenus oportebat ». Duo autem huius articuli distinguit membra, in priore (*vv.* 5-15) de prima plaga aquarum Nili in sanguinem conversarum (cfr *Exod.* 7,15 sqq.) agens atque in altero (*vv.* 16-12,2) tres plagas proxime secutas, scil. ranarum, sciniphum, muscarum una cum octava locustarum comprehendens (cfr *Exod.* 8,1 sqq. 16 sqq. 20 sqq.; 10,1 sqq.). Quasi pro themate *prioris membri* statuens Sapientiam iisdem rebus, quibus ad puniendos impios utitur, beneficia in pios conferre (*vv.* 5,6), poenae Aegyptiorum, qua propter caedem puerorum hebraicorum aquae Nili in sanguinem

secum rectius legi *cum illis,* uti etiam ***Mor.*** 204 habet; verba autem *admirantes in finem exitus* assumta esse ex sequenti versu ». — Pro participio praes. εὐεργετουμένους, quod B cum nonnullis minusc., *Vulg. Syr.* etc. habent, particip. perf. εὐεργετημένους exstat in ℵ A C et minusc. nonnullis; cfr *Comment.* — 15(14). Pro τὸν γάρ, uti B ℵ legunt, rectius cum A lege ὃν γάρ (*quem enim*), nisi τὸν more epicorum velut pronomen relativum adhibitum dicere (cfr ***Win.*** Gr. p. 102) aut illud tamquam articulum cum participio ῥιφέντα connectens sententiam facere anacoluthicam malueris. — Quid pro πάλαι (*olim* cfr 12,27) Vulgatae interpres hoc in loco legerit, definiri nequit; dubitari nequit, quin neque lectio recepta *prava* neque quae nonnullis in codd. latinis leguntur *parva* aut *probra* ad contextum satis quadrent. [Coniicio scriptum fuisse *pridem* vel huius vocis siglum. *Editor.*] — Pro ἀπεῖπον χλευάζοντες (repudiarunt irridentes) solus C minus apte habet ἀπειπόντες ἐχλεύαζον (repudiantes deridebant); hanc lectionem tamen etiam nostrae Vulgatae interpres secutus esse a nonnullis putatur, qui participium *repudiantes* vel simile ante verbum fin. *deriserunt* per librariorum incuriam intercidisse coniiciunt. — 16 (15). Pro latino *quod quidam* teste *Luca Brug.* aliqui codices bonae notae aptius habent *quod quidem* (ἐν οἷς) cfr *Reusch.* — 17 (16) διὰ τούτων κολάζεται (*per haec torquetur*) B Λ etc.; aptius διὰ τούτων καὶ κολάζεται (*per haec et torquetur*) ℵ 23, aliqui minusc., *S. Ath., Vulg. Arm. Shex.* — 18 (17). Pro καὶ κτίσασα, quae communior est codd. graecorum lectio, 23 cum ℵ² habet ἡ καὶ κτίσασα (quae et creavit), aliqui minusc. coniunctione καί praetermissa ἡ κτίσασα (*quae creavit*), quam ultimam lectionem teste *Feldm.* aliae versiones cum *Vulg.* supponunt. — 19 (18). Utrum pluralem βρόμους (strepitus) cum B et nonnullis minusc., an singularem βρόμον (strepitum) cum ℵ A C 23, multis minusc. et verss. praeferas, ad sensum nihil interest. — 23 (22). ὡς ῥανὶς δρόσου ὀρθρινή (sicut gutta roris antelucana) est comunior graecorum codd. lectio; pauci tantum minusc. cum Vulg. : ὡς ῥανὶς δρόσου ὀρθρινῆς (*sicuti gutta roris antelucani*). — 26 (25). ἔμεινεν (*mansit*) B A 23 et minusc.; sed eodem fere sensu διέμεινεν (permansit) ℵ C et minusc. — 27 (26). ὅτι σά ἐστιν (*quoniam tua sunt*) B ℵ 23, minusc. aliqui, *Vulg. Arm. Ar.*; sed ὅτι σά ἐστι πάντα (quoniam tua sunt omnia) A C, minusc. aliqui, *Orig. Syr.* — 12,1. τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμα (nam incorruptus seu incorruptibilis spiritus tuus) ita omnes graeci codd. et vers. *arm.*; versiones *Vulg. Syr. Ar.* autem liberius verterunt : *bonus* tuus *spiritus*. Ceterum de latina nostra versione cfr *Comment.*

mutatae sunt, et miraculi, quo Israelitis in deserto sitientibus aquarum abundantia ex duro lapide data est, comparationem quandam instituere incipit (*vv.* 7-9); Sapientiam quippe siti, qua filios Israel ad tempus premi permiserat, eos edocere voluisse monet, quam graviter Aegyptii, utpote per severum iudicem, nequaquam vero uti priores per bonum patrem, potu privati siti cruciati essent (*vv.* 10, 11); quin etiam Aegyptios duplicem poenam sustinuisse addit, quum primae suae plagae recordati audivissent, eandem rem, cuius privatione ipsi essent cruciati, per Dominum, quem agnoscere ipsi noluissent, despectis Israelitis in deserto abundanter esse datam (*vv.* 12-15). In *altero membro* deinde, postquam Sapientiam stultitiam Aegyptiorum, qui vilibus animalibus cultum divinum exhibuerant, secundum talionis legem immissis bestiolarum multitudinibus ulcisci voluisse exposuit (*vv.* 16, 17), alia poenarum graviorum genera ei non defuisse docet (*vv.* 18-21); pro sua providentia tamen eam, quamvis nemo ei resistere queat (*vv.* 22, 23), suam potentiam per suam misericordiam temperasse, quia omnia, utpote in quibus suus sit spiritus, diligat (*vv.* 24-12,1) atque ideo eos, qui aberrent, eo consilio puniat, ut eos ad Dominum reducat (12,2).

Novus articulus coniunctione explicativa vel confirmativa γάρ (*enim*) praecedenti sententiae (*v.* 4) subiungitur, qua auctor inter beneficia Israelitis in deserto per sapientiam praestita non sine emphasi aquas ex petra datas descripserat. Quoniam enim Aegyptii haud diu antea aquis Nili in sanguinem conversis gravissime puniti erant, auctor duo haec miracula, quae circa eandem rem versabantur, iuxta componere voluit, tum ut alterum altero augeret, tum ut Sapientiam iisdem rebus et ad beneficia piis tribuenda et ad impios castigandos uti posse doceret : 5. *Per quae enim poenas passi sunt inimici illorum* scil. Aegyptii [*a defectione potus sui, Et in eis cum abundarent filii Israel laetati sunt*], *Per haec, cum illis deessent, bene cum illis actum est* (secundum graeca verba : διὰ τούτων αὐτοὶ ἀπορούντες εὐεργετήθησαν : *per haec illi* scil. Israelitae *indigentes* i. e. in indigentia sua *beneficio affecti* seu *recreati sunt*). Totius sententiae, quae quamvis ad duo singularia facta referatur, generali modo velut principium quoddam enuntiatur, sensus est clarus : sicut aquarum defectu Aegyptii puniti sunt, ita Israelitae, quum in deserto siti premerentur, aquarum abundantia refecti sunt. Vulgatae tamen sententiae constructio verbis illis, quae uncis inclusimus, haud leviter interturbata eiusque sensus aliquantum obscuratus est; sed eadem verba neque in graecis codicibus neque in reliquis versionibus quidquam habent,

cui respondeant; quare cum plerisque modernis ea aut interpolationem latini nostri translatoris aut rectius glossam esse dicemus a lectore quodam explicationis gratia margini codicis sui adscriptam ac postea a librariis haud satis attentis in textum perperam receptam. Namque iis sublatis constructio sanatur eademque simplex et clara sententia remanet, quam primigenius textus cum aliis versionibus exhibet; eiusmodi explicatio etiam hoc in loco plane superflua est, quia tota quae sequitur tractatio nihil est nisi explicatio primae sententiae, qua prioris membri argumentum quodammodo indicari diximus. Ceterum in latina illa interpolatione vel potius glossa interpretanda antiquiores commentatores, qui eam pro genuina S. Scripturae parte habuerunt, inter se non consentiunt; alii enim Aegyptiorum inopiae, qua aquis totius terrae eorum in sanguinem mutatis cruciati sunt, abundantiam opponi arbitrantur, qua Israelitae aquis in deserto datis oblectati sunt (cfr *Castro* etc.); alii vero significari opinantur, eodem tempore, quo Aegyptii defectu potus vexabantur, Israelitas de potus abundantia laetatos esse, quia in terra Gessen aquae non essent vitiatae; id diserte quidem in Exodo non referri, legitime tamen ex tota eius narratione colligi, quia Deus solos Aegyptios (cfr *Exod.* 7,18) punire voluerit[1] (cfr *Carth. Lap.* etc.). Neutra explicatio sua probabilitate videtur carere; prior tamen sola consonat cum iis quae auctor sequente sententia (*vv.* 7-9) ipse tradit.

Attamen haec quoque sententia a primogenio textu plerisque versionibus confirmato in nostra versione non universo quidem suo sensu at haud paucis dictionibus aut perverse redditis aut indebite insertis tantopere discedit, ut a graeca sententia interpretanda satius sit inchoare ac deinde de latinis varietatibus, quas antea annotavimus (cfr *VV. LL.*) illa addere, quae usui fore videntur. Ex graeco igitur, si lectionem ταραχθέντος (pro ταραχθέντες) hodie a plurimis receptam, ut decet, pro genuina supponamus, hanc perspicuam habebimus sententiam[2]: 7. *Pro fontis perennis flumine, Quod sanguine purulento tur-*

1. Cfr. *Flav. Jos.* Ant. II. 14,1. « Non colore solo talis (sc. sanguini similis Nilus) erat, sed eis quoque, qui aquas eius bibere tentabant, cruciatus afferebat acerbumque dolorem; sed talis quidem erat Aegyptiis, Hebraeis vero dulcis et suavis neque ullo modo mutatus »: similiter ibid. III, 1,4. « idem fluvius his erat sanguis et ingustabilis, illis autem dulcis et salubris ».

2. Particulam μέν, quam *Vulg.* suo *quidem* expressit, in nostra versione praetermisimus, quia deest alterum membrum, quod per particulam δέ opponi debuit. Longiore suae sententiae expositione, quae inde a *v.* 10 (9) sequitur, auctor adductus videtur, ut inchoatam constructionem non continuaret. Similiter particulam *nam* omisimus, quia etiam in graeco textu non est expressa; causalem tamen quandam relationem inter hanc sententiam et praecedentem adesse non negamus.

batum erat 8. *In poenam infanticidalis decreti, Dedisti illis* (scil. Israelitis) *abundantem aquam insperate,* 9. *Ostendens per sitim, quae tunc erat* (scil. qua tunc Israelitae in deserto premebantur), *quomodo adversarios castigaveris.* Pauca ad hanc versionem vindicandam et illustrandam sufficient; praemittenda autem quaedam videntur de duplici graeca lectione ταραχθέντος et ταραχθέντες. Ambae (cfr *VV. LL.*) pari criticorum testium auctoritate commendantur, ut solis internis rationibus, utra sit praeferenda, definiri debeat. Iam vero quam apte genetivus ταραχθέντος, qui ad nomen ποταμοῦ refertur, ad sententiam nostram totiusque loci contextum quadret, sponte sua ex versione data elucet; accedit quod verbum ταράσσειν ab alexandrinis interpretibus haud semel de aquis turbatis i. e. turbidis coenosisque redditis usurpatur (cfr *Ezech.* 32,2. 13; 34,19 etc.). Si vero nominativus ταραχθέντες, qui ad Aegyptios miraculo perturbatos et exterritos referendus esset, pro genuino admitteretur, non tantummodo auctor contra suum accurate scribendi morem durissimo anacolutho sententiam plane conturbasset, sed etiam non intelligeretur, quid proprie scribere voluerit et quomodo in tam brevi sententia ab inchoata constructione potuerit aberrare; quare hanc lectionem oscitantiae librariorum attribuere non dubitamus. Porro Nilus *fontis perennis* (seu iugiter manantis) *flumen* (πηγῆς ἀεννάου ποταμός) appellatur non « torrentium comparatione, qui brevi deficiunt », uti vult *Calm.*, sed ut aquae eius natura sua potabiles salubresque fuisse significentur; perennium enim fontium aquae purae esse solent. Virga autem Moysi percussae aquae eius in sanguinem conversae sunt, seu uti noster ait, flumen αἵματι λυθρώδει turbatum est. Difficultatem quandam creat adiectivum λυθρώδης, quod admodum rari est usus; λύθρον inde ab Homeri aetate Graecis est sanguis hominis occisi, Plutarcho autem etiam est sanguis corruptus seu purulentus; unde λυθρῶδες i. q. speciem (εἶδος) habet sanguinis purulenti; alii sanguinem pulvere mixtum significari volunt; alii λυθρώδης latino *cruentus* (sanguine occisi inquinatus) respondere rectius dicunt. Quidquid vero de accurata vocabuli vi hoc in loco statuitur, dubium non est, quin auctor epitheton addiderit, ut taedium fastidiumque aquarum in sanguinem conversione procreatum augeret. Primae autem plagae adumbrationi notam addit, qua quodnam Dei in ea infligenda consilium fuerit, declarat : *in poenam* vel potius *in convictionem infanticidalis decreti* (εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος). A Pharaonis decreto, quo pueri Hebraeorum trucidari ac Nili aquis suffocari iussi erant (*Exod.* 1,16. 22), vexatio populi israelitici initium sumserat; unde iure talionis Aegyptii, per quae peccare coeperant, per ea puniri coepti sunt, quum

Deus innocentem sanguinem puerorum occisorum ulcisci vellet fluminis sanguine purulento. Probabile autem est, auctorem epitheton λυθρώδης tam parum usitatum eo fine elegisse, ut ad puerorum occisionem alluderet. Recte quoque cum *Gutb.* aliqui monent, nomine ἔλεγχος, quod non proprie *poenae* notionem exhibeat, indicari plagam illam impiis immissam esse, ut criminis convincerentur et hac ratione ad eius poenitentiam agendam adducerentur. Cui duplici consilio non repugnare sed amice consonare patet, quod Moyses miraculum hoc ad veri Dei potentiam manifestandam et suam ipsius legationem probandam referat (cfr *Exod.* 7,16 sq.); neque quidquam prorsus impedit, quominus Deus eodem miraculo Aegyptios, qui Nilum velut Deum colebant et aquam tamquam omnium rerum principium venerabantur, a tristibus suis superstitiosisque erroribus revocare (cfr *Philon.* Vita Moys. 17. Opp. ed. Mang. II, 96) aut alios simul fines persequi voluisse asseratur (cfr *infra* ad. 18,5); id enim omnino divinae Sapientiae congruit, ut una re multos fines attingat.

Iam primae Aegyptiorum plagae eiusque fini Sapiens in reliqua sententia beneficium Hebraeis praestitum huiusque finem ita opponit, ut hoc non parum augeatur. *Eadem* quippe virga, qua Nilus percussus cultores suos potu suo salubri privavit et gravissima siti eaque septiduana (*Exod.* 7,25) afflixit, petra in deserto percussa abundantibus aquis Israelitarum sitim, qua vix premi inceperant, contra omnem spem eorum subito finivit (cfr *Exod.* 16,5 sqq.). Eam vero ob causam Sapientia eos sitis cruciatu ad breve tempus affici permisisse dicitur, ut sua ipsorum experientia edocti cognoscerent, quam gravis fuisset poena, qua eorum adversarii per septem dies vexati et quodammado enecti sunt. Sed haec sententia iis quae sequuntur accuratius, uti videbimus, explicatur, quum auctor Deum sese Israelitis benignum ac misericordem patrem exhibuisse, contra Aegyptios autem ita iustitia sua usum esse ostendat, ut misericordiae suae simul memor esset.

Latinus noster interpres hic praeprimis unam graecam sententiam in duas discerpsit et alteram a participio ταραχθέντες (ita legit pro ταραχθέντος) inchoari ratus prioribus vocabulis remanentibus, quum completum sensum non praeberent, duo alia ex suis addere et insuper dativum αἵματι λυθρώδει in accusativum obiecti mutare coactus est; quasi enim legisset : ἀντὶ πηγῆς ἀενάου ποταμοῦ αἷμα λυθρῶδες ἔδωκας ἀδίκοις vertit : « pro fonte sempiterni (i. e. semper fluentis ac proinde puri) fluminis *sanguinem humanum dedisti iniustis* ». Qua in versione illud quoque vituperandum est, quod graeco λυθρῶδες, quum illud, utpote rarissimi usus, non intelligeret, haud felici ex coniectura latinum *humanum* substituerit. Nominativum part. (ταραχθέντες)

deinde pro absoluto sumserit eumque cum vocabulis insequentibus (εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος) connectens velut protasin quandam alterius suae sententiae sibi construxit, cui reliqua vocabula graeca tamquam apodosis satis apte respondent. Mirum autem est, quod verbum ταράσσεσθαι hic non (uti alibi cfr 5,2; 16,6) *turbari* sed *minui* vertere voluerit (*qui*, sc. Aegyptii potu suo salubri privati, *cum minuerentur*); sed haec quoque translatio excusari potest, dummodo eam non cum antiquioribus (*Carth. Lap.* etc.) de Aegyptiorum *numero* imminuto (quasi multos siti mortuos significaret) verum de eorum *animis* fractis interpretemur (minui animo i. q. animo cadere seu deficere). Magis mirum, quod dictione εἰς ἔλεγχον (*in traductionem* i. q. in convictionem, cfr ad 2,14) causam indicari putaverit, qua Aegyptiorum animi fracti sint et quod nomen διατάγματος (praecepti) in sua versione praetermiserit. Ceterum novam eius protasim aptum praebere sensum, quum priorem eius sententiam quodammodo in memoriam revocet vel repetat, ac proinde cum apodosi satis congruere fatendum est. Ultimum demum sententiae membrum (*v.* 9) quid sibi vellet, noster interpres non videtur perspexisse. Sicut enim antea diximus, auctor illud adiecit, ut causam indicaret, cur Sapientia Israelitas ad breve tempus siti premi permisisset, atque hanc explicationem genuinam esse sequens sententia (*v.* 10) evidenter docet. Noster autem, quia sibi persuasit, hoc in loco Aegyptios punitos et Israelitas adiutos solummodo inter se comparari, neque vidit id potissimum hic agi, ut plagis Aegyptiorum beneficia Israelitarum augeantur, additis vocabulis aliquibus (*tuos exaltares et*) oppositioneminter Israelitas exaltatos et vexatos Aegyptios in hoc membrum perperam invexit. Forsitan ad 18,8, ubi similis habetur sententia, respexit diverso nostri loci contextu neglecto.

Sapientiam filios Israel in deserto ideo aquarum penuria laborare voluisse modo insinuatum est, ut sua ipsorum siti gravitatem primae plagae cognoscerent (*v.* 9). Qui finis nunc ita exponitur, ut simul doceatur, quam diversimode utrique eadem sitis calamitate sint afflicti. Incommoda quippe ac mala huius terrae, non minus quam terrestria bona et commoda, Deus omnibus, impiis aeque ac piis, vult esse communia; in eorum tamen distributione sapientissimos suos fines prosequens eadem re in diversis diversos producit effectus eademque interdum utitur calamitate ad impios puniendos, piis vero beneficia praestanda (cfr *v.* 5). Id quoque in siti duorum populorum obvenisse auctor hac ratione ostendit : 10. *Cum* (seu *quando* ὅτε) *enim tentati sunt* (ἐπειράσθησαν sc. Israelitae immissa aquarum penuria), *et quidem cum misericordia disciplinam accipientes* (graecum incisum : καίπερ ἐν ἐλέει παιδευόμενοι rectius et clarius vertitur : *quamquam cum* vel *in misericordia erudiebantur*), *Scierunt* (ἔγνωσαν melius : *intellexerunt*) *quemadmodum cum ira iudicati impii tormenta paterentur*

(ἐδασανίζοντο : melius *passi essent* cfr ad 3,1); **11.** *Hos quidem* (ad graecum : *Nam hos quidem* sc. Israelitas) *tamquam pater monens probasti* (νουθετῶν ἐδοκίμασας), *Illos autem* (sc. Aegyptios) *tamquam durus rex interrogans condemnasti* (ad graecum καταδικάζων ἐξήτασας accuratius : *condemnans* vel *iudicans cruciasti*). Priorem sententiam latinus interpres, quum particulam καίπερ pro explicativa haberet (i. q. *et quidem*) aliquantulum obscuravit; καίπερ quippe, quod cum participio concessivo coniungi solet, illius vim concessivam non solum indicat, sed etiam auget (cfr *Win.* Gr. p. 322; *Bl.* Gr. p. 242); significatur igitur, aquae inopiam in deserto a Deo utique permissam esse, ut hoc incommodo fidem fiduciamque populi sui quasi *tentaret* seu probaret, i. e. ei occasionem fidei suae manifestandae praeberet (cfr ad 3,5); verumtamen hanc ipsam tentationem processise a misericordia divina, quae Israelitas statim in itineris initio ad continuam fiduciam habendam instituere voluit, quum et famem et sitim eorum vix ortam manna de coelis dato et aquis ex duro lapide prosilientibus sedaret. Levis igitur calamitas illis immissa erat; sed quamvis levis esset et brevis, ex ea tamen quantopere sitis hominem cruciaret experiendo didicerunt. Accessit autem, quod Aegyptiorum impiorum sitis effectus esset non misericordiae sed irae i. e. iustitiae vindicativae divinae, neque eis velut tentatio quaedam ad eos instituendos, sed velut legitima poena ad eos castigandos immitteretur. Attende quanta cum diligentia auctor utroque in membro singulas dictiones inter se opponat, ut calamitas Israelitarum levior, Aegyptiorum gravior fuisse significetur : tentati sunt, tormenta passi sunt; in misericordia, in ira; eruditi (παιδευόμενοι), iudicati seu puniti (κρινόμενοι). Eadem cum diligentia in altera sententia, quae priori explicationis gratia additur, singulae dictiones inter se opponuntur : Deus erga Israelitas sese patrem exhibuit, qui levi correctione filium admonens (νουθετῶν) eum probat et sicut aurum a scoriis purgat (ἐδοκίμασεν cfr 3,6); contra Aegyptios autem velut durus rex (ἀπότομος βασιλεύς cfr 5,20 [21] ἀπότομος ὀργή), qui rebelles subditos reos declarat (καταδικάζειν) et suppliciis torquet (ἐξετάζειν). Verbum ἐξετάζειν proprie quidem valet *exquirere;* quare interpres noster, quum inquisitio condemnationem praecedere soleat, pro καταδικάζων ἐξήτασας legere maluit ἐξετάζων κατεδίκασας (*interrogans condemnasti*); attamen ἐξετάζειν etiam valet « tormentis examinare seu torquere et cruciare »; atque hanc significationem ab auctore esse intentam sequentia docent, quibus acerbitatem poenae Aegyptiis inflictae uberius enarrat.

12. *Absentes enim et praesentes similiter torquebantur,* vel potius uti ad graecam lectionem aliis versionibus quoque confirmatam :

καὶ ἀπόντες δὲ καὶ παρόντες ὁμοίως ἐτρύχοντο legendum est : *tum absentes autem tum praesentes similiter torquebantur;* neque enim praecedentium confirmatio aut explicatio sed amplificatio (per δέ *autem* metabat.) affertur, neque particulas καὶ... καὶ negligere suaque vi privare licet. Sententiola haec, quamvis simplex esse videatur, ingenia interpretum haud parum vexavit, quia quo sensu hanc absentium et praesentium Aegyptiorum distinctionem intelligi vellet, auctor non indicavit; ab ea autem potissimum sensus sententiae pendet. Recte *Lap.* iam opiniones *Lyr. Holc., Cantac.* reprobavit, quae in eo etiam peccant, quod adverbium ὁμοίως (*similiter*) ad verbum ἐτρύχοντο (*torquebantur*) referunt et de poenae similitudine intelligunt; ad subiectum enim pertinet ac vim particularum καί... καί augens non minus eos, qui affuerunt quam qui adfuerunt, universos ergo, etsi dispari ratione, punitos esse significat. Neque magis nobis probatur explicatio hodie a nonnullis recepta (cfr *Les*[2]. — *Gr. Siegfr. Zoeckl.*), qui absentes ab Aegypto et praesentes in Aegypto distinguentes priore nomine illos designatos esse dicunt, qui quum Israelitas persequerentur undis maris rubri suffocati sint, altero reliquos comprehendi tenent, quorum poena sequentibus describatur; namque quamquam illud complementum (ab Aegypto, in Aegypto) aptum videtur, non apparet, cur auctor distinctionem hanc fecerit, quum de sola poena superstitum loqui voluerit et revera loquatur. Itaque cum plurimis iunioribus (cfr *Ians. Castro, Lorin. Lap. Tirin. Calm.* etc.) nonnullisque modernis (*Schm. Gutb.* etc. — *Deane*) sensum esse censemus, Aegyptios non minus post Israelitarum egressum (quum ab iis abessent) quam ante eorum egressum (quum iis adhuc praesentes adessent cum eisque degerent) cruciatos esse. Praecipua igitur vis sententiae in eo est, quod Aegyptiorum poenae etiam perdurasse dicantur, postquam Israelitas, quorum causa tot plagas sustinuerunt, iam dimisissent; quare illud ἀπόντες cum emphasi in principio sententiolae est positum, licet chronologice secundo loco poni debuit.

Quam graviter Aegyptii ante Israelitarum secessionem (his igitur *praesentes*) cruciati sint, in superioribus iam dictum est; quomodo autem etiam post eam (ab illis igitur *absentes*) illorum tormenta perduraverint, auctor nunc ita addit, ut illos non iam corpore sed animo passos esse ostendat, atque hos animi cruciatus non tam a vindicante quam miserente Deo profectos esse salutaribus eorum effectibus indicatis subobscure significat : 13. *Duplex enim eos acceperat* (ἔλαβεν lege : *accepit*) *taedium* (λύπη i. e. tristitia seu moeror) *Et gemitus cum memoria praeteritorum* (secundum graecam lectionem meliorem cfr *VV. LL.* : καὶ στεναγμὸς μνήμων τῶν παρελθόντων clarius : *et gemitus*

memor praeteritorum i. e. ex praeteritarum plagarum memoria exortus). Revera Aegyptii post Hebraeorum exodum duplicem moerendi lugendique causam habebant, quum non tantummodo praeteritarum, quibus Hebraeorum causa a Deo per Moysen afflicti erant, plagarum memoria et recordatione pungerentur, sed etiam easdem plagas, quae sibi interitui fuerant, despectis Israelitis saluti fuisse intelligentes suos deos a vero Deo devictos et ad nihilum esse redactos sibi ipsis fateri cogerentur : 14. *Cum enim audirent per sua tormenta* (seu rectius : *per suas ipsorum poenas,* διὰ τῶν ἰδίων κολάσεων i. e. per eadem, per quae ipsi puniti sunt cfr. *v.* 5) *bene secum agi* (εὐεργετουμένους αὐτούς lege : *illis* sc. Israelitis *beneficia praestari* vel secundum alteram lectionem : εὐεργετημένους αὐτούς *illis beneficia praestita esse*), *Commemorati sunt Dominum* (rectius : *senserunt Dominum* ᾔσθοντο τοῦ Κυρίου [*admirantes in finem exitus*]. Haec ultima vocabula latina, quae quia in graecis codd. aliisque in verss. non habent cui respondeant, uncis includendas duximus, auctori sacro non deberi, sed ex insequenti sententia (*v.* 15) a latino librario aut sciolo aut socorde huc esse assumta neque proinde ad huius sententiae textum sacrum pertinere, *Ians.* aliique recte iam annotarunt (cfr *VV. LL.*). Praeterea animadverte veterem interpretem latinum, qui rustica lingua utebatur, formas pronominis tertiae personae reflexivas (*se* etc.) et obiectivas seu directas (*eum* etc.) interdum permutasse, ita ut pro reflexivo pronomine directum poneret (cfr *Marc.* 10,32 « coepit illis dicere, quae essent *ei* i. e. *sibi* eventura » ; *Matth.* 16, 21 ; *Tob.* 3,11 etc.) aut pro obiectivo reflexum (cfr *Luc.* 1,51 « dispersit superbos mente cordis *sui* » proprie *eorum* (διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν etc.). Hinc iuniores multi (cfr *Castro, Lorin. Lap.* etc.) ad hunc dicendi usum provocantes nostro in loco illud *bene secum agi* idem valere quod *bene cum illis agi* vel potius *beneficia illis praestari* apposite monuerunt, neque est, cur interpres latinus graecam sententiam non intellexisse dicatur. Ad duplicem deinde huius membri lectionem (εὐεργετουμένους et εὐεργετημένους) quod attinet, participium *perf.* (εὐεργετημένους) per se quidem sufficiente auctoritate critica nititur (*VV. LL.*) atque aptum quoque contextuique accommodum gignit sensum ; nihilominus participium *praes.* (εὐεργετουμένους), quod cum antiquissimo et optimo codice graeco B etiam Vulgata nostra tuetur, a criticis editoribus (*Tisch. Fritzsche, Swete, Deane*) uti a plerisque modernis interpretibus iuremerito praeferri videtur. Neque enim profecto auctor significare potuit aut voluit, unius illius miraculi, quo Israelitis in deserto sitientibus aqua ex rupe data est, nuntium in Aegypto allatum esse eoque solo audito Aegyptios Domini

omnipotentiam cognovisse; sed omnium potius miraculorum, quibus Deus populum egredientem adiuvit egressumque in deserto omnibus, quibus indigebat, abunde instruxit, serie integra audita et considerata eos intellexisse insinuat, suas ipsorum plagas et calamitates in totidem Israelitarum beneficia esse conversas, atque in hac admirabili rerum conversione eos Domini virtutem et potentiam *sensisse* i. e. quodammodo oculis vidisse et clare percepisse. Verbum quippe αἰσθάνεσθαι, quod proprie *sentire* i. e. corporis sensibus apprehendere valet, translate de mentis quoque cognitione non tam ratiocinativa quam immediata et, ut ita dicam, spontanea usurpatur. Unde sensus huius versus est, tam clare et aperte manum omnipotentem veri Dei in miraculis, quae Aegyptii partim in terra sua patrari viderant partim in deserto patrata esse audiverant, conspicuam fuisse, ut eam pene sensibus perceperint neque ullo modo negare aut ignorare potuerint.

Quod assertum ut confirmet et explicet, auctor addit : 15. *Quem enim in expositione* (sc. puerorum hebraeorum ἐν ἐκθέσει) *prava* (lege : *olim* [*pridem*] πάλαι cfr. *VV. LL.*) *proiectum deriserunt* (ad graecum textum ῥιφέντα ἀπεῖπον χλευάζοντες rectius et accuratius : proiectum seu *abiectum repudiarunt irridentes*), *In finem eventus* (ἐπὶ τέλει ἐκβάσεων melius : *in fine eventuum*) *mirati sunt, Non similiter iustis sitientes* (οὐχ ὅμοια δικαίοις διψήσαντες i. e. quia non eadem ratione qua iusti siti cruciati sunt). Dictione ἐν ἐκθέσει (*in expositione*) initium crudelis vexationis Hebraeorum, quando nimirum eorum pueri in Nilo exponi et submergi iussi erant (cfr. *Exod.* 1,22), simili modo quo supra (*v.* 8) appellatione νηπιοκτόνου διατάγματος (decreti infanticidalis) designatur; verbum ἐκτιθέναι enim et substantivum ἔκθεσις a scriptoribus profanis (cfr *Herod.* I. 112; *Aristoph.* Nub. 531 etc.) et sacris (18,5; *Act.* 7,19.21) de infantibus, qui ut pereant proiiciuntur, usurpatur. Altera porro dictione ἐπὶ τέλει ἐκβάσεων (*in fine eventuum*) non tam finis plagarum aegyptiarum, uti *Gr.* coniecit, sed illud indicatur tempus, quo fama miraculorum, quibus Deus benevolentiam suam erga Israelitas in deserto itinerantes manifestavit, inter Aegyptios pervulgari coepta est, ita ut suae dominationi in illos finem impositum esse clare cognoscerent. De his iam inter omnes fere convenit; de quo autem in hac sententia agatur, in controversia est. Longe maior interpretum numerus de Moyse agi tenet, quem Aegyptii olim eo, quod a matre expositus sit, velut abiectum despexerint, postea vere miraculis, quae per eum patrata sint, spectatis non admirari non potuerint (*Lyr.*, qui tamen sententiam non de Aegyptiis sed de Israelitis Moysen primum despicientibus postea admirantibus explicat, *Carth.*, *Castro*, *Lorin.*

Lap. etc. *Schm. Corl. Les. Gutb.* etc. — *Gr. Siegfr. Zoeckl. Deane* etc.). Attamen rectius cum *Ians.* auctorem de Deo ipso loqui voluisse dicemus. Id enim contextus iam postulat, quum nostra sententia sit confirmatio et explicatio praecedentis, in qua auctor Aegyptios in sua ipsorum et Israelitarum sortium conversione Dominum ipsum deprehendisse asseruit; ad hoc autem assertum vel probandum vel exponendum ei satis esse non potuit, ut Aegyptios pristinum suum iudicium de Moyse mutasse adderet; siquidem ad eiusmodi mutationem explicandam aliae causae non deerant, ita ut argumentum neque validum neque clarum fuisset. Ceterum quantopere Aegyptii Dominum Israelis despexerint, non tantum ex crudelissimo illo decreto de pueris trucidandis et ex durissima totius populi oppressione apparet, sed potissimum ex modo, quo Pharao usque ad ultimas plagas de Domino loqui non est veritus (cfr *Ex.* 5,2 « Quis est Dominus, ut audiam vocem eius et dimittam Israel? Nescio Dominum »; 10,10 « sic Dominus sit vobiscum, sicut ego dimittam vos » etc.) et etiam post ultimam plagam Israelitas iam profectos persequi ausus est. Revera cum despectu et irrisione Aegyptii repudiarant Dominum neque eum vere agnoverunt, nisi postquam miraculis, quae in deserto patrata sunt, auditis suam sortem cum sorte Israelitarum comparantes intellexerunt eadem, quae sibi castigationi et supplicio fuerant, illis emolumento et saluti facta esse atque ipsam sitim, qua ipsi cruciati erant, Israelitis non esse veluti poenam irrogatam, sed eo solo consilio a Deo permissam, ut clarius suam benevolentiam erga illos manifestaret. Apposite porro *Deane* cum *Blunt* annotat, ab eo tempore usque ad Roboam, filium Salomonis, Aegyptios ab omni regni israelitici aggressione cautissime abstinuisse, quippe quod a tam potente Domino adiuvari et protegi suo cum terrore cognovissent (cfr etiam 12,27, quo loco nostra explicatio non parum confirmatur).

Prima explicatio alia quoque difficultate laborat. Moysen enim, quia a matre sua expositus erat, velut hominem abiectum ac vilem ab Aegyptiis esse irrisum et repudiatum, tantum abest, ut idoneo testimonio probetur, ut contrarium ex S. Scriptura rite colligatur. Namque illa teste Moyses, quum a matre esset expositus, a filia Pharaonis inventus et per eam in filium adoptatus omni sapientia Aegyptiorum est eruditus, ita ut inter eos usque ad quadragesimum suae aetatis annum degens vir sit habitus « potens in verbis et operibus suis », neque quisquam hebraicam originem aut pristinam expositionem ei exprobraverit (cfr *Exod.* 2,3 sqq.; *Act.* 7,20 etc.). Aegyptum utique tunc relinquere et in terram Madian fugere debuit; quadraginta autem annis postea in Aegyptum reversus non velut homo vilis contemnitur aut reiicitur, sed cum in regiam ipsam sine ulla difficultate admitti et cum novo Pharaone eiusque servis tamquam parem et aequalem negotium sibi a Domino demandatum tractare videmus. Illo deinde tempore miraculis, quibus Deus virtutem suam

contra Pharaonem ostendere nomenque suum in universa terra glorificare voluit, patratis Moyses nequaquam in contemtionem Aegyptiis venit neque ab ipso rege, qui de Domino contemtim loqui non veretur, ulla iniuria afficitur, sed iam antequam Pharao ultima plaga commotus Israelitas dimittere decrevit, « fuit Moyses vir magnus valde in terra Aegypti coram servis Pharaonis et omni populo » (*Exod.* 11,3). Quodsi *Gutb.* contendit Aegyptios non sincere et ex animo Moysen eo tempore admiratos esse, quippe qui post ultimam plagam animum mutaverint, id non sequitur, siquidem etiam sincerus animi affectus vehementiore altero (maxime pravo, uti odio, superbia, ambitione etc.) haud raro vincitur.

Altero huius articuli membro (*vv.* 16-12,2) auctor stultam impiamque idololatriam Aegyptiorum, qui quam plurimis animalibus omnis generis divinum cultum exhibebant, secundum talionis legem innumeris ranarum, sciniphum, muscarum et locustarum multitudinibus immissis gravissime a Sapientia vindicatam esse exponit, ita tamen ut ex ipsa poena clare perluxerit magna, qua omnes suas creaturas complectitur, misericordia. Atque primum quidem poenam crimini accommodatam describit causamque indicat, quare Sapientia hoc castigationis genus elegerit : 16. *Pro cogitationibus autem insensatis iniquitatis illorum* (sc. Aegyptiorum), *Quod quidam* (lege : *quod quidem* cfr *VV. LL.* aut ad graecum ἐν οἷς accuratius : *quibus*) *errantes* (melius : a recta via abducti seu *seducti* πλανηθέντες) *colebant mutos serpentes et bestias supervacuas* (ἐθρήσκευον ἄλογα ἑρπετὰ καὶ κνώδαλα εὐτελῆ), *Immisisti illis multitudinem mutorum animalium* (ἀλόγων ζώων) *in vindictam,* 17. *Ut scirent* (vel potius : *ut intelligerent* ἵνα γνῶσιν), *quod per quae peccat quis, per haec et torquetur* (melius : *castigatur* κολάζεται). Praepositio ἀντί (*pro*), quae primaria sua significatione locali respondet latino *ex adverso* seu *ante,* translate de qualibet commutatione unius rei cum altera (i. q. *loco* vel *vice* alterius cfr *v.* 6), frequentius tamen de pretio alicuius rei soluto (cfr *Hebr.* 12,6) et de retributione usurpatur (cfr dictionem κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόναι malum pro malo reddere *Rom.* 12,27; 1 *Thess.* 5,15; 1 *Petr.* 3,9). Qua ultima significatione eam nostro in loco sumendam esse patet; plagae quippe ranarum aliarumque bestiolarum fuisse docentur iusta retributio *cogitationum insensatarum* vel potius *ratiocinationum stultarum* (λογισμῶν ἀσυνέτων), quibus delusi ac *seducti* effigies plurimorum animalium atque ipsa magis animalia colere non erubescebant. Verbum θρησκεύειν et nomen θρησκεία a nostri libri auctore (praeterea in Veteri Test. non occurrit) semper de cultu superstitioso atque illicito dicitur. Illas Aegyptiorum cogitationes stultas ne quis merae ignorantiae aut nudo mentis errori attribuat, auctor illas addito genetivo ἀδικίας αὐτῶν ex ipsa *iniquitate* et impietate *illorum* suam originem traxisse decla-

rat. Ratiocinia quippe intelligit hominum, qui uti S. Paulus ad nostrum locum et ad 13,1 sq. respiciens loquitur, veritatem (Dei) in iniustitia detinent (ἀνθρώπων τῶν τὴν ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ κατεχόντων), i. e. qui veritatem sese sponte mentibus eorum offerentem reprimunt impediuntque, ne virtutem suam exserens voluntates eorum regat ac moderetur, atque hac ratione adeo stulti facti sunt, ut vilissima quaeque pro diis colant (*Rom.* 1,18-21 cfr meum comment. in h. l.).

Quam abiectos autem deos Aegyptii sibi elegerint, auctor ipsis nominibus ἄλογα ἑρπετὰ καὶ κνώδαλα εὐτελῆ voluisse prodere videtur, quibus eos comprehendit. Namque ἑρπετόν, quamvis etymologice idem sit quod *serpens* (ἕρπω = *serpo*), loquendi usu magis respondet latino *reptile* atque hic procul dubio adhibitum est ad infimum illud animalium genus designandum, quod homines vilius habere atque frequenter abhorrere et abominari solent (cfr 12,24; 15,18 sq.); atque haec nominis vis epitheto ἄλογος, quod non tam *mutus* valet (quamquam semel ab Alexandrinis hoc fere sensu adhibitum est; cfr *Exod.* 6,12 ἐγὼ ἄλογός εἰμι pro hebr. אֲנִי עֲרַל שְׂפָתַיִם quod ibidem *v.* 30. redditur : ἐγὼ ἰσχνόφωνός εἰμι praeputiatis seu incircumcisis labiis i. e. balbus sum), quam rationis expers seu *brutus*. Similiter κνώδαλον vi etymologiae suae (a κινεῖν *movere*) proprie animal, quatenus seipsum movet, a plantis distinguit et ab auctore nostro non nisi de minutis vilibusque bestiolis illis, quibus Aegyptii puniti sunt (ranis, muscis etc.) usurpatur (cfr 16,1; 17,9); cui nominis significationi congruit adiectivum εὐτελής, quo rem nullius pretii et contemptibilem designari diximus (cfr ad 10,4). Revera inter antiquitatis nationes nulla Aegyptiis fuisse superstitiosior videtur, quum praeter multos deos ad humanam naturam effictos variaque astra (solem, lunam etc.) multa quoque omnis generis animalia colerent, immo ad eam vesaniam essent progressi, ut per plantas hortorum suorum (cepas, allium, porros etc.) veluti per numina iurare soliti sint; unde non minus acerbe quam lepide pocta quidam : « O sanctas animas, queis di nascuntur in hortis! » Animalium tamen potissimum cultu illos antiquitus fuisse famosiores ex multis illis testimoniis luculenter apparet, quibus antiqui scriptores quum ethnici et iudaici tum christiani hanc superstitionem illorum aut irrident aut quoquo modo explicare conantur [1]. Quot quidem et quae animalia in deorum numero habuerint, testimoniis istis certo definiri nequit, sed ingentem eiusmodi deorum multitudinem fuisse clare tradunt, quum suas quamque civitatem bestias sacras velut sibi proprias summa religione veneratam esse consentiant; pariter certum est, illos ex diversissimis animalium generibus suos deos elegisse atque cum maioribus etiam minutiora, cum nobilioribus etiam ignobiliora ac vilia, cum utilioribus etiam nociva et periculosa,

1. Ethnicos scriptores hos *Gr.* affert : *Herod.* II. 65-76; *Diod. Sic.* Bibl. I. 83-90; *Or. Sibyll.* 3,30; *Strab.* Geogr. ed. Casaub. XVII, p. 811 sqq.; *Ael.* Nat. anim. X. 16.21 sq. 27.47; XII. 7; *Plut.* de Is. et Osir. 7 n. 6 et saepe; *Max. Tyr.* Diss. 38, p. 382; *Cic.* De nat. deor. I. 29.82; *Juven.* Sat. 15,1-15. — Iudaicos hos : *Phil.* De decal. 16; de vita contempl. 1; legat. ad Caium 20 (ed. Mnag. II. 193.472.566; *Fl. Ios.* c. Apion. I. 25. — Quibus ex antiquis Patribus addimus : *Athenag.* Legat. pro Christ. 14; *Clem. Alex.* Exhort. ad Gent. 3; Paedag. III. 2; *Tert.* Apolog. 24; *S. Cypr.* ad Demetrian. 5; *Arnob.* Adv. nation. I. 8 et saepe; *Lactant.* Divin. instit. II. 6; V. 21; *Eus. Caes.* De praep. evangel. II. 1; III. 4 sq., ubi multa ex *Diod. Sic.* et *Porphyrii* operibus excerpsit; etc.

cum pulchris etiam tetra et foeda divinis honoribus coluisse (cfr 12,24; 15,18). Omnia autem auctor noster, nonnullorum utilitate aut pulchritudine aut magnitudine iure neglectis, per contemptum et derisum nomine ἄλογα ἑρπετὰ καὶ κνώδαλα εὐτελῆ (*bruta reptilia et bestiolas viles* seu si mavis : et mobilia inania[1]) complexus est, ut ipsa appellatione etiam praestantissima animalia ne cum creaturis quidem ratione praeditis, nedum cum universarum rerum creatore et domino, comparari posse significaret. Pro insanissima igitur hac superstitione Aegyptiis immissa sunt alia bruta animalia, ut hominem per eadem puniri discerent, per quae peccavit.

Egregie ad hanc sententiam *Lap.* « huic gnomae, inquit, succenturiantur leges talionis latae tum a Deo tum a principibus. Notum est illud Dei mox a diluvio : Quicumque effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius (*Gen.* 9,6), et illud Christi : Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt (*Matth.* 26,22) et illud prophetae : vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis... (*Is.* 33,1), et *Habac.* 2,8 : quia tu (o Babylon) spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes, qui reliqui fuerint de populis; denique illud : qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis (*Luc.* 6,38). Moraliter hinc disce, quodlibet vitium sibi ipsi esse supplicium suumque sibi affere tormentum... Vere recteque *S. Aug.* : Iussisti, Domine, et ita est, ut sibi poena sit omnis inordinatus amor, et *S. Chrys.* (in *Ps.* 3) : Unde est fons peccati, inquit, illinc est plaga supplicii ».

Minus apte *Gr.* obiicit, Aegyptios illa animalia, per quae puniti sunt, non coluisse, haud recte ergo a Sapiente eos per eadem, per quae peccaverunt, punitos esse asseri. Namque etsi ranas et muscas a nonnullis antiquis testibus inter animalia per Aegyptios culta recenseri praetermittamus, *Gr.* neque ea, quae sequuntur, neque rationem legis talionis, quae hominem iisdem, per quae peccavit, puniri statuit, satis perpendisse dicendus est. Obiectio ista nova non est atque recte iam dudum iuniores responderunt « Aegyptios, quia bestias coluerunt, per *viles* bestias *non eiusdem*, sed alterius speciei punitos esse atque mutationis huius causam afferri versu seq. » (*Lap.* cfr *Castro, Lorin.* etc.) Lex talionis quippe cum proportione quadam intelligatur oportet et quorsum spectet considerandum est, ne absurdissime nobis forte persuadeamus, secundum legem illam *eadem ipsa animalium individua*, quae culta sunt, pro poena adhiberi debuisse; si autem eadem individua non requiruntur, cur eaedem species requiri dicuntur? Per animalia igitur puniti sunt, ut proportio quaedam habeatur criminis et poenae; per minutiora autem et viliora Deus eos punivit, ut et eorum superbiam reprimeret et suam misericordiam manifestaret, uti Sapiens in sequentibus exponit (cfr 16,1 ubi per bestiolas cultis similes (δι' ὁμοίων) Aegyptios cruciatos esse diserte refertur).

Interroganti porro, cur bestiolis illis vilibus immissis Sapientia insanum istum animalium cultum vindicaverit, auctor noster respondet eam, quum sit omnipotens, aliis utique quae terribiliora videri poterant instrumentis iustitiae suae vindicativae non caruisse (*vv.* 18-21), sed ipso poenarum genere suam misericordiam manifestare voluisse (*vv.* 22-12,2). Pulchre autem nonnulla ex iis, quibus abundet poenae instrumentis, recenset : 18. *Non enim impossibilis erat* (i. q. *non*

1. Germanice haud inepte verteres : unvernünftiges Gewürm und unnützes Geschmeiss.

impotens erat οὐκ ἠπόρει) *omnipotens manus tua Quae creavit* (ἡ κτίσασα cfr *VV. LL.*) *orbem terrarum* (τὸν κόσμον) *ex materia invisa* (ad graecum ἐξ ἀμόρφου ὕλης accuratius : *ex informi materia*[1]), *Immittere illis multitudinem ursorum et audaces leones* 19. *Aut novi generis* (potius : *recens creatas* νεοκτίστους) *ira plenas ignotas bestias aut* (ἤτοι melius : *aut sane*) *vaporem ignium* (igneum) *spirantes* (πυρπνόον φυσῶντας ἄσθμα) *Aut fumi odorem proferentes* (ἢ βρόμον λικμωμένους καπνοῦ) *Aut horrendas ab oculis scintillas emittentes,* 20. *Quarum non solum laesura poterat illos exterminare* (rectius : *simul exterere* vel simul exterminare συνεκτρῖψαι), *Sed et aspectus per timorem occidere.* Dictionem ὕλης ἀμόρφου (*materiae informis, invisae*) auctor a graecis philosophis eodem modo, quo alias quasdam, mutuatus est, ut sensum ei attribueret veritati consonum. Etenim illi, quum ad notionem creationis proprie dictae (i. e. creationis ex nihilo sui et subiecti) non pervenissent, cum Platone duo statuerunt omnium rerum principia, deum et materiam (cfr *Diog. Laert.* 3,41 : δύο τῶν πάντων ἀπέφηνεν sc. Plato ἀρχάς, θεὸν καὶ ὕλην) deumque dixerunt totum mundum aspectabilem formasse ex materia sibi coaeterna, quam invisibilem et omni forma destitutam, mobilem tamen et omnis formae accipiendae capacem declararunt ideoque ὕλην ἄμορφον appellarunt. Apte autem noster hanc appellationem ad illum significandum statum terrae usurpavit, qualis ante lucis creationem fuisse in principio Geneseos (1,2) describitur : « terra autem erat תֹּהוּ וָבֹהוּ (Alex. : ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος *It.* « invisibilis et incomposita », *Vulg.* « inanis et vacua ») et tenebrae erant super abyssum ». Ad quae verba *S. Aug.* (de Gen. c. Manich. I. 5,9 et 6,10) : « Primo ergo, inquit, materia facta est confusa et informis, unde omnia fierent, quae distincta et formata sunt, quod credo a Graecis chaos appellari... Et ideo Deus rectissime creditur omnia de nihilo fecisse, quia etsi omnia formata de ista materia facta sunt, haec ipsa tamen materia de omnino nihilo facta est[2] » : Materiam autem hanc auctor informem appellavit, non quasi omni forma fuisset destituta, sed quia nondum eas formas acceperat, quas in

1. Utraque lectio (*invisa* et *informi*) antiquitus in latinae versionis codicibus legebatur teste *S. Augustino,* qui aliquoties quidem utramque allegat, frequentius tamen solam secundam, quae graeco vocabulo omnino respondet, eamque etiam in explicationibus suis plerumque supponit, ita ut eam praetulisse videatur. Cfr Confess. XII. 8,8; de Gen. c. Manich. I. 5,9; de Gen. lib. imperf. 3,10; de Gen. ad liter. I. 14,28; de fide et symb. 2,2; contra advers. leg. et proph. I. 8,11 etc. Coniicere licet priorem lectionem (*invisa*) sciolo cuidem deberi librario, qui quum auctorem ad *Gen.* 1,2 (ἡ δὲ γῆ ἦν ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος Ital. : *invisibilis et incomposita*) alludere videret, verba quoque ad eum locum conformanda censuit.

2. Uberius S. Doctor haec explanat in libello de fide et symbolo 2,2.

opere sex dierum a Deo accipere debuit, ut pulcherrimum hunc et sapientissime ordinatum mundum (τὸν κόσμον) constitueret. Iure ergo interpretes non tantummodo catholici omnes sed etiam protestantici antiquiores et multi moderni auctorem de secunda creatione loqui et ad *Gen.* 1,3-31 respicere tenent, quum Sapientiam τὸν κόσμον ex materia informi creasse dicit.

Nonnulli tamen acatholici rationalismo magis minusve infecti (*Gr. Siegfr. Zöckl.* etc.) cum *Keerl* aliisque librorum deuterocanonicorum adversariis auctorem hanc distinctionem inter creationem primam et secundam ignorasse et cum graecis suae aetatis philosophis materiam informem Deo coaeternam et a Deo plane independentem admisisse dicunt. Quam obiectionem hoc argumento confirmare conantur : « Auctor, inquiunt, ut lectoribus suis ostenderet, quam mira et extraordinaria puniendi instrumenta Deo, si iis uti voluisset, ad nutum praesto fuissent, evidenter summum, quem cognovit, *omnipotentis manus divinae effectum* afferre voluit; atqui de creatione ex nihilo plane tacet, quamvis procul dubio absolutam Dei potentiam clarius monstrasset, quam fabricatio mundi ex materia informi; ergo eam non cognovit, sed materiam informem Deo ab aeterno coexstitisse et ab eo non esse productam arbitratus est » (cfr *Gr.* p. 212 sq.). Contra quae primum monemus eo ipso, quod *manum Dei* vocet *omnipotentem* (ἡ παντοδύναμός σου χείρ), auctorem iam clare ostendere, se doctrinam suam non a graecis philosophis accepisse neque cum eis consensisse, sed eam ex revelatione divina hausisse. Etenim nullus unquam graecorum istorum philosophorum Deum vocavit aut vocare potuit *omnipotentem*, quia ipsa notio omnipotentiae, uti frequenter iam S. Augustinus docet, cum admissione materiae aeternae et a Deo independentis pugnat; neque enim omnipotens est aut vocari potest, qui ad sua opera fabricanda re indiget, quam ipse non fecit. « Omnipotens Deus, inquit *S. Aug.* (de Gen. c. Manich. I. 6,10), nulla re adiuvandus erat, quam ipse non fecerat, ut quod volebat efficeret; si enim ad eas res, quas facere volebat, adiuvabat eum aliqua res, quam ipse non fecerat, non erat omnipotens, quod sacrilegum est dicere »[1]. Deinde libenter concedimus, dictionem *creare ex nihilo* in toto libro non inveniri; auctorem autem de creatione ex nihilo plane tacere negamus. Illam enim sufficienter iam indicat, si *Deum omnia ut essent creasse* (1,14) diserte docet; quo enim cum iure illa ὕλη ἄμορφος, de qua nostro in loco loquitur, inter illa *omnia* (τὰ πάντα), quae Deo suam existentiam debent, fuisse negetur, nemo prudens intelliget; atqui si ὕλη ἄμορφος a Deo creata est, profecto non ex alia materia quae iam exstiterit, sed ex nihilo creata est. Atque ipso *Gr.* fatente Sapiens dictione ὕλης ἀμόρφου usus est ad Alexandrinam *Gen.* 1,2 versionem (γῆ ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος) respiciens, qua eandem notionem, ut *Gr.* putat, expressam et confirmatam vidit; ergo etiam non videre non potuit, eodem in loco illam « terram invisibilem et incompositam » i. e. suam « informem materiam » diserte dici a Deo factam, utique iterum non ex alia quadam materia informi praeexistente, sed ex nihilo; sua igitur allusione ad *Gen.* 1,2 lectoribus suis, quibus librum suum destinavit, i. e. contribulibus suis iudaicis (cfr Proleg. § 1,3), qui omnes cum matre septem fratrum machabaicorum coelum et terram et omnia, quae in eis sunt, ex nihilo facta esse confitebantur (cfr 2 *Mach.* 7,28), hanc creationem satis clare in

1. Cfr *S. Aug.* de fide et symb. 2,2; Sermo 214,2; contra adv. Leg. et proph. I. 8,11, et saepius.

memoriam revocavit. — Quaestio autem, utrum creatio ex nihilo an ordinatio totius mundi maior potentiae divinae effectus habendus sit, inepte ingeritur. Namque lectores ex prima Scripturarum suarum pagina didicerant, unum eundemque Deum et Creatorem esse et Ordinatorem rerum universarum eademque sua potentia coelum et terram ex nihilo produxisse productamque sapientissime et pulcherrime ordinasse et exornasse. Iam vero auctor noster vel ideo non tam de prima quam de secunda creatione loqui debuit, quia in sequentibus non de animalibus ex nihilo procreandis sed de novis animalibus eadem ratione, qua in mundi principio, ex materia praeiacente formandis agitur. Argumentum enim auctoris hoc est : divina potentia, quae ex materia informi a se creata totum ordinem rerum praesentem formavit, ad puniendos Aegyptios pro bestiolarum vilium multitudinibus profecto ferarum quoque, uti ursorum et leonum, multitudines adducere aut etiam ignotas belluas omnibus, quae nunc vivunt, bestiis terribiliores formare, immo vero uno virtutis suae halitu omnibus debitam poenam infligere potuit.

Reliqua sententia plana est et aperta; annotamus tamen auctorem per particulam ἤτοι (*aut sane*), quae profanis scriptoribus satis usitata in S. Scripturis non nisi hic et *Rom.* 6,16 legitur, novam disiunctionem trimembrem hoc loco subiungere, ut ignotarum belluarum ferocium, quas Sapientiam, si voluisset, ad Aegyptios puniendos novare potuisse dixit, tria genera velut specimina quaedam recenseat. In earum autem atrocitate et foeditate adumbranda quasi poetam agit et descriptionem crocodili ex aquis emergentis (potissimum *Iob* 41,9-11) ante oculos habuisse haud immerito dicitur (*Lap.* etc.). Alias nimirum ex ore vel ex naribus halitum igneum efflantes depingit ut poetae latini (cfr *Virg.* Aen. 7,785 sq. : « Chimaeram... aetnaeos efflantem faucibus ignem » ; *Ovid.* Metam. 7,104 sq. « adamanteis Vulcanum naribus efflant aeripedes tauri tactaeque vaporibus herbae ardent »); aliae *foetorem spargere* (vel secundum nonnullorum interpretationem minus probabilem *strepitum edere*[1]) sicut fumus, dicuntur; aliae scintillas velut fulmina, quibus homines occidant, ex oculis emittunt (ἀστράπτειν). Summam tamen earum immanitatem auctor maxime ex eo colligi vult, quod omnes suo iam aspectu horrendo hominem in terrorem coniiciant mortiferum.

Attamen eiusmodi terribilibus instrumentis Sapientia non indiget; 21. *Sed et sine his uno spiritu* (ἑνὶ πνεύματι) *poterant occidi* (πεσεῖν i. q.

1. Nomen βρόμος, quod omnes graeci codd. hoc in loco habent, proprie quidem *strepitum* valet, *foetor* autem est βρῶμος; nihilominus Vulgatae versionem « odor fumi » plerique praeferunt idque recte. Namque a iunioribus Graecis βρόμος et βρῶμος saepe confunduntur et inter se permutantur; unde *Hesych.* quoque inter varias nominis βρόμου significationes ὀσμήν recenset; in alexandrina autem versione quoque, in qua bis tantum legi videtur (*Ioel* 2,20; *Iob* 6,7), utroque in loco certe foetorem significat; siquidem in priore hebraicum צחנה (putredo, foetor) reddit, in altero autem βρόμος escarum cum foetore (ὀσμή) leonis comparatur.

mortui prosterni; proprie cadere), *Persecutionem passi ab ipsis factis suis* (graecum textum : ὑπὸ τῆς δίκης διωχθέντες rectius vertes aut : *a* [*tuo*] *iudicio propulsi* cfr 1,8 « nec *praeteriet* illum corripiens *iudicium* », aut : *a sua poena vexati* cfr 14,31 et 18,11) *Et dispersi per spiritum virtutis tuae; Sed omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.* Dictionem ἐνὶ πνεύματι (*uno spiritu*) nonnulli hic (similiter ac 5,24 *spiritus virtutis* πνεῦμα δυνάμεως) ventum validum seu turbinem interpretantur; sed neutro in loco recte; tanta quippe est virtus divina, ut vel *unus* eius *halitus* i. l. levissima eius manifestatio ad omnes Dei hostes prosternendos sufficiat; « vidi, inquit Eliphaz (*Iob* 4,9) eos, qui operantur inquitatem... *flante Deo* periisse et *spiritu irae eius* esse consumtos ». Virtus autem divina contra peccatores etiam hac in terra sese manifestat, quatenus eos statim, postquam peccaverunt, conscientiae stimulis exagitat et persequitur et torquet. Id auctor noster suo ὑπὸ τῆς δίκης διωχθέντες probabiliter exprimere voluit, atque idem etiam latinum nostrum interpretem suo *a factis suis persecutionem passi* (utique obscurius) significare arbitramur, ita ut verbis auctoris neglectis solum eius sensum reddidisse dicendus sit. Ceterum utrum graecum nomen ἡ δίκη cum aliis hic *iudicium divinum* valere dixeris an cum aliis significationem poenae divinitus immissae praeferas, parum interest, siquidem conscientiae angoribus Deus iudex peccatori sententiam suam promulgat atque simul illius exsequendae initium facit.

Ultimo deinde *v.* 21. sticho causa exponi incipit, cur Sapientia vilibus potius bestiolis quam belluis illis horrendis, quas praesto habuit aut creare potuit, immissis Aegyptios puniverit. Quae causa potissima quidem fuit misericordia infinita, qua Aegyptios non delere sed ad poenitentiam agendam adducere voluit (cfr *vv.* 24, 27); exordium tamen auctor a generali proponenda norma capit, ad quam Sapientia totam suam, ut ita dicamus, agendi rationem dirigit : *Omnia in mensura et numero et pondere disposuisti.* Nomina *mensurae* etc. hic ex humanis rebus ad divinam actionem transferri patet; metaphoram autem *Boss.* recte censet ductam « a venditionibus, in quibus omnia traduntur certa mensura, certo numero, certo pondere »; tria autem haec similiter atque alii quidam scriptores sacri (*Is.* 28,17; 40,12; *Iob.* 28,25 sq. cfr etiam apocr. 4 Esdr. 4,36 sq.) coniunxit Sapiens, ut Sapientiam non agere significaret nisi omnibus ac singulis circumstantiis accuratissime consideratis ac perpensis. Proxime procul dubio, uti contexta oratio docet, auctor hanc normam hic affert, ut Sapientiam in suis iudiciis non solius iustitiae suae rigidae sed etiam suae misericordiae memorem esse moneat. Atque hoc sensu *Calm.*

eam hoc in loco haud male his verbis exponit et amplificat : « Ulciscéris, sed ex aequitatis legibus cum modo et numero et pondere; unus enim nosti ultionis tuae tempus et causas et quantitatem; te non immoderatus aestus, nec ira nec odium movent; poenas infers semper aequissimas atque criminum gravitati et peccantium conditioni pares ». Haud aliter iam *S. Aug.* quoque (c. Iulian. op. imperf. II, 37) : « Deus, inquit, praescius futurorum cuncta constituit neque totum, quod creatura apostatica meretur, singulis reddit; sed in mensura et numero et pondere omnia disponens neminem sinit mali aliquid perpeti, quod non meretur, quamvis non tantum, quantum massae debetur universae, singulus quisque patiatur ». Quin etiam Dominus ipse iam dixerat per Prophetam (*Is.* 28,17) : « Ponam in pondere iudicium et iustitiam in mensura ». Apposite igitur auctor normam hanc hic commemoravit, ut sicuti paullo ante (*vv.* 16,17) Sapientiam insanum animalium cultum secundum talionis legem *animalibus* immissis eo consilio vindicasse dixit, ut peccatores per ea, per quae peccaverunt, se punitum iri cognoscerent, ita eam *vilibus* immissis bestiolis suam misericordiam una cum sua iustitia manifestare voluisse doceret. Nihilominus ad solam vindicativam Dei iustitiam non licet hanc normam restringere; velut generalis enim ab auctore nostro proponitur neque generalem sensum suum amittit eo, quod illam ad singularum rem explicandam adhibuit. Revera longe latius patet et ad omnia opera divina pertinet; sicuti ad eam Sapientia in iudiciis praemia poenasque distribuit, ita ad eam in creatione omnia opera disponit, in mundi gubernatione omnia ac singula administrat. Quare iure merito, uti Scriptura ipsa (*Is.* 40,12; *Iob.* 28,25; *Eccli.* 16,25 sqq.), ita SS. Patres (cfr *Basil.* in Hexaem. hom. 3,5; *S. Aug.* de Gen. ad lit. VI. 3,7 sqq. etc.) eam in admirabili mundi ordine expressam vident[1].

Tria nomina *mensurae* etc., quibus hic eadem notio licet diversimode exprimitur, ideo hic coniungi diximus, ut maiore cum vi operandi ratio Sapientiae omni ex parte perfectissima significetur. Praeeunte tamen *S. Aug.* haud pauci interpretes antiquiores et iuniores cum paucis modernis ulterius progredientes inquirunt, quae singulorum hic sit vis et potestas; sed haud felici cum successu, uti magna explicationum propositarum varietas indicat. Propriis nominum significationibus iu-

1. Quo sensu *Boss.* quoque « Dieu, inquit, a fait tout avec mesure, avec nombre et avec poids. Rien n'excède, rien ne manque. A regarder le total, rien n'est plus grand ni plus petit qu'il ne faut; ce qui semble défectueux d'un côté, sert à un autre ordre supérieur que Dieu sait. Tout est répandu à pleines mains; néanmoins tout est fait et donné par compte... Ce qui emporterait d'un côté, a son contre-poids de l'autre; la balance est juste. et l'équilibre est parfait » (Polit. VII. 6,6. Œuvres, t. XXV, p. 393. Paris, 1857).

niores diligentius inhaerent; inter quos ex. gr. *Castro* sententiam de iustitia vindicativa explicans Deum poenas inflixisse dicit « eas dimetientem iuxta mensuram a sapientia definitam, quatenus opus fuit iustitiae illustrandae et populo liberando, et eas numerantem, ne plures essent aut pauciores, deinde eas ponderantem, ne graviores infligerentur, quum non iuxta Dei potentiam, sed iuxta eius sapientiam infligerentur » (sed quae est differentia inter primum et tertium membrum?). *Lap.* porro normam generaliore modo de creatione interpretatur et secundum suae aetatis opiniones physicas Deum « omnia disposuisse in *mensura* dicit, dum fecit, ut res quaelibet habeat suam quantitatem et mensuram in longitudine, latitudine et crassitie, v. gr. ut homo habeat mensuram sex pedum in altitudine, sesquipedem in latitudine, pedem in crassitie...; *in numero*, ut v. gr. coeli sint undecim, non plures; elementa sint quatuor, non plura nec pauciora; ut tot sint species animalium...; *in pondere*, ut quodque habeat suam gravitatem et locum et ordinem, v. gr. ut terra sit ponderosissima ideoque ima » etc. Longius a nominum proprietate recedunt antiquiores. Secundum *S. Aug.* (de Gen. ad lit. IV. 3.7) « mensura omni rei modum praefigit, et numerus omni rei speciem praebet, et pondus omnem rem ad quietem et stabilitatem trahit »; cum eo *S. Thom.* (Summ. theol. I. 45, a. 7) consonans « mensura, inquit, refertur ad substantiam rei suis principiis limitatam, numerus ad speciem, pondus ad ordinem » (similiter inter modernos *Schm.* p. 318). *Rhab.* vero, quocum consentit *Hugo Car.*, tria nomina interpretatur de veritate, iudicio, iustitia, quoniam Deus rebus dederit verum esse (mensuram), distinctionem sine confusione (numerum), debitam cuique perfectionem (pondus). Secundum *Holc.* mensura est limitata perfectio rei tam in essentia quam in quantitate, numerus vero certa distantia a Deo, quemadmodum numeri ab unitate distant, pondus deinde naturalis appetitus ad id, in quo natura perficitur. Porro *S. Thom.* (Summ. th. I. q. 45 a. 7) nominibus his etiam SS. Trinitatis vestigia in creaturis ita significari arbitratur, ut mensura declaret Patrem, numerus Filium, pondus S. Spiritum; e contra *S. Bonav.* per mensuram clementiam S. Spiritus omnia conservantis, per numerum sapientiam Filii ordinantis, per pondus potentiam Patris operantis. Sed haec aliaque similia, quae multa leguntur, nostrae gnomae accommodationes sunt, non explicationes.

Mirum est, quod nonnulli interpretes moderni hanc normam quasi pro parenthesi quadam in media potentiae divinae descriptione inserta habere videantur. Etenim sententiam causalem, quae eam consequitur (*v.* 22) non normae nostrae immediate praecedenti (*v.* 21[a]) confirmandae vel explicandae inservire sed ad ea sola respicere et cum iis esse connectendam monent, quae *vv.*18-21[c] de divina potentia sunt dicta (*Gutb.* etc. — *Gr.* etc.). Rectius vero auctorem nunc explicare dicemus, quae normae generalis, quam vix non de improviso commemoravit, in iudiciis divinis, de quibus agitur, sit ratio. Quapropter longiore expositione ostendit, quomodo divinam potentiam, cui nihil queat resistere (*vv.* 22-23), moderetur ac temperet infinita misericordia, qua Sapientia omnes suas creaturas pariter complectitur (*vv.* 24-27). Itaque particula γάρ (*enim*), quae hic vim explicativam potius quam confirmativam habet, ad solam sententiam, cui inserta est, non

pertinet, sed ad totam explicationem, cuius *vv.* 22-23 non sunt nisi initium (cfr ad 12,3); a potentia quippe celebranda Salomon exordiatur, ut cum ea misericordiam in iudiciis exsequendis amice conspirare doceat. 22. *Multum enim valere* (τὸ γὰρ μεγάλως ἰσχύειν i. q. *magna enim virtus*) *tibi soli supererat* (lege : *superat* i. e. tibi praesto est πάρεστίν σοι[1]) *semper, Et virtuti brachii tui quis resistet?* 23. *Quoniam tamquam momentum staterae, sic est ante te orbis terrarum* (ad litteram : *totus mundus* ὅλος ὁ κόσμος) *Et tamquam gutta roris antelucani* (melius *antelucana* cfr *VV. LL.*), *quae descendit in terram.* Summam potentiam, quam Sapientiae semper praesto esse cuique a nullo obsisti posse prior sententia asserit, altera duabus pulcherrimis similitudinibus illustrat, quibus universitatem creaturarum nihil esse aut valere in comparatione cum Deo significatur. Dubium vix est, quin auctor in iis formandis isaianum locum (*Is.* 40,15) ante oculos habuerit, praesertim quia in sua norma ipsa exprimenda ad idem prophetae vaticinium iam respexisse videtur (40,12) et quia prior nostra imago cum altera Isaiae ad amussim consentit : « *ecce gentes* quasi stilla situlae et *quasi momentum staterae* (ὡς ῥοπὴ ζυγοῦ) *reputatae sunt.* Nomine ῥοπή, uti etiam interdum latino *momentum* » minimum ex ponderibus designari solet atque hac significatione nonnulli et nostro in loco et in isaiano contenti sunt; recte tamen *Sanctius* (in *Is.* 40,15) annotat, « aliquid levius etiam sonare hebr. שַׁחַק, cui respondet, quod significet pulvisculum ita levem, ut etiamsi in stateram seu bilancem incidat, quantumvis illa sollertissime librata sit, non tamen illam vel minimum in alteram partem inclinet. » Sicuti autem *momento* vel *pulvisculo* minimum ex corporibus solidis, ita nomine *guttae* vel *stillae* minima liquidorum particula designatur, atque alterius vis augetur, quod *gutta roris antelucana* esse ponitur, quae ante lucem formata statim ipsa luce apparente evanescit et disparet (cfr *Osee* 6,4; 13,3, ὡς ὄρσος ὀρθρινὴ πορευομένη « sicut ros antelucanus *praeteriens* »).

Tanta igitur virtute Sapientia est ornata, ut universitas creaturarum coram illa quasi nihil sit et nihil valeat, ita ut solo suo nutu adversa-

1. Vulgatae Clem. lectio duplici errore laborat, quum dativus *soli* neque in graecis codd. neque in aliis verss. habeat cui respondeat, et verbum *supererat* sententiae non congruat. Teste *Reusch* pro *supererat* cum *S. Aug.* (c. Faust. Manich. XIX, 28) etiam « omnes codices scripti emendatiores a *Ians.* inspecti exhibent verbum *superat* », quod probabiliter interpreti debetur, siquidem etiam apud classicos scriptores *superare* interdum valet *praesto esse* seu *adesse*, ita ut ad graecum παρεῖναι reddendum apte adhibere potuerit. *Reusch* interpretem forte *suberat* aut *suberit* scripsisse coniicit, quia πάρεστιν etiam infra (12,18 et 13,1) latine *subest* vertatur; at enim non apparet ratio, cur interpres praesentis temporis formam in praeteritum aut futurum mutaverit. [Biblia Lovaniensis anni 1547 habet lectionem marginalem : *superat.* — *Editor.*]

rios suos omnes interimere ac delere posset, si vellet; 24. *Sed misereris omnium, quia omnia potes, Et dissimulas* (παροράς proprie : *visu praeteris*) *peccata hominum propter poenitentiam* (εἰς μετάνοιαν proprie : *ad poenitentiam* i. q. *ut poenitentiam agant;* de hac breviloquentia Graecis usitata cfr *Win.* Gr. p. 577 sq.). Ex huius sententiae nexu cum praecedentibus clare confirmatur id, quod paullo ante (ad *v.* 22) monuimus, hanc quae sequitur infinitae misericordiae descriptionem cum infinitae potentiae assertione (*vv.* 22-23) ita cohaerere, ut unam constituant argumentationem, qua quis normae (*v.* 21[d]) propositae in Dei iustitia retributiva sit locus exponatur. Ex eadem autem etiam elucet, misericordiam hic velut moderatricem omnipotentiae induci, quatenus sc. insinuatur, Sapientiam illa permoveri ut virtute sua, qua creaturae peccanti statim poenam debitam infligere potest, non utens tempus ei ad poenitentiam agendam concedat (cfr *Rom.* 2,4). Mirati nonnulli sunt quod Sapientia, *quia omnia possit, omnium misereri* asseratur; at enim auctor, ut explicet, cur Deus omnipotens non gravioribus poenis insanos animalium cultores castigaverit, eum ideo omnium misereri docet, quia omnipotens est. Infinitam ergo misericordiam Sapientiae suum quasi fundamentum in omnipotentia habere statuit; similiter *infra* (12,16) eam propter universale, quod tenet, omnium creaturarum dominium omnibus parcere docet atque Siracida quoque ex maiestate et virtute Dei insignem eius misericordiam derivat (*Eccli.* 18,1-14; cfr *Knabenb.* Comment. in Eccli. p. 204 sqq.). Ecclesia autem nos invocare Deum iubens, « qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas » (Orat. in Domin. 10. p. Pentec.), eundem arctissimum nexum inter omnipotentiam et infinitam misericordiam innuit. Ac profecto, quia Sapientiae virtus ad omnes creaturas sese extendit et quia easdem universali suo dominio omni ex parte subiectas tenet, non est cur ordinem aliquo peccato laesum statim condigna peccantis poena restituat, sicuti reges ac magistratus hac in terra facere solent, ne homo, qui crimen commisit, aliam in regionem secedens iustam poenam effugiat. Divinae enim virtuti et dominationi nulla creatura ullo tempore aut ullo loco se subtrahere potest; idcirco nihil obstat, quominus Sapientia poenam debitam differat peccatorique tempus concedat, quo ipsius suae conscientiae stimulis aut levioribus castigationibus admonitus poenitentiam delicti sui agat culpaeque admissae veniam impetrare studeat. Pulchra autem metaphora peccata παροράν i. e. visu quodammodo praeterire dicitur, sicut homo aliquis facere solet, qui ut se inimicum videre dissimulet, attentionem suam in eius vicinos se dirigere simulat. Eodem fere sensu etiam ὑπεριδεῖν, quod etymologice germanico *über-*

sehen accuratius respondet, interdum adhibetur, ita tamen ut despicientiam quandam connotare videatur (cfr *Deut.* 3,26; *Ps.* 54, 1; *Eccl.* 2,12; 35,17; *Act.* 17,30).

Sapientiae porro infinita misericordia, uti fundamentum suum in omnipotentia habet, ita originem habet ex infinito illo amore, quo omnes suas creaturas complectitur : 25. *Diligis enim omnia quae sunt, Et nihil odisti* (rectius : *abominaris* βδελύσσῃ) *eorum quae fecisti; Nec enim odiens aliquid constituisti aut fecisti.* Ultimum membrum graecum, quum completa sit sententia hypothetica, secundum sensum rectius accuratiusque vertetur : *neque enim, si quid odisses, illud constituisses;* immerito tamen *Deane* latinum nostrum membrum vocat « *an unauthorized addition* »; re enim cum graeco plane consonat atque aliis tantummodo verbis eundem sensum exprimit; duo ultima vocabula textus latini videntur esse glossa in textum recepta. Sapientiae universalem erga omnia quae sunt amorem, qui fons est misericordiae eius universalis, auctor ex eo demonstrat, quod omnes res, quotquot sunt, ab illa sint creatae; creatione autem, qua singulis exsistentiam et naturam et facultates, uno verbo quidquid habent, liberalissime sua sponte contulit, se omnia amare clarissime manifestavit. « Deus, inquit *S. Thom.* (Summ. th. I. qu. 20, a. 2), omnia exsistentia amat. Nam omnia exsistentia, in quantum sunt, bona sunt; ipsum enim esse cuiuslibet rei quoddam bonum est et similiter quaelibet perfectio illius. Voluntas autem Dei est causa rerum omnium, et sic oportet, quod in tantum aliquid habet esse aut quodcumque bonum, in quantum est volitum a Deo; cuilibet igitur exsistenti Deus vult aliquod bonum. Unde quum amare nihil aliud sit quam velle bonum alicui, manifestum est, quod Deus omnia quae sunt amat » etc. (Cfr ad 14,9.)

Haud minus autem, quam creatio, conservatio omnium rerum benevolentiae divinae attribuatur oportet; namque recte *Lap.* : « conservatio, inquit, creaturarum est continuatio quaedam creationis et quasi continua creatio; sicuti ergo Sapientia primitus illas ex amore creavit, sic easdem conservat ex amore ». Hinc aptissime auctor creationi conservationem velut alterum argumentum adiungit, quo universalem esse amorem Sapientiae demonstret : 26. *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Aut quod a te vocatum non esset, conservaretur?* Graecum textum rectius accuratiusque reddemus : *Quomodo autem aliquid permansisset, nisi tu voluisses? Aut* (quomodo) *aliquid, quod a te non esset vocatum, conservatum esset?* Neque enim auctor generale hic statuit principium, sed illud, uti aoristi adhibiti satis ostendunt, ad certam rem transfert; ad Aegyptios nimirum videtur alludere, quos Sapientia, non obstante insano

eorum cultu, amaverit, idque ex eo apparere insinuat, quod nisi ab illa essent conservati exsistere non potuissent, sed in nihilum recidissent, ex quo vocati erant. Participium *vocatum* (κληθέν) hic idem valere quod *creatum* omnes consentiunt, quia verbum καλεῖν (*vocare*) saepius metaphorice de creatione usurpatur, haud dubie cum allusione ad mosaicam narrationem, quae Deum solo suo iussu *Fiat lux* lucem ex *non esse* ad *esse* vocantem inducit (*Rom.* 4,17 « vocans ea quae non sunt quasi essent » τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα scilicet *ut sint*; cfr *Is.* 41,4; 48,13; *Bar.* 3,33 sqq. « qui mittit lucem et vadit; — vocaverat illam et obedierat ei tremens; — stellae dederunt lucem in custodiis suis et laetatae sunt; — vocaverat illas et dixerant : ecce adsumus, et luxerant cum iucunditate creatori suo » τῷ ποιήσαντι αὐτούς. Cfr dictionem germanicam « ins Dasein rufen »).

Creatione et conservatione, quibus auctor Sapientiae amorem, qui misericordiae fons est, ad universas creaturas sese extendere probavit, sua sponte etiam omnia ei propria eiusque dominio subiecta esse ostenditur. Quapropter nonnulli duo haec argumenta sequenti *v.* 27. quodammodo comprehendi arbitrantur, ut iisdem, licet alia via, universalitas amoris iterum confirmetur. Verum sequens sententia de Sapientiae misericordia diserte agit (*parcis omnibus*) eiusque probatio sequitur 12,1, quem versum una cum 12,2 illi, qui ineunte saec. 13 capitum divisionem in SS. Scripturas invexerunt, erronea latinorum suae aetatis codicum lectione seducti perperam pro novae sectionis initio habuerunt. Omnino potius tenendum est, *v.* 27 verbis *parcis autem omnibus* resumi assertionem *v.* 24 *sed misereris omnium* atque argumento plane novo probari, quod graecus textus (12,1) affert. Namque hoc modo locum nostrum legendum esse testes critici suadent : 27. *Parcis autem omnibus, quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas* (vel *qui amas vitam*); 12,1. *Bonus* (vel *non interiturus* seu *immortalis*) *enim tuus spiritus est in omnibus.*

Nam graeci codices omnes in hac lectione consentiunt : 27. Φείδῃ δὲ πάντων, ὅτι (τὰ) σά ἐστιν, Δέσποτα φιλόψυχε· 12,1. Τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσιν. Eandem lectionem versiones quoque omnes, si Vulgatam interim praetermittimus, secutas esse certum est, quamvis aliae (uti *Arm. Copt.*) adiectivum ἄφθαρτον hic vertant *incorruptibilis*, aliae (uti *Syr. Ar.* cum *Vulg.*) illud hic idem quod *bonus* valere supponat. Neque enim recte moderni plerique ab auctoribus *Vulg. Syr. Ar.* pro ἄφθαρτον lectum esse ἀγαθόν sibi persuaserunt, siquidem facillime intelligitur translatores istos, quum quid *Spiritus incorruptibilis* vel *immortalis* sibi hoc in loco vellet, non viderent, alteram vocabuli significationem (*non corruptus*) praetulisse, eam autem non negative sed positive (*bonus*) exprimere voluisse. Ad reliquarum porro versionum unanime testimonium ipsa quoque *Vulgata* nostra accedit, quippe quae antiquitus eandem lectionem expresserit. Id enim testantur *S. Aug.* (c. Faust. Manich. XIX,

28), qui octo versus continuos (11,22-12,2), eiusque adversarius pelagianus *Iulianus Eclan.* qui ultimos sex versus (11,24-12,2) eodem plane modo ex suo quisque codice transcripserunt (*S. Aug.* c. Iulian. op. imperf. IV. 124), deinde *S. Victor* (cfr Galland. Bibl. VIII. 139), *Brev. Mozar.* (*M.* 86,722), unusque vel alter cod. lat. (cfr *Reusch*). Procul ergo dubio hodierna Vulgatae Clem. lectio iunioribus debetur librariis, qui sententiam 12,1 (eadem ratione qua 4,1) nescio cur mutare non dubitabant; quare graecum textum, quem latini quoque Patres secuti sunt, iure praeferendum atque Vulgatae exclamatione (*o quam bonus et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus*) praetermissa primam illam 12,1. sententiam pro confirmatione et explicatione *v.* 27. sumendam censemus.

Secundum genuinam autem sententiae lectionem auctor universalitatem misericordiae Sapientiae, uti in priore particula (*vv.* 24-26) universali eius amore in creatione et conservatione rerum omnium manifestato, ita nunc (*vv.* 27; 12,1) universali eius dominio probat, quod non tantum ei competere sed etiam ab ea continuo exerceri eius in omnibus rebus praesentia manifestetur. Omnes creaturas ad eam pertinere eiusque esse proprietatem ex eo iam apparet, quod omnes, quaequae sunt et quidquid habent, per eam acceperunt et semper accipiunt. Quapropter auctor simplici assertione *tua sunt* contentus dominium eius ipsum novo argumento non adstruit, sed potius quomodo illud exerceat, secundo membro addito ostendit; per suum quippe ipsius spiritum eam omnibus rebus inesse dicit (cfr ad 7,24), utique ut eas tueatur, ne pereant; neque enim in rerum, quas creavit, interitu laetatur, sed eas creavit, ut essent (cfr 1,13. 14). Itaque universalis sui dominii exercitio tam efficaci se omnibus parcere creaturis manifestat, ita ut nemo mirari possit, quod a fortiore Aegyptiis, licet impiis, in ipsa poena misericordiam exhibere voluerit.

Restat, ut de dictionum δεσπότης φιλόψυχος et πνεῦμα ἄφθαρτον latina interpretatione nonnulla dicamus. Priorem Vulgata vertit : *Dominus qui amat animas,* neque negari potest graecum epitheton φιλόψυχος per se hanc interpretationem admittere atque appellationem *amatricis animarum* Sapientiae, sive notionalis sive attributiva intelligitur, per se omnino convenire. Attamen ad totius loci contextum, quum inde a *v.* 25 non de solis hominibus sed de omnibus rebus a Sapientia amatis agi neutra adhibita evidenter testentur, haec appellatio minus videtur quadrare; semper enim aliquid miri retinebit, etsi ad eam tuendam aliqui rectissime moneant, propter hominem reliqua omnia esse creata auctoremque, quamvis de universali Sapientiae amore et misericordia loquatur, potissimum homines (vel si mavis Aegyptios) ante oculos semper habuisse. Iamvero epitheton φιλόψυχος, quod in nullo alio Scripturae loco legitur, apud profanos scriptores proprie valet *amans vitae,* licet de ignavis plerumque

adhibeatur hominibus, qui ut vitae suae consulant mortis periculo sese exponere timent (unde φιλοψυχεῖν, i. q. timidum vel ignavum esse). Quae significatio, si proprio suo sensu etymologico sumitur, sententiae et toti loco egregie congruit, quibus per Sapientiam omnes res in sua vita et exsistentia servari docetur. Similiter alteram dictionem πνεῦμα ἄφθαρτον, licet *spiritum bonum,* uti diximus, valere per se *possit,* contextu tamen considerato multo rectius interpretabimur *spiritum nunquam interiturum* seu *immortalem.* Namque spiritus Sapientiae, quoniam ipse interire nequit, idoneus quoque est rebus, quibus inditus est, tuendis in suoque esse servandis. Quid vero nomine *spiritus Sapientiae* hic significetur, in controversia est. Alii, praeeunte iam *S. Athan.* (ad Serap. ep. 1,26 cfr 3,4), Spiritum S. ipsum intelligunt (cfr 7,22), quatenus ei rerum conservatio et gubernatio et consummatio appropriantur; Deus autem revera in omnibus adest « tum per potentiam, in quantum omnia eius potestati subduntur, tum per praesentiam, in quantum omnia nuda sunt et aperta oculis eius, tum per essentiam, in quantum adest omnibus velut causa essendi » (*S. Thom.* Summ. th. I. qu. 8, a. 3; cfr ibid. a. 1. « Deus causat *esse* in rebus, non solum quando primo esse incipiunt, sed quamdiu in esse conservantur, sicut lumen in aere causatur a sole, quamdiu aer illuminatus manet »). Alii porro, minus tamen recte, ni fallor, nomine *spiritus* metaphorice nisum illum designari arbitrantur, creaturis divinitus inditum, quo omnes corruptionem effugientes ad suam perfectionem tendunt. Longius autem a vero aberrant, qui ad *Gen.* 2,7 (cfr etiam *Iob.* 32,8; 33,4; 34,14 sq. etc.) respicientes « spiraculum vitae » intelligunt, quo in faciem primi hominis inspirato, « Deus eum fecit animam viventem »; namque de solis hominibus hic non agi evidens est. Quod vero rationalistae moderni hunc spiritum dicunt esse Stoicorum animam mundi, id non tantummodo a nostri loci sed a totius libri doctrina tam absonum est, ut non intelligatur, quomodo quisquam potuerit eiusmodi sententiam sibi persuadere.

Quorsum tandem tota haec expositio de Sapientiae misericordia omnipotentiam eius moderante spectet, docet eius conclusio, qua haec sectio terminatur simulque sequentis thema indicatur : 12,2. *Ideoque* (lege : *quapropter* διό) *eos qui exerrant* (potius *delinquunt* τοὺς παραπίπτοντας) *partibus corripis* (κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις), *Et de quibus peccant admones et alloqueris* (graecum membrum : καὶ ἐν οἷς ἁμαρτάνουσιν ὑπομιμνήσκων νουθετεῖς accuratius clariusque vertitur : *et ea, in quibus peccant, in memoriam revocans eos admones*), *Ut relicta malitia* (vel potius *liberati a malitia* ἀπαλλαγέντες τῆς κακίας) *credant in te, Domine.* Sapientia nimirum, quamquam pro sua omnipotentia Aegyptios, impios animalium cultores, variis modis interimere potuit, pro sua tamen misericordia levioribus poenis usa est, quippe

quibus eos, qui delinquunt (παραπίπτοντας i. e. a recta via aberrantes in παραπτώματα, peccata, incidunt cfr ad 6,10), non tantum corripit, sed *castigat* (ἐλέγχει cfr ad 1,3), non tamen subito sicut merentur, sed sensim atque pedetentim (κατ' ὀλίγον proprie : secundum parvam partem), simulque peccatis in eorum memoriam reductis eos admonet, ut poenitentiam agentes a malitia se liberent ac vera fide, quae per caritatem operatur, ad Deum sese convertant. Aegyptiis igitur plagae, quamvis graves essent, a Deo immissae sunt tamquam poenae medicinales.

3) *Chananaei ob atrocia sua scelera, similiter atque Aegyptii, cum iustitia et misericordia puniti* (12,3-27).

12,3. Illos enim antiquos inhabitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti, 4. Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina et sacrificia iniusta, 5. Et filiorum suorum necatores sine misericordia, Et comestores viscerum hominum, et devoratores sanguinis A medio sacramento tuo, 6. Et auctores parentes animarum inauxiliatarum, Perdere voluisti per manus parentum nostrorum, 7. Ut dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quae tibi omnium carior est terra. 8. Sed et his tamquam hominibus pepercisti Et misisti antecessores exercitus tui vespas, Ut illos paulatim exterminarent, 9. Non, quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, Aut bestiis saevis aut verbo duro simul exterminare : 10. Sed partibus iudicans dabas locum poenitentiae, Non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, Et naturalis malitia ipsorum, Et quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. 11. Semen enim erat maledictum ab initio, Nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorum. 12. Quis enim dicet tibi : Quid fecisti? Aut quis stabit contra iudicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Aut quis tibi imputabit si perierint nationes, quas tu fecisti? 13. Non enim est alius Deus, quam tu, cui cura est de omnibus, Ut ostendas,

12,3. Καὶ γὰρ τοὺς παλαιοὺς οἰκήτορας τῆς ἁγίας σου γῆς μισήσας, 4. Ἐπὶ τῷ ἔχθιστα πράσσειν ἔργα φαρμακειῶν, καὶ τελετὰς ἀνοσίους, 5. Τέκνων τε φονέας ἀνελεήμονας, Καὶ σπλαγχνοφάγων ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοῖναν καὶ αἵματος Ἐκ μέσου μυσταθείας σου, 6. Καὶ αὐθέντας γονεῖς ψυχῶν ἀβοηθήτων, Ἐβουλήθης ἀπολέσαι διὰ χειρῶν πατέρων ἡμῶν, 7. Ἵνα ἀξίαν ἀποικίαν δέξηται Θεοῦ παίδων Ἡ παρὰ σοὶ πασῶν τιμιωτάτη γῆ. 8. Ἀλλὰ καὶ τούτων ὡς ἀνθρώπων ἐφείσω, Ἀπέστειλάς τε προδρόμους τοῦ στρατοπέδου σου σφῆκας, Ἵνα αὐτοὺς κατὰ βραχὺ ἐξολοθρεύσωσιν. 9. Οὐκ ἀδυνατῶν ἐν παρατάξει ἀσεβεῖς δικαίοις ὑποχειρίους δοῦναι, Ἢ θηρίοις δεινοῖς, ἢ λόγῳ ἀποτόμῳ ὑφ' ἓν ἐκτρῖψαι. 10. Κρίνων δὲ κατὰ βραχὺ ἐδίδους τόπον μετανοίας, Οὐκ ἀγνοῶν, ὅτι πονηρὰ ἡ γένεσις αὐτῶν Καὶ ἔμφυτος ἡ κακία αὐτῶν, Καὶ ὅτι οὐ μὴ ἀλλαγῇ ὁ λογισμὸς αὐτῶν εἰς τὸν αἰῶνα. 11. Σπέρμα γὰρ ἦν κατηραμένον ἀπ' ἀρχῆς, Οὐδὲ εὐλαβούμενός τινα, ἐφ' οἷς ἡμάρτανον, ἄδειαν ἐδίδους. 12. Τίς γὰρ ἐρεῖ· τί ἐποίησας; Ἢ τίς ἀντιστήσεται τῷ κρίματί σου; Τίς δὲ ἐγκαλέσει σοι κατὰ ἐθνῶν ἀπολωλότων, ἃ σὺ ἐποίησας; Ἢ τίς εἰς κατάστασίν σοι ἐλεύσεται ἔκδικος κατὰ ἀδίκων ἀνθρώπων; 13. Οὔτε γὰρ Θεός ἐστι πλὴν σοῦ, ᾧ μέλει περὶ πάντων, Ἵνα δείξῃς, ὅτι οὐκ ἀδίκως ἔκρινας· 14. Οὔτε βασιλεὺς ἢ τύραννος ἀντοφθαλμῆσαι δυνήσεταί σοι περὶ ὧν ἐκόλασας, 15. Δίκαιος δὲ ὢν

quoniam non iniuste iudicas iudicium 14. Neque rex, neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti. 15. Cum ergo sis iustus, iuste omnia disponis : Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare Exterum aestimas a tua virtute. 16. Virtus enim tua iustitiae initium est, Et ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis. 17. Virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, Et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis. 18. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas Et cum magna reverentia disponis nos : Subest enim tibi, cum volueris, posse. 19. Docuisti autem populum tuum per talia opera, Quoniam oportet iustum esse et humanum, Et bonae spei fecisti filios tuos, Quoniam iudicans das locum in peccatis poenitentiae. 20. Si enim inimicos servorum tuorum et debitos morti Cum tanta cruciasti attentione, dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia : 21. Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, Quorum parentibus iuramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum? 22. Cum ergo das nobis disciplinam, inimicos nostros multipliciter flagellas, Ut bonitatem tuam cogitemus iudicantes, Et cum de nobis iudicatur, speremus misericordiam tuam. 23. Unde et illis, qui in vita sua insensate et iniuste vixerunt, Per haec, quae coluerunt, dedisti summa tormenta. 24. Etenim in erroris via diutius erraverunt, Deos aestimantes haec, quae in animalibus sunt supervacua, Infantium insensatorum more viventes. 25. Propter hoc tamquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti. 26. Qui autem ludibriis et increpationibus non sunt correcti, Dignum Dei iudicium experti sunt. 27. In quibus enim patientes indignabantur Per haec, quos putabant deos, in ipsis, cum exterminarentur, Videntes illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt : Propter quod et finis condemnationis eorum venit super illos.

δικαίως τὰ πάντα διέπεις, Αὐτὸν τὸν μὴ ὀφείλοντα κολασθῆναι καταδικάσαι Ἀλλότριον ἡγούμενος τῆς σῆς δυνάμεως. 16. Ἡ γὰρ ἰσχύς σου δικαιοσύνης ἀρχὴ, Καὶ τὸ πάντων σε δεσπόζειν πάντων φείδεσθαί (σε) ποιεῖ. 17. Ἰσχὺν γὰρ ἐνδείκνυσαι ἀπιστούμενος ἐπὶ δυνάμεως τελειότητι, Καὶ ἐν τοῖς εἰδόσι τὸ θράσος ἐξελέγχεις. 18. Σὺ δὲ δεσπόζω νἰσχύος ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις, Καὶ μετὰ πολλῆς φειδοῦς διοικεῖς ἡμᾶς· Πάρεστι γάρ σοι ὅταν θέλῃς τὸ δύνασθαι. 19. Ἐδίδαξας δέ σου τὸν λαὸν διὰ τῶν τοιούτων ἔργων, Ὅτι δεῖ τὸν δίκαιον εἶναι φιλάνθρωπον. Καὶ εὐέλπιδας ἐποίησας τοὺς υἱούς σου, Ὅτι δίδως ἐπὶ ἁμαρτήμασιν μετάνοιαν. 20. Εἰ γὰρ ἐχθροὺς παίδων σου καὶ ὀφειλομένους θανάτῳ Μετὰ τοσαύτης ἐτιμώρησας προσοχῆς καὶ δεήσεως, Δοὺς χρόνους καὶ τόπον δι' ὧν ἀπαλλαγῶσι τῆς κακίας, 21. Μετὰ πόσης ἀκριβείας ἔκρινας τοὺς υἱούς σου, Ὧν τοῖς πατράσιν ὅρκους καὶ συνθήκας ἔδωκας ἀγαθῶν ὑποσχέσεων; 22. Ἡμᾶς οὖν παιδεύων τοὺς ἐχθροὺς ἡμῶν ἐν μυριότητι μαστιγοῖς, Ἵνα σου τὴν ἀγαθότητα μεριμνῶμεν κρίνοντες, Κρινόμενοι δὲ προσδοκῶμεν ἔλεος. 23. Ὅθεν καὶ τοὺς ἐν ἀφροσύνῃ ζωῆς βιώσαντας ἀδίκους Διὰ τῶν ἰδίων ἐβασάνισας βδελυγμάτων. 24. Καὶ γὰρ τῶν πλάνης ὁδῶν μακρότερον ἐπλανήθησαν, Θεοὺς ὑπολαμβάνοντες τὰ καὶ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα, Νηπίων δίκην ἀφρόνων ψευσθέντες. 25. Διὰ τοῦτο ὡς παισὶν ἀλογίστοις Τὴν κρίσιν εἰς ἐμπαιγμὸν ἔπεμψας. 26. Οἱ δὲ παιγνίοις ἐπιτιμήσεως μὴ νουθετηθέντες Ἀξίαν Θεοῦ κρίσιν πειράσουσιν. 27. Ἐφ' οἷς γὰρ αὐτοὶ πάσχοντες ἠγανάκτουν, Ἐπὶ τούτοις οὓς ἐδόκουν θεοὺς, ἐν αὐτοῖς κολαζόμενοι Ἰδόντες ὃν πάλαι ἠρνοῦντο εἰδέναι, Θεὸν ἐπέγνωσαν ἀληθῆ, Διὸ καὶ τὸ τέρμα τῆς καταδίκης ἐπ' αὐτοὺς ἐπῆλθεν [1].

1. VV. LL. vide in proxima pagina.

Aegyptios ideo levioribus potius plagis castigatos quam gravioribus subito deletos esse, ut admoniti ad verum Deum converterentur, velut consectarium ex praecedente expositione derivatum est (12,2). Haec autem divina agendi ratio nunc confirmatur interitu Chananaeorum, quibus ob gravissima crimina internecioni devotis Deus simili modo opportunitatem poenitentiae, utique frustra, concesserit. Consectarium igitur illud velut thesis nobis proposita hoc sententiarum ordine explicatur. Pristinos Palaestinae incolas Deus propter scelestissimum eorum cultum per filios Israel delere decreverat, ut terra illa sibi carissima digniores colonos acciperet (*vv.* 3-7). Pro sua tamen misericordia, quae ad omnes homines se extendit, eos leviore plaga prius admonuit (*v.* 8) poenitendique tempore iis concesso a gravioribus

1. *VV. LL.* — 5. σπλαγχνοφάγων B ℵ A C, omnes fere minusc. graeci; sed σπλαγχνοφάγους 11 minusc. gr. (cfr *Holmes*), ed. Complut., cum *Vulg. Syr. Arm. Copt. Aeth.*; posterior lectio ob versionum auctoritatem merito praefertur (cfr *Feldm.*). — ἐκ μέσου μυσταθείας σου : de genuina huius membri lectione dicemus in *Comment.* — 6. Pro ἐβουλήθης (*voluisti*) ℵ male : ἐὰν βουληθῇς (si volueris). — 7. ἵνα ἀξίαν : solus ℵ habet κατὰ ἀξίαν, solusque in dictione ἡ παρὰ σοὶ κτλ. articulum omittit. — 8. Pro τοῦ στρατοπέδου σου minus apte B ℵ τοὺς στρατοπέδους σου. — 12. τίς δὲ ἐγκαλέσει σοι; *Vulg. Copt. Arm.* videntur minus apte legisse : ἢ τίς ἐγκαλέσει σοι; minus apte quoque *Vulg.* ordinem tertiae et quartae interrogationum invertit (cfr *Comment.*). — 14. ἀπώλεσας (*perdidisti*) nullo in cod. graeco legitur, ex Sixtina tamen graeci textus editione et ex *Vulg.* in multas iuniores editiones perperam transiit; lege : ἐκόλασας (*castigasti*) cum graec. codd. et aliis verss. — 15. ἡγούμενος (aestimans) : pro verbo finito *aestimas Ians. Gand.* iam coniecit, in *Vulg.* quoque participium *aestimans* esse restituendum (cfr *Reusch*). Perperam inde a *S. Greg. M.* aetate multi codd. multaeque editiones *Vulg.* legerunt : « ipsum quoque qui non debet puniri condemnas » cfr *Comment.*: *Arm.* autem et *Syr.* particulam negantem μή (non) praetermittentes sententiam plane perverterunt cfr *Feldm.* p. 65; *Holtz.* p. 131. sq.). — 16. πάντων φείδεσθαι ποιεῖ B ℵ 23. et nonnulli minusc.; rectius : πάντων σε φείδεσθαι ποιεῖ (omnibus *te* parcere facit) A ℵ^{b}, multi minusc., ed. Complut. cum *Vulg. Arm. Ar. Copt. Aeth.* (in *Vulg. Clem.* pro *facis* lege *facit*) cfr *Reusch* et *Feldm.* — 17. ἐν τοῖς εἰδόσιν B 23 cum plerisque minusc., *S. Aug.* (de quaest. octog. trib. qu. 53,3), cum aliquibus codd. *Vulg.* (cfr *Reusch*) *Syr.*; ἐν τοῖς σὲ εἰδόσι (in iis qui *te* sciunt) ℵ *Copt.*; ἐν τοῖς εἰδόσιν σου aliqui minusc. graeci; sed ἐν τοῖς οὐκ εἰδόσι (in iis qui *nesciunt*) A cum *Arm.*; ἐν τοῖς σε οὐκ εἰδόσι (in iis qui *te* nesciunt) est lectio, quam *Vulg. Clem.* cum plerisque codd. latin. supponit. Prima lectio, quacum secunda et tertia congruunt, testium auctoritate commendatur; ceterum cfr *Comment.* — 20. μετὰ... προσοχῆς καὶ δεήσεως : καὶ δεήσεως om. A, nonnulli minusc., *ed. Complut., Vulg. Clem.* et *Aeth.*; καὶ διέσεως (et indulgentia) ℵ et forte *Copt.* (cfr *Feldm.*); καὶ διέσωσας aliqui minusc. cum *Vulg. Sixt.* et *Arm.* cfr *Comment.* — χρόνους καὶ τόπον B ℵ *Syr. Shex Arm.*; χρόνον κ. τ. A, haud pauci minusc., *Vulg.*; τόπον καὶ χρόνον *Copt.*: minus apte aliqui minusc., ed. Complut et Ar. χρόνον καὶ τρόπον (tempus et modum). — 23. ἀδίκους (iniustos) B ℵ, aliqui minusc., *Ar.*; sed, utique minus apte, ἀδίκως (*iniuste*) A ℵ^{2} 23, haud pauci minusc., *Vulg. Arm. Shex. Copt.*

poenis adhibendis, quamvis eorum contumaciam non ignoraret, sese abstinuit non ob potentiae defectum (*vv.* 9-11[a]) neque ob timorem, ne quis sibi obstaturus esset (*vv.* 11[b]-14), sed pro sua iustitia suaque misericordia, quae eius omnipotentia et universali dominio nituntur (*vv.* 15-18). Hunc autem agendi modum Deus erga duos populos istos eo consilio tenuit, ut filios Israel tum ad suam misericordiam imitandam incitaret, tum ad maiorem spem fiduciamque erigeret, qui propter promissiones patriarchis factas meliorem, quam ethnici, sortem iure merito exspectare possent (*vv.* 19-22). Expositionem demum Sapiens terminat recapitulatione quadam poenarum adversariis Israelitarum iure talionis inflictarum atque finis, quem Deus in iis infligendis sibi proposuit et inflictis assecutus est, nimirum ut ipse vel ab idololatris verus Deus agnosceretur (*vv.* 23-27).

Consectarium igitur suum de medicinali plagarum aegyptiacarum indole Sapiens altero exemplo historico confirmaturus Deum Chananaeos atrocissimorum criminum reos non subito delevisse, sed minore poena ad poenitentiam prius invitasse ostendit. Quo ex nexu iam apparet particulam causalem (γάρ *enim*) primae sententiae (*vv.* 3-7) insertam non ad eam solam pertinere, quippe quae tota de internecionis decreto contra Chananaeos lato eiusque causis et fine agat, sed integram novam sectionem regere vimque suam causalem potissimum ad *vv.* 8 sqq. extendere, quibus modus exponitur, quo Deus illud exsecutus sit (cfr ad 11,12). Decretum ipsum ergo quasi exordium quoddam est toti argumento ideo, ut videtur, praemissum, ut clarius magnitudo appareat misericordiae divinae, quae ipsas gentes tot tantisque criminibus obnoxias ad poenitentiam adducere conata sit. Longiore autem periodo eaque quasi tripartita exponitur, cuius prima pars et tertia (*vv.* 3 et 6[c], 7) poenam per Israelitas infligendam eiusque finem declarant, secunda autem quinque membris, quae a participio μισήσας (i. q. *detestatus*, *Vulg. quos exhorruisti*) pendent, causas divini odii in Chananaeos patefacit (*vv.* 4-6[b]). Maioris claritatis causa hanc periodum per partes explicare malumus, atque priore in loco sententiam principalem de poena eiusque fine (*vv.* 3 et 6[c], 7) ac deinde membra intermedia de criminibus Chananaeorum tractabimus.

3. *Illos enim antiquos* (accuratius : *nam etiam antiquos* seu *pristinos*) *inhabitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti...* 6[c] *Perdere voluisti per manus parentum* (seu *patrum*) *nostrorum,* 7. *Ut dignam perciperent* (lege : *perciperet* δέξηται) *peregrinationem* (melius *coloniam*) *puerorum* (i. e. filiorum) *Dei, Quae tibi omnium carior est terra*

(*terra tibi omnium* seu *inter omnes* carissima). Particulae καὶ γάρ (aliquoties i. q. *etenim*) ut alibi frequentius, ita hic suam nativam vim (*nam etiam*) retinent (cfr *Win.* Gr. p. 417; *Bl.* Gr. p. 269), quum Sapiens evidenter ad Aegyptiorum poenas respiciat. Nomine *pristinorum incolarum terrae sanctae Dei* proculdubio septem illae gentes designantur a Chanaan filio Cham una cum quatuor aliis prognatae (*Gen.* 10,15 sqq.) et a Moyse velut delendae diserte nominatae (*Deut.* 7,1), quae iam Abrahami aetate Palaestinam occupaverant (cfr *Gen.* 12,6; 13,7), quarum autem terras fertilissimas « a fluvio Aegypti usque ad magnum fluvium Euphraten » Deus se posteris Abrahami daturum esse identidem promiserat (cfr *Gen.* 15,18 sqq.; 13,15 etc.) et quas ipsas propter multa eorum crimina atrocissima usque ad internecionem per filios Israel percuti iusserat (cfr *Exod.* 23,23; 33, 7; 34,11 sqq.). Sua igitur sententia auctor tum divinum internecionis decretum contra Chananaeos latum tum divinam promissionem de Palaestina filiis Israel attribuenda aptissime coniungit. Animadvertatur tamen oportet, gentes chananaeas propter suam ipsorum impietatem interitui devotas dici, terras vero eorum Israelitis datas, quia digniores sperabantur fore incolae regionis illius, in qua Deus summa infiniti sui amoris mysteria manifestaturus erat, quae tamen etiam Salomonis iam aetate *terra sancta Dei* (cfr *Zach.* 2,12; 2 *Mach.* 1,7) appellari merebatur, quia Deus non tantummodo eam sibi quasi peculium reservaverat, ut sua ipsius esset terra et hereditas (cfr *Os.* 9,3; *Ps.* 78,1), Israelitae vero in ea non habitarent nisi tamquam advenae et *coloni* (ἀποικία cfr *Levit.* 25,23 πάροικοι), sed sibi quoque in ea stabilem sedem elegerat, ex qua legem verbumque suum in totum mundum emittere voluit (cfr *Is.* 2,2 sqq.).

Maiorem difficultatem membra intermedia creant, quia neque de eorum constructione et nexu neque de aliquorum lectione et interpretatione satis constat. *Vulgatae* nostrae interpres parum accurate illa hoc modo reddidit : (*quos exhorruisti,*) 4. *Quoniam odibilia opera tibi faciebant per medicamina et sacrificia iniusta,* 5. *Et filiorum suorum necatores sine misericordia Et comestores viscerum hominum et devoratores sanguinis A medio sacramento tuo,* 6. *Et auctores parentes animarum inauxiliatarum.* Secundum graeci autem textus lectionem quam probabiliorem esse infra ostendemus (cfr interim textum, p. 429, cum VV. LL.) rectius clariusque vertemus : (*quos exhorruisti,*) 4. *Quoniam odiosissima faciebant opera veneficiorum* (*vel incantationum*) *Et sacrificia impia* (*seu scelerata*) 5. *velut et infantium occisores immisericordes, Convivaeque epuli sacrificalis carnium humanarum et sanguinis,* 6. *Et initiati e media turba rabidorum Parentesque propriis*

manibus occidentes animas auxilio orbatas. Ad constructionem nexumque membrorum quod attinet, omnino tenendum esse censemus, primo membro (*v.* 4. *quoniam odiosissima faciebant* etc.) generali modo totum cultum abominandum Chananaeorum declarari causam, cur Deus eos detestatus sit et interitui devoverit, reliquis vero quatuor (*vv.* 5, 6; non tribus, uti permulti vitiosam lectionem secuti arbitrantur) perversitatem totius eorum cultus illustrari, atrocissimis quibusdam criminibus eorum speciatim allatis. Accusativos porro (φονέας, σπλαγχνοφάγους, μύστας, γονεῖς i. q. γονέας. cfr *Win.* Gr. p. 63; *Bl.* Gr. p. 26 etc.) aptissime velut subiecta ad infinitivum πράσσειν trahimus aut etiam appositiones esse statuimus subiecti αὐτούς, quod ad infinitivum πράσσειν supplendum est (ἐπὶ τῷ πράσσειν αὐτούς... φονέας...); hinc eos nostra in versione nominativis reddere cogebamur, quia ad verbum *faciebant* referuntur. Deinde secundum tertii membri lectionem, quam praeferimus (ἐκ μέσου τε μύστας θιάσου), duo priora subiecta aeque ac duo posteriora particulis τε... καί (et que) arctius quidem inter se sunt connexa, per chiasmi tamen figuram ita disposita, ut primum quarto, secundum tertio accuratius definiatur.

Iam vero ad singula explicanda veniamus. Atque primum quidem Deus Chananaeos *exhorruisse* seu detestatus esse asseritur, quia generatim cultus eorum abominandis veneficiis et sacrificiis impiis constaret. Nomen φαρμακειῶν, quod *Vulg.* hoc in loco minus definite *medicamina*, infra autem (18,13) et in Nov. Test. (*Gal.* 5,20; *Apoc.* 9,21; 18,23) rectius *veneficia* (i. e. magicorum potuum et instrumentorum praeparatio et usus) vertit, ab Alexandrinis de magicis illis artibus et incantationibus usurpatur, quibus magi Aegyptiorum ad prima Moysi miracula imitanda usi sunt (cfr *Exod.* 7,11.22.30 pro hebr. לָהַטִּים et לְטִים). Quare auctorem nostrum suo *odiosissima veneficiorum opera* cunctas eas abominationes (βδελύγματα תּוֹעֵבוֹת) comprehendisse iure dicimus, a quibus Moyses filios Israel iamiam terram Chanaan ingressuros deterruit, quia propter eas Deus Chananaeos esset deleturus (*Deut.* 18,9-12). Alterum autem nomen (τελεταὶ ἀνόσιοι) quid hic valeat, minus certum est; alii illud sacrificia impia, alii impia mysteria, alii ceremonias impias interpretantur. Alexandrini τελετὰς Israel vocant illicitam excelsorum cultum per regem Ieroboam in regno septemtrionali propagatum (*Am.* 7,9); cum nomine μυστήρια coniunctum auctor noster nomen adhibet de toto cultu idololatrico (14,15 cfr ibid. *v.* 23 : « sacrificia infanticidalia aut arcana mysteria » τεκνοφόνοι τελεταὶ ἢ κρύφια μυστήρια : cfr etiam *S. Aug.* de civ. Dei IV, 31,1 : « Graeci *teletas et mysteria* taciturnitate parietibusque clauserunt »). Proprie tamen nomen τελεταί idem valere ac *initiatio* recte dicitur, ita ut sacrificia

et ritus complectatur, quibus aut aliquis mysteriis initiabatur et hac ratione perfectus fieri putabatur (a verbo τελεῖν terminare et perficere), aut mysteria ipsa significet quae statis diebus peragebantur; atque hoc sensu ab auctore hic sumi videtur.

Porro non minus impudicum quidem et obscoenum quam saevum ac sanguinolentum cultum Chananaeos supremis suis exhibuisse diis, quos variis in terrae suae partibus nominibus variis invocabant (Baal, Moloch, Chamos etc., Astarte seu Astaroth, Aschera etc.), multis tum SS. Scripturarum tum profanorum scriptorum testimoniis traditum est. Noster tamen auctor obscoenitatibus et impudicitiis illis omnibus silentio praetermissis hoc in loco saevitiem crudelitatemque, qua in sacrificiis mysteriisque suis reliquas gentes facile superabant, solam urget et praecipuam causam interitus eorum fuisse indicat. Potissime autem consuetudinem illam scelestissimam obiurgat, qua ipsos filios filiasque sanguinario suo deo immolare audebant; neque a vero nobis aberrare videmur, si auctorem quatuor, qui nunc sequuntur, stichis illam solam ante oculos ita habuisse dicamus, ut primo illam generatim perstringat, in secundo et tertio immanitatem eis opprobret, qua velut daemoniaco furore abrepti partem quandam humanarum istarum victimarum sibi vindicare et devorare non abhorrebant, in quarto demum summum atrocitatis gradum damnet, quo parentes suis manibus filios suos mactare in animum inducebant.

Itaque Chananaeos opera Deo exosa fecisse accusat tamquam *infantium* (τέκνων) *occisores immisericordes* i. e. omnis misericordiae et humanitatis expertes (ἀνελεήμονας i. q. אַכְזָר seu אַכְזָרִי crudelis cfr *Prov.* 5,9; 11,17; 12,10 etc.). Primigenius textus non loquitur hic nisi de puerorum immolationibus, in dubio relinquens a quonam occidantur; quoniam autem in ultimo sticho (*v.* 6[b]) parentes istius criminis aperte accusantur, hic primus de eodem explicari nequit (ut explicat Vulg. « *filiorum suorum* necatores ») nisi quis auctorem eandem sententiam tautologice repetiisse opinetur. Immo si accurate loqui volumus, in primo sticho, si solus spectatur, etiam de *immolatione* infantium nondum agitur; ex arcto tamen eius nexu cum secundo auctorem de ea iam cogitasse apparet, siquidem in secundo Chananaeos dicit opera Deo exosa fecisse tamquam *convivas epuli sacrificalis humanarum carnium et sanguinis*, epuli igitur, in quo infantium immolatorum carnes et sanguis apponebantur.

Optime cum verss. legimus σπλαγχνοφάγους ἀνθρωπίνων σαρκῶν θοῖναν καὶ αἵματος (si enim cum plurimis codd. graecis legeremus σπλαγχνοφάγων... θοῖναν, accusativus θοῖναν [epulum sacrificale] fieret membrum cum φονέας, μύστας, γονεῖς parallelum; id quod vix admitti potest) et vertimus « qui devorant epulum sacrificale humanarum carnium et sanguinis », ubi θοῖναν est accu-

sativus obiecti pendens ab adiectivo verbali σπλαγχνοφάγος « viscera comedens »[1] et universim « crudeliter comedens », σαρκῶν καὶ αἵματος sunt genetivi epexegetici ad θοῖναν. — Chananaei igitur hoc sticho tanquam epulatores carnis sanguinisque hostiarum humanarum increpantur.

Gravis autem hic exoritur difficultas, quam *Calm.* his verbis indicat : « Phoenices [aliasque gentes Chananaeas] Saturno et Baali humanis virorum puerorumque victimis litare consuevisse nemo ignorat, quum innumera supersint apud Scripturam et profanos eiusce rei argumenta; at victimarum huiusmodi viscera eos vorare solitos nemo tradit ». Revera si Chananaei in suis mensis carnes sanguinemque infantium immolatorum apponere consuevissent, aliquod profecto summae huius abominationis testimonium aut saltem vestigium apud nonnullos Patres (praesertim *Clem. Alex.* et *Euseb. Caes.* inter Graecos, *Arnob.* et *Lactant.* inter Latinos) inveniremus, qui horrenda gentium sibi cognitarum mysteria et sacrificia sollicite collegerunt et descripserunt, ut quam abominanda esset tota idololatria demonstrarent. Neque vero cum *Ians. Gaud.* respondere licet : « tametsi de hac immanitate Scriptura non notet alibi Chananaeos[2], sufficit eos hic notari »; ea nempe est quaestio, num hic locus de epulis proprie dictis intelligi debeat, in quibus carnes infantium immolatorum, similiter atque animalium idolothytorum, sint appositae, annon rectius de alio quodam crimine atroci explicetur, quod auctor pro poetico suo describendi more per epulas sacrificales tropice designaverit. Atqui idipsum tertio sticho, quo secundus (ut primus quarto) accuratius definitur, haud obscure declarari videtur, dummodo huius membri, verae et criticorum et interpretum crucis, ea adoptetur lectio, quam utpote solido codicum graecorum fundamento innixam (cfr *infra*) sententiaeque apprime congruam admittendam censemus : ἐκ μέσου μύστας τε θιάσου, *et initiatos ex media rabidorum turba.* Quibus verbis auctorem significare voluisse veri simillimum est, nomine convivarum epuli istius abominandi illos intelligendos esse Baalis cultores, qui eius mysteriis initiati in infantium sacrificiis tum clamoribus saevis tripudiisque ac similibus irritamentis, tum aspectu et odore sanguinis tot infantium, qui ante crematiouem iugulari solebant, interdum rabie vere belluina ne dicam satanica incendebantur atque eo usque abripiebantur, ut velut vesani corpora infantium caesorum manibus suis dilacerare eorum-

1. Adiectiva participio aequipollentia possunt cum accusativo obiecti coniungi. Ex. gr. πολλὰ συνίστορα (= συνειδότα) αὐτοφόνα κακά Aesch. Ag. 1091; ἐν δόμων ἕδην χοὰς προπομπός (= προπέμπουσα) Choeph. 23. Plura v. ap. Kühner, gr. Gramm.[3] III, § 409 Anm. 4. — Verba (ergo etiam adiectiva) composita, quae iam ipsa per se obiectum continent, tamen cum accusativo obiecti coniunguntur, ut παιδαγωγέω τινά, δενδροτομεῖν νῶτον; ib. § 409,8. [*Editor.*]

2. Alludit auctor ad *Ezech.* 16,20; 23,37; *Zach.* 9,7, quibus ex locis olim non pauci (uti inter modernos *Schm.*) colligere volebant, Chananaeos revera in epulis, quae cum sacrificiis istis parricidalibus coniunctae erant, carnes humanas apposuisse; sed id immerito fieri atque in verbis prophetae vel potius Dei (*et immolasti eis ad devorandum* vel comedendum לָהֶם לְאָכוֹל) pronomen *eis* ad idola referri atque victimas eis oblatas velut *eorum* cibum designari evidens est.

que frusta dentibus conterere et devorare non abhorrerent. Etenim nomen θιάσου, quod a poetis latinis transumptum (cfr *Georges* Lex. lat. s. v. *thiasus*) recte *turba furentium* seu *rabidorum* vertitur, proxime quidem « mulierum turbam seu catervam bacchicos choros agentem » (cfr *Schleusn.* Lex.); sed etiam virorum multitudinem designat, « qui furoris oestro perciti Bacchum Mainolen (μαινόλης i. q. furens) sollemnibus orgiis celebrant crudarumque carnium helluatione (ὠμοφαγίαις) sacram insaniam peragentes caesarum victimarum partes inter se dividunt serpentibus coronati » (*Clem. Alex.* Cohort. ad gent. 2), vel uti habet *Arnob.* (Disput. c. gent. V. 4) « caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipant. » Nomine θιάσου igitur adhibito auctor Chananaeos Baalis mysteriis initiatos assimilat Bacchi cultoribus eosque idolo suo infantes similibus ritibus saevis similibusque furoribus sacrificasse docet, quibus illi suo deo capros obtulerunt. Id autem non parum ex eo confirmatur, quod aliquoties illos quoque, qui sacrificiis Baalis oblatis spectatores aderant, eadem rabie adeo infectos esse refertur, ut idolum, quod eousque non coluerant, filiis suis litarent. Ac profecto quantopere atrocibus sanguinolentisque ritibus et furoribus vicini populi quodammodo fascinati et abrepti sint, luculentissime ex eo apparet, quod Israelitae terram Chanaan ingressuri non tantummodo lege severissima saepius repetita contra illum cultum praemuniri debuerint (cfr *Levit.* 20,2 sqq.; 18,21; *Deut.* 12,31; 18,9 sq.), sed etiam ea lege non obstante usque ad exsilium babylonicum ad eum semper propensi fuisse videantur (cfr 3 *Reg.* 11,7; 4 *Reg.* 16,3; 21,6; 23,10, etc.; *Ps.* 105,36-39; *Ierem.* 7,31; 18,5; 32,34 sq.; *Ezech.* 16,20; 20,31; 23,37).

Quarto demum sticho auctor, quum *parentes propriis manibus animas orbatas occidentes* (αὐθέντας γονεῖς ψυχῶν ἀβοηθήτων) recenseat, Chananaeos in suo cultu ad summum atrocitatis apicem pervenisse declarat. Quorum parricidiorum foeditatem et immanitatem egregie *Lactant.* (Divin. instit. I. 21) corripit de Latinis pueros suos Saturno immolantibus loquens : « De infantibus, inquit, qui eidem Saturno immolabantur propter odium Iovis, quid dicam? Non invenio tam barbaros tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, i. e. tetrum atque exsecrabile humano generi facinus, sacrificium vocarent, quum teneras atque innocentes animas, quae maxime est aetas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis exstinguerent immanitatemque omnium bestiarum, quae tamen suos amant, facile superarent. Quid illis isti dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitii, quum suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? Quid potest his hominibus esse sancti, aut quid profanis locis facient, qui inter aras deorum summa scelera committunt? » Latinus noster interpres, qui versione sua parum accurata in primum stichum illa parricidia invexit, illa in hoc exprimi non vidit; vertit enim *auctores parentes animarum inauxiliatarum.* Scilicet nomen αὐθέντης (i. q. αὐτοέντης ex αὐτός *ipse* et ἔντεα *arma*) pro sua etymologia proxime eum designare, *qui suis ipse armis* vel *sua manu* aut seipsum aut alium interficit atque hoc sensu et a veteribus et a iunioribus Graecis adhiberi non recor-

datus illud latine *auctor* vertit; quae significatio derivata illi utique competit (qui *sua manu* aliquid perficit) et in iuniorum Graecorum libris tribuitur, hoc tamen in loco plane inepta est (cfr de hoc nomine *Suicer.* Thesaur. theol. I, p. 475 et *Gr.* Lexic. N. T. s. v. αὐθεντέω; *Pape* Lex. etc.). Sunt qui priorem *suicidae* notionem hic praeferant, quatenus parentes tropice suicidae vocari possint, quia filios suos occidentes suae ipsorum carni et sanguini manus violentas inferant (cfr *Gutb.*); verum quo cum iure ad tropicam illam interpretationem recurratur, non intelligimus, quum altera propria (qui *sua manu* alium perimit) aptissima sit neque minus usitata. Porro illi quoque parentes filios suos propria manu interficere recte dici possunt, qui sua manu eos sacrificulo iugulandos tradunt; quare nulla adest ratio, cur auctorem hic rem exaggerasse aut hyperbolice descripsisse cum *Gr.* dicamus.

Tertium stichum *v.* 5 ita censemus legendum esse, ut iam innuimus, ἐκ μέσου μυστάς τε θιάσου « et initiatos e media turba rabidorum » (itidem, omisso τε, *Nann. Corl.* — *Fritzsche*, *Swete*, *Deane*, *Siegfried* etc.), quia haec lectio et in contextum quadrat et sufficienti codicum testimonio fulcitur. — Legitur in codd. ἐκ μέσου, nisi quod B^2 habet ἐκ μύσου, C ἐμ μέσῳ; in sequentibus vocabulis lectiones fere solum orthographice diversae sunt μύστας τε θειάσσου B^2 et, omisso τε, μύστας θειάσου A, μύστας θιάσου $\aleph^2$ C; lectiones magis corruptae sunt μυσταθεασου $\aleph^1$, μυσταθειασου B^1. Testimonium versionum itidem varians nimis incertum est, quam ut ex eo aliquid certi coniicere queamus; *Vulg.* sua versione *a medio sacramento tuo* scriptum supponere videtur ἐκ μέσου μυστηρίου σου vel forte μυσταθείας σου (sed vocabulum μυσταθεία non exsistit). Hanc *Vulgatae* lectionem (*a medio sacramento tuo*) antiquiores idem valere arbitrati sunt quod *a media terra sancta Dei* atque hanc phrasin per hyperbaton ad verbum *perdere voluisti* (*v.* 6.) traxerunt (cfr *Hugo Car. Lyran. Castro*); iuniores autem alii idem esse voluerunt, quod *interposito iuramento tuo*, quasi Chananaei potu sanguinis humani foedera sua sanxissent (cfr *Lap.*[1]); alii : *e medio sacrificio tuo*, quasi Chananaei sacrificiis suis horrendis verum Deum colere voluissent (cfr *Lap.*[2]); alii : *longe a lege sancta tua* seu adversus legem tuam; alii *in medio terrae sanctae tuae* celebrarunt ista sacrificia (cfr *Calm.*), quas explicationes non minus arbitrarias quam falsas esse patet. — Alii iuniores et moderni textum graecum coniecturis emendare conati a novis vocabulis graecis confingendis non abstinuerunt; quibus enumerandis supersedendum censemus.

Atrocissimo igitur suo cultu Chananaei terram Domino carissimam adeo polluerant, ut iustissimo iudicio interitui sint devoti; sed in huius decreti exsecutione Deus iterum suam misericordiam manifestavit. Subito quidem interitu digni erant, 8. *Sed et his tamquam hominibus pepercisti, Et misisti antecessores* (προδρόμους proprie : *praecursores*) *exercitus tui vespas, Ut illos paulatim exterminarent.* Ratio, cur Deus Chananaeis *pepercerit*, i. e. eos in ipsa poena infligenda cum lenitate et misericordia tractaverit, verbis *tamquam hominibus* exprimitur, quibus auctor illa omnia lectoribus in memo-

riam revocat, quae de divini amoris universalitate tradidit, quum Spiritum, qui in Sapientia est, φιλάνθρωπον appellavit (7,23), Sapientiamque omnia quae sunt diligere nihilque eorum quae fecit, odio habere (11,25) immo, quia in omnibus insit, etiam peccatores cum misericordia castigare docuit, ut eos ad poenitentiam adducat (12, 1. 2). Minus apte nonnulli moderni (*Les.* — *Deane*) illa dictione hominum debilitatem et proclivitatem ad malum designari putant, quae *Ps.* 78,38 sq.; 112,14 etc. velut causa affertur, cur homo misericordia sit dignus. Indulgentia porro divina in eo potissimum se manifestasse significatur, quod Chananaei ab initio leviore *vesparum* plaga ad poenitentiam agendam invitati et quasi compulsi atque non nisi *paullatim*, ut tempus poenitendi haberent, exstincti sint. Quam plagam Deus se *ante exercitum suum* i. e. ante filios Israel Chanaan invasuros praemissurum esse per Moysen promiserat (*Exod.* 23, 27 sqq. cfr *Deut.* 7,20) et se revera praemisisse per Iosue coram universo populo testatus est (*Ios.* 24,12). Utrum hebr. nomen צִרְעָה, quod in Scriptura tribus tantummodo his locis reperitur, proprie vespas an crabrones (Hornisse, frelon) an generatim varias bestiolarum aculeatarum species designet, cum certitudine definiri nequit; veterum tamen versionum atque etiam iuniorum rabbinorum, qui hebraicam traditionem conservarunt (*Kimchi*, *Iarchi*, *Bechai* etc.), auctoritate nomen de eiusmodi bestiolis intelligere cogimur, quae aculeis suis homines graviter laedere et interdum etiam interficere possunt (cfr *Gesen.* Thes. ling. hebr. p. 1186), neque quidquam obstat, quominus nomen σφήξ nostro in loco sensu illo latiore sumatur. Ceterum *de Hummelauer* (comment in Exod. et Levit. p. 247) apposite annotat: « narrat *Aelian.* (Hist. anim. II. 28) Phaselitas, qui prope Solymaeos in Chananitide incolebant, a vespis sedibus pulsos esse; similia facta *Bochart.* (Hieroz. III, 409) refert; ergo etiam illud crabronum factum non est incredibile » (cfr etiam *Philo* de praem. et poen. 16. Ed. Mang. II, p. 423); idque eo minus est incredibile, quia etiam hodie magnas Africae aequatorialis regiones una muscarum specie (Glassina morsitans; Tsetsefliege) reddi inhabitabiles videmus.

Quoniam tamen nusquam in Scripturis haec plaga Chananaeis immissa esse referatur, *S. Aug.* (Quaest. in Heptat. II. in Exod. qu. 93; VI in Ios. qu. 27.) coniecit nomine vesparum metaphorice « *aculeos timoris* intelligendos esse, quibus agitatae essent gentes, ut cederent filiis Israel »; quam explicationem ad nostrum quoque locum extendit. Sed haec coniectura, quamvis multis iunioribus arriserit atque etiam recentiore tempore a plurimis defendatur (cfr *Gesen.* Thes. ling. hebr. l. c.), solido fundamento caret. Argumentum enim ex silentio, quo S. Doctor utitur, semper magis minusque infirmum est, in nostra autem quaestione infirmissimum dici mere-

tur, si indoles plagae attente consideratur, prout in Pentat. praedicitur et a Iosue et nostro libro immissa refertur. Neque enim de plaga agitur simili aegyptiacis, quae subito omnium attentionem excitarunt, paucos tamen post dies cessarunt, neque de eventu quodam extraordinario, in quo uti in transitu per Mare rubrum et per Iordanem aut in expugnatione oppidi Iericho (*Ios.* 6,6 sqq.) aut in celeberrima pugna contra quinque reges amorrhaeos (*Ios.* 10,8 sqq.) similibusque omnipotentia divina apertissime quidem sed quasi in transitu se manifestavit, — sed de calamitate, qua Chananaei *paullatim* (κατὰ βραχύ, vel uti *Exod.* 23,30 legitur : κατὰ μικρόν בְּמְעַט בְּמְעַט) exterminandi erant, et quae secundum praedictionem eo usque perdurare debuit, donec filii Israel numero ita augerentur, ut totam terram occupare possent (*Exod.* 23,28-30), atque maxime ad Chananeos superstites delendos destinata erat, qui gladios Israelitarum effugerant latebrisque se absconderant (*Deut.* 7, 20). Iam vero quod eiusmodi calamitas continua, cuius originem miraculosam Chananaei probabiliter non cognoverunt et multi forte Israelitae quoque ignorarunt, in historia ipsius expugnationis non commemoretur, nihil habet admirationis. Neque tamen silentio plane est praetermissa; namque aptissime versus finem vitae Iosuae, postquam totus populus circiter triginta per annos effectus plagae Chananaeis funestos suis oculis spectare potuit, Deus ipse filios Israel congregatos commonere voluit, se ea quae de vesparum auxilio eis per Moysen promiserat, eadem cum fidelitate, qua alias suas promissiones, implevisse (*Ios.* 24,12). Multo minus autem quam S. Augustini metaphorica vesparum explicatio, quae calamitatis descriptioni suo modo accommodari potest, nobis probatur nova coniectura, qua *de Humm.* (Comment. in Deut. p. 253 sq.; in l. Ios. p. 506 sq.) non nostrum quidem locum (quem praetermittit, quia ei dubium est num de eadem re agat), sed tria alia testimonia illustrare conatur, quae hucusque ad unum omnes interpretes de vespis aut similibus bestiolis sive proprie sive metaphorice intellexerunt et ad quae nostrum quoque auctorem respexisse, omnes tenuerunt. Scilicet a tradita nominis צִרְעָה explicatione, quam in commentando Exodo ipse secutus erat (Comm. in Exod. et Num. p. 246) recedens nomine illo grandinem designari atque Deum in ultima Iosuae concione « portentum grandinis, quae prope Bethoron in Amorrhaeos est effusa » (*Ios.* 10,11), commemorasse persuasum habet. Qua vero ratione haec nova nominis explicatio ad locos pentateuchicos quadret, nemo facile dixerit. Num forte illo grandinis portento Chananaei paullatim, ne terra vastaretur, deleti sunt, donec filii Israel numero aucti totam terram possidere possent (cfr *Exod.* 23,28 sqq.), aut grandinibus caesi sunt Chananaei illi, qui ad exemplum quinque illorum regum amoerrhaeorum (*Ios.* 10,15 sqq.) in speluncas se abdiderant (cfr *Deut.* 7,12)? Aeque parum igitur ac nostro loco haec nova coniectura praedictioni plagae consonat.

Neque vero ob defectum potentiae sed propter suam misericordiam Deum parvulis illis bestiolis ad Chananaeos, uti antea ad Aegyptios, interimendos usum esse, Sapiens simili modo quo *supra* (**11,17** sqq.) ostendit; ut tamen misericordia clarius splendesceret, Deum ita egisse addit, quamvis Chananaeorum animum in malo obstinatum probe perspectum haberet : 9. *Non quia impotens eras* (οὐκ ἀδυνατῶν) *in bello* (graece : *acie instructa*) *subiicere impios iustis, Aut bestiis saevis aut verbo duro simul* (ὑφ' ἕν i. q. εἰς ἅπαξ, uno ictu seu *uno momento*)

exterminare; 10. *Sed partibus iudicans* (κρίνων δὲ κατὰ βραχύ clarius : *puniens autem paullatim*) *dabas locum poenitentiae, Non ignorans, quoniam nequam est natio eorum* (melius : *origo eorum*) *Et naturalis* (ἔμφυτος i. e. innata seu *insita*) *malitia ipsorum, Et quoniam non poterat mutari* (accuratius : *quoniam futurum erat, ut non mutaretur* ὅτι οὐ μὴ ἀλλαγῇ) *cogitatio* (ὁ λογισμός) *illorum in perpetuum.* 11. *Semen enim erat maledictum ab initio.* Prima sententia (*non quia impotens eras* etc.), uti graecus textus constructione sua participali docet, praecedentem continuat et ad verbum ἀπέστειλας (*misisti*) pertinet; quare rectius iunges et vertes : « *misisti... vespas..., quamquam non eras impotens* » etc.; cui deinde *v.* 10 simili constructione respondet : *paullatim autem puniens dabas locum poenitentiae, quamquam non ignorabas* etc. Dictiones autem negativas οὐκ ἀδυνατῶν (*non impotens*) et οὐκ ἀγνοῶν (*non ignorans*) sunt litotes, qua maiore cum vi potentia et scientia divina asseruntur. Duobus deinde poenae instrumentis, quibus Deus si voluisset Aegyptios delere potuisset, variis nimirum belluarum generibus (11,17-19), quae hic una dictione *bestiis saevis* comprehenduntur, et *halitui divino* (11,21), cui hic *verbum durum* respondet, hoc in loco tertium praemittitur (παράταξις *acies instructa*), quia de bellicosissimis gentibus agitur, quae ex terra sua expelli non posse nisi vi armorum videbantur. Verum eiusmodi instrumentis violentis, quibus omnes Chananaei simul quasi *primo ictu* (ὑφ' ἕν) deleti essent, Deus uti noluit, ne omni salutis spe eos subito privaret. Vesparum igitur plaga regionem ab eis habitatam infestare eisque inhabitabilem reddere maluit, ut hac ratione *paullatim puniens*, i. e. suum internecionis decretum contra eos latum pedetentim et gradatim (κατὰ βραχύ) exsecutioni mandans singulis *locum poenitentiae* (τόπον μετανοίας), i. e. poenitendi facultatem et opportunitatem *daret*. Verbum κρίνειν, quo Alexandrini hebr, דִּין et שָׁפַט fere reddunt, sicut haec haud admodum raro tum de iudice condemnante poenamque meritam irrogante tum de vindice condemnationis sententiam exsequente et debitam poenam sumente usurpatur, ut i. q. *punire* valeat (cfr *v.* 22; 11,10; *Is.* 2,4; 66,16; *Ezech.* 24,15; 36,19; 38,22, etc.; *Rom.* 2,12; 1 *Cor.* 11,31. 32 etc.); quae significatio sola huic loco congruit.

Porro id maxima admiratione dignum est, quod Deus ad Chananaeorum quoque crimina vindicanda lentum hoc ac moderatum poenae genus elegerit, etsi illos poenitendi opportunitate sibi oblata non esse usuros clare praeviderit. Nam pro immensa sua misericordia etiam eorum conversionem vere ac serio intendit, quum tempus mediaque necessaria eis offerret; ipsi vero utpote in malitia offirmati

illa adhibere recusarunt ac proinde sua ipsorum obstinatione in perniciem ruerunt. Quam offirmationem pervicaciamque Salomon ab eorum ortu derivat : *quoniam nequam fuit eorum origo* (ἡ γένεσις αὐτῶν[1]). Parentes quippe pravi pravam animi sui indolem suamque ad certa scelera proclivitatem tum procreatione, ut experientia docet, velut hereditatem quandam in filios transmittere, tum perversa educatione ac potissimum pessimis exemplis in iis augere ac promovere solent (cfr ad 3,12; 4,6). Atqui talis fuit Chananaeorum origo, qui a Chanaan, filio Cham, exorti, « quasi corvorum pulli et impiorum parentum filii impii erant » (*Lap.*). Facile igitur intelligitur, illa in gente una cum morum corruptione in dies etiam occaecationem mentis ac voluntatis proclivitatem ad malum crevisse atque eo usque auctas esse, ut *malitia* certo modo eis *innata* (ἔμφυτος) vel etiam cum nostro interprete eis *naturalis* dici mereretur, quum peccandi consuetudò eis velut altera natura facta esset. Quoniam autem Chananaei procedente tempore sese ipsi adeo occaecarunt et obdurarunt, ut non tantummodo ab atrocissimis criminibus non amplius abhorruerint, sed etiam sensu omni humano deposito crimina ipsa pro totidem virtutis religionisque exercitationibus existimarint, iure merito auctor tertio sticho addit, eos *sententiam* i. e. deliberatam voluntatem (ὁ λογισμός cfr 9,14) *suam in aeternum non esse mutaturos*. Namque ut occaecatione illa abiecta plane novum induerent ingenium legi divinae consonum, gratiis indiguerunt plane extraordinariis, quas Deum, quamquam ordinarias ac vere sufficientes eis semper ultro obtulerat et offerre non cessavit, eis « utique iustissimo, quamvis occultissimo iudicio » dare noluisse, tristis eorum interitus docet et noster locus confirmat. Cave tamen, ne hos stichos, quibus Chananaeorum conversio generatim et universe negatur, cum *Keerl* aliisque ita urgeas, ut singuli quoque omnes, nullo excepto, in occaecatione perseveraturi fuisse asserantur. Id enim nostra verba aeque parum postulant atque similia, quibus S. Paulus totum populum Israel a salute messianica excludere videtur (*Rom.* 9,31; 10,19-21 cfr 11, 1 sqq.), neque ullum verbum in toto hoc loco nos impedit, quominus praeter Rahab, quae inter maiores Christi Domini locum occupare

1. Nomen γένεσις (a γίνεσθαι) a nostro interprete interdum *natio* (1,13; 12,10; 18,12; 19,10), interdum *nativitas* vel *origo* (uti 6,24; 7,5; 14,6; 16,26), interdum *creatura* (3,13; 19,11) vertitur. Proxime valet i. q. τὸ nasci seu τὸ fieri, ergo nativitas vel origo (uti 6,24; 7,5; 12,10; 19,11), deinde definite *id quod nascitur* seu fit, ut sit idem quod *progenies* (uti 3,13; 18,12) vel *genus* seu species rei productae (uti 1,14; 14,6; 16,26; 19,10). Ceterum latinum nomen *natio* (a nasci) iisdem fere significationibus adhibetur, licet plerumque similiter ac *gens* multitudinem hominum designet eadem origine ac lingua unitam.

(*Matth.* 1,5) et ob fidem suam operantem laudari meruit (*Hebr.* 11, 31; *Iac.* 2,25) totamque eius familiam (*Ios.* 6,25) etiam alios Chananaeos, exempli gratia haud paucos ex Gabaonitis « ministerio populi et altaris Domini » addictis (*Ios.* 10,27) sensum suum mutasse atque ad verum Deum revertisse dicamus.

Ultimo demum sticho docetur communem hanc Chananaeorum nequitiam fundamentum suum in maledictione divina habere : *semen enim eorum erat maledictum ab initio.* Cuius sententiolae contextum *S. Aug.* (de nupt. et conc. II. 8,20; c. Iulian. op. imperf. III, 11) non satis perpendit, quum nomine *seminis* hic universum genus humanum (i. q. semen Adami) designari ratus verba *ab initio* ad rerum primordia referret totumque locum nostrum contra Pelagianos de peccato originali interpretaretur. De solis enim Chananaeis hic agitur, qui *ab initio* sui generis cum et in Chanaan patre suo *maledicti sunt,* quando Noe impiam impudentiam Chami filii sui natu minimi punitus divino instinctu illius filium minimum Chanaan eiusque progeniem non tantummodo servos fratribus eius (i. e. Semitis, Iaphetidis, Chamitisque illis qui non sunt a Chanaan progeniti) futuros esse, sed etiam benedictionibus Semo et Iapheto promissis certo quodam modo privatum iri praenuntiavit (*Gen.* 9,24 sqq.[1]). « Pater, inquit *S. Ambr.* (de Noe 30,114), in filio et in patre filius redarguuntur, habentes stultitiae, nequitiae, impietatis quoque commune consortium; nec poterat fieri, ut bonum generaret filium, qui ipse bono patri nequam et filius et naturae et eruditionis degener exstitisset ». Idem autem suo modo de Chanaani posteris valet, qui sub maledictione in patrem pronuntiata ideo permanserunt, quia patris impietatem imitati sunt neque opportunitate poenitendi sibi oblata uti voluerunt (cfr *Gutb.*).

Nequaquam igitur potentiae defectu Deus impeditus est, ne gravioribus poenis Chananaeos omnes, quorum inveteratam clare cognovit malitiam ac pertinaciam, subito exterminaret; sed neque timore alicuius adductus est ut mitius eos tractaret ac leviore plaga inflicta admoneret : 11[b]. *Nec timens* (εὐλαβούμενος) *aliquem veniam dabas peccatis illorum* (ἐφ' οἷς ἡμάρτανον ἄδειαν ἐδίδους). Verbum εὐλαβεῖσθαι, quod proxime valet *caute agere* in iuniore Graecismo synonymum est verbi

1. Maledictione et benedictione Noe verum contineri vaticinium cum *S. Aug.* (Quaest. in Heptat. I, in Gen. qu. 17) omnes fere consentiunt interpretes; accuratius eam exponere non est huius loci; cfr quae de ea disserit *de Hummel.* (Comm. in Gen. p. 280 sqq.), qui de vaticinii impletione agens egregie : « tandem, inquit, Iaphet cum gentibus omnibus, etiam Semitis et Chamitis, suo imperio subiectis concessit in tabernacula Sem christianis sacris susceptis, quo tempore Chananaei, Carthagine diruta Phoenicibusque misere prostratis vix non e populorum numero evanuerant. » Haud recte antiquiores iunioresque plerique maledictionem in Chanaan pronuntiatam ad omnes Chamitas extenderunt.

φοβεῖσθαι (cfr *Ex.* 3,6; *1 Reg.* 18,14-29; *Ier.* 22,25; *Eccli.* 7,6 al.) Graecum porro nomen ἄδεια aeque ac latinum *venia* anceps est et tum *permissionem* faciendae rei alicuius tum *remissionem* seu indulgentiam rei factae vel potius poenae meritae valet. Unde duae explicationes sententiolae proponuntur; secundum priorem Deus Chananaeis peccandi permissionem dabat, quatenus debitas poenas eis non infligens eos a peccatis accumulandis non arcens, ut Paulus (*Act.* 14,15) loquitur, « vias suas ingredi sivit »; secundum alteram eis « remissionem seu impunitatem peccatorum » dabat, quatenus peccata eorum non statim secundum rigorem iustitiae puniebat sed ad tempus tolerabat. Utraque contextui quidem accommodari potest, prior tamen verbis non respondet, siquidem ἄδεια, si sensu permissionis sumitur, cum genetivo vel infinitivo construi solet (δοῦναι ἄδειαν τῆς ἐκδημίας emigrandi licentiam dare, ἄδειαν ἁμαρτάνειν seu τοῦ ἁμαρτάνειν cfr *Gr.*). Neque contextui autem neque verbis congruit tertia explicatio ea quae unicam negandi particulam et ad participium et ad verbum finitum trahit et imperfectum pro aoristo habet, quasi scriptum sit : οὐδὲ εὐλαβούμενός τινα ἄδειαν ἐφ' οἷς ἡμάρτησαν, οὐκ ἔδωκας (neque ob alicuius timorem eis veniam peccatorum non dedisti, sed eos plene delevisti) (cfr *Castro, Les. Lap.*).

Fieri vero non posse, ut Deus iudex metu cuiusquam a sententia sive ferenda sive exsequenda retineatur, per se evidens est; nihilominus hoc assertum auctor diserte et accurate probare ideo verisimiliter voluit (*vv.* 12-14), quia multorum contribulium suorum animos mythologicis, quas ab Aegyptiis et Graecis quotidie narrari audiebant, fabulis infectos esse scivit. Itaque his omnimodam Dei, supremi omnium rerum domini, libertatem magna cum vi in memoriam revocat quatuor interrogationibus rhetoricis, quas primigenius textus apte in duo districha distribuit. Quam dispositionem latinus interpres mutavit, ordine tertiae et quartae interrogationum inverso atque coniunctione adversativa (δέ *autem*) praetermissa, qua auctor alterum distichum a priore separaverat (cfr *VV. LL.*); iure ergo graeci textus ordinem sequemur, quamvis latinus universum loci sensum non immutet : 12. *Quis enim dicet tibi : Quid fecisti? Aut quis stabit contra iudicium tuum* (clarius : *resistet sententiae tuae* scil. damnatoriae ἀντιστήσεται τῷ κρίματί σου)? *Aut quis* (graece : *quis autem*) *tibi imputabit, si perierint nationes* (graece : *accusabit te de interitu* vel *de exstinctione nationum*) *quas tu fecisti? Aut quis in conspetu tuo veniet* (melius : *adversus te exsurget* εἰς κατάστασίν σοι ἐλεύσεται, siquidem nomen κατάστασις, quod in graecis Scripturis hic tantummodo legitur, a profanis saepius de advocatis iudici causam proponentibus ita usurpatur, ut latino *consti-*

tutio causae respondeat) *vindex iniquorum hominum?* Similibus interrogationibus alii quoque scriptores sacri interdum usi sunt ad maiestatem divinam fortius asserendam (cfr *Iob*, 9,12; *Is.* 45,9; *Dan.* 4,32; *Rom.* 9,20), sed nemo auctore nostro diligentius hanc dicendi formam excoluit. Artificiose enim quatuor suas interrogationes duobus distichis ita disposuit, ut prima et tertia inter se parallelae Deo iudice non esse superiorem ostendant, qui ab eo sententiae sive latae (12^a) sive exsecutioni iam mandatae (12^c) rationem expetere possit, secunda vero et quarta pariter parallelae inferioribus ius negent obsistendi adversus sententiam ab eo sive latam (12^b) sive exsecutioni mandatam (12^d). Praeterea prius distichon Dei iudicis libertatem universim asserit; alterum autem non solummodo ad sententiam contra Chananaeos latam referatur oportet, sed insuper distincte Dei supremum dominium ac summam iustitiam declarat, quatenus tertia interrogatio sententiam latam dicit contra gentes, quas Deus ipse fecit, et quarta contra homines, qui sua impietate interimi ipsi meruerunt.

Eosdem quoque stichos duabus, quae sequuntur, sententiis confirmat : 13. *Non enim est alius Deus quam tu* (ad graecum textum : *neque enim Deus est praeter te*), *cui cura est de omnibus, Ut ostendas, quoniam non iniuste iudicas iudicium* (rectius : *non iniuste iudicasti* οὐκ ἀδίκως ἔκρινας). 14. *Neque rex neque tyrannus in conspectu tuo inquirent de his, quos perdidisti;* hanc tamen sententiam ad graecum textum accuratius reddes : *neque rex aut tyrannus obluctari tibi poterit de iis* (i. e. quod attinet ad eos) *quos castigasti* (οὔτε βασιλεὺς ἢ τύραννος ἀντοφθαλμῆσαί σοι περὶ ὧν ἐκόλασας); namque verbum ἀντοφθαλμεῖν, quod proprie valet *ex adverso* seu *intentis oculis intueri* tropice sensu obluctandi ac resistendi adhibetur (*Act.* 27,15, navis non potuit ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ vento obluctari : cfr *Suicer.* Thesaur. I. 394 s. v.). Duae sententiae, quas particulae οὔτε... οὔτε (*neque... neque*) inter se parallelas esse ostendunt, quasi chiastice ad duos stichos sunt referendae, quum prior ultimum stichum, altera paenultimum confirmet. Etenim prior ex provida cura, qua Deus res omnes (seu homines omnes) complectitur (ᾧ μέλει περὶ πάντων) una cum supremo domino etiam summam iustitiam colligi vult. Ad sensum vix quidquam interest, utrum membrum illud relativum ad nomen *Deus*, an ad pronomen *te* referas (« non est Deus, cui omnia curae sunt, praeter te », aut « non est Deus praeter te, qui omnia sollicite curas »). Utroque enim modo pariter significatur, uni vero Deo, qui eadem cum sollicitudine omnibus providet, et supremum dominium et summam iustitiam distributivam competere; unde sua sponte intelligitur, nemini ab eo postulare licere, ut sententiam suam contra Chananaeos iuste

esse latam demonstret. Altera porro propositio (*v.* 14), quam tertio sticho (12ᶜ) confirmando proxime inservire diximus, supremo Dei dominio supposito nc eos quidem, penes quos in terris omnis sit potestas, sive iusto iure accepta (βασιλεύς) sive iniuste occupata (τύραννος), tantum valere monet, ut sententiae, qua Deus Chananaeos internecioni devovit, ullo modo obluctari audeant.

In hac argumentatione Sapiens pro re nata infinitam potestatem Dei iudicis gravissime praedicavit, eius iustitiam autem leviter dumtaxat et quasi praeteriens attigit (*vv.* 12ᵈ,13). Quapropter ne quis ad ea attendens, quae hac in terra saepe fieri videmus, ut homines potentia sua ad innocentes opprimendos abutantur, Deum quoque innoxias gentes internecioni devovere posse ex dictis colligat, mutuam duorum attributorum relationem explicans divinam iustitiam tum potentiae moderatricem esse (*v.* 15) tum in illa, similiter ac misericordiam (cfr 11,24), suum quasi fundamentum habere (*vv.* 16-18) ostendit. 15. *Quum ergo sis iustus* (melius : *iustus autem quum sis* δίκαιος δὲ ὤν), *iuste omnia disponis; Ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare Exterum aestimas a tua virtute* (i. e. potentia); graecum textum rectius et clarius vertes : *cum ipsum, qui castigari non meretur, condemnare alienum aestimans* (ἡγούμενος) *a tua potentia*. Particula concludens *ergo* in hodierna *Vulg.* ab aliquo librario perperam adversativae (δέ *autem*) est substituta; tantum enim abest, ut ea quae de iustitia hic dicuntur, ex praecedentibus colligantur, ut eis certo modo opponantur, quatenus nimirum iustitia, qua Deus omnia iuste disponit (διέπει i. q. διοικεῖ gubernat cfr 8,1) ipsam potentiam moderari asseritur. Minus recte quoque *Vulg.* (probabiliter etiam librariorum errore) participium ἡγούμενος (*aestimans*) in verbum finitum convertit (cfr *VL. LL.*), quasi duae essent sententiae parallelae et coordinatae (« omnia recte disponis », « innocentem condemnare non potes »). Constructione enim participiali secundum membrum priori auctor subiunxit, ut illud non esse moneret nisi consectarium principii generalis, quod in priore statuerat; scilicet quia Deus, utpote iustus, disponit omnia, ideo condemnationem innocentis alienam habeat necesse est a sua potentia, neque fieri potest, ut potestate sua ad illum condemnandum abutatur, qui castigationem non meretur.

Discrepantiis illis quas notavimus exceptis hodierna *Vulg.* cum textu primogenio consonat; eodem autem modo sententia nostra tempore S. Augustini in *Vulg.* legebatur, saltem si fides est editioni operum S. Doctoris a Maurinis curatae (cfr de quaest. octog. trib. qu. 53,3; c. Iulian. op. imp. l. c. *M.* 40,37; 45,1427). In nonnullis autem codd. et antiquioribus editionibus operum augustinianorum legebatur : « *ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnas* »; quam lectionem *S. Gregor. M.*

(Moral. III. 2) quoque secutus est atque multi Vulgatae codices et editiones multae ante correctionem Sixtinam et Clementinam exhibuerunt. Hanc sententiam ingenia commentatorum non parum vexasse facile intelligitur. *S. Gregor.* eam de Christo interpretatus est, qui innocens pro nobis passus sit; alii de parvulis, qui ipsi non peccaverunt, sed a beatitudine aeterna excluduntur propter peccatum originale ex Adamo contractum; alii cum *Lyran.* de sanctis, quos Deus multis magnisque tribulationibus probare et ad maiorem gloriam adducere vult; alii ex ea nonnullorum reprobationem negativam, alii cum *Calvino* reprobationem positivam et absolutam probare voluerunt (cfr *Lap.*). Sed his immorari opus non est, siquidem hanc lectionem negligentiae librariorum deberi hodie compertum est.

Cur vero innocentis condemnatio repugnet divinae potentiae, auctor ex illius immensitate explicat : 16. *Virtus* (i. q. *potentia* ἡ ἰσχύς) *enim tua iustitiae initium* (ἀρχή hic melius : *causa* seu *fundamentum*) *est Et ob hoc, quod omnium dominus es, omnibus te parcere facis;* alterum stichum ad graecum textum emendatiorem (cfr *VV. LL.*) : καὶ τὸ πάντων σε δεσπόζειν πάντων σε φείδεσθαι ποιεῖ, accuratius verte : *et hoc, quod omnibus dominaris, facit te parcere omnibus,* vel potius : *et dominium tuum universale efficit, ut omnibus parcas.* Nomina *potentiae* et *universalis dominii* hic fere pro synonymis sumi ex membrorum parallelismo haud obscure apparet et superiore loco parallelo (11,24) confirmari videtur, in quo omnipotentia prorsus eadem ratione, qua dominium universale, causa misericordiae erga omnes esse docetur. Secundum totius deinde loci contextum omnipotentia dicitur causa iustitiae ac similiter misericordiae, non tam quatenus in se ipsis spectantur, sed quatenus in suis effectibus se manifestant. Quibus praemonitis argumenti sensus clarus est. Auctor quippe ad ea, quae inter homines fiunt, quodammodo respicit, quorum potentia ac dominium, quum satis arctis limitibus circumscribantur, tantum abest, ut iustitiae et misericordiae fundamentum dici mereantur, ut iniustitiae et crudelitatis causa frequentissime sint. Recte *Lap.* « in hominibus, inquit, qui multum habent cupiditatis et modicum roboris ac potentiae ideoque dominandi et fines imperii extendendi sunt avidi, potentia saepe excludit iustitiam et clementiam ». Aliter res se habet in Deo, qui utpote omnipotens et rerum omnium dominus a nullo dependet neque proinde cuiusquam timore aut favore adduci potest, ut iustitiae limites in universalis dominii sui administratione transgrediatur, contra vero « omnibus tribuit propria secundum uniuscuiusque exsistentium dignitatem, et uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine et virtute » (*S. Thom.* Summ. theol. I. qu. 21, a. 1), quin etiam omnibus parcit, quia sua sunt (11,27).

Quo cum iure autem Deus, qui tot tantisque poenis potentiam suam manifestavit, « omnibus parcere » dicitur? Huius difficultatis solutione Sapiens doctrinam suam confirmat. Deum enim potentiam non manifestare nisi adversus eos, a quibus provocatur et in his ipsis iudiciis non minus quam in reliquo suo gubernio sese misericordem praestare monet : 17. *Virtutem enim ostendis tu qui non crederis in virtute consummatus, Et horum, qui te nesciunt, audaciam traducis;* 18. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas, Et cum magna reverentia disponis nos; Subest enim tibi, quum volueris, posse.* Ex graeco ita vertemus : 17. *Potentiam enim ostendis, quando non creditur in potestatis tuae perfectionem* (i. e. potentiam ostendis contra eos qui non credunt in tuam omnipotentiam), *Et in iis qui sciunt* (nempe qui cognoverunt tuam omnipotentiam et contra eam rebellaverunt), *audaciam traducis* (i. e. eorum audaciam convincis et confundis ἐξελέγχεις, cfr ad 4,20); 18. *Tu autem imperans potentiae* (i. e. continens potentiam) *in lenitate iudicium exerces Et cum magna clementia gubernas nos*; *adest enim tibi, quum volueris, potestas* (cfr textum graecum p. 430 et *VV. LL.*). In duas classes auctor omnes distribuit, contra quos Deus, quia provocatur, potentiam suam manifestare quodammodo cogitur; priore, eorum scilicet *qui non credunt in omnipotentiam eius,* procul dubio ethnicos omnes, proxime tamen Aegyptios et Chananaeos, complectitur, qui quum Deum cognovissent sed agnoscere noluissent, evanuerant in suis cogitationibus atque stulti facti genuinamque Dei notionem obliti vero Deo relicto creaturas earumque imagines divinis honoribus colere coeperant (13,1 sq. 10; 14,14; *Rom.* 1,21 sqq. cfr Comm. in *Rom.* p. 85 sqq.); unde deinde factum est, ut Dominum Deum Israel cum suis ipsorum diis nationalibus aequarent (cfr 4 *Reg.* 18,31-35) eumque, licet levioribus plagis, quibus pro sua misericordia illos admonuit, interdum commoti ei maiorem quam suis idolis potentiam attribuerent, unicum ac verum Deum non agnoscerent, nisi postquam gravissimis cladibus afflicti ac prostrati eum omnipotentem esse experti sunt (cfr *vv.* 26, sq.; 11,14 sq.). Altera autem classe eorum *qui sciunt* (τοῖς εἰδόσι) i. e. fide edocti omnipotentiam Dei cognoverunt quidem, sed audaci cum temeritate contemserunt et oppugnarunt, auctorem non tam generatim impios, qui omnipotentiam Dei theoretice concedunt, sed practice negant et contemnunt (cfr *Lap. Gutb. Les.* etc.; — *Gr. Zöckl. Deane* etc.), quam proxime et speciatim illos, quos ante descripsit (cfr 2,1 sqq.), apostatas Iudaeos aegyptiacos et palaestinenses notare censemus, qui lascivis ethnicorum moribus allecti ac stultis Epicuraeorum placitis seducti

fidem quidem religionemque avitam eiuraverant, notiones vero religiosas, quas pueri imbiberant, ex animis evellere et oblivioni dare non potuerant. Re enim vera impii illi contra Omnipotentem, quem cognitum habebant, audaci non minus quam superba cum arrogantia et contumacia rebellarunt, quum non tantummodo ipsi Legem ab eo datam ludibriis insectarentur totaque sua vivendi ratione impudenter conculcarent, sed etiam cum ethnicis quasi foedere coniuncti pios suos contribules, qui divinae Legi constanter adhaerebant, omni modo opprimere et vexare, quin etiam a fide in verum Deum et in Messiam eis promissum dolo ac vi avertere studebant. In altero igitur sticho apostatis illis circuitione quadam in memoriam revocatur sors illa infelicissima, quae eis a iustissimo et omnipotenti iudice impendet (cfr 4,18 sqq.; 5,1 sqq.).

Altera quoque illa lectio (ἐν τοῖς [σὲ] οὐκ εἰδόσι *in iis qui* [te] *nesciunt*), quam *Vulg. Clem.* sequitur, sententiae satis facile accommodatur; eam tamen praetermittendam ducimus, quia et sufficienti criticorum testium auctoritate non est munita (cfr *VV. LL.*) et sensum minus plenum praebet. Si enim admitteretur, duos synonymos haberemus stichos, qui eadem ratione ad ethnicos solos essent referendi, qui utique omnipotentiam divinam, quia revelatione carebant, non credidisse et, quia evanuerant in suis cogitationibus et obscuratum habebant cor, intellectus sui viribus non cognovisse recte dicuntur (cfr ad 11,18). Praetermittere tamen non licuit impios illos, qui ethnicis non credentibus peiores cognitam omnipotentiam oppugnare audent. — Moderni nonnulli acatholici (*Bois, Siegfr.*) in lectione, quam praetulimus (ἐν τοῖς εἰδόσι *in iis qui sciunt*) explicanda tantam inveniunt difficultatem, ut eam « apertum librariorum mendum » esse dicant, pro quo legendum esse coniiciunt : ἐν τοῖς ἐνδοιάζουσι (*in iis qui dubitant*). Attamen nostra lectio, dummodo in suo contextu consideretur, ne minimam quidem interpreti praebet difficultatem; ex crimine enim, quod *in iis qui sciunt* convinci et confundi dicitur, i. e. ex audaci ac superba temeritate (id enim τὸ θράσος valet), satis apparet, auctorem breviloquentia quadam usum esse atque de iis loqui, qui cognitae omnipotentiae resistere audent. Ceterum similis breviloquentia etiam admittenda est, si nova coniectura admittitur; siquidem dubitatio ipsa per se nequaquam ex sola superbia aut audacia profluit atque proinde accuratius definienda est, ut is qui dubitat τοῦ θράσους accusari possit.

Potentiam igitur suam Deus iudex, nisi ab ethnicis sua ipsorum culpa eam non credentibus aut ab apostatis impudenter eam contemnentibus provocetur, non manifestat; quia autem ei, sicut Ecclesia nos orare iubet, « proprium est misereri semper et parcere », etiam in ipsis poenis, quas quodammodo contra suam naturam a peccatoribus expetere cogitur, infligendis misericordiae suae semper memor manet. Id Sapiens altera explicationis suae parte exponit; quam satis mire per formulam σὺ δέ (*tu autem*) praecedenti opponit, tamquam si *Deus* non esset utriusque sententiae subiectum. Scilicet prioris

sensum potius quam formam attendens revera Deum iis opponit, a quibus provocatur, velut si scripsisset : « ethnici quidem et apostatae te ad potentiam manifestandam adigunt; *tu autem potentiam* tuam *continens in lenitate iudicium* in eos *exerces* ». Parum recte a Vulgatae interprete dictio participialis δεσπόζων ἰσχύος pro titulo Dei sumitur (*dominator virtutis*, immo *S. Aug.* de qu. octog. trib. qu. 53,3 : *Dominus virtutum* i. q. יהוה צבאות ὁ Κύριος τῶν δυνάμεων); nam modum significat, quo Deus quamvis ab impiis provocatus « non omnem suam iram accendit » (*Ps.* 77,38), sed imbecillitatis hominum recordatus potentiae suae imperat eamque continens impios non subito perdit, verum *in lenitate* (ἐν ἐπιεικείᾳ cfr ad 2,19) sententiam contra eos latam exsequitur tempore poenitendi eis concesso. Quemadmodum autem in iudicio exercendo ita in tota sua administratione Deus misericordiam ostendens omnes *nos cum magna clementia* (μετὰ πολλῆς φειδοῦς, parum apte *Vulg. : cum magna reverentia* [1]) regit ac gubernat (διοικεῖς cfr ad 8,7). Ratio autem cur ita agat, sita est in ipsa eius potentia, quae omni momento praesto *ei adest* (πάρεστι) et qua proinde semper *quando voluerit* ordinem peccatis impiorum perturbatum condignis poenis restituere potest, si impii opportunitate poenitendi misericorditer eis concessa uti pro sua contumacia aspernantur.

Ex iis, quae de divina Chananaeorum punitione tradidit, Sapiens duo deducit consectaria practica suae quoque aetatis Iudaeis utilissima (*vv.* 19-22). Sapientiam enim in illis populis castigandis proxime quidem potentiam suam per suam misericordiam ideo temperasse, ut illos opportunitate poenitendi concessa ad verum Deum agnoscendum adduceret, *supra* (cfr ad *vv.* 2,3; 11,24) clare docuit; eam tamen, quum multiplices in suis operibus persequatur fines, hanc agendi rationem etiam eo consilio tenuisse addit, ut Israelitae tum ad eandem imitandam stimularentur tum ex eadem certiorem suae

1. Nomen φειδώ (a φείδεσθαι *parcere*) apud profanos scriptores parum usitatum hoc solo loco in S. Scripturis graecis legitur; latine *parsio* verti posset, si hoc nomen in usum esset receptum; id graeco quodam Lexico explicatur εὐσπλαγχνία i. e. misericordia (cfr *Schleussner*); apud profanos plerumque valet i. q. latinum *parsimonia*, aliquoties tamen idem est quod *clementia* seu *benignitas*. — Interpres noster suo *reverentia*, quo supra (2,19) nomen ἐπιείκεια reddidit, forte utroque in loco eandem clementiae notionem exprimere voluit. Aliis tamen in libris sacris *reverentia* tribus graecis nominibus respondet : ἐντροπή i. q. *verecundia* s. *pudor* (*Ps.* 34,26; 68,20; 1 *Cor.* 15,34 cfr 6,5 et 4,10; et probabiliter *Eccli.* 45,29, ubi nimirum interpres pro hodierno ἐν τροπῇ i. e. in defectione sc. populi legisse videtur ἐν ἐντροπῇ *in reverentia*); αἰσχύνη vel αἰσχυντηρός i. q. *pudor* seu *confusio* (cfr *Eccli.* 32, 9. 14; 41,20 et probabiliter 29,23 cfr 29,14); εὐλάβεια i. q. *verecundia* seu *reverentia* (cfr *Hebr.* 5,7; 12,28). Sæpius nomen *reverentia* in Vulgata nostra non legitur.

ipsorum salutis spem haurirent. 19. *Docuisti autem* (δέ metab.) *populum tuum per talia opera, Quoniam oportet iustum* (τὸν δίκαιον) *esse et humanum* (φιλάνθρωπον; cum graeco textu aliisque verss. omitte particulam *et* praemissam), *Et bonae spei fecisti filios tuos, Quoniam iudicans* (participium hoc omittatur oportet cum textu graeco aliisque verss. et, testibus *Ians. Gand.* et *Reusch*, cum ipsis codd. Vulg. emendatioribus) *das locum in peccatis* (i. e. quum peccaverint) *poenitentiae*. Coniunctione *et*, quam a Vulg. priori membro indebite insertam esse monuimus, decepti antiquiores interpretes adiectivum *humanum* cum praecedente *iustum* copulantes toti populo vel eius magistratibus simul iustitiam et amorem proximi commendari putarunt (cfr *Holc.*), sed *iustum* (τὸν δίκαιον) hic esse subiectum sententiolae articulus graecus docet. *Iustus* igitur iubetur esse φιλάνθρωπος, *iusti* autem nomine hic omnem Israelitam, sive interna iustitia sit ornatus sive illa careat, tamquam membrum populi a Deo electi, « populi sancti et seminis inculpati » (10,15 cfr ibid. *v.* 19 δίκαιοι) designari ex membro parellelo colligimus, quod omnes Israelitas appellatione *filiorum Dei* (τοὺς υἱούς σου) comprehendit[1]. Ad superius porro dictum suum « Deum Chananaeis tamquam hominibus pepercisse » (*v.* 8) respiciens aptissime auctor adiectivo φιλάνθρωπος utitur, ut amorem Lege praescriptum (*Lev.* 19,18) nequaquam in solos contribules, uti multi Iudaei iuniores ex Scripturae locis internecionem Chananaeorum praecipientibus aut familiare cum alienigenis commercium prohibentibus aut aliis similibus perperam intellectis concluserunt (cfr *Matth.* 5,43 et *Knabenb.* Comm. in Matth. ad l. c. verum erga omnes homines fovendum esse inculcet. Parum recte autem *Graetz* (Gesch. der Iuden III. p. 494 cfr *Gr.*) hoc monitum ab auctore insertum esse sibi persuasit, ut Iudaeos defenderet contra ethnicos, a quibus crimini eis datum esset, quod alias nationes odio haberent (3 *Mach.* 7,4 cfr 1 *Thess.* 2,15); neque enim ethnicis noster liber est destinatus neque ab iis intelligi potuit.

Alterum deinde consectarium Sapiens ad pristinam provocans historiam, quae Deum populum suum maiore cum misericordia tractasse doceat quam ethnicos, non tam probat vel confirmat quam explanat. 20. *Si enim inimicos servorum tuorum et debitos morti Cum tanta cruciasti attentione* [*et obtestatione*, addunt recte boni codd. lat., cfr. *Lap.*], *Dans tempus et locum, per quae possent mutari a malitia; Cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, Quorum paren-*

1. Quo sensu appellatio *filiorum Dei* in Vetere Test. intelligenda sit cfr ad 2,13 et Append. ad istam pericopen, p. 104 sq.

tibus iuramenta et conventiones dedisti bonarum promissionum? Melius ita vertitur : *Si enim ex inimicis filiorum* (παίδων) *tuorum et morti devotis* (vel : *morte dignis*) *vindictam sumsisti cum tanta attentione et obtestatione, Quanto maiore cum sollicitudine punivisti* (ἔκρινας *cfr ad v.* 11) *filios tuos, Quorum patribus* (i. e. patriarchis) *foederibus iureiurando firmatis* (ὅρκους καὶ συνθήκας hendiadys) *optima quaeque promiseras!* Ad normam, quam in omnibus operibus divinis servari docuit (11,21[a]) ac simul ad modum respiciens, quo Chananaeos ita esse punitos retulit (*vv.* 8-10), ut poenitendi opportunitatem haberent, auctor Deum ab iis vindictam sumsisse cum magna *attentione et obtestatione* pulchre dicit : *cum attentione,* quandoquidem quodammodo circumspiciens et sollicite evitans, ne norma sua neglecta modum excederet, non statim totam, quam commeruerant, poenam ab iis expetiit, sed leviore plaga praemissa eos admonuit, ut sibi salutique suae prospicerent, et *cum obtestatione,* quia minoribus illis plagis ad eos, simili modo quo ad populum suum ipsum, quasi manus suas expandens eos ut ita dicamus precatus est, ut tempore et opportunitate concessis uterentur et mutata voluntate malitiam deponerent (cfr *Is.* 65,2; *Ierem.* 7,13; *Prov.* 1,24)[1]. « Vide, inquit *Lap.*, et obstupesce dignationem, demissionem, clementiam Dei nostri, qui quasi iniuriam fecerit, non ipse acceperit, obsecrat peccatores, ut ad se et ad suam ipsorum salutem redire velint. » Iamvero Deus, quoniam in ipsis Chananaeis, quos velut sibi ob abominanda eorum scelera exosos et filiorum suorum hostes morti addixerat et exterminare decreverat (*vv.* 3 sqq.), puniendis tanta cum sollicitudine, non obstante eorum obstinatione sibi plane perspecta (*v.* 10), misericordiam manifestavit, profecto in puniendis, quando peccaverant, Israelitis multo maiore cum diligentia clementiae lenitatisque suae memor fuisse dicendus est, non tantum quia sui erant filii, sed potissimum quia cum eis, in eorum scil. patribus, sollemnissimum inierat foedus, quo sese eis praeter terram Chanaan perpetuo possidendam praeclarissima bona, praesertim Messiam daturum esse iureiurando promiserat (cfr *Gen.* 14,18; 22,15 sqq.; 26,2 sqq. etc.).

1. Quia aliquid insoliti habet, quod Deus peccatores poenis, ut poenitentiam agant, *precari* et *obtestari* dicitur, facile fieri potuit, ut librarii vocabula καὶ δεήσεως, quum quid sibi vellent non viderent, aut plane omitterent aut substitutis vocabulis καὶ διέσεως (*et cum indulgentia*) vel καὶ διέσωσας (*et liberasti* seu *servasti*) emendare conarentur (cfr *VV. LL.*). Attamen δίεσις (a v. δίημι dimitto), quod in graecis S. Scripturis nusquam legitur, a profanis scriptoribus nunquam sensu translato *indulgentiae* vel clementiae usurpatum est; minus apta autem est altera coniectura, siquidem Chananaei pro sua occaecatione et obduratione ad Deum sese convertere noluerunt neque proinde ab eo liberati aut servati sunt.

Aliqui interpretes totam hanc sententiam pro argumento a minore ad maius vel, uti *Lap.* habet, « a minus verisimili ad magis verisimile » sumunt, quo alterum consectarium (*v.* 19ᵇ) directe et immediate probetur; at hi non attendunt, duos aoristos in protasi (ἐτιμώρησας *vindictam sumsisti*) et in apodosi (ἔκρινας *punivisti*) inter se respondere ac proinde eodem sensu explicandos esse, et quia prior non possit esse, nisi historicus, alterum quoque historicum esse, ita ut praesens (*iudicas* vel *punis*) ei substituere non liceat. Revera auctor, uti in protasi de interitu Chananaeorum, ita in apodosi de poenis illis loquitur, quibus Israelitae tempore peregrinationis suae per desertum castigati sunt quasque in toto hoc tractatu cum plagis, quibus eorum adversarii fracti sunt, comparat, ut eas his mitiores fuisse demonstret (cfr **11,10** sq. 15ᵉ; **16,10** sqq.; **18,20** sqq.).

Ex historica tamen hac consideratione diversi modi, quo Deus olim et Israelitas, quando peccaverant, et eorum hostes idololatras tractavit, velut generale quoddam principium desumit, quo utrumque suum consectarium confirmat : **22.** *Quum ergo das nobis disciplinam* (nervosius ex graeco : ἡμᾶς οὖν παιδεύων *nos ergo corrigens* sc. castigatione), *inimicos nostros multipliciter flagellas* (ἐν μυριότητι μαστιγοῖς), *Ut bonitatem tuam cogitemus* (μεριμνῶμεν i. e. *sollicite meditemur* sc. ad eam imitandam) *iudicantes* (hic rectius : punientes seu *poenam expetentes* κρίνοντες), *Et quum de nobis iudicatur* (ad graecum κρινόμενοι δέ aptius : *solventes autem poenam*), *speremus misericordiam tuam* (προσδοκῶμεν ἔλεος *cum fiducia exspectemus misericordiam;* pronomen *tuam* interpres ex suis sed apte addidit). Ad propriam significationem verborum παιδεύειν et μαστιγοῦν (i. q. μαστίζειν), quae ab alexandrino Proverbiorum interprete velut synonyma adhibentur (*Prov.* 3,12, quam sententiam Apostolus Hebr. 12,6 ad verbum transumsit), noster auctor accurate attendit, quum Deum Israelitas velut patrem filios παιδεύειν i. e. *castigatione corrigere,* Chananaeos autem velut herum servos μαστιγοῦν i. e. *flagellatione ab iis vindictam sumere* dicit. Quam diversam puniendi rationem haud parum auget, quum hostes Israelitarum *innumeris modis* seu *multipliciter* flagellari addit (μυριότης est nomen abstractum adiectivi μυρίος *permultus, pervarius*; ἐν μυριότητι i. q. μυρίως, cfr ἐν ἀγαθότητι **1,1**). Nonnulli admirati, quod Deus, qui omnibus parcat (*v.* 16) Chananaeisque ipsis pepercit magnamque misericordiam exhibuit (*v.* 8,20), nihilominus eosdem multipliciter flagellasse asseratur, pro ἐν μυριότητι potius legendum esse ἐν μακροθυμίᾳ (in longanimitate vel mansuetudine) coniecerunt (*Nann.* — *Nachtig.*); quae coniectura et huius sententiae vim plane infringit, et supervacua est, quia misericordia, qua Deus

leviore plaga praemissa Chananaeos ad poenitentiam adducere conatus est, profecto optime conciliatur cum iustitia, qua a contumacibus totam, quam commeruerant, poenam multis et gravioribus immissis calamitatibus expetiit. Unus autem ex finibus, quos Deus in diversa hac puniendi ratione sibi proponit, secundum Sapientem is est, ut Israelitae ipsi, quoties ab aliquo poenam expetere debent, divinam bonitatem ac misericordiam diligenter meditentur eamque imitantes sese vero proximorum amore praeditos (*v.* 19ª) exhibeant; quoties vero promeritas peccatorum suorum poenas solvere a Deo iustissimo coguntur, opportunitate poenitendi oblata utentes (*v.* 19ᵇ) cum fiducia misericordiam eius exspectent (cfr *Bonav. Lyran. Nann. Ians. Gand. Castro* etc.).

A Chananaeorum punitione, qua inde a *v.* 3 velut altero eiusdem generis exemplo Deum in peccatoribus puniendis sua cum iustitia et potentia misericordiam quoque suam manifestare confirmavit, ad Aegyptios revertitur, ut indole ac fine plagarum eis immissarum recapitulatis doctrinam suam de divinis poenis breviter complectatur. Arcte tamen hunc epilogum praecedenti sententiae adiungit, ut duos illos populos Israelitis tam infestos simili ratione tractatos esse atque proinde ea, quae de aegyptiacis calamitatibus dicturus est, suo modo etiam de chananaeis valere insinuet. 23. *Unde et illis, qui in vita sua insensate et iniuste vixerunt, Per haec, quae coluerunt, dedisti summa tormenta;* sententiam ad graecum textum emendatiorem (cfr *VV. LL.*) accuratius et clarius vertes : *unde* (quia nimirum inimicos populi tui multipliciter flagellas *v.* 22) *etiam iniustos* (illos), *qui in insipientia vitae vixerunt, per proprias illorum cruciasti abominationes.* Antiquiores iunioresque commentatores plerique auctorem hac sententia tractatum suum de Chananaeis continuare putarunt, recte autem moderni fere omnes eum nomine τοὺς ... ἀδίκους (*iniustos* illos) Aegyptios designare statuunt. Id enim primum ipsa particula καὶ (*etiam*) nomini τοὺς ἀδίκους praemissa iam suadet, qua hic eadem ratione qua supra (cfr ad *v.* 3) ad alium populum orationem traducit. Clarius deinde id ex eo elucet, quod ad 11,16 sq. (cfr 16,1) respiciens iniustos hos per ea ipsa, per quae peccaverunt, i. e. per animalia, quae sibi deos elegerant, castigatos esse repetit; de quo talionis iure in Chananaeis punitis mentionem non fecit. Quibus adde eum in sequentibus (*vv.* 24-27) de illa sola vitae insipientia loqui, quae in animalium cultu religioso se prodit et cui Aegyptios deditissimos fuisse inter omnes constat, Chananaeos vero indulsisse certis testimoniis non probatur (cfr *Gutb.* etc.). Nomine βδελυγμάτων (abo-

minationum = תּוֹעֲבוֹת, *Vulg. : ea quae coluerunt*) hic ut saepe in LXX (*Deut.* 7,25 sq. ; 27,15 ; 3 *Reg.* 11,5 ; 4 *Reg.* 23,13 etc.) non tantum idololatria, sed etiam ipsa designantur idola quae coluntur (cfr *Ex.* 8,26 hebr. et lat.). Praetermisso adiectivo ἰδίων interpres latinus allusionem ad talionis ius quae verbis « per *proprias illorum* abominationes » continetur, obscuravit.

De quanam porro vitae insipientia loqui velit, Sapiens diligentius explicat v. 24. *Etenim in erroris via diutius erraverunt* (ex graeco verte : *etenim erroris viis longius erraverunt*), *Deos aestimantes haec, quae in animalibus sunt supervacua* (graeca verba rectius verte : *ea quae inter animalia vel ipsa sunt odiosorum vilissima*), *Infantium insensatorum* (seu *insipientium*) *more viventes* (graece : *decepti* vel potius : *ludificati*). Audacissima hyperbole auctor Aegyptios dicit « viis erroris longius τῶν πλάνης ὁδῶν μακρότερον errasse » i. e. ipsos erroris limites ad quos viae erroris adducunt, transgressos esse ; aegyptiaco igitur animalium cultu nihil excogitari posse absurdius significat. Vulgatae interpres adverbio μακρότερον temporalem significationem (*diutius*) attribuit, quae ei saepe quidem, verum non hoc in loco competit ; neque enim genetivum τῶν πλάνης ὁδῶν a comparativo μακρότερον regi animadvertit. Ut autem severum suum de Aegyptiorum stultitia iudicium probet, Sapiens non minus acerbe eos τὰ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα sibi deos elegisse declarat. Vulgatus, quum in sua versione (*haec quae in animalibus sunt supervacua*) genetivum τῶν ἐχθρῶν omitteret, dictionis nervos intercidit ; neque totam eius vim iuniores commentatores illi exprimunt, qui graeco ἐχθρός hic *hostem* designari supponentes genetivum aut ad nomen ζώοις trahentes explicant : « ea quae *inter hostium animalia* erant vilia » seu vilissima (*Gutb.* etc. — *Gr.* etc.) aut cum adiectivo ἄτιμα connectunt, ut sensus sit : « ea quae inter animalia erant *vilia hostium* i. e. vilia apud hostes (*Lap. Calm.* etc.) ; neque enim apparet, quo iure cultus Aegyptiorum ideo absurdior vocari possit, quia aut hostium animalia aut animalia, quae ab hostibus habebantur vilia, coluerint. Rectissime vero aliqui moderni (cfr *Schm.* — *Bois*, p. 401 sq.) ἐχθρός hoc in loco adiectivum atque latino *odiosus* seu *invisus* reddendum esse sumunt, ut sensus dictionis sit : « *coluerunt inter animalia* (ἐν ζώοις) ea, quae *odiosorum* (τῶν ἐχθρῶν) *sunt ipsa vilissima* (τὰ καὶ ... ἄτιμα ; cfr 15,18 : τὰ ζῶα τὰ ἔχθιστα σέβονται *Vulg.* : « animalia colunt miserrima » rectius odiossima ; 11,16 : ἐθρήσκευον ἄλογα ἑρπετὰ καὶ κνώδαλα εὐτελῆ cfr *supra* p. 414 sq.). Bene *Bois* gradationem quandam in hac dictione adesse monet : « Les payens prennent pour dieux... qui? des bêtes! Et parmi les bêtes... lesquelles? Les plus malfaisantes [potius : les détestées]!

Et parmi les malfaisantes [les détestées]... lesquelles? celles qui sont méprisées [potius : les plus méprisées]. On comprend alors l'expression énergique : καὶ γὰρ τῶν πλάνης ὀδῶν μακρότερον ἐπλανήθησαν ». Atque similiter intelligitur, cur Sapiens eos more infantulorum insipientium esse ludificatos addiderit. Undenam vero Vulgata suum *viventes* sumserit, ignoramus; lectionem ψευσθέντες enim tuentur cum omnibus graecis codd. etiam reliquae versiones, eamque contextui quoque magis congruere proxima sententia docet, in qua Aegyptii rursus cum pueris usum rationis nondum adeptis comparantur.

25. *Propter hoc,* sc. quia voluntaria sua occaecatione eo devenerant, ut infantibus similes sese decipi paterentur, eis *tamquam pueris insensatis* (potius : *pueris usu rationis carentibus*) *iudicium in derisum dedisti;* 26. *Qui autem ludibriis et increpationibus non sunt correcti, Dignum Dei iudicium experti sunt.* Ex graeco melius : *Propterea eis ut pueris usu rationis carentibus* (ἀλογίστοις), *supplicium in ludibrium misisti; Qui autem lusibus increpationis* (i. e. ludicris seu puerilibus castigationibus) *correcti non sunt, Dignum Deo* (vel *Dei*) *supplicium experientur.* Paronomasia sua (παισὶν-εἰς ἐμπαιγμὸν-παιγνίοις) auctor quodammodo ipse sententiae initio Aegyptiis illudere videtur, ut comminationi suae, qua eam terminat, maiorem vim attribuat. Duo autem poenarum genera distinguit, quorum priore, nisi omnia nos fallunt, cunctas plagas et calamitates complectitur, quibus Deus Aegyptiis ad dimittendum populum suum coegit et ad poenitentiam adducere conatus est (cfr *v.* 2 et ad 11,15); quamquam enim ultimae (primogenitorum mors, totius exercitus demersio) gravissimae videri poterant, re tamen, maxime ad aeternum interitum comparatae, mollissimae dici illisque castigationibus aequiparari meruerunt, quibus pater vel mater quasi ludens filios suos usum rationis nondum adeptos corrigere solent (παίγνιον proprie rem significat, quae puerorum lusibus inservit). Quibus puerilibus et ludicris castigationibus altero membro tamquam « vindictam Deo dignam » opponi censemus aeternum interitum, quippe in quo tota, ut ita dicamus, iustitia ac potentia divina sese ostendat ac manifestet. Atqui eo tempore, quo liber noster conscriptus est, saeculo 3 a. Chr., Aegyptii ab animalium cultu nondum recesserant, ita ut pristinae illae plagae omnes non minus quam calamitates iisdem postea inflictae suo fructu caruisse et velut ineptiae pueriles oblivione obrutae viderentur. Quare nihil miri in eo, quod auctor subito Aegyptiis suae aetatis, qui tunc simili ratione, qua olim eorum maiores populum Israel, fideles veri Dei cultores, opprimebant crudeliterque vexabant, aeternum, nisi corrigi velint, interitum comminetur atque hac com-

minatione simul indicet, quam poenam Deo dignam eorum maiores subierint quia plagis temporalibus ad veri Dei cultum reduci noluerint.

Distinctione igitur inter temporales et aeternas poenas difficultatem, quam futurum πειράσουσιν (*experientur*) legentibus creare solet, sufficienter solvi censemus. Plerique quippe commentatores nomine *ludicrarum castigationum* primas novem plagas aegyptiacas et nomine poenarum Deo dignarum mortem subitam primogenitorum et exercitus aegyptiaci demersionem designari volunt; quia autem illae omnes ad praeteritum tempus pertinent, nesciunt quid sibi futurum hoc in loco velit. Enallagen temporum, i. e. futurum positum loco praeteriti (experientur = experti sunt), supponere cum *Lap.* in scriptore linguae Graecae apprime gnaro non licet; nec magis (cum *Schm.* — *de W.*), πειράσουσιν *experientur* hic dici pro ἤμελλον πειράσαι *experturi erant*, aut (cum *Gutb.*) a scriptore animo in tempus praeteritum remisso rem spectatem esse (ergo futurum = praesens hist.). Nec dici potest (cum *Gr.*), v. 26 esse monitionem generalem parenthetice insertam.

Iure merito se suae aetatis Aegyptiis aeternum interitum comminari auctor sorte antiquorum Aegyptiorum recapitulata confirmat, quippe qui, quum per illa ipsa, quae divinis honoribus colebant, animalia cruciarentur, verum Deum, quem antea se nosse negarant, non cognoscere non potuerint, aeterno tamen supplicio puniti sint, quia cognito Deo laudem gloriamque debitam deferre recusarunt : 27. *In quibus enim patientes indignabantur, Per haec, quos putabant deos, in ipsis, quum exterminarentur, Videntes illum, quem olim negabant se nosse, verum Deum agnoverunt; Propter quod et finis condemnationis venit super illos.* Haec Vulgatae interpretatio impeditior est et obscurior, licet quid auctor significare voluerit ex ea in universum sane innotescat; primigenium igitur textum (quem cfr pag. 430) interpretari satius existimamus.

In graecae sententiae initio ἐφ' οἷς valet i. q. ἐπὶ τούτοις ἐφ' οἷς[1]; quum autem illud ἐπὶ τούτοις statim repetatur, habemus duo membra parallela (ἐπὶ τούτοις ἐφ' οἷς ἠγανάκτουν et ἐπὶ τούτοις οὓς ἐδόκουν θεούς), quibus ut ita dicamus fundamentum indicatur, quo nixi Aegyptii ad veri Dei cognitionem pervenisse referuntur. Quibus attentis sententiam in hunc modum interpretandam esse apparet : *illi enim* (scil. antiqui Aegyptii) *in his* (scil. animalibus etc.), *de quibus patientes* (i. e. quum per ea paterentur) *indignabantur, in his* [inquam] *quae opinabantur deos esse, quando illis* (seu *per illa*) *cruciabantur, viderunt et cognoverunt* (ἰδόντες... ἐπέγνωσαν) *eum, quem olim se nosse negabant, esse verum Deum; ideo* (scil. quia cognitum Deum non

1. De hac constructione cfr *Win.* Gr. p. 150 (§ 23, c.) *Beel.* Gr. p. 156 sq., qui variis Novi T. exemplis eam illustrant.

sicut Deum glorificaverunt) *et finis condemnationis* (i. e. ipsa extrema condemnatio vel *extremum supplicium*) *venit super illos.* Sententiae sensus clarus est; ad ea respicit auctor, quae supra iam docuit (cfr ad 11,15 sqq.) : Dominus, quem Aegyptii per Moysen ad eos locutum irridentes reiecerant et se nosse negaverant (*Exod.* 5,2), animalia ac similia, quae velut dii ab iis adorabantur, eis in totidem poenae instrumenta convertit, eosque per ea per quae peccaverant, crudeliter vexavit; iam vero eo ipso illi eum verum Deum ac supremum omnium Dominum esse fateri coacti sunt. At speculativa Dei cognitio non sufficit; quia autem Pharao cum suo populo nihilominus in insanissimo suo animalium cultu perseveravit, ideo Deus eos ultimo ac supremo supplicio punire debuit.

§ 6. — *Digressio de falsorum deorum cultu stulto et pernicioso* (13,1-15,19).

Insanum animalium cultum Sapiens non eo solo consilio tam vehementer corripuit, ut Aegyptiis tot plagas calamitatesque iustissime a Deo immissas esse demonstraret, sed procul dubio etiam ut fratres suos, qui medii inter illos degere coacti erant, contra turpem istum et periculosissimum errorem praemuniret. Verum praeter omnis fere generis animalia Aegyptii solem quoque et astra mundique elementa non minus assidue divinis honoribus colebant; vetus autem simulacrorum cultus ab eo tempore, quo Ptolemaei totum quoque graecum Olympum secum in Aegyptum attulerant, quasi in immensum auctus erat. Unde facile intelligitur, cur Sapiens hoc in loco commentariolum de totius cultus aegyptiaci stultitia et perversitate inserendum duxerit, quamvis hoc argumentum cum proprio operis themate ac proposito non cohaereat, nisi quatenus omnis falsorum numinum adoratio, utpote insipientiae culmen, sapientiae practicae per totum librum commendatae absolute contraria est, contraria autem contrariis illustrantur. Sunt quidem, qui ex hac digressione colligant, librum ethnicis, non Iudaeis, destinatum esse; « ad quid enim, inquit *Schürer* (Gesch. des jüd. Volkes zur Zeit Christi Ed. 3. 1898, p. 378), ista de idololatriae insulsitate praelonga declamatio (die langathmige Predigt) cuius scribendae profecto Iudaei, qui hoc nomine utcunque erant digni, neque ansam neque occasionem praebere potuerunt? » Ast doctissimus vir oblivioni videtur dedisse Iudaeos alexandrinos et palaestinenses ipsa auctoris nostri aetate partim crudelibus Ptolemaeorum et Seleucidarum vexationibus perterritos et infractos, partim idololatrici cultus illecebris allectos, partim ethni-

corum quum falsis doctrinis philosophicis tum libidinibus et luxuriis seductos a divina patrum suorum lege deficere et cum avitis moribus fidem avitam abiicere coepisse (cfr *supra* ad 2,1 sqq.). Neque satis Schürer attendit Sapientem veteres populi sui prophetas imitatum esse, inter quos Isaias, quum periculum, quod Babyloniorum idololatria filiis Israel aliquando allatura esset, divinitus illustratus praevidisset, et Ieremias, quum devictos fratres in Babyloniam iam transportari videret, contribules suos monitis plane similibus, ad quae noster auctor haud semel respicit, confortare et praemunire voluerint (cfr *Is.* 44,9-20; 46,1-7; *Ierem.* 10,2-16, eiusdemque epistola *Bar.* 6,1-72).

Ad eorum igitur exemplum auctor noster fratres suos tunc in Aegypto non minori, quam in Babylonia eorum maiores, periculo perversionis expositos a tota aegyptiaca idololatria absterrere studet. Quem in finem tres idololatrarum classes ex ordine distinguens velut pro exordio ab iis carpendis exorditur, qui Dei ipsius opera pulchritudine et viribus eminentia colebant (13,1-9); deinde accuratius uberiusque exponit vehementiusque insectatur cultum illo tempore vulgatissimum simulacrorum idolorumque, quae maiore minoreve cum arte homines ipsi sibi ex metallo vel ligno vel marmore confecerant (13,10-15,6). Demum quasi pro epilogo paucis verbis in infimam eorum classem invehitur, qui idolum qualecunque, quod neque materia neque forma se commendat, quin etiam bruta animalia deos suos vocant (15,7-19). In tria igitur membra digressionem apte dispertimus.

1. — *De praestantiorum creaturarum cultu* (13,1-9).

13,1. Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, Et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, Neque operibus attendentes agnoverunt, quis esset artifex : 2. Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aërem, Aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, Aut solem et lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt. 3. Quorum si specie delectati, deos putaverunt, Sciant quanto his dominator eorum speciosior est : Speciei enim generator haec omnia constituit. 4. Aut, si virtutem et opera eorum mirati sunt, Intelligant ab illis, quoniam, qui haec

13,1. Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία, Καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα, Οὔτε τοῖς ἔργοις προσχόντες ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην. 2. Ἀλλ' ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ ταχινὸν ἀέρα, Ἢ κύκλον ἄστρων, ἢ βίαιον ὕδωρ, Ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ πρυτάνεις κόσμου Θεοὺς ἐνόμισαν. 3. Ὧν εἰ μὲν τῇ καλλονῇ τερπόμενοι θεοὺς ὑπελάμβανον, Γνώτωσαν πόσῳ τούτων ὁ δεσπότης ἐστὶ βελτίων. Ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά. 4. Εἰ δὲ δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ ἐκπλαγέντες, Νοησάτωσαν ἀπ' αὐτῶν πόσῳ ὁ κατασκευάσας αὐτὰ δυνατώτερός ἐστιν. 5. Ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων Ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς

fecit, fortior est illis : 5. A magnitudine enim speciei et creaturae Cognoscibiliter poterit creator horum videri. 6. Sed tamen adhuc in his minor est querela. Et hi enim fortasse errant, Deum quaerentes et volentes invenire. 7. Etenim cum in operibus illius conversentur, inquirunt : Et persuasum habent, quoniam bona sunt, quae videntur. — 8. Iterum autem nec his debet ignosci. 9. Si enim tantum potuerunt scire, Ut possent aestimare saeculum, Quomodo huius Dominum non facilius invenerunt?

αὐτῶν θεωρεῖται. 6. Ἀλλ' ὅμως ἐπὶ τούτοις ἐστὶ μέμψις ὀλίγη, Καὶ γὰρ αὐτοὶ τάχα πλανῶνται Θεὸν ζητοῦντες καὶ θέλοντες εὑρεῖν. 7. Ἐν γὰρ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ ἀναστρεφόμενοι διερευνῶσιν, Καὶ πείθονται τῇ ὄψει, ὅτι καλὰ τὰ βλεπόμενα. 8. Πάλιν δὲ οὐδ' αὐτοὶ συγγνωστοί. 9. Εἰ γὰρ τοσοῦτον ἴσχυσαν εἰδέναι, Ἵνα δύνωνται στοχάσασθαι τὸν αἰῶνα, Τὸν τούτων δεσπότην πῶς τάχιον οὐχ εὗρον[1];

A minus abiecta polytheismi specie initio digressionis suae sumto Sapiens stultitiam eorum carpit, qui praeclarioribus mundi aspectabilis rebus cultum uni Deo vero debitum exhibuerunt (*vv.* 1.2); eos enim qui illarum pulchritudine delectati illarumve virtutem et efficaciam admirati sint, ad infinitam creatoris illarum pulchritudinem ac virtutem ascendere debuisse monet (*vv.* 3-5); quapropter hos astrorum adoratores minus quidem reliquis idololatris reprehendendos videri concedit, quatenus per creaturas ad Dei cognitionem

1. *VV. LL.* — 1. μάταιοι... φύσει (vani... naturà) est communis graecorum codd. ac verss. lectio; soli *Vulg.* et *Syr.* nomen φύσει perperam omittunt. B nonnullique minusc. προ[σ]σχόντες (intuiti); ℵ A 23 aliique minusc. προσέχοντες (intuentes vel considerantes). — 2. ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ est communis testium criticorum lectio, quam etiam *S. Aug.* (de Trinit. XV. 2,3) et aliqui codd. operum *S. Cypr.* (Testim. c. Iud. III. 59) exhibent; interpres nostrae *Vulg.* ad *Gen.* 1,16 respiciens vertere maluit *solem et lunam.* — 3. θεοὺς ὑπελάμβανον (*deos putabant*) B cum paucis minusc. et *Vulg.*; lege : ταῦτα θεοὺς ὑπελάμβανον (i. e. *haec*, sc. opera recensita, *deos putabant* cum A 23 multis minusc. *Syr. Arm. Copt. Shex. Ar. Aeth.*et cum *S. Aug.* l. c. — 4. εἰ δέ (*si autem*); sola *Vulg.* habet *aut si.* — δυνάμει καὶ ἐνεργείᾳ ἐκπλαγέντες B 23 nonnullique minusc.; δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ℵ A aliique minusc.; verbum ἐκπλήσσεσθαι utramque constructionem admittit. — 5. ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς κτισμάτων (ex magnitudine enim pulchritudinis creaturarum) B A, pauci minusc.; sed ἐκ γὰρ μεγέθους καλλονῆς καὶ κτισμάτων (*ex magnitudine enim pulchritudinis et creaturarum* vel *creaturae*) ℵ 23, aliqui minusc. ed. *Ald.* et *Vulg.*; atque ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς κτισμάτων (*ex magnitudine enim et pulchritudine creaturarum*) haud pauci minusc. cum *Euseb. Caes., S. Athan., S. Chrys., S. Greg. Nyss., Theodoret., verss. Arm. Shex., Aeth.* et probabiliter *Copt.* (cfr *Reusch* et *Feldm.*); quae tertia lectio et maiore auctoritate critica commendatur et contextui melius, quam duae aliae, congruit ideoque praeferenda est, cfr *Comment.* — 7. τῇ ὄψει (aspectu) est communis quum codd. omnium tum plurimarum verss. lectio; sola, ut videtur, *Vulg.* nomen hoc praetermisit. — 9. τὸν τούτων δεσπότην (horum Dominum) est communis codd. graec. lectio; pauci tantum minusc. habent τὸν τούτου (sc. αἰῶνος) δεσπότην, quam lectionem *Vulg.* suo *huius Dominum* secuta est.

pervenire studuerint (*vv.* 6.7), venia tamen dignos esse negat, quandoquidem omnes, qui ad mundi leges investigandas et explorandas idonei fuerint, mundi dominum multo facilius cognoscere potuerint (*vv.* 8.9).

Pro exordio Sapiens generali sententia astrorum cultores una cum reliquis idololatris stultitiae accusat : 1. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, Et de his, quae videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est, Neque operibus attendentes cognoverunt, quis esset artifex :* 2. *Sed aut ignem aut spiritum aut citatum aërem Aut gyrum stellarum aut nimiam aquam Aut solem et lunam rectores orbis terrarum deos putaverunt.* Ad graecum textum et fere cum *S. Aug.* (de Trin. XV, 2.3) melius ita : *1. Nam vani quidem* (sc. *fuerunt*) *omnes homines naturá* (φύσει), *quibus adfuit Dei ignoratio, Et de his quae spectantur bonis non valuerunt scire* (seu *cognoscere*) *eum qui est* (τὸν ὄντα) *Neque operibus attendentes agnoverunt artificem, 2. Sed aut ignem aut spiritum* (i. e. ventum) *aut celerem aëra Aut cyclum astrorum aut violentam aquam Aut luminaria caeli, rectores mundi deos putaverunt.* In primo sticho particula γάρ auctor innuit se hac digressione de totius idololatriae perversitate simul ea confirmare velle quae modo (12,27) de supremo et sempiterno supplicio a Deo iuste Aegyptiis Chananaeisque idololatris inflicto asseruit. Particulis autem μέν — δέ (hic μάταιοι μὲν, *v.* 10 ταλαίπωροι δέ) cultores falsorum numinum quodammodo in duas classes distribuit, quarum prior eos complectitur qui praestantiores creaturas ab ipso Deo conditas eximiaque pulchritudine aut virtute instructas divinis honoribus colunt, altera eos, qui viles infirmasque res hominum manibus laboriose confectas tamquam deos venerantur et ab iis auxilium vel praesidium petunt. Iamvero quum utriusque classis socios, quia pariter verum Deum ignorant, stultitiae accuset, secundae vero homines, quia in rebus omni propria vi et efficacia destitutis spem suam reponunt, insuper infelicitati singulari obnoxios esse doceat (*v.* 10 sqq.), cultum astrorum et elementorum velut minus ignobilem (cfr *v.* 6) ab idolorum proprie dictorum cultu plane separat; hanc autem distinctionem statim a primae sententiae principio iam indicare voluit, unde eam in versione praetermittere non licuit. Vulgatus interpres his particulis μὲν γὰρ, haud recte *autem* substituit. Nec felicius in primo sticho formas praesentis temporis (vani *sunt,* non *subest*) posuit, quamvis non tantum in membro relativo praeteritum adsit (παρῆν), sed etiam reliqua praeterita (ἴσχυσαν, ἐπέγνωσαν *potuerunt, agnoverunt*) clare indicent, primo membro non praesens εἰσίν sed praeteritum ἦσαν esse supplendum. Sapiens

enim de praeteritis rebus, scilicet proxime de ortu idololatriae loquitur, similiter ac S. Paulus (*Rom.* 1,21), qui ad nostrum locum, uti hodie vix non omnes consentiunt, respiciens accuratius exponit, quibus quasi gradibus homines sese ipsi occaecantes eo delapsi sint, ut etiam vilissimas res pro diis haberent (cfr nostrum Comment. in Rom. p. 87 sq.). Ceterum minoris momenti hic interpretis error est, siquidem quae de idololatriae origine dicta sunt, suo modo etiam de eius propagatione valent. Minoris quoque momenti videtur, quod vis et gravitas sententiolae relativae (οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία) aliquantum sit imminuta, quum interpres eam negative redderet (*quibus non adfuit scientia Dei*); etenim auctor *ignorationem veri Dei* (Θεοῦ ἀγνωσίαν), quamvis per se non sit nisi absentia ideae veri Dei, quasi habitum quendam considerat, qui inventoribus idololatriae inhaeserit (cfr similem locutionem Apostoli 1 *Cor.* 15,34 ἀγνωσίαν γὰρ Θεοῦ τινὲς ἔχουσιν) eisque ad se ipsos magis occaecandos semper praesto adfuerit (ad παρῆν cfr 11,22). Gravius autem denique est, quod interpres nomen φύσει (naturâ) praetermiserit, quo auctor radicem, ut ita dicamus, stultitiae inventorum idololatriae ipsam fuisse naturam docet hominis, qualis nunc nascitur, naturam dico humanam sequelis peccati primorum nostrorum parentum onustam et vitiatam, cuius summam infirmitatem intellectualem supra (9,14-16) clare ac distincte iam delineaverat. Namque *natura hominis*, uti egregie *S. Aug.* (Retract. I. 10,3) explanat, vere quidem ac proprie dicitur, qualis a Deo primitus sine vitio est condita; « translato autem verbo utimur, ut naturam dicamus etiam, qualis nascitur homo; secundum quam locutionem dicit Apostolus (*Eph.* 2,3) : fuimus aliquando *natura filii irae* (τέκνα φύσει ὀργῆς) sicut et ceteri. » Quam dictionem apostolicam ad nostram illustrandam aptissime adhiberi demonstratione non indiget; id unum enim inter utramque intercedit, quod Apostolus proxime reatum culpae, Sapiens reatum poenae urgere videtur. Parum recte autem nonnulli dictum Sapientis de malitia Chananaeorum innata vel naturali (12,10 ἔμφυτος ἡ κακία αὐτῶν) comparantes hoc in loco nomine *naturae* » errorem inolitum ex patribus et ab ipsa quasi nativitate inditum » (*Boss.* cfr *Les.* etc.) significari volunt; nam de primis falsorum deorum cultoribus agitur.

Quorum stultitia quae fuerit, Sapiens reliquis explicat stichis sententiolae relativae coniunctione καί (quae hic significat *et quidem*) connexis; ubi tam facile ad verbum οὐκ ἴσχυσαν nominativus οἵ ex praecedente dativo οἷς suppletur, ut latinus interpres eandem anacoluthiam sine scrupulo retinuerit. Eo igitur eorum stultitiam auctor cerni significat, quod invisibilia Dei (ut cum S. Paulo nostrum locum

respiciente et quodammodo interpretante loquamur), i. e. sempiternam eius potentiam et divinitatem non tantum non perceperint, sed cum ipsis rerum creatarum imaginibus commutaverint (cfr *Rom.* 1,20. 23), quamquam illa inde a mundi creatione per ea quae facta sunt tam clare sint revelata, ut nemo prudens illa sine sua culpa intellectu apprehendere non possit. Illi igitur argumenta aptissima, quibus aspectabilis hic mundus omni homini ratione utenti exsistentiam infinitamque perfectionem Dei declarat, intelligere non potuerant, sed sua ipsorum malitia occaecati (cfr 2,21) in creaturis ipsis inhaeserant eisque quasi mundi rectoribus et diis honorem soli Deo debitum tribuerant. Duo eiusmodi argumenta auctor non accurate quidem explanat, leviter tamen adumbrat; quorum prius ex rerum visibilium bonitate, licet finita et imperfecta, ens esse aliquod infinitae bonitatis et perfectionis concludit quod absolute et a se est, ut simpliciter ὁ ὤν *is qui est* vocari mereatur (*ex iis quae conspiciuntur bonis non potuerunt cognoscere eum qui est* τὸν ὄντα): alterum vero ex creaturarum artificiosa conformatione infert existentiam artificis potentissimi et sapientissimi (*neque opera considerantes cognoverunt artificem* τὸν τεχνίτην).

Sunt qui prioris argumenti dictione τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν (visibilium *bonorum*) res huius mundi, quatenus *nobis bonae* et utiles sint, designari arbitrentur, ita ut Sapiens eadem ratione atque S. Paulus in oratione ad Lystrenses (*Act.* 14,16) eas velut totidem testimonia benignitatis infinitae Dei proponat (*Brmstr. Deane* etc.). Recte vero alii eum res considerare tenent, quatenus naturaliter bonae ac perfectae in suo genere sunt; cunctas quippe Deus bonas fecit (*Gen.* 1,31) omnesque in quantum *sunt,* etiam *bonae* sunt, quum ens et bonum inter se convertantur. Illud igitur argumentum philosophicum indicat, quod ex gradibus rerum nominatur quodque Platonicis iam usitatum (cfr *S. Aug.* de civ. Dei VIII. 6) hunc in modum a *S. Thom.* (Summ. theol. I. q. 2, a. 3) proponitur : « Invenitur in rebus aliquid magis et minus bonum et verum et nobile, et sic de aliis. Sed magis et minus dicuntur de diversis, secundum quod appropinquant diversimode ad aliquid, quod maxime est, sicut magis calidum est, quod magis appropinquat maxime calido. Est igitur aliquid, quod est verissimum et optimum et nobilissimum, et per consequens maxime ens (nam quae sunt maxime vera, sunt maxime entia, ut dicitur 2 Metaph.). Quod autem dicitur maxime tale in aliquo genere, est causa omnium, quae sunt illius generis... Ergo est aliud, quod omnibus entibus est causa esse et bonitatis et cuiuslibet perfectionis, hoc dicimus Deum ». Aptissime igitur ex rerum visibilium naturali bonitate et perfectione necessario colligi significat exsistere *eum, qui est,* τὸν ὄντα, i. e. ens quoddam aeternum ac perfectissimum, quod scilicet a se et absolute est, atque sicut in se solo totam sui ipsius *esse* suaeque *bonitatis* infinitae rationem habet, ita solus quoque fons vel potius

causa est omnis *esse* et *boni* finiti, quod unquam fuit aut est aut erit. Haec enim vis ac potestas est nominis יהוה, quo Deus ipse olim a populo suo agnosci voluit (cfr *Exod.* 3,14 sq.) et quod laudato in loco Alexandrini ὁ ὤν accommodatissime reddiderunt, Sapiens autem eodem participio adhibito iudaicis suis lectoribus in mentem revocavit. Quo de nomine disserens *S. Hilar.* (de Trinit. I. 8) egregie : « admiratus, inquit, sum plane tam absolutam deDeo significationem, quae naturae divinae incomprehensibilem cognitionem aptissimo ad intelligentiam humanam sermone loqueretur. Non enim aliud proprium magis Deo quam *esse* intelligitur, quia id ipsum quod *est* neque desinentis est aliquando neque coepti; sed id quod cum incorruptae beatitudinis potestate perpetuum est, non potuit aut poterit aliquando non esse, quia divinum omne neque abolitioni neque exordio obnoxium est ».

Alterum porro argumentum apertissimum, quod in S. Scripturis alibi quoque haud semel innuitur (cfr *Ps.* 18,2 sqq.; *Iob* 12,7 sqq.; *Eccli.* 43,1 sqq. etc.), hominem *attenta consideratione creaturarum* (τοῖς ἔργοις προσέχοντες), utpote artificiose conformatarum et concinno ordine dispositarum necessario *adducit ad agnoscendum artificem supremum*, qui sumna cum sapientia et potentia universas produxerit et in ordinem aptissimum redegerit. Nullum enim opus artificiosum, uti cum aliis antiquis philosophis *Philo* (de monarch. 1,4) recte habet, a se ipso producitur (ἀπαυτοματίζεται). Attamen idololatriae inventores, quamvis artificiosam constitutionem tum singularum creaturarum tum totius mundi viderent et admirarentur, pro voluntaria sua occaecatione ad invisibilem eorum conditorem et ordinatorem mente non ascenderunt, sed in iis, quae oculis suis conspexerunt, inhaerescentes verum Deum cum diis mentitis fictisque commutaverunt et Creatore praeterito servierunt creaturis (cfr *Rom.* 1,25). Quae enim inter creaturas magnitudine aut pulchritudine aut vi et efficacia aut alia quacunque virtute eminere videbantur atque attentionem admirationemque magis excitabant, eas reliquarum ac totius mundi rectores (πρυτάνεις κόσμου) ac deos esse stulte sibi persuaserunt (cfr *Lactant.* Divin. institut. II. 5).

Paucas tantummodo praestantiores creaturas, quae in deorum numero constitutae sint, Sapiens recenset : *ignem*, *spiritum* (πνεῦμα i. e. ventum), *citatum aërem* vel potius, ut a praecedente clarius distinguatur[1], *fluxum aërem* seu aethera (ταχινὸν ἀέρα), qui utpote tenuis ac levis facile huc et illuc fertur et « divisus continuo in seipsum recluditur » (5,12), *gyrum stellarum* (κύκλον ἄστρων), qua dictione non tam stellas Zodiaci, qui quasi circulus est (*Lyr.* etc.), neque « constellationes, quae ex multis partialibus stellis integrantur et velut gyrum stellarum conficiunt » (*Lap.*[2]), quam potius ipsum coelum stellatum, i. e

1. Apud Graecos similis invenitur distinctio; Aeolus enim deus ventorum, Hera autem dea aëris putabantur (cfr *S. Aug.* de civ. Dei IV. 10).

firmamentum quod cum omnibus stellis circa terram gyrare videtur, ergo universitatem stellarum, quae toties in S. Scripturis *militia* coeli vocatur et divinis honoribus culta refertur (cfr *Deut.* 17,3 cfr 4,19; *Ierem.* 8,2; 19,13 etc.) significari plerique recte tenent, *nimiam aquam* vel rectius *ingentem aquam* (βίαιον ὕδωρ) i. e. maria aut magna flumina, uti Nilum etc., *luminaria coeli* (φωστῆρας οὐρανοῦ) i. e. *solem ac lunam*, uti Vulgatae interpres liberiore sua versione recte explicat. Atqui has omnes (praeter multas alias) ab Aegyptiis pro diis esse habitas testimoniis Diodori Sic., Porphyrii, Plutarchi, quae *Euseb. Caes.* (Praep. evang. III. 3,4) colligit, extra dubitationem ponitur; atque *Philo* quoque (decal. 12. ed. Mang. II. 189) probabiliter Aegyptios proxime ante oculos habuit, quum alios quatuor principia (i. e. elementa τὰς τέσσαρας ἀρχάς), terram, aquam, aërem ignemque, alios solem et lunam et alios planetas ac stellas fixas ut deos coluisse variisque nominibus invocasse referat. Nequaquam igitur ad locum nostrum interpretandum opus est, ut cum nonnullis mythologiam graecam aut aliarum gentium cultus in auxilium vocemus.

Tribus deinde quae sequuntur sententiis (*vv.* 3-5) Sapiens secundum argumentum quodammodo explanat, ut clarius appareat, quam stulte ii agant, qui creaturas quasdam ob earum sive pulchritudinem sive potentiam numero deorum accensent neque ex earum virtutibus, quas admirantur, sua sponte colligunt multo praestantiorem esse earum artificem vel potius creatorem. 3. *Quorum* (ὧν scil. operum *v.* 2 recensitorum, quae pro diis habentur) *si specie* (i. e. pulchritudine τῇ καλλονῇ) *delectati deos putaverunt* (ad testatiorem lectionem : ταῦτα θεοὺς ὑπελάμβανον cfr *VV. LL.* cum *S. Aug.* lege : *haec* scil. opera *deos putaverunt*', *Sciant, quanto his dominator eorum speciosior est;* γνώτωσαν πόσῳ τούτων ὁ δεσπότης ἐστὶ βελτίων. Imperativo γνώτωσαν (cognoscunto) auctor, uti interdum etiam classici, hic id exprimit, quod posita conditione quadam aliquis facere debuit (cfr *Matthiae* Gr. Gram. II. 1158 apud *Gr.*), ita ut idem valeat quod *cognoscere debuerunt*. Sententiola autem (πόσῳ... βελτίων) duplicem admittit interpretationem, prout genetivus τούτων aut ad nomen δεσπότης pertinere (*horum dominus*) aut a comparativo βελτίων pendere (*his melior*) supponitur. Parum recte Vulgata nostra utramque constructionem coniunxit. *S. Cypr.* (Testim. c. Iud. III. 59) secundam exhibet (« quanto *his* dominus est speciosior ») ; rectius vero, si membrum nostro parallelum (*v.* 4 ὁ κατασκευάσας αὐτά qui ea paravit seu *eorum conditor*) consideratur, *S. Aug.* priorem praetulit (« *quanto dominus eorum melior est* »). Aptius quoque *S. Aug.* comparativum βελτίων latino *melior* seu *praestantior* reddidit, relicto arctiore illo *speciosior*,

quem Vulgatae interpres ad nomen *pulchritudo* (seu *species*) respiciens posuerat; procul enim dubio auctor ipse βελτίων scribere maluit, ne legentes de pulchra forma artificis seu conditoris cogitarent. Cur demum idololatrae pulchris astris etc., quae adoraverunt, praestantiorem esse eorum dominum cognoscere debuerint, auctor docet addens : *Speciei enim generator haec omnia constituit* vel ad graecum : ὁ γὰρ τοῦ κάλλους γενεσιάρχης ἔκτισεν αὐτά accuratius : *pulchritudinis enim princeps et auctor creavit illa.* Nomen γενεσιάρχης. quod hoc solo S. Scripturarum loco legitur atque classicis quoque inusitatum fuit, usitatiori γενάρχης respondet, quo is designatur, qui utpote alicuius generis primus simul eiusdem auctor est; pulchritudinis igitur γενεσιάρχης Deus hoc loco vocatur, quia ab eo velut a perenni ac puro pulchritudinis fonte, ut habet *Maximus Tyr.* (apud *Gr.*) omnis pulchritudo fluit. Quem in sensum egregie *Boethius* (de consol. philos. III. 9,5) : « tu, inquit, cuncta superno ducis ab exemplo, *pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens similique imagine formans* »; neque minus egregie *Minut. Felix* (Octav. 18) totum argumentum his verbis proponit : « Quod si ingressus aliquam domum, omnia exculta, disposita, ornata vidisses, utique praeesse ei crederes dominum et illis bonis rebus esse multo meliorem : ita in hac mundi domo, quum coelum terramque perspicias, providentiam, ordinem, legem, crede esse universitatis dominum parentemque, ipsis sideribus et totius mundi partibus pulchriorem. » Eadem plane ratione deinde Sapiens ex viribus argumentatur, quibus creaturae instructae sunt : 4. *Aut si* (cum graeco textu εἰ δέ lege *si autem* cfr *VV. LL.*; particula δέ superiori μέν [*v.* 3. ὧν εἰ μέν] respondet nostramque sententiam praecedenti parallelam esse indicat) *virtutem et opera* (graecam lectionem δύναμιν καὶ ἐνέργειαν cum *S. Aug.* melius vertes : *virtutem et operationem* aut *virtutem et efficientiam*) *mirati sunt* (ἐκπλαγέντες), *intelligant* (νοησάτωσαν hic i. q. *intelligere debuerunt*) *quoniam qui haec fecit fortior est illis* (ad graecum cum *S. Aug.* accuratius : *quanto qui haec constituit fortior* seu *potentior est*). Graeca sententia elliptica est, quum in protasi hypothetica (εἰ δὲ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν ἐκπλαγέντες) verbum finitum desideretur; probabiliter auctor ex praecedente verba ταῦτα θεοὺς ὑπελάμβανον huc trahi voluit, quibus suppletis argumentum facilius fluit : « si autem virtutem et efficientiam (operum) mirati *haec deos esse putaverunt,* intelligere debuerunt, quanto conditor eorum potentior est ». Confirmationis autem gratia tertio in loco addit : 5. *A magnitudine enim speciei et creaturae Cognoscibiliter poterit creator horum videri,* vel potius ad lectionem graecam testatiorem (cfr *VV. LL.*), quae simul sententia-

rum nexui conformior est, siquidem hoc membro duo praecedentia (*vv.* 3.4) confirmat : ἐκ γὰρ μεγέθους καὶ καλλονῆς τῶν κτισμάτων ἀναλόγως ὁ γενεσιουργὸς αὐτῶν θεωρεῖται accuratius et nervosius : *ex magnitudine* (i. e. ex magna vi et efficientia) *enim et pulchritudine creaturarum analogice* (i. e. per conclusionem quae comparatione nititur) *auctor eorum conspicitur*. Eodem fere modo *S. Hilar.* (de Trinit. I. 7) sententiam refert : « de magnitudine enim operum et pulchritudine creaturarum consequenter generationum conditor conspicitur » ; quum autem explicationis gratia addat : « magnorum creator in maximis est et pulchrorum conditor in pulcherrimis », simul ostendit se hoc membrum pro confirmatione utriusque praecedentis habere atque nomen *magnitudo* hic proxime ac potissimum de virium magnitudine intellexisse. Nomen γενεσιουργός, quod synonymum est superioris γενεσιάρχης (*v.* 3), sed vi etymologiae suae (γένεσις et ΕΡΓΩ operor cfr δημιουργός, ἱερουργός) operationem et industriam agentis magis declarat, hic rectius auctor vel conditor quam creator reddi videtur. Adverbium ἀναλόγως autem parum apte a *Vulg.* vertitur *cognoscibiliter* ; suis in codicibus *S. Greg. M.* (Moral. XXVI. 25) pro eo *intelligibiliter* atque *S. Hilar.* (l. c.) et *S. Hieron.* (ad Damas. ep. 21,10) *consequenter* legerunt ; quam ultimam interpretationem, nisi graecum vocabulum (*analogice*) retinere volueris, merito praeferes. Verbum quippe ἀναλέγειν valet colligere et etiam comparare ; unde ἀναλογία proxime similitudinem ac proportionem rerum comparatarum, sed etiam consequentiam vel conclusionem denotat, quae ex rerum similium comparatione derivatur ; nostrum ἀναλόγως autem S. Paulus, quum « invisibilia Dei per creaturas *intellecta* (νοούμενα) conspici » diceret, quodammodo explicavit, quatenus ipse quoque ad nostrum locum respiciens significare voluit, hominem actu intellectus sui (τοῦ νοός) *per* creaturas ad earum primam causam ascendere et in earum perfectionibus perfectiones primae causae oculis intueri posse. Haud minus clare quam paulino nostro quoque loco confirmatur « quod S. Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse » (*Conc. Vatic.* Constitutio de fide cp. 2 ; cfr can. 2,1).

Haud male *Lap.* ultimam sententiam amplificat : « E magnitudine pulchritudinis et molis virtutisque creaturarum analogice cognosci potest, quanta sit magnitudo tam pulchritudinis quam immensitatis, perfectionis et omnipotentiae ipsius Creatoris, tum quia ex effectibus cognoscimus causam et ex operibus, uti ait *S. Athan.* (c. gent. 7), agnoscitur artifex, tum quia, si tanta est pulchritudo, quantitas, perfectio et potentia in angelis, sole, coelis aliisque creaturis finitis et limitatis, quanta

debet esse in Creatore infinito et quaquaversum illimitato...? Haec enim est analogia et comparatio analogica cum Creatore; hinc Dei magnitudo, maiestas, potentia ceteraque attributa absolute sunt infinita, ita ut eis nihil addi possit, adeo ut totus mundus ne vel hilum Deo adiiciat, sed Deus solus tantus est, quantus est Deus cum mundo coniunctus, quia Deus est immensus plane et infinitus... Sicut ergo umbra solis soli nihil addit, sic nec mundus quidquam bonitatis vel perfectionis addit Deo. Mundus enim est umbra Dei. » Totum autem locum illustrant, quae *Lactant.* (divin. instit. II. 5) tradit : « Quidam hebetis obtusique cordis elementa, quae et facta sunt et carent sensu, tamquam deos adorant. Qui quum Dei opera mirarentur, i. e. coelum cum variis luminibus, terram cum campis et montibus, maria cum fluminibus et stagnis et fontibus, earum rerum admiratione obstupefacti et ipsius artificis obliti, quem videre non poterant, eius opera venerari et colere coeperunt nec unquam intelligere quiverunt, quanto maior quantoque mirabilior sit qui illa fecit ex nihilo. Quae quum videant divinis legibus obsequentia commodis atque usibus hominis perpetua necessitate famulari, tamen illa deos existimant esse, ingrati adversus beneficia divina, qui Deo et patri indulgentissimo sua sibi opera praetulerunt ».

Quoniam Sapiens ab initio cunctos homines, qui Dei ignorantiam habent, promiscue vocavit natura stultos ac primo loco inter illos creaturarum Dei pulchritudine viribusque eminentium cultores recensuit, facile quis sibi persuadere potuit, hos pari saltem et aequali in noxa ab eo haberi atque adoratores simulacrorum aut vilium bestiarum. Hanc igitur interpretationem ut praecaveat, priorum culpam accuratius definiens eos minore quidem quam alteros reprehensione dignos (*vv.* 6, 7), neque tamen ab omni peccato vacuos esse (*vv.* 8 9) ostendit. 6. *Sed tamen adhuc* (lege : *Verumtamen* ἀλλ' ὅμως illuc *adhuc* abundat) *in his minor est querela* (ὀλίγη μέμψις proprie : *parva reprehensio* seu *parvum crimen*); *Et hi enim* (lege : *etenim ipsi* καὶ γὰρ αὐτοί) *fortasse errant Deum quaerentes et volentes invenire* (ζητοῦντες καὶ θέλοντες εὑρεῖν); 7. *Etenim quum in operibus illius conversentur, inquirunt Et persuasum habent, quoniam bona sunt, quae videntur;* graecum textum *v.* 7. ἐν γὰρ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ ἀναστρεφόμενοι διερευνῶσι καὶ πείθονται τῇ ὄψει, ὅτι καλὰ τὰ βλεπόμενα, rectius et clarius vertes : *in operibus enim eius versantes inquirunt* (vel *scrutantur* cfr 6,4 [3]) *et aspectui fidem habent* (vel externa specie persuadentur), *quoniam pulchra sunt ea, quae sub oculos cadunt.* Ad sensum satis commode interpres Vulgatae in primo membro graecum positivum (ὀλίγη) comparativo (*minor*) reddidit; siquidem secundum totam orationis seriem Sapiens crimen eorum, qui astra etc. colunt, non tam absolute sed relative parvum vocasse dicendus est, reliquis nimirum spectatis idololatrarum classibus, de quibus inde a *v.* 10 disserturus est. Minus autem illorum crimen iure vocari ex eo probat, quod *ipsi* (αὐτοί) verum Deum cognoscere saltem quaesierint atque in sua in-

quisitione etiam iustam viam inierint, divinas scilicet scrutati creaturas, quarum pulchritudine et magnitudine homo ad Creatorem agnoscendum adducitur; reliqui vero omni inquisitione omissa et neglecta temere suis ipsorum manibus deum quendam sibi fabricaverint (*vv.* 13 sqq.) aut hominis cuiusdam defuncti vel absentis imaginem stulte suum deum declaraverint (14,15 sqq.). Pronomine αὐτοί enim ipsosmet illos creaturarum Dei cultores designari, de quibus auctor inde a *v.* 2 loquitur quosque iam reliquis idololatris opponere incipit, cum omnibus antiquioribus iunioribusque ac plerisque modernis evidens esse censemus, neque intelligimus, quomodo aliqui acatholici (*Brmstr. Gr. Zoeckl.*) pronomine isto « Iudaeos sapientiae studiosos » designatos videre potuerint, « qui ipsi quoque in Dei relatione ad mundum divinisque consiliis definiendis facile errent ». Etenim omittimus, neque in praecedentibus neque in sequentibus ullam inveniri « Iudaeorum sapientiae studiosorum » mentionem, ut nemo prudens, qui haec in suo contextu legit, de iis cogitare queat; neque etiam apparet, qua ratione philosophorum iudaicorum errores in quaestionibus difficilioribus (cfr 9,13-17) minuere aut excusare possint ethnicorum errorem in re, quae paullo antea (*v.* 1) velut omnibus hominibus maxime obvia descripta est et statim denuo (*v.* 9) apertissima dicitur : — monuisse sufficit textu graeco novam hanc interpretationem plane excludi. Namque si pronomine αὐτοί nova quaedam hominum classis cultoribus creaturarum opponeretur, omnino articulo praefixo scribi debuit : αὐτοί... οἱ Θεὸν ζητοῦντες κτλ. ; id ipse quoque *Gr.* fatetur, sed ut difficultatem effugiat, omissionem articuli auctoris negligentiae attribuendam esse arbitrarie docet. Accedit autem, quod adverbium τάχα, quo attici iam scriptores plerumque dubitationem quandam exprimunt (uti latino *forsitan, fortasse*) eadem significatione in aliis paucis S. Scripturae locis, in quibus legitur (14,19; *Rom.* 5,7; *Philem.* 15) semper sumatur neque usquam idem sit ac ταχέως (cito, facile). Mirum ergo non est, quod nova haec ac mirifica opinio a recentissimis acath. quoque (*Bois*, p. 402 sqq. *Siegfr.* etc.) explodatur. Porro, ut ad textus explicationem revertamur, antiquiores (cfr *Carth. Cantac. Ians. Gand. Lap.* etc.) recte annotarunt, adverbium τάχα (*fortasse*) ad nudum verbum πλανῶνται (*errant*) referre non licere (siquidem dubitari nequit, quin errent, quatenus creaturis divinum honorem tribuunt), sed ad totam phrasin pertinere : fortasse *errant Deum quaerentes et invenire volentes*, i. e. quamvis Deum in creaturis, quibus divinitatem revelavit ideoque cognosci potest, quaerant et quidem sincere ac sollicite quaerant (altero quippe participio [εὑρεῖν θέλοντες] prius

[ζητοῦντες], quod et ipsum desiderium inveniendi connotat, haud parum augetur et intenditur). Bona igitur eorum voluntate inveniendi asserta eorum igorantia Dei aliquantum minuitur et excusatur, utpote aliqua ex parte non voluntaria; id autem Sapiens quasi confirmat modo descripto, quo in errorem suum lapsi sint. Attenta nimirum cum consideratione creaturas Dei illi perscrutantur, sed externa earum specie, quum eas pulchras esse videant, confidentes eas ipsas deos esse putant. Graeca dictio ἀναστρέφεσθαι ἔν τινι, uti latina versari in aliqua re, aliquoties idem valet atque meditari seu considerare rem cfr *Eccli.* 8,9 [8]; 39,3; 50,30 [28], quo ultimo in loco hebraico הָגָה ב i. q. *meditari* reddendo inservit). Duo sententiae membra coniunctione καὶ quidem connexa sunt, sed coniunctio hic quodammodo locum adversativae tenet (cfr *Marc.* 12,12 ἐζήτουν αὐτὸν κρατῆσαι καὶ ἐφοβήθησαν τὸν ὄχλον quaerebant eum tenere, *sed* timuerunt turbam; *Matth.* 3,14; *Ioan.* 6,7; 14,30 etc.). Latinus interpres alterum membrum omisso nomine τῇ ὄψει (aspectu), quod a verbo πείθονται pendet (aspectu eis persuadetur seu externae speciei fidem habent) plane obscuravit; bene *Lap.* illud exponit : « lenocinio oculorum decepti pulchras has creaturas coluerunt, quum pulchrius nihil cernerent neque Deum pulcherrimum oculis contueri possent ».

Eo ipso quidem, quod eorum qui creaturas colunt reprehensio, ad reliquorum idololatrarum crimen comparata, *parva* vel *minor* dicitur, eos non omni vacare culpa clare iam est indicatum; nihilominus auctor id diserte quoque affirmat ac probat : 8. *Iterum autem nec his debet ignosci*; melius : *rursus autem* i. e. altera autem ex parte *ne hi quidem venia sunt digni*. Sicut Sapiens *venia indignos* ita Apostolus (*Rom.* 1,20) *inexcusabiles* (ἀναπολογήτους) eos appellat, qui per creaturas visibiles invisibilem Creatoris virtutem maiestatemque non cognoverunt; ambo quippe eorum ignorantiam Dei non imbecillitati mentis sed voluntatis perversitati attribuunt invincibilemque esse negant. Quapropter noster, ut assertum suum demonstret, argumento a maiore ad minus vires mentis eorum ad Deum per creaturas cognoscendum abunde sufficere ostendit : 9. *Si enim tantum potuerunt* (ἴσχυσαν *valuerunt*) *scire, Ut possent aestimare saeculum, Quomodo huius* (τούτων *horum* sc. quae in saeculo sunt) *Dominum non facilius* (τάχιον citius) *invenerunt?* Argumentum clarum est : « intelligentia eorum, si difficillimis rebus pervestigandis et inveniendis idonea fuit, profecto ad rem maxime obviam et apertissimam cognoscendam idonea fuit eamque statim invenire debuit »; pauca tamen videntur annotanda. Quantum eorum intelligentia valeat, Sapiens ex eo coligi vult, quod potuerint στοχάσασθαι τὸν αἰῶνα (*aestimare saeculum*).

Nomen αἰῶνος, quo Alexandrini hebraicum עוֹלָם reddere solent, similiter atque istud proprie tempus denotat tum finitum (uti vitae etc.) tum infinitum (aeternitatem); ab Hellenistis tamen, uti etiam עוֹלָם a iunioribus Hebraeis et Talmudicis, metonymice (per metonymiam continentis pro contento) ad rerum, quae temporibus quasi mensurantur et continentur, universitatem designandam translatum est; unde et in Nov. Test. οἱ αἰῶνες (saecula cfr *Hebr.* 1,2; 11,3) et in nostro libro ὁ αἰών (13,9; 14,6; 18,4; cfr etiam 4 Esdr. 6,55. 59 « propter nos creasti *saeculum* ») interdum idem valet quod ὁ κόσμος (*mundus*); verbum στοχάζεσθαι autem « proprie notat collineare [sc. sagittam seu hastam etc.] et recta ad scopum tendere, metaphorice autem intendere et intentissime aspicere, ut facit sagittarius, dum in scopum iaculatur; deinde explorare, penetrare » (*Schleusn.*). Tantum igitur ingenio valuerunt, ut mundum, i. e. universas res visibiles earumque naturas, leges, ordinem etc. scrutari et investigare, etsi non sine magno labore ac sudore, possent; sed ad mundi Creatorem cognoscendum neque magnum studium neque magna animi contentio requiritur. Praeclare *Cicero* (de natura deor. II. c. 2) : « Quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, quum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur? »

Ad Sapientis argumentum uberius illustrandum duas S. Augustini explicationes addidisse iuverit, quarum in priore Deum facilius quam creaturas mente intelligi ad nostrum locum respiciens exponit : « Quamvis, inquit (de Gen. ad lit. V. 16,34), illa aeterna incommutabilisque natura, quod Deus est, habens in se, ut sit, sicut Moysi dictum est : Ego sum, qui sum, longe scilicet aliter, quam sunt ista, quae facta sunt... ineffabilis sit nec dici utcunque homini per hominem possit nisi usurpatis quibusdam locorum ac temporum verbis, quum sit ante omnia tempora et ante omnes locos, — tamen propinquior nobis est, qui fecit, quam multa, quae facta sunt. In illo enim vivimus et movemur et sumus; istorum autem pleraque remota sunt a mente nostra propter dissimilitudinem sui generis, quoniam corporalia sunt, nec idonea est ipsa mens nostra in ipsis rationibus, quibus facta sunt, ea videre apud Deum, ut per hoc sciamus, quot et quanta qualiaque sint, etiamsi non ea videamus per corporis sensus. Remota quippe sunt et a sensibus corporis nostri, quoniam longe sunt vel interpositis aut oppositis aliis a nostro contuitu tactuque separantur. Ex quo fit, ut maior ad illa invenienda sit labor, quam ad illum, a quo facta sunt, quum sit incomparabili felicitate praestantius illum ex quantulacunque particula pia mente sentire, quam illa universa comprehendere. Unde recte culpantur in lib. Sap. inquisitores huius saeculi : Si enim tantum potuerunt scire etc. Ignota enim sunt fundamenta terrae oculis nostris, et qui fundavit terram, propinquat mentibus nostris. » Altero loco (*Sermo* 68 de verbis Domini *Math.* 11,25) quantamlibet scientiam, si Dei scientia desit, nihil prodesse monet : « arguit illos (scil. « qui inflati doctrinis suis Deum invenire et cognoscere minime potuerunt »)

liber sapientiae, ubi dicitur : Si enim tantum potuerunt etc. Accusati sunt, consumentes tempora sua et occupationes disputationum suarum in perscrutanda et quodammodo metienda creatura : quaesierunt meatus siderum, intervalla stellarum, itinera coelestium corporum, ita ut computationibus quibusdam ad eam scientiam pervenirent, ut praedicerent defectum solis, defectum lunae, et quando praedicerent eveniret, eo die et ea hora, tantum et tanta parte, ex quanta parte illi praedixerant. Magna industria, magna sollertia! Sed ibi Creatorem scrutati sunt positum non longe a se et non invenerunt, quem si invenissent, haberent apud se. Optime itaque et rectissime accusati sunt, qui potuerunt investigare numeros siderum, intervalla temporum, defectum luminum cognoscere et praedicere : recte accusati sunt, quoniam a quo ista facta et ordinata sunt, non invenerunt, quia quaerere neglexerunt. Tu autem non valde cura, si gyros siderum et coelestium terrenorumve corporum numeros ignoras. Vide pulchritudinem mundi et lauda consilium Creatoris; vide quod fecit, ama qui fecit. Tene hoc maxime : ama qui fecit, quia et te ipsum amatorem suum ad imaginem suam fecit. »

2. — *De cultu idolorum arte ab hominibus confectorum* (13,10-15,6).

A praestantiorum creaturarum Dei cultoribus Sapiens iam ad longe infeliciorem eorum classem transit, qui operibus manuum suarum divinum honorem tribuere non verebantur. Quoniam vulgatissimum apud omnes fere populos atque maxime in Aegypto hoc falsorum deorum genus fuit, illud uberius et fortius impugnare voluit. Quem in finem praeprimis cultus illius absurditatem explodit et impietatem damnat (13,10-14,11); deinde simulacrorum originem exemplis quibusdam illustrat, ut clarius venerationis eorum stultitia intelligatur (14,12-20); tum pessimos quos producit effectus adumbrat (14,21-31), eisque pro conclusione felicitatem populi Israel opponit, quem Deus ab eiusmodi idololatria eiusque sequelis servaverit immunem (15,1-6). Quadripartitum ergo est hoc membrum.

1.) *Quam stultus et impius sit simulacrorum cultus* (13,10-14,11).

13,10. Infelices autem sunt, et inter mortuos spes illorum est, Qui appellaverunt deos opera manuum hominum, Aurum et argentum, artis inventionem et similitudines animalium, Aut lapidem inutilem opus manus antiquae. 11. Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit, Et huius docte eradat omnem corticem, Et arte sua usus diligenter fabricet vas utile in conversationem vitae, 12. Reliquiis autem eius operis ad praeparationem escae abutatur :

13,10. Ταλαίπωροι δὲ καὶ ἐν νεκροῖς αἱ ἐλπίδες αὐτῶν, Οἵτινες ἐκάλεσαν θεοὺς ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων, Χρυσὸν καὶ ἄργυρον, τέχνης ἐμμελέτημα, καὶ ἀπεικάσματα ζώων, Ἢ λίθον ἄχρηστον, χειρὸς ἔργον ἀρχαίας. 11. Εἰ δὲ καί τις ὑλοτόμος τέκτων εὐκίνητον φυτὸν ἐκπρίσας Περιέξυσεν εὐμαθῶς πάντα τὸν φλοιὸν αὐτοῦ, Καὶ τεχνησάμενος εὐπρεπῶς κατεσκεύασεν χρήσιμον σκεῦος εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς· 12. Τὰ δὲ ἀποβλήματα τῆς ἐργασίας εἰς ἑτοιμασίαν τροφῆς ἀναλώσας ἐνεπλήσθη· 13. Τὸ δὲ ἐξ

13. Et reliquum horum, quod ad nullos usus facit, Lignum curvum et vorticibus plenum Sculpat diligenter per vacuitatem suam, Et per scientiam suae artis figuret illud Et assimilet illud imagini hominis, 14. Aut alicui ex animalibus illud comparet, Perliniens rubrica et rubicundum faciens fuco colorem illius, Et omnem maculam, quae in illo est, perliniens : 15. Et faciat ei dignam habitationem, Et in pariete ponens illud, et confirmans ferro, 16. Ne forte cadat, prospiciens illi, Sciens, quoniam non potest adiuvare se : Imago enim est, et opus est illi adiutorium. 17. Et de substantia sua et de filiis suis et de nuptiis votum faciens inquirit. Non erubescit loqui cum illo, qui sine anima est : 18. Et pro sanitate quidem infirmum deprecatur, Et pro vita rogat mortuum, Et in adiutorium inutilem invocat : 19. Et pro itinere petit ab eo, qui ambulare non potest : Et de acquirendo et de operando et de omnium rerum eventu Petit ab eo, qui in omnibus est inutilis. 14,1. Iterum alius navigare cogitans et per feros fluctus iter facere incipiens, Ligno portante se fragilius lignum invocat. 2. Illud enim cupiditas acquirendi excogitavit, Et artifex sapientia fabricavit sua. 3. Tua autem, Pater, providentia gubernat : Quoniam dedisti et in mari viam Et inter fluctus semitam firmissimam, 4. Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, Etiam si sine arte aliquis adeat mare. 5. Sed ut non essent vacua sapientiae tuae opera : propter hoc etiam et exiguo ligno credunt homines animas suas, Et transeuntes mare per ratem liberati sunt : 6. Sed et ab initio, cum perirent superbi gigantes, Spes orbis terrarum ad ratem confugiens Remisit saeculo semen nativitatis, quae manu tua erat gubernata. 7. Benedictum est enim lignum, per quod fit iustitia. 8. Per manus autem quod fit idolum, maledictum est, et ipsum, et qui fecit illud : Quia ille quidem operatus est : illud autem, cum esset fragile, deus cognomi-

αὐτῶν ἀπόβλημα εἰς οὐθὲν εὔχρηστον, Ξύλον σκολιὸν καὶ ὄζοις συμπεφυκὸς, Λαβὼν ἔγλυψεν ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ, Καὶ ἐμπειρίᾳ συνέσεως ἐτύπωσεν αὐτὸ, Ἀπείκασεν αὐτὸ εἰκόνι ἀνθρώπου, 14. Ἢ ζώῳ τινὶ εὐτελεῖ ὡμοίωσεν αὐτὸ, Καταχρίσας μίλτῳ καὶ φύκει ἐρυθήνας χρόαν αὐτοῦ, Καὶ πᾶσαν κηλῖδα τὴν ἐν αὐτῷ καταχρίσας· 15. Καὶ ποιήσας αὐτῷ αὐτοῦ ἄξιον οἴκημα, Ἐν τοίχῳ ἔθηκεν αὐτὸ ἀσφαλισάμενος σιδήρῳ. 16. Ἵνα μὲν οὖν μὴ καταπέσῃ προενόησεν αὐτοῦ, Εἰδὼς ὅτι ἀδυνατεῖ ἑαυτῷ βοηθῆσαι, Καὶ γάρ ἐστιν εἰκὼν καὶ χρείαν ἔχει βοηθείας. 17. Περὶ δὲ κτημάτων καὶ γάμων αὐτοῦ καὶ τέκνων προσευχόμενος, Οὐκ αἰσχύνεται τῷ ἀψύχῳ προσλαλῶν· Καὶ περὶ μὲν ὑγιείας τὸ ἀσθενὲς ἐπικαλεῖται, 18. Περὶ δὲ ζωῆς τὸν νεκρὸν ἀξιοῖ, Περὶ δὲ ἐπικουρίας τὸν ἀπειρότατον ἱκετεύει· Περὶ δὲ ὁδοιπορίας, τὸ μηδὲ βάσει χρῆσθαι δυνάμενον, 19. Περὶ δὲ πορισμοῦ καὶ ἐργασίας καὶ χειρῶν ἐπιτυχίας Τὸ ἀδρανέστατον ταῖς χερσὶν εὐδράνειαν αἰτεῖται. 14,1. Πλοῦν τις πάλιν στελλόμενος, καὶ ἄγρια μέλλων διοδεύειν κύματα, Τοῦ φέροντος αὐτὸν πλοίου σαθρότερον ξύλον ἐπιβοᾶται. 2. Ἐκεῖνο μὲν γὰρ ὄρεξις πορισμῶν ἐπενόησε, Τεχνίτης δὲ σοφία κατεσκεύασεν. 3. Ἡ δὲ σὴ πάτερ διακυβερνᾷ πρόνοια, Ὅτι ἔδωκας καὶ ἐν θαλάσσῃ ὁδὸν Καὶ ἐν κύμασι τρίβον ἀσφαλῆ· 4. Δεικνὺς ὅτι δύνασαι ἐκ παντὸς σώζειν, Ἵνα κἂν ἄνευ τέχνης τις ἐπιβῇ. 5. Θέλεις δὲ μὴ ἀργὰ εἶναι τὰ τῆς σοφίας σου ἔργα, Διὰ τοῦτο καὶ ἐλαχίστῳ ξύλῳ πιστεύουσιν ἄνθρωποι ψυχὰς, Καὶ διελθόντες κλύδωνα σχεδίᾳ διεσώθησαν. 6. Καὶ ἀρχῆς γὰρ ἀπολλυμένων ὑπερηφάνων γιγάντων, Ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου ἐπὶ σχεδίας καταφυγοῦσα Ἀπέλιπεν αἰῶνι σπέρμα γενέσεως τῇ σῇ κυβερνηθεῖσα χειρί. 7. Εὐλόγηται γὰρ ξύλον δι' οὗ γίνεται δικαιοσύνη. 8. Τὸ χειροποίητον δὲ ἐπικατάρατον αὐτὸ καὶ ὁ ποιήσας αὐτὸ, Ὅτι ὁ μὲν εἰργάζετο, τὸ δὲ φθαρτὸν θεὸς ὠνομάσθη. 9. Ἐν ἴσῳ γὰρ μισητὰ Θεῷ καὶ ὁ ἀσεβῶν καὶ ἡ ἀσέβεια αὐτοῦ. 10. Καὶ γὰρ τὸ πραχθὲν σὺν τῷ δράσαντι κολασθήσεται. 11. Διὰ τοῦτο

natus est. 9. Similiter autem odio sunt Deo impius et impietas eius. 10. Etenim quod factum est, cum illo qui fecit tormenta patietur. 11. Propter hoc et in idolis nationum non erit respectus : Quoniam creaturae Dei in odium factae sunt, Et in tentationem animabus hominum, Et in muscipulam pedibus insipientium.

καὶ ἐν εἰδώλοις ἐθνῶν ἐπισκοπὴ ἔσται, Ὅτι ἐν κτίσματι Θεοῦ εἰς βδέλυγμα ἐγενήθησαν Καὶ εἰς σκάνδαλα ψυχαῖς ἀνθρώπων Καὶ εἰς παγίδα ποσὶν ἀφρόνων[1].

1. *VV. LL.* — 10. ἐμμελέτημα (*inventionem*, melius exercitium) B ℵ A, plerique minusc., *Vulg. Syr.*; forte rectius, si sequens pluralis ἀπεικάσματα attenditur, ἐμμελετήματα (exercitia) cum ℵ² 23, paucis minusc., *Copt. Shex.* — 11. εὐπρεπῶς (decore) est communior lectio, a qua recedentes ℵ et *Vulg.* habent εὐτρεπῶς (*diligenter*). — 12. ἀποβλήματα (ramenta, reiectamenta) B ℵ cum haud paucis minusc.; ὑπολ(ε)ίμματα (*reliquiae*) A, nonnulli minusc., *Vulg.*; alii minusc. habent ἀπόβλητα (reiecta); solus autem, ut videtur, 23 ἀπόβλητον. — εἰς ἑτοιμασίαν (*in praeparationem*) B ℵ 23, plerique minusc., *Vulg.* etc.; minus apte praecedens εἰς ὑπηρεσίαν (in ministerium) repetitur ab A. — Pro participio ἀναλώσας (usus) solus ℵ habet genet. ἀναλώσεως (consumtionis); *Vulg.* autem participium in verbum finitum convertit (*abutitur*) atque perperam verbum ἐνεπλήσθη (satiatus est) praetermisit; cfr *Comment.* — 13. ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ (in diligentia otii sui, vel uti *Vulg.* habet : *diligenter per vacuitatem suam*) B ℵ 23 cum multis minusc., *Vulg. Aeth.*; minus apte : ἐν ἐπιμελείᾳ ἐργασίας αὐτοῦ (in diligentia laboris sui) A ℵ^{b} haud pauci minusc. *Syr. Ar. Arm. Copt.* — ἐμπειρίᾳ συνέσεως (per experentiam intellectus, vel uti *Vulg.* habet : *per scientiam artis suae*) B² ℵ² cum *Vulg. Arm. Copt.*; auctoritate tamen critica commendatur altera lectio : ἐμπειρίᾳ ἀνέσεως (per experientiam negligentiae) B ℵ A 23, multi minusc., *Aeth. Shex.* cfr *Comment.* — 18. Pro τὸν νεκρόν (eum qui mortuus est) et τὸν ἀπειρότατον (eum qui inexpertissimus est), quas lectiones editio Sixt. exhibet, lege neutra : τὸ νεκρόν, τὸ ἀπειρότατον (id quod mortuum, imperitissimum est) cum B ℵ A et fere omnibus graecis testibus. — 14,1. τοῦ φέροντος αὐτὸν πλοίου (navi portante se) B ℵ 23, multi minusc., *Syr. Copt. Aeth. Shex.*; sed τοῦ φέροντος αὐτὸν ξύλου (*ligno portante* se) A, aliqui minusc. cum *Vulg. Ar.* Prior lectio auctoritate testium praestat, altera tamen retineri potest, quia tum paronomasia commendatur tum nervosiore oppositionis enuntiatione. — 2. τεχνίτης δὲ σοφίᾳ (artifex autem sapientiâ i. e. sapienter) 23 cum paucis minusc. et ed. *Sixt.*, *Vulg.*, quae tamen pronomen *sua* haud recte addidit) *Syr. Arm. Aeth.*; sed τεχνῖτις δὲ σοφία (*artifex autem sapientia* cfr 7,21) B ℵ A, multi minusc. cum edit. *Complut.*, *Copt. Shex.* Utra lectio sit praeferenda, dictu difficile est; cfr *Comment.* — 4. ἵνα κἂν (ut etiamsi) B ℵ, multi minusc., pro qua, quia non intelligebatur, alii legere maluerunt : ἵνα καί (ut etiam) cum A, multis minusc. et *Copt.*, alii coniunctione ἵνα eiecta nudum κἂν (*etiamsi*) cum ℵ^{b} 23 paucis minusc. *Vulg. Arm. Shex.* Prima tamen lectio videtur praeferenda cfr *Comment.* — 6. καὶ ἀρχῆς γάρ (nam etiam in initio) communis est graecorum codd. lectio; particula καί tamen omittitur a 23 et paucis minusc., atque *Vulg.* parum apte nexum causalem suo : *sed et ab initio* in adversativum convertit. — αἰῶνι (*saeculo*) exhibetur a plerisque; rectius tamen B^{1} ℵ articulum τῷ nomini praefixerunt. — 7.8. Miram lectionem suo in codice *S. Ambr.* (Expos. in Ps. 118 Serm. 8,23) habuit : « Benedictum lignum, quod fit per iustitiam, maledictum autem lignum, quod fit per manus hominum »; sed alibi non invenitur eius vestigium. — 11. ἐπισκοπὴ ἔσται (*visitatio*

Singulari eorum, qui opera manuum hominum deos suos creant, calamitate ac miseria asserta nonnullisque eiusmodi operibus pretiosis recensitis (*v.* 10) Sapiens non minus acerbe quam facete describit, quomodo faber ex ligni sui ramentis nulli usui ac ne ipsi quidem igni nutriendo idoneis ac tempore utilibus laboribus inepto statuam aliquam sive hominis sive animalis studiose sculpat, exornet, firmiterque ne cadat parieti affigat (*vv.* 11-15); ab ea autem deinde, quamvis eam sciat se ipsam tueri non posse, omnis generis bona petit, quibus omnibus ipsa prorsus careat (*vv.* 16-19). Aptissimo tum transitu idolo ligneo huic, quod nihil valet, aliud ligneum opus manu hominum factum opponit, navem scilicet (14,1) quae non tantummodo singulis hominibus, Deo providente et iuvante, multa commoda praestat, sed per quam Deus etiam toti generi magnum beneficium contulit (*vv.* 2-6). Ratione demum indicata, cur Deus eiusmodi operibus hominum benedicat, articulum terminat vili idolo eiusque artifici utpote Deo pariter exosis maledicens (*vv.* 7-11).

Sapiens quemadmodum in digressionis suae principio, quum praestantiorum creaturarum cultores ac simul reliquos falsorum numinum adoratores summae stultitiae accusaret, thema prioris membri indicavit, ita nunc alterius argumentum proponit, infelicissimos dicens illos, qui operibus manu hominum confectis divinos honores tribuunt : 10 *Infelices autem sunt et inter mortuos* (ἐν νεκροῖς recte : *in mortuis* scilicet posita) *spes illorum est, Qui* (melius : *utpote qui* οἵτινες) *appellaverunt deos opera manuum hominum, Aurum et argentum, artis inventionem* (τέχνης ἐμμελέτημα melius : *artis exercitium* . e. opus arte elaboratum) et *similitudinem animalium Aut lapidem inutilem, opus manus antiquae.* Particula δέ quum superiori μέν (*v.* 1) evidenter respondeat, novum membrum praecedenti opponit : « *stulti natura* quidem sunt omnes, qui ignorantia Dei laborant... ; *miseri autem* (vel attenta oppositione : *miseriores* vel etiam *miserrimi* autem inter illos) sunt adoratores idolorum ab hominibus confectorum ». Quam autem peculiarem miseriam intelligat, auctor explicat addens : *in mortuis spes eorum est posita* ; miseri nempe sunt, quia vana et inanis tota eorum est spes felicitatis et salutis, quandoquidem eam

erit) est communis quum graec. codd. tum aliarum verss. lectio; a qua recedens *Vulg. Clem.* habet : *non erit respectus.* Teste Vercellonio sixtini correctores negationem ad fidem codicum expunxerant, sed a Sixto ipso retenta videtur, uti similiter a correctoribus clementinis. Recte *Reusch* « negandi particula, inquit, addita est a librariis, qui non intelligebant vocabulum *respectus* (ἐπισκοπή) non solum de bene faciendo dici (2,20; 3,7; 4,15), sed etiam de affligendo (19,15) ».

ab iis sibi datum iri sperant, qui utpote ipsi mortui ad nihil valent neque quidquam, quod queant dare, possident. *Mortui* enim (νεκροί) hic uti infra *v.* 18; 15,17 et *Ps.* 105 (106), 28 idola appellantur idque meritissimo; sive enim cum uno *Deo vivo* (אֵל חַי Θεὸς ζῶν *Ios.* 3,10 etc.), qui ipse et vita est et fons omnis vitae, sive cum Dei creaturis comparantur, quae etsi non omnes a Creatore suo vita proprie dicta sunt praeditae, omnes tamen ab eo proprias suas vires ac virtutes acceperunt, quibus quod ab eo praeceptum est exsequuntur et perficiunt suasque partes in rerum universitate agunt (cfr *Epist. Ierem.* [*Bar.* 6], 58 sqq.), idola, opera manuum hominum, omni propria virtute et efficacia plane sunt destituta neque quidquam virium a suis artificibus receperunt, « neque igitur speciebus (ταῖς εἰδέαις) neque virtutibus (ταῖς δυνάμεσιν) uni ex creaturis Dei similia sunt » (*ep. Ierem.* 62). Vulgatae versionem aliqui interpretati sunt : « spes eorum mortuis annumeranda est, i. e. plane sunt desperati et nulla reliqua est de salute eorum spes » (alii : « non exspectant nisi mortem et damnationem, ut inter mortuos et damnatos deputentur »; cfr *Lap.* qui ipse tamen explicationem modo expositam, quae hodie communis est, tamquam « planiorem et simpliciorem « sequitur). In altera sententiae parte auctor nonnulla opera manuum hominum (ἔργα χειρῶν) recenset, quae colebantur; inter quae primo loco « aurum et argentum exercitium artis » (cfr *Act.* 17,29; similiter *Ps.* 113^{b}, 4; 135,15), quibus in locutionibus secunda dictio (exercitium vel sculptura artis) priori tamquam appositio epexegetica accuratioris definitionis causa additur, ut valeat i. q. aureae et argenteae (et lapideae) statuae arte elaboratae. Utrum καὶ ἀπεικάσματα ζώων sit altera appositio (aureae et argenteae statuae [sc. hominum] arte elaboratae et imagines animalium), an novum genus idolorum significet, non plane liquet. Prior tamen explicatio probabilior merito dicitur, quia auctor ex materia idola distinguere videtur a pretiosissimis (auro) ad vilissima (lignea ramenta *v.* 11 sqq. ac demum lutum 15,8 sqq.) descendens. Tertia locutio (ἢ λίθον ἄχρηστον, χειρὸς ἔργον ἀρχαίας aut lapidem inutilem, opus manus antiquae) significat statuam ex vili lapide efformatam, quae ab antiquo artifice sculpta ob vetustatem in honore habebatur ac postea caeremoniis coli coepta est.

Potissimum igitur auctor in exordio summam conquestus est idololatrarum miseriam, ita tamen ut eorum stultitiam leviter iam perstringeret, quum eos non tam idola ipsa quam pretiosam, qua constant, materiam colere locutionibus suis tecte indicaret (cfr *Gutb.*). Aperte autem nunc stupidissimam eorum agendi rationem insectari incipit; similiter quippe atque Isaias (44,13-20), cuius descriptionem

ante oculos habuit, fabricationem et venerationem idoli cuiusdam lignei mordaci stilo prosequitur; atque priore in loco de eius fabricatione longiore agit periodo (*vv.* 11-15), quae formam quidem hypotheticam habet, re tamen non est hypothetica, siquidem ex ordine in protasi (*vv.* 11-13ª) refertur, quomodo lignator aliquis vilissimam arboris in silva caesae partem ad simulacrum conficiendum sumserit eamque otii sui tempore pro facultate sua in rudem ac incertam quandam figuram convertere studuerit, ac pariter in apodosi (*vv.* 13ᵇ-15), quomodo eidem certam formam dare conatus sit, tum coloribus obduxerit ac tandem parieti, ne caderet, ferro affixerit. Quoniam praelonga est sententiarum continuatio, maioris claritatis causa duas eius partes separatim transcribemus paucisque notis illustrabimus. 11. *Aut si quis artifex faber de silva lignum rectum secuerit* (ad graecum lege : *si autem etiam aliquis lignator arborem tractabilem exsecuit*) *Et huius docte eradat* (melius : *diligenter erasit*) *omnem corticem Et arte sua usus diligenter fabricet* (εὐτρεπῶς κατεσκεύασε, sed melius cfr *VV. LL.* : εὐπρεπῶς *decore fabricavit*) *vas utile in conversationem vitae* (εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς), 12. *Reliquiis autem eius operis* (graece significantius : *reiectamentis eius operis*) *ad praeparationem escae abutatur* (ad pleniorem textum graecum, cfr *VV. LL.* lege : *ad praeparationem escae usus se satiavit* seu *satiatus est*), 13. *Et reliquum horum* (τὸ δὲ ἀπόβλητον αὐτῶν significantius : *reiectamentum vero eorum*) *quod ad nullos usus facit, Lignum curvum et vorticibus plenum* (i. e. *truncum tortuosum et nodosum*) *Sculpat* (λαξὼν ἔγλυψεν *sumtum sculpsit* cfr ad 7,2) *diligenter per vacuitatem suam* (ἐν ἐπιμελείᾳ ἀργίας αὐτοῦ proprie : *in sollertia otii sui*) *Et per scientiam suae artis* (καὶ ἐμπειρίᾳ συνέσεως, sed ad testatiorem lectionem cfr *VV. LL.* καὶ ἐμπειρίᾳ ἀνέσεως *per experientiam remissionis* i. e. labore facili, qualem aliquis tempore remissionis seu recreationis facere solet) *figuret illud* (lege : *figuravit illud* ἐτύπωσεν αὐτό)... (sequitur apodosis). Sapiens omnia congerit, ut omnimoda vilitas et deformitas simulacri hac ratione confecti appareat. Fabricator enim illius non est bonus sculptor aut artifex ingeniosus, sed ὑλοτόμος τέκτων i. e. lignator, qui arboribus in silva caedendis assuetus ad solas res rusticas rudesque fabricandas idoneus est; similiter Isaias (44,13) fabricatorem nominat חָרַשׁ עֵצִים i. e. caesorem arborum (*Alex.* τέκτων *Vulg.* minus bene : *artifex lignarius*). Qui arborem bonam quidem eligit (εὐκίνητον φυτόν propie *arborem bene mobilem* cfr 7,22 πνεῦμα εὐκίνητον, hic autem translate *tractabilem*, i. e. qui opificis manui facile obedit ac facile dolatur etc.) eiusque corticem sollerter eradit; nequaquam vero hanc partem bene praeparatam ad idolum faciendum adhibet,

sed pro arte sua vas conficit « utile in conversationem vitae », εἰς ὑπηρεσίαν ζωῆς « in ministerium vitae », vas igitur quotidianis vitae usibus accommodatum. Neque ex huius operis recisamentis vel ramentis idolum conficit, sed iis ad praeparandum cibum suum utitur, quo satiatus demum requiescit. Remanet tertia arboris pars, quae plane inutilis est, truncus nimirum, qui quum sit tortuosus et nodosus (ξύλοις συμπεφυκός proprie *nodis coalitus* ac proinde nonnisi nodis constans), neque manui opificis facile obedit, neque igniculo, quo lignator ad panem suum coquendum indiget, struendo aptus est. Notatu digna est differentia quae hac in descriptionis parte inter Isaiam et Sapientem intercedit : apud prophetam quoque lignator ligna arboris caesae in tres partes distribuit, quarum una utitur ad maiorem struendum ignem, quo calefiat, altera minorem facit ignem, quo panes suos coquat, tertiam idolo figurando impendit. Quae differentia proxime quidem ex eo recte explicari videtur, quod Isaias in Palaestina scripserit, cuius in regionibus montanis lignator tempore hiemis igne ad se calefaciendum carere nequit, Sapiens vero in Aegypto, cui sol etiam in hieme sufficientem praebet calorem; attamen hac differentia efficitur, ut Sapientis descriptio multo sit acerbior quam isaiana, quum materiam, ex qua idolum conficitur, vilissimam esse ac prorsus inutilem clarius doceat. Hoc porro reiectamentum lignator tempore otii sui, quando satiatus requiescit, sumit et quasi nihil cogitans ea cum diligentia, quam homo, qui labore fatigatus post prandium quieti se dat, ponere solet aliqua in re temporis solummodo terendi causa suscepta, eaque cum peritia, quam homo dum animum recreat exercere solet (ἐμπειρίᾳ ἀνέσεως), in figuram aliquam convertere incipit ne attendens quidem, utrum homini an animali similis fiat. Ceterum altera lectio (ἐμπειρίᾳ συνέσεως) similem interpretationem admittit, quatenus *empiricum* designat, qui quamvis omnia quae manu fiunt atque eorum etiam contemtissima egeant doctoribus, nulla accepta institutione solis suis conatibus sese aliquam artem eamque difficilem addidicisse arbitratur.

Sequitur apodosis de expolitione et collocatione idoli : 13ᵉ *Et assimilet* (omissa copula lege : *assimilavit* ἀπείκασεν) *illud imagini hominis*, 14. *Aut alicui ex animalibus illud comparet* (ad graecum lege : *aut animali alicui vili conformavit illud*) *Perliniens rubrica* (μίλτῳ minio) *et rubicundum faciens colorem* (lege : *cutem* χρόαν) *illius, Et omnem maculam quae in illo est perliniens*, 15. *Et faciat ei dignam habitationem* (ad graecum lege : *et facta ei digna eo habitatione*) *Et in pariete ponens illud et confirmans ferro* (lege : *in pariete posuit illud muniens ferro*). Graeca sententia clara est; omnibus laboribus in protasi recen-

sitis lignator eo tandem pervenerat, ut aliquid produceret, quod speciem alicuius figurae, sed incertae haberet; novis itaque laboribus, quos apodosis enumerat, eam pro suo arbitrio aut homini aut vili (εὐτελεῖ cfr ad 11,16 [15]) animali assimilat, coloribus deinde inductis, quantum sapit, eam exornat ac simul eius maculas aliaque vitia cooperit ac tegit, ut tantae artis operi dignam aediculam exstruat.

Ex hac descriptione, quae isaianâ uti explicatior ita multo acerbior est, ac praecipue ex ultimis eius verbis, quibus iste deus cum sua aedicula in pariete, ne cadat, ferro affigi debere dicitur, Sapiens conclusionem deducit, qua viam sibi parat ad miram carpendam stupiditatem quum venerationis eiusmodi simulacro exhibitae tum fiduciae ab eius cultoribus in eo collocatae. Verum nescio quo pacto factum est, ut latinus interpres hunc nexum in primogenio textu clare expressum fere plane deleverit. Neque enim tantummodo primum *v.* 16 stichum, uti iam monuimus, praecedenti sententiae erronee annexuit, sed etiam, ut id facere posset, particulas οὖν (*ergo*) et μέν (*quidem*) praetermisit vel suppressit, quamvis priore hunc *v.* 16 ex praecedente *v.* 15 derivari, alterâ autem, quippe cui particula δέ in *v.* 17 respondeat, eam sequenti (*v.* 17) opponi designetur. Accedit quod similiter in *v.* 17. vertendo dupliciter peccaverit : adversativae nimirum particulae δέ (autem), quam superiori μέν ab eo praetermissae respondere diximus, perperam copulativam (*et*) substituit, atque participio προσευχόμενος (precans seu preces faciens) verbis « *vota faciens inquirit* » translato sententiae sensum et constructionem alteravit; siquidem verbo *inquirit* inserto novam notionem eamque contextui minus consonam in primum stichum ingessit eumque velut completam enuntiationem a secundo ita separavit, ut hic deinde sequentibus (*v.* 18) quasi eis esset parallelus adiungeretur. Quae quum ita sint, Vulgatae *vv.* 16, 17, quoniam auctoris cogitationem voluntatemque neque accurate neque integre reddunt, ad primigenium textum, quem omnes codices graeci sine ulla, quae alicuius sit momenti, lectione varia atque reliquae quoque ut videtur versiones tuentur, hac ratione emendatos interpretabimur : 16. *Ne igitur caderet, prospexit quidem illi, Sciens quoniam non potest adiuvare se; Imago* (i. q. simulacrum) *enim est et opus illi est adiutorium;* 17. *Pro possessionibus autem et nuptiis suis et filiis preces faciens Non erubescit alloqui illud, quod sine anima est* sc. idolum. Sententiae subiectum, si contextus attenditur, ipse ille lignator est, de quo inde a *v.* 11 agi coeptum est; ex sequentibus (*v.* 18 sqq.) tamen legitime colligitur, auctorem hic iam fabricatorem et cultores idoli comprehendere atque singularem illam

repugnantiam irridere, quae in omnium idololatrarum agendi ratione se manifestat, quum una ex parte idolo, ne quod damnum patiatur, sollicita cum cura provideant, quia illud utpote vita et viribus propriis prorsus destitutum ne semetipsum quidem tueri posse persuasum habent, ex altera vero parte eidem, ac si viveret cultoresque suos audiret et ad auxilium praestandum valeret, res suas pretiosissimas conservandas promovendasque commendare non erubescant.

Quam repugnantiam ab Isaia (**44,17** sq.) quoque severe notatam et ab Ieremia (cfr *Bar.* 6,7. 11 sqq. 18 etc.) et Psalmista (*Ps.* 113^{b} 5 sqq.) facete irrisam auctor noster non minus severe quam acerbe exagitat : 18. *Et pro sanitate quidem infirmum* (τὸ ἀσθενές id quod infirmum est) *deprecatur*, *Et pro vita* (lege : *pro vita autem* περὶ δὲ ζωῆς) *rogat mortuum* (τὸ νεκρόν) *Et in adiutorium inutilem* (lege : *inutile* vel potius : *id quod imperitissimum est* τὸ ἀπειρότατον) *invocat* (ἱκετεύει); 19. *Et pro itinere petit ab eo qui ambulare non potest* (ad graecum significantius : *pro itinere autem* [invocat] *illud quod ne basi* [i. e. pedibus quibus stat] *quidem uti potest*), *Et de acquirendo et de operando et de omnium rerum eventu Petit ab eo, qui in omnibus est inutilis* (vel potius ad textum primigenium rectius et clarius : *Pro quaestu autem et artificio et opera manuum Ab eo, quod ignavissimum est, navitatem manibus suis postulat*); tres quippe occupationes, quibus homines victum quaerere solent, negotiationem et artis fabrilis exercitium et agrorum culturam, Sapiens hoc sticho comprehendere videtur. Animadvertas autem velim, eum in toto hoc loco, quamvis antea ne semel quidem nomine neutri generis idolum designasset, de eo semper neutra adhibuisse (τὸ ἀσθενές, τὸ νεκρόν etc.) idque procul dubio, ut maiore cum contemtu illud declaret nihil esse in rerum natura, nomen sine re, merum humani erroris figmentum simulata forma manibus hominum vestitum (cfr 1 *Cor.* 8,4 et *Cornely* i. h. l.).

Quibus generalioribus repugnantiae exemplis auctor specialius quoddam adiungit, quo ad causam odii Dei adversus idola explicandam transit. Nam simulacro ligneo, quod nihil est et ad nihil valet, ligneum opus aliud, navigium scilicet, similiter quidem ab hominibus fabricatum, sed iis, quia secundum divinam voluntatem adhibetur et a providentia divina gubernatur, utilissimum opponens causam odii divini neque in materia, qua idola constant, neque in opera ab hominibus in iis conficiendis posita, verum in sola idololatrarum impietate ac perversitate quaerendam esse insinuat, utpote qua sola opus manuum hominum creetur deus. Qua de re egregie *Minut. Fel.* (Octav. 23) « quando, inquit, hic [sc. deus aureus vel lapideus vel ligneus] nasci-

tur? Ecce funditur, fabricatur, scalpitur : nondum deus est. Ecce plumbatur, construitur, ornatur : nec adhuc deus est. Ecce erigitur, consecratur, oratur : tunc postremo deus est, quando homo illum [deum esse] voluit et dedicavit ». Exorditur autem Sapiens a proponenda nova repugnantia : 14,1. *Iterum alius navigare cogitans et per feros fluctus iter facere incipiens* (ad graecum accuratius : *ad navigationem rursus quis se comparans et feros pertransiturus fluctus*) *Ligno portante se* (vel ad testatiorem lectionem cfr *VV. LL. navigio se portante*) *fragilius lignum invocat* vel potius *inclamat* (ἐπιβοᾶται) cum despectu quodam irrisorio (cfr *Ion.* 1,5 καὶ ἐφοβήθησαν οἱ ναυτικοὶ καὶ ἀνεβόησαν ἕκαστος πρὸς τὸν θεὸν αὐτοῦ). Teste *S. Cyr. Alex.* (in Caten. in *Act.* 28,11) alexandrini nautae in prora navium suarum simulacra Castorum velut deos tutelares gerebant; unde de his auctor noster Alexandriae degens ac scribens forsitan cogitaverit; ceterum Aegyptii quoque (cfr *Wilkins* Ancient Egypt. 1878, I. p. 276; II. p. 209), Phoenices (cfr *Herod.* III. 37), Graeci ac Romani (cfr *Ovid.* Trist. I. 10,1; *Petron.* 105,6; 108, 13 etc.) aliique sua quique idola (aliquoties pretiosa, fere semper vilia) pro tutela sive in prora sive puppi navium habebant, a quibus felicem itineris exitum, quasi ad eum quidquam conferre possent, sacrificiis votisque ac precibus petebant. Quod quam absurdum sit explicaturus Sapiens eiusmodi simulacris, quorum fabricationem modo irrisit, naves ipsas plurimum praestare ostendit : 2. *Illud enim* (ἐκεῖνος μὲν γὰρ proprie : *nam illud quidem* sc. navigium) *cupiditas acquirendi excogitavit Et artifex sapientia fabricavit sua* (ad graecum melius : *artifex autem per sapientiam* i. q. *sapienter construxit*, vel secundum communiorem graecorum codd. lectionem : *artifex autem sapientia* seu *ingenium construxit* Künstlerische Weisheit vel Geschicklichkeit erbaute es); 3. *Tua autem, Pater, providentia* (πρόνοια) *gubernat, Quoniam dedisti et in mari viam Et inter fluctus semitam firmissimam* (lege : *tutam* ἀσφαλῆ), 4. *Ostendens quoniam potens es ex omnibus salvare, Etiam si sine arte aliquis adeat mare* (κἂν ἄνευ τέχνης τις ἐπιβῇ; sed ad certiorem lectionem cfr *VV. LL.* : ἵνα κἂν ἄνευ κτλ. lege : *ut etiamsi quis sine arte* [est], *navem conscendat;* nudum quippe verbum ἐπιβαίνειν interdum i. q. navem conscendere cfr *Act.* 21,2).

Duplici igitur ratione auctor navem idolo praestare probat, sollertia nimirum et arte, quibus ab hominibus construitur et ornatur, atque provida cura, qua a Deo regitur et protegitur. Quae duo particulis μέν... δέ (*vv.* 2, 3) hic non tam inter se opponit, quam pro earum usu apud scriptores classicos frequentissimo inter se respondere significat; priore autem particula δέ, quae *v.* 2 habetur, duo illa dis-

tinguit, quae homines ad navis praestantiam conferunt. Etenim ad lignatorem (13,11 sqq.) respiciens, quem ex ligni recisamentis temere ac fortuito, ut otii tempus contereret, simulacrum qualecunque scalpsisse retulit, nunc nautas nobis ostendit, qui quum, impellente natura sibi divinitus data, honesti lucri gratia merces suas aliam in regionem transferre velint, magna prius cum sollertia secum considerant, quomodo construenda sit navis, quae fluctibus maris ventisque et aliis periculis sustinendis sit idonea, ac deinde ad artis praecepta usu experimentisque probata eam solidis compactis lignis aedificant ac velis armamentisque et reliquis, quae ad eius iuvant gubernium ac praesidium, diligenter instruunt. Unde sua sponte iam elucet, quam stulte agant, qui navem tanta cum sollicitudine fabricatam et munitam tutelae vilissimi cuiusdam simulacri commendant. Clarius autem id ex altero membro apparet, quo Deus ipse, cuius paterna creaturarum suarum cura titulo *Patris* inserto in memoriam revocatur, sua providentia (πρόνοια)[1] navem per medias undas gubernare (διακυβερνᾶν) asseveratur. Quibus verbis non miraculosam quandam et extraordinariam protectionem designari, quasi providentia locum gubernatoris in navi tenere atque sola et immediate cursum navis in portum dirigere diceretur, probatione non indiget. Nam et huius membri cum priore nexus et contextus totius loci de ordinaria providentia hic agi evincunt, qua Deus universas humani generis res inde ab eius primordiis omni tempore pro sua sapientia ac bonitate moderatus est atque homines ipsos direxit et adiuvit, ut varias artes disciplinasque ad cultiorem vitae rationem sive necessarias sive utiles invenirent inventasque novis studiis experimentisque magis magisque excolerent et ad perfectionem adducere conarentur. Hac autem providentia directi et adiuti etiam nautae antiquissimis iam temporibus artem navalem excolere inceperunt atque accuratiore cognitione tum marium ipsorum cum eorum vadis syrtibusque et scopulis, quae declinanda erant, tum siderum, quibus etiam alto in mari cursus navis definiri potuit, tum tempestatum, quae statis temporibus hanc vel illam maris partem innavigabilem reddiderunt, et ventorum, qui certo anni tempore ex eadem semper coeli parte spirantes iter aliquod aut impediverunt aut iuverunt, tum similium multorum, ad quae na-

1. Nomen πρόνοια hoc solo loco in graecis Scripturis de divina providentia usurpatur, licet iam de eadem ab *Herod.* III, 108, *Plat.* Timae, pp. 30. 44, *Xenoph.* Memor. I. 4,6 sit adhibitum (cfr *Deane,* p. 184) et inde a *S. Clem. R.* (1 ad Cor. 24) a graecis Patribus semper adhibeatur. Quam absurdum sit auctorem nostrum ob nominis huius usum platonismi accusare, non est quod demonstremus; recte potius *Deane* (l. c.) : « In all such cases we should rather admire the skill with which the writer employs the terms of heathen philosophy to convey scriptural ideas ».

varchi, ne navem periculo exponerent, diligenter attendere soliti erant, eo devenerunt, ut longiora etiam itinera maritima cum securitate satis magna susciperent. Lucri enim causa Phoenices non solummodo Mediterraneum mare integrum navibus suis pervagatos esse omnesque eius oras adiisse, verum etiam per Atlanticum oceanum itinera multa usque in Britaniam instituisse, immo Salomonem quoque cum iis coniunctum tertio quoque anno in Asiongaber classem comparasse, quae per Mare erythraeum et Oceanum indicum usque in Ophir proficisceretur, nemo est qui ignoret. Hunc igitur scientiae navalis profectum, quem providentiae divinae deberi certum est, Sapiens ante oculos habuit, quum poetico suo dicendi genere Deum hominibus *etiam in mari viam et in fluctibus* (ἐν κύμασι) *semitam securam* vel *tutam* (τρίβον ἀσφαλῆ) *dedisse* diceret. Iure autem Deum hoc insigni providentiae suae specimine ostendisse addit, se ex omnibus ac proinde etiam maris periculis, quae gravissima habebantur, homines posse salvare (cfr *Ps.* 106,23-30; *Eccli.* 43,25. 28 et *Knabenb.* Comment in l. Eccli. p. 425), ut ii quoque, qui ipsi arte navali sunt destituti, sine timore navem conscendant, ea freti providentia, quae nautis hanc artem subministravit.

Haec *vv.* 2, 3. explicatio, quam cum *Calm.* aliisque praeferimus, dubium non est, quin loci nostri verbis et contextui apprime congruat. Nihilominus haud pauci haec verba : *Quoniam dedisti et in mari viam Et inter fluctus semitam firmissimam* non ad artem nauticam referunt, sed ad miraculosum Israelitarum per Mare rubrum transitum putantque hoc factum velut causam fiduciae iis proponi qui ob suum scientiae navalis defectum navem conscendere formidant (cfr *Vatabl. Lorin. Castro, Lap.*; *Schm. Corl. Guth. Les. — Pellic. Gr. Zöckl. Deane*). At verba bene in suo contextu considerata hanc interpretationem plane respuunt; quid enim hoc in loco, in quo de navi per mare gubernanda agitur, subita illa transitus per mare exsiccatum commemoratio sibi velit, non apparet. Neque enim profecto ordinaria providentia, qua Deus singulis navibus lucri causa mare transmittentibus invigilare primo sticho *v.* 3. asseritur, stupendo illo et plane extraordinario prodigio probari aut confirmari potest, quo Deus populum suum maximo e periculo eripuit eiusque hostes delevit; nec quisquam qui ob suam scientiae navalis ignorantiam navem conscendere refugit, prodigii illius recordatione ad timorem suum deponendum impelletur. Atque etiamsi navigandi ars, qualis tempore veterum fuit, cum navigatione nostrae aetatis comparata valde imperfecta fuit, tamen ideo negare non licet, etiam Phoenices iam aliosque antiquitatis nautas eadem qua nos gubernamur iuvante providentia sat multas iam suas habuisse vias certas securasque, quas in cursibus suis maritimis experientia edocti tenere solebant.

Generali porro sententia (per δέ *autem* metabaticum adiuncta) Sapiens causam declarat, cur Deus providerit, ut homines una cum reliquis disciplinis artem navalem quoque sibi omnibus utilissimam invenirent. Quia autem *Vulgata* liberiore primi stichi versione (*Sed ut non essent vacua sapientiae tuae opera*) principium, quo auctoris expositio nititur, aliquantum obscuravit, illud ad graecum textum nervosiorem et clariorem (θέλεις δὲ μὴ ἀργὰ εἶναι τὰ τῆς σοφίας σου ἔργα) interpretari malumus : 5. *Vis autem non otiosa* (vel *non inoperosa,* si paronomasiam [ἀργά... ἔργα] novo conficto vocabulo imitari licet) *esse sapientiae tuae opera; Propter hoc etiam et* (alterutra particula supervacua est) *exiguo* (ἐλαχίστῳ) *ligno credunt homines animas suas Et transeuntes mare* (κλύδωνα potius : *tempestatem*) *per ratem liberati sunt* vel (aorist. gnom.) *liberantur.* Dictionem *opera sapientiae tuae* alii de rebus ad navium constructionem adhibitis explicant, alii de terrarum mariumque proventibus, qui nisi navibus ex una in aliam regionem transportarentur, inutiles perirent, alii de humani ingenii facultatibus, quae erudiri et excoli debeant. At nihil in toto contextu legitur, quod dictionem illam per se universalem ad certum operum divinorum genus coarctari permittat; principium quippe generale Sapiens statuit, quod uti ipsum genus humanum ita universas huius mundi res a Deo conditas hominisque dominio subiectas (cfr 9,2) complectitur. Revera secundum orationis seriem auctor idolis, operibus manuum hominum, quae nullam omnino a factore suo vim aut virtutem accepisse, sed velut mortua et inertia et ignava, prorsus nihil valere ostendit (13,18 sq.), hic universa Dei opera opponere dicendus est, quae a suo Creatore, uti suas quaeque naturas, ita vires quoque virtutesque sibi proprias acceperunt, quibus exsertis et adhibitis ad perfectionem sibi propriam pervenientes finem sibi praefixum attingerent. Atqui fieri nequit, ut sapientissimus Deus quidquam faciat, quod plane inutile ac supervacaneum sit; unde sua sponte consequitur, ut creaturas quoque vires sibi inditas exercere velit, ne sua ἔργα (*opera*) uti auctor acute indicat, sint ἀργά i. e. ἀεργά (*non-opera*), idolis similia, quae quia re nihil sunt, nihil agunt neque agere possunt. Itaque homo ex Dei voluntate non tantummodo suas ipsius facultates excolere debet, sed a providentia divina institutus et adiutus in naturas quoque reliquarum creaturarum suo dominio subiectarum inquirere tenetur, ut earum vires magis in dies cognitas ad suum ipsius profectum, variis inventis artibus, adhibeat atque hac ratione dominium creaturarum sibi traditum in aequitate et iustitia exerceat (cfr ad 9,3). Ex generali autem hac sententia primo sticho *v.* 5 proposita particu-

larem derivat conclusionem, qua divinae providentiae navium inventionem hominibus tam utilem deberi docet, ita ut nunc iam vili ligno vitam suam intrepidi credant, quin etiam per ratem (σχεδία i. e. per navigium tumultuario opere constructum) media in tempestate sese servare possint. Aoristus διεσώθησαν a plerisque gnomicus recte haberi videtur; fortasse auctor eum hoc in loco adhibuit, quia factum historicum, quod expositurus est, iam in mente habuit.

Etenim utilitatibus, quas ex navigationis inventione Deo providente singulis hominibus provenisse ac semper provenire leviter quidem sed satis clare indicavit, confirmationis gratia insigne beneficium universo eorum generi per illam collatum addere voluit : 6. *Sed et ab initio* (graece : *nam etiam initio* i. e. olim), *quum perirent superbi gigantes, Spes orbis terrarum ad ratem confugiens Remisit saeculo semen nativitatis, quae manu tua erat gubernata,* vel potius ad graecum textum recte et accurate : *spes mundi in ratem confugiens* (seu : *recepta*) *reliquit saeculo semen generis,* (utpote) *manu tua gubernata*[1]. Vaga temporis indicatio (ἀρχῆς *olim*) genetivo absoluto (ἀπολλυμένων ὑπερηφάνων· γιγάντων) exacte definitur : *olim, quum* scil. *interirent superbi gigantes,* impiissima nimirum illa filiarum hominum progenies, quae contumaci sua insolentia ac rebellione corrúptionem morum adeo auxit et per totum genus humanum diffudit, ut Deus illud universum, solo Noe eiusque familia exceptis, aquis duluvii submergere coactus sit (cfr *Gen.* 6,4 sqq.; *Bar.* 3,26; *Eccli* 16,8, et si placet 3 *Mach.* 2,4). De Noe igitur mediis in diluvii fluctibus *per arcam* servato agitur, quae etsi iis omnibus quae Deus ipse de eius mensuris et constructionis dispositionisque ratione praeceperat, diligenter observatis magna cum sollertia aedificata erat, hic tamen σχεδία *ratis,* uti 10,4 *vile lignum,* vocatur, quia per se considerata ad resistendum aquis saevientibus plane non apta erat, neque patriarcham eiusque familiam ab interitu defendere potuisset, nisi *Deus sua* ipsius *manu* (cfr 10,4 sua sapientia) *illam gubernasset.* Aptissime porro Noe cum suis appellatur *spes mundi* i. e. generis humani (cfr ad 6,36; 10,1), vel potius articulorum graecorum ratione habita (ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου) *unica spes totius mundi*; namque ex voluntate divina cum suis solus, reliquis hominibus cunctis pereuntibus, in arca servandus erat et servatus est, ut semen generis utique sui i. e. humani (de γενέσεως

1. Latinus noster interpres participium κυβερνηθεῖσα (*gubernata*), quod in graeco textu non nisi ad dictionem ἡ ἐλπὶς τοῦ κόσμου referri potest, perperam sententiola relativa (*quae erat gubernata*) reddidit, quum facile fieri possit, ut aliquis prononem *quae* ad ad nomen *ratem* (in ratem, quae tua manu erat gubernata, confugiens) erronee referens sensum sententiae pervertat.

significatione cfr ad 1,14; 12,10 *a*) *saeculo* i. e. mundo universo (cfr ad 13,9) relinqueret, atque proinde in eo conclusa erat omnis spes conservationis et continuationis generis illius, cuius dominio aequo et iusto Deus universas huius mundi creaturas inferiores subiecerat (cfr ad 9,3 sq.; 10,2). Eo ipso autem, quod hac ratione quasi secundus pater generis nostri est factus, etiam sublimiore quodam sensu unica spes mundi vocari meretur, quia unicus remansit haeres promissionum messianicarum primo nostro patri Adamo factarum easque novo generi, quod ex eo exoriturum erat, velut praestantissimam haereditatem conservavit et transmisit.

Quam ob rem autem Deus arcam sua manu gubernaverit, auctor generali explicat sententia, qua simul aditum sibi aperit ad novam idolorum ligneorum condemnationem : 7. *Benedictum est enim lignum per quod fit iustitia.* Clara quidem et aperta haec sententiola videtur, nihilominus ab antiquioribus et iunioribus minus recte explicata est, quia eam universalem esse non satis considerarunt. Nonnulli teste *Ians.* nomine *iustitiae* hic vindicativam et nomine *ligni* patibulum ligneum designari sibi persuaserunt, ad *Deut.* 21,23 forte similesque locos, in quibus lignum hoc sensu sumitur, respicientes, nostri autem loci contextum plane negligentes. Neque multo felicius alii a *Lap.* commemorati de iustitia commutativa et de navibus legitimam negotiationem agentibus solis agi opinati sunt. Plurimi porro (cfr *Holc. Carth. Lorin. Castro, Est. Lap.*) lignum interpretantur arcam (cfr 10,4 δι' εὐτελοῦς ξύλου), per quam facta sit iustitia, quum impiis gigantibus iuste pereuntibus, iuste servatus sit pius Noe cum sua familia. Quae interpretatio ad proximum contextum utique quadrat, sed neque toti loco nostro neque ipsis sententiolae verbis satis congruit; siquidem non legitur « benedictum est (εὐλόγηται est forma perfecti) lignum, per quod *facta est* (ἐγένετο) iustitia » scil. tempore diluvii, sed : « per quod *fit* (γίνεται) iustitia ». Quapropter ex iunioribus iam aliqui (cfr *Menoch. Tirin. Calm.*) hanc explicationem cum secunda, quam recensuimus, coniungentes nomine *ligni* praeter arcam reliquas simul naves, quas divina providentia gubernat (*v.* 3), comprehendi voluerunt. At ne haec quidem interpretatio, quamvis communiore melior sit, nobis probatur, quoniam non videmus, quo cum iure nomen *ligni* metonymice hic de certo ac determinato instrumento ligneo, sive de arca, sive de navi aliqua, sive de patibulo etc. sumatur. Lignum quippe hic consideratur velut creatura Dei, quae pariter atque reliquae homini ita est subiecta, ut illi dominari debeat in aequitate et iustitia (cfr 9,3); quam igitur homo adhibere debeat ea ratione, qua Deus vult, et ad eum finem, quem Deus aut ordi-

naria aut extraordinaria sua providentia ei manifestat. Iustitia autem hic sensu latissimo sumatur oportet, quae recte definitur conformatio voluntatis nostrae ad Dei ipsius voluntatem nobis manifestatam (cfr ad 1,1 ; 8,7) ; unde sensus axiomatis est : lignum benedictum est, quod homo secundum voluntatem divinam adhibet, vel uti inter iuniores iam *Sa* interpretatur : « benedictum est lignum, quo quis iuste utitur, i. e. ad usum aliquem honestum » (cfr etiam ex recentioribus *Corl. Loch*, *Gutb. Les.*).

Tale autem lignum ex voluntate divina adhibitum non solummodo arca fuit, quam Deus speciali revelatione, ut humani generis semen servaretur, secundum normam a se datam per Noe exstrui iusserat, sed omnis quoque navis est, quam ordinaria sua providentia per homines iustum lucrum quaerentes diligenter excogitandam et artificiose aedificandam curat (cfr ad *vv.* 2.3), ita ut auctorem generali sua sententia totum locum praecedentem confirmare et explicare voluisse iure merito asseramus. Neque minore cum iure asserere nobis licet, eum etiam de aliis instrumentis ex ligno confectis cogitasse, quae usque ad suam aetatem aut sollers hominum ingenium Deo providente, similiter atque navem, ad cultiorem humaniorem-que vitae usum promovendum ac propagandum iam invenerat, aut aliqui homines ex peculiari Dei mandato, similiter ac arcam, ad extraordinaria quaedam efficienda iam adhibuerant (uti Moyses *Exod.* 4,2 sqq., Aaron Num. 17,1 sqq., tribuum principes *Num.* 21,16-18 virgas suas). Attamen axioma illud utpote universale illa quoque complecti evidens est, quae auctoris aetate utroque in genere sunt recentiora; unde mirum videri non debet, quod aliqui Patres[1] sententiam nostram de salvifica cruce Domini N. interpretati sint, quae ex divina voluntate sensu eminentissimo et plenissimo facta est instrumentum iustitiae (cfr *Gutb.*). Quamvis enim libri scriptor, nisi quis eum mysterium crucis prophetico spiritu praecognovisse sine sufficiente opinor ratione admiserit, de hac interpretatione cogitare non potuerit, S. Spiritus tamen, « qui per scriptorem inspiratum, ut *S. Aug.* (de doctr. christ. III. 27) verbis utar, haec verba operatus est, etiam hanc sententiam lectori vel auditori [christiano] occursuram esse sine dubitatione praevidit, immo ut occurreret, quia et ipsa veritati est subnixa, providit » ; quare eam nequaquam meram verborum accommodationem neque typicam vel mysticam quandam explicationem esse, sed ad sensum literalem pertinere censemus.

Ligno autem, Dei creaturae, quam, quoties aliquis illam ex voluntate Dei adhibeat Creatoris, gratam ei esse ab eoque protegi ac bene-

1. Cfr *S. Ambr.* in *Ps.* 118 serm. 8,23 ; *Ps. Chrys.* de ador. crucis (*M.* 50,817) ; *Leont. Neapol.* serm. 3 c. Iud. (*M.* 93,1605) ; *S. Germ. Const.* serm. 1 in adorat. crucis vivif. *M.* 98,237) etc. Similiter *S. Bonav. Hugo Car. Lyran. Holc. Carth.* et haud pauci iuniores, qui tamen plerique non nisi mystice crucem Domini significari putant.

dici praedicavit, auctor lignea nunc idola, manuum hominum opera, de quibus in huius articuli principio (inde a 13,11) agere incepit, eo consilio opponit, ut quantopere Deus illa abominetur denuo inculcet : 8. *Per manus autem quod fit idolum* (graece brevius : τὸ χειροποίητον δέ *manu autem factum* scil. idolum) *maledictum est, ipsum et qui fecit illud; Quia ille quidem* (melius : *hic quidem*) *operatus est, illud autem quum esset fragile* (τὸ δὲ φθαρτόν sc. ὄν rectius : *illud autem quamvis esset corruptibile*) *deus cognominatus est* (potius : *nominatum est* ὠνομάσθη). Haud sine ratione Sapiens idola omnia lignea nudo illo τὸ χειροποίητον i. e. *quod hominis manu factum est* complectitur. Etenim procul dubio etiam arca et navis aliaque instrumenta lignea, quibus Deus utpote ex sua voluntate factis et adhibitis benedixit, manibus hominum sunt facta; verum auctor noster multorum illorum S. Scripturae locorum memor, quibus idola per contemtum vocantur opera manuum hominum (מַעֲשֵׂה יְדֵי אָדָם ἔργα χειρῶν ἀνθρώπων cfr *Deut.* 4,28; 27,15; 4 *Reg.* 19,18; 2 *Paral.* 32,19; *Ps.* 113^{b}, 4; 134,15; *Is.* 2,8; 17,8 Sept.; *Ierem.* 1,16; 10,9; 25,6; *Os.* 14,4; *Mich.* 5,12 etc.) dictione sua significare voluit, illa « non esse deos neque quidquam operis divini in se habere » (cfr *Is.* 2,28; *Bar.* 6,50 ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοί... καὶ ὀυδὲν Θεοῦ ἔργον ἐν αὐτοῖς ἐστί), sed mera esse inventa artis ac sollertiae humanae (cfr *Act.* 17,29) vel potius, si superior descriptio perpenditur, res manu otiosi hominis temere ac fortuito factas. Iamvero Deus, quia neque in origine neque in usu idolorum ullam habet partem, illa una cum illorum factoribus non abominari non potest, et hos quidem, quia aliquid operati sunt, quod divinae voluntati non tantum non congruit, sed plane repugnat; illa vero, quia quamvis nihil divini habeant sed omnino corruptibilia sint velut dii invocantur.

Quae ut confirmet, Sapiens addit : 9. *Similiter autem* (lege : *similiter* vel potius *aequaliter enim* γάρ) *odio sunt Deo impius et impietas ejus*; 10. *Etiam quod factum est* (καὶ γὰρ τὸ πραχθέν accuratius cfr. ad 12,3 : *nam etiam quod factum est*) *cum illo qui fecit tormenta patietur* (κολασθήσεται castigabitur vel *punietur*). Quo sensu Deus impios *odio habeat,* cum alibi (11,25) omnia dicatur diligere quae sint et nihil odisse eorum quae fecerit, *S. Thom.* (de Verit. q. 28, a. 2) ita explanat : « Deus dicitur peccatori offensus vel eum odire non odio quod opponitur amori quo diligit omnia,... sed odio quod opponitur amori quo diligit sanctos bona aeterna eis praeparando ». *Et S. Aug.* (in Ioan. tract. 110,6) : « Miro et divino modo, etiam quando nos oderat, diligebat; oderat enim nos, quales ipse non fecerat; et quia iniquitas nostra opus eius non omni ex parte consumpserat, noverat simul in

unoquoque nostrum et odisse, quod [nos] feceramus, et amare, quod [ipse] fecerat... Merito quippe odit et a regula suae artis alienum improbat vitium ; amat tamen suum etiam in vitiosis vel sanatione beneficium vel damnatione iudicium etc. » (Cfr etiam *Ps. Hier.* ad amic. aegr. ep. 5,3, *M.* 30,63). Nomine impietatis quam Sapiens dicit Deo esse odio non animus impius impiorum indicatur, sed eorum opera impia, id quod etiam totus loci contextus docet, quum proxime ac directe de idolis agatur, quae vere sunt impia impiorum opera. Quae deinde aequaliter atque impios a Deo odio haberi, Sapiens ex eo cognosci et intelligi vult, quod opera impia non minus quam impii ipsi a Deo puniantur; utique improprie : re enim vera proprio sensu puniri solum potest ens rationale, quod solum culpae quae poenam meretur capax est; idola vero, quum destruuntur et ad nihilum rediguntur, quasi per metaphoram puniri dicuntur, eorum tamen interitu impiis eorum factoribus et cultoribus vera poena irrogatur.

Articulum hunc Sapiens terminat idolis interitum comminans : 11. *Propter hoc* (nempe quoniam opus quoque impium cum suo factore punietur) *et in idolis nationum non erit respectus* (ad graecam lectionem aliis versionibus confirmatam lege : *etiam in idolis nationum erit visitatio*), *Quoniam creaturae Dei in odium factae sunt* (ad primigenium textum rectius et clarius : *quoniam in creatura Dei in abominationem facta sunt*) *Et in tentationem* (εἰς σκάνδαλα) *animabus hominum Et in muscipulam* (εἰς παγίδα) *pedibus insipientium*. Graecae lectionis et latinae differentia in primo sticho admodum gravis non est, siquidem pro duplici nominis ἐπισκοπή significatione (cfr ad 2,20) idem fere sensus ab auctore graeco maiore cum vi sententia affirmante, a latino autem interprete, qui nomen in bonam partem sumsit, lenius sententia negante exprimitur. Omnino tamen retinenda est graeca lectio (*idolorum erit visitatio* i. e. Deus iudex etiam idola visitabit, ut suum cuique retribuens de impiis his impiorum operibus quoque vindictam sumat), non tantummodo ob testium criticorum eam tuentium auctoritatem, sed etiam ob contextum, qui comminationem latinâ multo fortiorem postulat atque etiam propter locum parallelum, quem auctor procul dubio ante oculos habuit (*Ierem.* 10,15 idola « *in die visitationis suae* ἐπισκοπῆς αὐτῶν *peribunt* » cfr etiam *Ierem.* 46,25; 18,11; *Exod.* 12,12; *Is.* 2,18; 19,1 etc.). Gravior est lectionum differentia in secundo sticho, quo prima affertur ratio, cur Deus de idolis vindictam sit sumturus. Graeca lectio est clara, dummodo animadvertatur nomen singulare κτίσμα (*res creata*) simili modo quo interdum κτίσις (5,18; 16,24 etc.) hic universitatem rerum creaturarum designare : medias inter creaturas, quas Deus omnes amore suo comple-

ctitur (11,25), idola ei facta sunt in abominationem seu res abominandae. Latinam lectionem plerique explicant : « creaturae Dei, uti lignum, aurum, lapides etc., factae sunt in abominationem ab impiis, qui ex iis idola sua fabricaverunt » (cfr *Lap.* etc.); parum apta tamen est haec explicatio, quia in toto hoc articulo idola, velut opera hominum opponuntur creaturis Dei (*v.* 10), neque Deus odio habet aut abominatur, sed amat, quidquid in idolis reperitur quod ipse fecit, sicut non abominatus est solem aliasque creaturas suas, quamquam homines eis divinum cultum exhibuerunt. Ceterum dictio *creaturae Dei* etiam nequit esse subiectum duorum reliquorum stichorum, quia non ipsae creaturae Dei factae sunt *in tentationem* (εἰς σκάνδαλα in scandala i. e. scandala seu offendicula) *animabus hominum* aut *in muscipulam* (εἰς παγίδα rectius *in laqueum* vel potius : laqueus) *pedibus insipientium*, sed idola sola eis facta sunt causa exitii et perniciei, uti auctor *infra* (*v.* 22 sqq.) accuratius exponit.

2) *Simulacrorum origo exemplis illustratur* (14,12-20).

14,12. Initium enim fornicationis est exquisitio idolorum, Et adinventio illorum corruptio vitae est : 13. Neque enim erant ab initio, neque erunt in perpetuum. 14. Supervacuitas enim hominum haec advenit in orbem terrarum, Et ideo brevis illorum finis est inventus. 15. Acerbo enim luctu dolens pater Cito sibi rapti filii fecit imaginem, Et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere coepit, Et constituit inter servos suos sacra et sacrificia. 16. Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est, Et tyrannorum imperio colebantur figmenta. 17. Et hos, quos in palam homines honorare non poterant propter hoc quod longe essent, E longinquo figura eorum allata, Evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt, Ut illum, qui aberat, tamquam praesentem colerent sua sollicitudine. 18. Provexit autem ad horum culturam et hos, qui ignorabant, Artificis eximia diligentia. 19. Ille enim volens placere illi, qui se assumsit, Elaboravit arte sua, ut simili-

14,12. Ἀρχὴ γὰρ πορνείας ἐπίνοια εἰδώλων, Εὕρεσις δὲ αὐτῶν φθορὰ ζωῆς. 13. Οὔτε γὰρ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, οὔτε εἰς τὸν αἰῶνα ἔσται. 14. Κενοδοξίᾳ γὰρ ἀνθρώπων εἰσῆλθεν εἰς κόσμον, Καὶ διὰ τοῦτο σύντομον αὐτῶν τέλος ἐπενοήθη. 15. Ἀώρῳ γὰρ πένθει τρυχόμενος πατὴρ Τοῦ ταχέως ἀφαιρεθέντος τέκνου εἰκόνα ποιήσας Τὸν τότε νεκρὸν ἄνθρωπον νῦν ὡς θεὸν ἐτίμησε, Καὶ παρέδωκε τοῖς ὑποχειρίοις μυστήρια καὶ τελετάς. 16. Εἶτα ἐν χρόνῳ κρατυνθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος ὡς νόμος ἐφυλάχθη, Καὶ τυράννων ἐπιταγαῖς ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτά. 17. Οὓς ἐν ὄψει μὴ δυνάμενοι τιμᾶν ἄνθρωποι διὰ τὸ μακρὰν οἰκεῖν, Τὴν πόρρωθεν ὄψιν ἀνατυπωσάμενοι, Ἐμφανῆ εἰκόνα τοῦ τιμωμένου βασιλέως ἐποίησαν, Ἵνα τὸν ἀπόντα ὡς παρόντα κολακεύωσιν διὰ τῆς σπουδῆς. 18. Εἰς ἐπίτασιν δὲ θρησκείας καὶ τοὺς ἀγνοοῦντας Ἡ τοῦ τεχνίτου προετρέψατο φιλοτιμία. 19. Ὁ μὲν γὰρ τάχα τῷ κρατοῦντι βουλόμενος ἀρέσαι Ἐξεβιάσατο τῇ τέχνῃ τὴν ὁμοιότητα ἐπὶ τὸ κάλλιον. 20. Τὸ

tudinem in melius figuraret. 20. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis Eum, qui ante tempus tamquam homo honoratus fuerat, nunc deum aestimaverunt.

δὲ πλῆθος ἐφελκόμενον διὰ τὸ εὔχαρι τῆς ἐργασίας, Τὸν πρὸ ὀλίγου τιμηθέντα ἄνθρωπον νῦν σέβασμα ἐλογίσαντο [1].

Alterum argumentum, quo idolorum cultus stultitiae et impietatis convincitur, Sapiens ex ipsa eorum origine desumit. Postquam enim vilium simulacrorum fabricationem *supra* (13,11 sqq.) acerbe irrisit, nunc quid de pretiosiorum et artificiosiorum origine sit sentiendum explanat. Idola nimirum non semper in mundo fuisse, sed stultis hominum opinionibus in eum esse invecta praefatus (*vv.* 12-14) argumenti illustrationisque causa duo affert exempla inanium perversarumque causarum, quibus etiam pretiosiora ortum suum debeant; insanum quippe luctum patris, qui filii sui praematura morte sibi erepti simulacrum et ipse velut deum colit et a suis coli iubet (*vv.* 15-16) et turpem adulationem civium, qui regis absentis, ut eum sibi propitium reddant, imaginem acquirunt divinisque honoribus venerantur (*v.* 17). Ad eiusmodi autem idolorum cultum promovendum non parum contulisse addit artificum artem, quum pulchritudine imaginis effecissent, ut merus homo pro deo haberetur (*vv.* 18-20).

Cum Calvino multi acatholici ex hac pericope colligunt auctorem nostrum philosophi graeci Euhemeri, qui circa a. 310 a. Chr. floruit, opinionibus favisse et cum eo totum *polytheismum* ex mortuorum cultu derivasse. Quicunque autem Euhemeri placita, quae ex profanorum scriptorum operibus (*Cic.* de nat. deorum I; *Varr.* rer. rust. I. 18; *Diod. Sic.* hist. III. etc.) multi Patres tradunt (cfr *Min. Fel.* Octav. I. 21; *Arn.* Disput. IV. 15; *Lactant.* Divin. instit. I. 11; *Eus. Caes.* Praep. evang. I. 2; *S. Aug.* de cons. Evang. I. 22,32 aliique), cum nostra pericope contulerit, non mirari non poterit, quod auctor noster euhemerismi accusatus sit. Quis enim genuinus

1. *VV. LL.* — 12. Pro sing. εὕρεσις (*adinventio*) solus B plur. εὑρέσεις exhibet, quem *Swete* temere in textum recepit. — 14. Forma dativi κενοδοξίᾳ (vana opinione) cum *Arm.* retinenda est, quamvis plures verss. (*Vulg. Syr. Aeth. Shex.*) nominativum (*Vulg.* : supervacuitas) exprimant et velut subiectum verbi εἰσῆλθεν considerent; ex sequentis enim stichi genet. plur. αὐτῶν apparet, auctorem subiectum plur. (sc. εἴδωλα) in mente habuisse (cfr *Comm.*). — Pro εἰς κόσμον cum ℵ A 23 etc. melius legitur εἰς τὸν κόσμον (cfr 2,24; 7,6). — 16. εἶτα ἐν χρόνῳ κρατυνθὲν τὸ ἀσεβὲς ἔθος ὡς νόμος ἐφυλάχθη, *Vulg.* interpres suo « deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est » constructionem arbitrarie mutavit, ita ut verba *hic error* ex suis inserere coactus sit. — 17. ἵνα... κολακεύωσι B ℵ 23 etc.; κολακεύσωσι A. — Lege aut διὰ τῆς σπουδῆς cum B ℵ 23 aut διὰ σπουδῆς cum A. — 19. ὁ μὲν γὰρ τάχα (hic enim fortasse) est communis lectio graec. codd. et verss.; sola *Vulg.* adverbium τάχα praetermisit.

polytheismi sit fons, in digressionis suae initio iam clare exposuit (cfr 13,1 sqq.); hac autem in pericope neque de polytheismo universo neque de idololatriae ipsius origine universa agit, sed stultis perversisque causis, quae ad nonnulla idola invenienda et fabricanda ansam praebuerant, adumbratis, cultus idololatrici stultitiam ac perversitatem explanat. Duo autem apotheoseos exempla ideo probabiliter elegit, quia etiam sua aetate numerum idolorum hominibus tum vivis tum mortuis in deorum concilio collocatis continuo augeri vidit. Quam frequentes enim apotheoses, quae apud antiquos Aegyptios (uti etiam apud Graecos) usitatae iam erant, potissimum aetate Ptolemaeorum in Aegypto fuerint, egregie ostendit *Döllinger* (Heidenthum u. Judenthum, p. 454 sqq. — de Graecorum et Romanorum apotheosibus *ibid.* p. 314 sqq.). Quin etiam tam altas radices stultus ille perversusque mos in Aegypto egerat, ut ne 4, quidem saeculo p. Chr. abolitus esset; « *multi* enim, inquit *S. Athan.* (c. gent. 11), non priscis tantum sed *nostris quoque temporibus* post amissos quos habebant carissimos tum fratres tum cognatos et uxores, *multae* item mulieres exstinctis viris illos et illas, cogente luctus acerbitate, pictura expresserunt et confictis sacrificiis consecrarunt, quos deinde posteri ob pictum simulacrum et artificis industriam tamquam deos venerati sunt » etc.

Ultimae sententiae, qua homines per idola ad peccata induci affirmavit, confirmatione vel, si mavis, explicatione quadam auctor ad secundum suum argumentum transit illudque priori arcte annectit : 12. *Initium enim fornicationis est exquisitio* (seu *excogitatio*) *idolorum, et adinventio illorum corruptio vitae est.* Binas duorum stichorum dictiones, si ad earum sensum attendis, chiastice ita esse dispositas apparet, ut prior prioris dictio secundae secundi respondeat (*initium fornicationis... corruptio vitae*), secunda prioris autem priori secundi (*excogitatio idolorum... adinventio illorum*). Atqui nemini dubium est, quin secundi stichi subiectum sit *adinventio illorum*; unde recte quoque dictionem respondentem (*excogitatio idolorum*) prioris stichi subiectum esse dicemus, idque eo maiore cum iure, quia idem tum nexu huius sententiae cum praecedente postulatur (nam *idola* hominibus esse incitamenta peccatorum confirmare vel explicare vult) tum loco parallelo qui mox sequitur (*v.* 27), atque similiter idolorum cultum *initium omnis mali* esse docet. Ab idolorum ergo excogitatione i. e. ab ipso idololatriae principio Sapiens initium fornicationis derivat, uti ab idolorum inventione, i. e. ab idololatriae progressu et incrementis, corruptionem vitae. In controversia porro est, utrum nomen πορνεία (fornicatio, scortatio) hoc in loco proprie de impudicitia et luxuria sit sumendum, an potius translato illo sensu tam frequenti apud prophetas, qui necessitudinem, quae inter Dominum et populum ab eo

electum intercedit, cum matrimonio comparantes Israelitas fornicari dicunt, quotiescunque a Domino Deo suo deficientes idolis cultum soli Deo debitum exhibent, ipsam idololatriam significet. Cum antiquioribus interpretibus (*Rhab. Bonav. Holc. Carth.*) etiam aliqui moderni (*Gutb. Les. Gr. Siegfr. Zöckl. Deane*) translatam significationem praeferentes doceri volunt, ab idolorum excogitatione fornicationem i. e. hominum defectionem a vero Deo et conversionem ad idola initium sumsisse. Quam explicationem *Lap.* « tum alienam tum exilem » iure merito dicit; aliena scilicet est a contextu, quia stichus, si hoc sensu sumitur, neque confirmandae neque explicandae sententiae praecedenti inservit; exilis autem est, quia per se evidens est idola ad idololatriam allicere eamque ab excogitandis idolis exorsam esse. Accedit, quod πορνεία et πορνεύειν (זְנוּת et זָנָה) a Veter. Test. scriptoribus de Israelitis quidem, utpote cum Deo speciali foedere coniunctis, frequentissime adhibeantur, quando ad aliorum populorum deos se converterunt, de ethnicis vero sua ipsorum idola colentibus ne semel quidem usurpentur, quamquam verba illa ad eos quoque suo modo accommodari potuissent. Unicum autem exemplum ex Vetere Test. a Suida allatum (*Ps.* 72,27), quo *Gutb.* hanc obiectionem infringere conatur, minime aptum est, quia in toto isto carmine, similiter atque in *Ps.* 36 et 48, non de ethnicorum, sed de impiorum Israelitarum vana et apparente felicitate agitur. Quapropter cum plerisque iunioribus (*Lorin. Castro, Lap. Calm.* — cfr *Grot.*) nonnullisque modernis (*Corl. Les.*) nomen πορνεία hic proprio sensu de scortatione ita explicandum esse censemus, ut reliquas luxuriae species complectatur. Procul dubio Sapiens neque ignoravit neque ignorare potuit, homines iam ante idololatriam exortam una cum aliis divinis praeceptis etiam sextum frequenter esse trangressos, verum privatis illis transgressionibus quasi praetermissis illum rerum statum consideravit, quem sua aetate ante oculos habuit quemque *S. Ath.* (Orat. c. gent. 25 sq.) praeclare adumbrat : « Nulla fere, inquit, est civitas, quae ob morum similitudinem, quam cum suis diis habere gestit, omni luxuriae genere non redundet; *neque apud idololatras ullus probus habetur, nisi cuius libidines testatae et manifestatae sunt.* Sane olim Phoeniciae [addere potuit : et Syriae et Babyloniae et Persiae et Armeniae et multarum Graeciae civitatum etc.] mulieres in idolorum templis prostabant suique meretricii quaestus primitias diis, qui ibi colebantur, consecrabant, deam suam stupris sibi propitiam reddi ratae. Viri quoque proprium sexum infitiati neque amplius se mares esse fingentes in feminas se converterunt arbitrati se hac ratione aliquid matri deorum pergrati et honorifici facere. Omnes denique una cum perditissimis vivunt et

certamen perversitatis inter se suscipere videntur atque, uti S. Paulus (*Rom.* 1,26) ait, feminae eorum immutaverunt naturalem usum in eum, qui contra naturam est » etc. Sapiens igitur, quum ab idolorum excogitatione scortationem initium cepisse asserit, abominandam hanc publicam communemque luxuriam intelligit, quae tantum abfuit, ut ab ipsis honestioribus idololatris cuiquam in ignominiam aut dedecus verteretur, ut velut pars quaedam praecipua religiosi cultus in honore esset. Recte porro *Lap.* « idololatria, inquit, est initium fornicationis indeque omnes probos honestosque mores depravat et corrumpit; fornicatio enim secum trahit comissationes, ebrietates, rixas, pugnas, caedes omnemque criminum catervam ». Quo maiora autem incrementa idololatria cepit, eo magis quoque horrenda illa crevit morum corruptio, quam in omnibus populis idololatricis neque paucorum fuisse neque inter privatas parietes se continuisse, sed publicos quoque locos plateasque cunctas foedasse et omnes hominum ordines et aetatas pervasisse, historia luculenter testatur.

Recte autem idola ab hominibus excogitata et inventa dicuntur : 13. *neque enim erant ab initio neque erunt in perpetuum;* 14. *Supervacuitas enim hominum haec advenit in orbem terrarum, Et ideo brevis illorum finis est inventus,* vel potius ad graecum textum communem ultimum distichon ita habet : *supervacuitate* vel rectius : *vana opinione enim hominum advenerunt* (idola) *in mundum, et ideo celer eorum finis est decretus* (seu *constitutus*, proprie *excogitatus*). Ad Scripturae doctrinam, quae primos nostros parentes eorumque posteros unum verum Deum coluisse clare tradit, respiciens auctor noster idola ab initio in mundo fuisse negat; contra modernos autem incredulos, qui darvinisticis erroribus infecti humanum genus, quod iugi quadam naturae progressione ex brutis animalibus exortum esse volunt, a fetischismo seu infimo idololatriae gradu paullatim ad monotheismum pervenisse sibi persuadent, hoc loco adnotasse sufficit, eorum opinionem non minus verae philosophiae principiis quam communibus omnium populorum traditionibus repugnare. Utraque quippe pariter ac Sapiens docent idola falsis vanisque opinionibus (κενοδοξίᾳ) in mundum esse invecta, ita ut tota idololatria culpabili hominum errori ortum suum debeat (cfr etiam ad 13,1 sqq.). Multi quidem nomen κενοδοξίας, uti *Phil.* 2,3, cum *Suida* ματαίαν τινὰ περὶ ἑαυτοῦ οἴησιν explicant i. e. vanam quam quis de se ipso fovet opinionem seu vanae gloriae studium, quasi idololatria ex superbia humana exorta dicatur. At vi etymologiae suae (κενός et δόξα) nomen proprie ac proxime vanam opinionem seu errorem in universum valet; quam propriam significationem ad nostrum locum melius quadrare duo exempla declarant,

quibus *v.* 15 sqq. haec sententia exponitur et illustratur. Sicut autem veritas una est et aeterna, ita error est multiplex atque varius mutabilisque; unde sua sponte intelligitur, quam legitime Sapiens ex idolorum ortu ad celerem eorum interitum concludat : *ideo* sc. quia ex errore humano provenerunt, *celer eorum finis est decretus*; nam variantibus et evanescentibus vanis hominum opinionibus idola, quae ex eis originem traxerunt eisque nituntur, varient et evanescant necesse est. Quam apertam conclusionem non advertentes multi (cfr *Nann. Lap. Tir.* etc.) difficultatem in eo inveniunt, quod idola celeriter interitura dicantur, quamvis eorum cultus tot saecula duraverit nequedum ex mundo disparuerit. Ipsa autem sua conclusione auctor idola ab hominibus inventa et fabricata quodammodo uni vero aeternoque Deo atque idololatriam monotheismo opponit, qui a primi entis rationalis creatione initium sumsit neque unquam finem habebit. Bene iam *Holc.* « opera Dei, inquit, perseverant in aeternum, opera hominum habebunt finem » (cfr *Gutb. Les.*). Addere quoque licet, idololatriam quidem nondum plane disparuisse, singulorum vero idolorum cultum non fuisse diuturnum, quum continuo formas suas mutarent et paucis saeculis post suum ortum pleraque abolerentur.

Absurdas revera perversasque hominum opiniones idolis originem dedisse exemplis illustraturus Sapiens priore in loco insanum affert patris cuiusdam facinus, qui ut immoderatum suum luctum de praematura morte filii sui sedaret, illius simulacrum divinis honoribus et ipse coluit et suis colendum proposuit; quae impia deinde veneratio in consuetudinem transierit ac principum iussis in publicum cultum sit mutata : 15. *Acerbo* (ἀώρῳ proprie : *praematuro*) *enim luctu dolens pater Cito sibi rapti filii fecit imaginem Et illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tamquam deum colere coepit* (ad graecum brevius et accuratius : *simulacrum fabricatus hominem tunc exanimum nunc quasi deum coluit*), *Et constituit inter servos suos* (τοῖς ὑποχειρίοις proprie : iis qui sub [in] manu sua sunt i. e. domesticis seu *familiaribus*) *sacra et sacrificia* (μυστήρια καὶ τελετάς); 16. *Deinde interveniente tempore, convalescente iniqua consuetudine, hic error tamquam lex custoditus est* (ad graecum *deinde in* [vel *cum*] *tempore roborata impia consuetudo velut lex custodita est*) *Et tyrannorum imperio colebantur figmenta* (ἐθρησκεύετο τὰ γλυπτά). Primi stichi adiectivum ἄωρος proprie valet *praematurus* (cfr ad 4,5 καρπὸς ἄωρος); tropice autem patris luctus vocatur praematurus propter praematuram filii mortem, quam alter stichus indicat. Dictione μυστήρια καὶ τελεταί (minus accurate *Vulg.* : sacrificia et sacra) in tertio sticho mysteria et ceremoniae illae quibus aliquis mysteriis initiabatur,

significari videntur; pleraque quippe idola sua propria habebant mysteria suosque ritus. Cave demum, ne ultimo sticho idolorum cultum universum iussis principum attribui putes; auctor enim, uti ex verbis ipsis (attende ad imperf. et ad artic.) et ex contextu patet, de illorum idolorum, quae a privatis inventa sunt (uti illud filii mortui simulacrum), cultu loquitur eumque principum auctoritate ex privato in publicum et perpetuum esse mutatum significat. Ceterum sententia manifesta est; declarata quippe fortuita et absurda certi idoli origine auctor explicat, qua ratione fieri potuerit, ut privatum illius cultum, qui mox meritae oblivioni dari debuerit, non tantummodo tempus sanxerit, sed principum quoque auctoritas in publicum converterit.

Probe autem consideretur oportet, exemplum hoc ab auctore non esse arbitrarie confictum ad absurditatem idololatriae demonstrandam; quamvis enim saepius filii patres suos defunctos, uti ex antiqua historia constat, quam patres filios in deorum numero collocasse videantur, nequaquam tamen desunt huius quoque stultitiae exempla. Nostro enim plane simile *Fulgent. Planciades* (Mytholog. I. c. de idol.) ex Diophanti Lacedaemonii Antiquitatibus refert de Synophane, divite quodam Aegyptio, cuius universa familia « in domini adulatione » simulacro filii defuncti a patre in aedibus constituto coronas nectere aut flores afferre aut odoramenta succendere consueverit. Teste autem *Lact.* (Instit. I. 15) ipse Cicero, « in eo libro [hodie deperdito], quo se ipse de morte filiae (Tulliae) consolatus est », non dubitavit dicere se filiam hanc « omnium optimam doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis in eorum coetum locatam ad opinionem omnium mortalium consecraturum esse ». Addit autem *Lact.* : « fortasse dicat aliquis, prae nimio luctu delirasse Ciceronem; atqui omnis illa oratio et doctrina et exemplis et ipso loquendi genere perfecta est; et haec ipsa sententia nullum praefert indicium doloris. Neque enim puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum eius et ratio ipsa et consolatio amicorum et temporis longitudo mitigasset ».

Insano luctui patris filium suum mortuum divinis honoribus colentis Sapiens velut alterum exemplum stultarum idololatriae causarum apotheoses adiungit sua aetate tam frequentes regum, quos iam ante eorum mortem civium adulatio numero deorum inseruit : **17.** *Et hos, quos in palam* (ad graec. textum brevius et accuratius : *quos coram*) *homines honorare non poterant propter hoc, quod longe essent, E longinquo figurâ eorum allatâ, Evidentem imaginem regis, quem honorare volebant, fecerunt* (primigenia verba : τὴν πόῤῥωθεν ὄψιν ἀνατυπωσάμενοι ἐμφανῆ εἰκόνα τοῦ τιμωμένου βασιλέως ἐποίησαν potius verte : *eorum figuram a longinquo sibi* animo *effingentes expressam* seu conspicuam *imaginem honorati regis fecerunt*), *Ut illum, qui aberat, tamquam praesentem colerent* (lege : *adularentur* κολακεύωσι) *sua sollicitudine*. In universo quidem sensu sententiae definiendo omnes

consentiunt, quaenam autem accurata sit duorum intermediorum stichorum explicatio, non constat. Alii quippe ad Vulg. interpretationem prope accedentes dictionem participialem : τὴν πόῤῥωθεν ὄψιν ἀνατυπωσάμενοι vertunt : « faciem pictam i. e. imaginem e longinquo missam sibi iterum formantes », alii vero illam attractionis formam, qua Graeci adverbium loci, quod ad subiectum pertinet, quodammodo a verbo dependentem faciunt (ex. gr. *Dem.* : ὁ ἐκεῖθεν πόλεμος δεῦρο ἥξει pro : ὁ ἐκεῖ πόλεμος κτλ. cfr *Beel.* Gr. p. 515; *A. Buttm.* Gr. p. 323; *Bl.* Gr. p. 253), hoc in loco admittentes explicant : « figuram, quae longe abest, animo effingentes ». Quae altera explicatio merito praefertur non tantummodo, quia ὄψις valere *pictam* figuram vel faciem satis temere supponitur, sed maxime quia iuxta priorem explicandi rationem secundus ac tertius stichus essent tautologici (« imaginem e longinquo allatam iterum formant et ita imaginem regis ad vivum expressam faciunt » cfr *Gutb.* — *Gr.*). Significare igitur auctor voluit cives illos, ut regem absentem adularentur, eius figuram speciemque in memoriam sibi revocasse, ut hac ratione eius imaginem sculptura deinde ad vivum exprimerent; dictio ἐμφανῆ εἰκόνα valet effigiem quae regem monstrat talem, qualis est, in qua rex conspicitur (*Brmst*). Ceterum singuli reges Ptolemaei, simulac patre defuncto regnare coeperunt, sive regno erant maturi sive immaturi, statim non tantum in templis Alexandriae sed etiam Thebarum, Memphidis aliarumque Aegypti civitatum suas statuas, sua altaria suaque sacra habuerunt unaque cum antiquis diis coli coepti sunt (cfr *Döllinger* Heidenth. u. Judenth. p. 455).

Ad cultum autem idolorum huius generis propagandum ambitio quoque artificum multum contulit, qui ut regum gratiam sibi conciliarent imagines eorum quam pulcherrime effingere studuerunt atque hac operum suorum pulchritudine ignaram multitudinem ad illa admiranda et adoranda induxerunt : **18.** *Provexit autem ad horum culturam et hos, qui ignorabant, Artificis eximia diligentia,* vel ad graecum textum accuratius : *ad augendum autem cultum* (imaginum istarum) *etiam ignaros* (i. e. eos qui quorumnam essent imagines ignorabant) *adduxit artificis ambitio.* Duas eorum, qui eiusmodi idola colunt, classes auctor quasi distinguit, eorum nimirum, qui ut regem *adularentur*, pulchram eius imaginem faciendam curarunt illudque deinde adorarunt, et reliquorum, qui quamvis ignorarent, quem regem imago repraesentaret, etiam ipsi operis venustate ad illud colendum allecti sunt. Accuratius sententia duabus sequentibus exponitur : **19.** *Ille enim* (graece : ὁ μὲν γὰρ τάχα *hic enim fortasse*) *volens placere illi, qui se assumsit* (forte melius : *regi* τῷ κρα-

τεῦντι). *Elaboravit arte sua, ut similitudinem in melius figuraret,* vel ad graecum ad literam : *coegit arte sua similitudinem in maiorem pulchritudinem* i. e. studiose arte sua similitudini decorem supra verum addere enisus est; 20. *Multitudo autem hominum abducta per speciem operis* (melius : *attracta* seu *allecta operis venustate*) *Eum, qui ante tempus* (lege : *brevi antea* πρὸ ὀλίγου) *tamquam homo honoratus erat, nunc deum* (σέβασμα numen venerandum) *aestimaverunt.* Adverbium τάχα (*v.* 19), quod latinus interpres praetermisit, moderni quidam (*Gr. Siegfr.* etc.) hoc in loco *cito* interpretantur (ubi primum artifex statuam effingere iussus est, *cito* regi placere in animum induxit), sed τάχα in Scripturis nunquam hac significatione usurpari ad 13,6 monuimus; Sapiens coniicit solummodo artificem hunc finem sibi proposuisse. Utrum dativo τῷ κρατοῦντι rex significetur (*Vat. Ians. G. Osor.* etc.) an potius herus, a quo statuam facere iussus est, uti cum *Vulg.* antiquiores tenent (*Lyr. Holc.* etc.) non satis liquet; prior tamen explicatio praeplacet.

3) *Quantam morum corruptionem idolorum cultus produxerit* (14,21-31).

14,21. Et haec fuit vitae humanae deceptio, Quoniam aut affectui aut regibus deservientes homines Incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt. 22. Et non suffecerat errasse eos circa Dei scientiam, Sed et in magno viventes inscientiae bello Tot et tam magna mala pacem appellant. 23. Aut enim filios suos sacrificantes, aut obscura sacrificia facientes, Aut insaniae plenas vigilias habentes 24. Neque vitam neque nuptias mundas iam custodiunt, Sed alius alium per invidiam occidit aut adulterans contristat : 25. Et omnia commista sunt, sanguis, homicidium, furtum et fictio, Corruptio et infidelitas, turbatio et periurium, Tumultus bonorum, 26. Dei immemoratio, Animarum inquinatio, nativitatis immutatio, Nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae. 27. Infandorum enim idolorum cultura Omnis mali causa est et initium et finis. 28. Aut enim, dum laetantur, insaniunt, aut certe vaticinantur falsa, Aut vivunt iniuste, aut peierant cito. 29. Dum enim confidunt in idolis, quae

14,21. Καὶ τοῦτο ἐγένετο τῷ βίῳ εἰς ἔνεδρον Ὅτι ἢ συμφορᾷ ἢ τυραννίδι δουλεύσαντες ἄνθρωποι Τὸ ἀκοινώνητον ὄνομα λίθοις καὶ ξύλοις περιέθεσαν. 22. Εἶτ' οὐκ ἤρκεσεν (αὐτοῖς) τὸ πλανᾶσθαι περὶ τὴν τοῦ Θεοῦ γνῶσιν, Ἀλλὰ καὶ (ἐν) μεγάλῳ ζῶντες ἀγνοίας πολέμῳ Τὰ τοσαῦτα κακὰ εἰρήνην προσαγορεύουσιν. 23. Ἢ γὰρ τεκνοφόνους τελετὰς ἢ κρύφια μυστήρια Ἢ ἐμμανεῖς ἐξ ἄλλων θεσμῶν κώμους ἄγοντες, 24. Οὔτε βίους οὔτε γάμους καθαροὺς ἔτι φυλάσσουσιν, Ἕτερος δ' ἕτερον ἢ λοχῶν ἀναιρεῖ, ἢ νοθεύων ὀδυνᾷ, 25. Πάντας δ' ἐπιμιξ ἔχει αἷμα καὶ φόνος, κλοπὴ καὶ δόλος, Φθορὰ, ἀπιστία, ταραχὴ, ἐπιορκία, 26. Θόρυβος ἀγαθῶν, χάριτος ἀμνησία, Ψυχῶν μιασμὸς, γενέσεως ἐναλλαγὴ, Γάμων ἀταξία, μοιχεία καὶ ἀσέλγεια. 27. Ἡ γὰρ τῶν ἀνωνύμων εἰδώλων θρησκεία Παντὸς ἀρχὴ κακοῦ καὶ αἰτία καὶ πέρας ἐστίν. 28. Ἢ γὰρ εὐφραινόμενοι μεμήνασιν, Ἢ προφητεύουσιν ψευδῆ, Ἢ ζῶσιν ἀδίκως, Ἢ ἐπιορκοῦσι ταχέως. 29. Ἀψύχοις γὰρ πεποιθότες εἰδώλοις Κακῶς ὀμόσαντες, ἀδικηθῆναι οὐ προσδέχονται. 30. Ἀμφότερα δὲ αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια, Ὅτι κακῶς ἐφρόνησαν περὶ Θεοῦ προσχόντες εἰδώλοις,

sine anima sunt, Male iurantes noceri se non sperant. 30. Utraque ergo illis evenient digne, Quoniam male senserunt de Deo attendentes idolis, Et iuraverunt iniuste, in dolo contemnentes iustitiam. 31. Non enim iuratorum virtus sed peccantium poena Perambulat semper iniustorum praevaricationem.

Καὶ ἀδίκως ὤμοσαν ἐν δόλῳ καταφρονήσαντες ὁσιότητος. 31. Οὐ γὰρ ἡ τῶν ὀμνυμένων δύναμις ἀλλ' ἡ τῶν ἁμαρτανόντων δίκη Ἐπεξέρχεται ἀεὶ τὴν τῶν ἀδίκων παράβασιν [1].

Radix venenata nequit nisi malos vitiatosque fructus producere; apte igitur Sapiens suae perversarum idololatriae causarum descriptioni turpissimam subiungit morum corruptionem ex cultu idololatrico exortam. Etenim exempla, quibus absurdas impiasque simulacrorum origines illustravit, paucis complexus (*v.* 21) eiusmodi errores circa veri Dei naturam sua sponte homines docet ad omnis generis vitia atque completam mentis circa res morales caecitatem ducere (*v.* 22). Quod assertum ut confirmet, primum turpia quaedam crimina affert inter idololatras pervagata, quia cum impiis eorum ritibus ceremoniisque intime sint coniuncta (*vv.* 23, 24); deinde longa serie vitia flagitiaque multa et varia congerit, quibus eorum vita tum privata tum publica erat infecta et quae omnia ex idololatria, « omnis mali initio et causa et fine », originem suam trahant (*vv.* 25-28). Demum velut parergo quodam periuria, quae ultimo in loco nominaverat, separatim

1. *VV. LL.* — 22. μεγάλῳ ζῶντες ἀγνοίας πολέμῳ B. 23; rectius A C $\aleph^2$ cum plerisque minusculis : ἐν μεγάλῳ κτλ. — 23. ἢ ἐμμανεῖς ἐξ ἄλλων (vel ἐξάλλων) θεσμῶν κώμους ἄγοντες est communis Graecorum lectio; *Vulg.* vero illud ἐξ ἄλλων praetermittit. — 24. λοχῶν (insidians) est communis lectio; male *Vulg.*, forte ex librariorum errore habet : *per invidiam* pro *per insidias.* — 25. πάντα B $\aleph$ A C, plerique minusc., *Vulg. Syr. Arm. Ar.;* minus bene : πάντας (omnes) ed. *Sixt.* cum 23 et aliquibus minusc. — ταραχή (*turbatio,* tumultus) ed. *Sixt.* 23 et minusc.; τάραχος B $\aleph$ A C et minusc. legunt. — 26. ἀμνησία (*immemoratio,* potius oblivio) B $\aleph$ et multi minusc.; ἀμνηστία A C 23 $\aleph^2$ etc. Attende autem non esse cum *Vulg. Clem.* legendum : *Dei immemoratio* sed cum *Vulg. Sixt.* potius : *doni immemoratio* ad graec. χάριτος ἀμνηστία. — Recte quoque *Reusch* monet in fine huius versus in Vulg. pro « nuptiarum inconstantia, inordinatio moechiae et impudicitiae » ex graeco legendum esse : *nuptiarum inconstantia* (vel : inordinatio), *moechia et impudicitia;* nam *inordinatio* velut altera graeci nominis ἀταξία versio indebite in textum irrepsit. — 27. παντὸς ἀρχὴ κακοῦ καὶ αἰτία καὶ πέρας (omnis mali initium et causa et consummatio) omnes testes praeter *Vulg.*, quae legit : *omnis mali causa et initium....* — 28. Minus recte *Vulg. Clem.* legit : *aut certe vaticinantur falsa;* nam praeter alios testes etiam codex *Amiat.* aliique boni codd. *Vulg.* illud *certe* ignorant. — 31. οὐ γὰρ ἡ τῶν ὀμνυμένων δύναμις (*non enim iuratorum* [vel potius : eorum per quae iuratur] *virtus*) est communis lectio, quam *Vulg. Clem.* quoque (utique minus accurate) expressit; parum recte autem *Vulg. Sixt.* cum plerisque antiquioribus interpretibus (*Rhab. S. Bonav. Hugo C. Lyr. Holc. Carth.* etc.) legit : *non enim iurantium est virtus.*

obiurgat; idololatras enim temere quidem peierare ait, quia ob idolorum imbecillitatem se impunitos fore confidant, vanam autem hanc esse eorum spem, siquidem duplicis criminis, idololatriae ac fidei laesae, poenas sint luituri (*vv.* 29-31).

Mentione dignum est S. Paulum, quem librum nostrum cognitum habuisse ad eumque saepius respexisse haud semel iam adnotavimus, etiam hunc locum aperte esse imitatum. Apostolus enim, similiter ac Sapiens, a causis idololatriae expositis (*Rom.* 1,18-23) immediate ad morum corruptionem adumbrandam transit ex illa exortam (ibid. 1,24-32); ac similiter quoque prius in turpia quaedam crimina invehitur cum ritibus idololatricis arctius connexa (*vv.* 24-27), ut reliqua deinde quasi globo quodam coacervet (*vv.* 28-32). Multo autem clarius, quam Sapiens, Apostolus intimum nexum idololatriae et corruptionis morum explicat, quum Deum illos, qui creaturae potius quam Creatori servire malint Sibique cultum debitum praestare recusent, uberioribus gratiis negatis in passiones ignominiae et in reprobam mentem, quae bono maloque distinguendo non amplius sit idonea, tradidisse doceat (cfr meum Comm. in Rom. pag. 91 sqq.).

Itaque auctor, ut ad novam pericopen de tristibus sequelis idololatriae transeat, duobus illis exemplis, quibus stultam idolorum originem antea explicavit, recapitulatis primum quam damnosus ille fuerit error monet : 21. *Et haec fuit vitae humanae deceptio*, vel ad graecum accuratius *Et hoc factum est vitae* (i. e. viventibus) *insidiae* seu causa lapsus ac ruinae, *Quoniam* (i. e. quod, dass) *aut affectui aut regibus* (graece : aut calamitati aut tyrannidi) *deservientes homines incommunicabile nomen lapidibus et lignis imposuerunt*. Pronomen τοῦτο (*hoc*) hic optime ad enuntiationem, quae coniunctione ὅτι (*quod*) inchoatur, utpote ad suam explicationem refertur : « hoc scil. quod homines nomen divinum simulacris lapideis et ligneis imposuerunt, eis factum est ἔνεδρον », quatenus eis nimirum causa facta est errandi etiam in ceteris, quae ad veram Dei scientiam spectant. Ad singularia deinde quod attinet, nomen βίος hoc in loco non proprio suo sensu *vitae*, sed (similiter ac 10,8) metonymico *societatis viventium* usurpatum est. Συμφορά porro (Vulg. *affectus*) valet i. q. *casus*, *eventus*, et plerumque in malam partem *calamitas*, *infortunium*. Dubium non est, quin auctor hoc nomine ad praematuram mortem filii respiciat, cuius imaginem pater insano suo luctu velut idolum colere voluit (cfr *v.* 15), uti altero nomine τυραννίδος ad exemplum civium respexit, qui adulationis causa simulacrum regis absentis adorare coeperunt (*v.* 17). Iuniores deinde aliqui (cfr *Lap. Calm.*) dictione τὸ ἀκοινώνητον ὄνομα verbis prophetae (*Is.* 42,8) non recte explicatis in errorem inducti nomen *Iahve* designari putarunt, quamvis nullo testimonio ostendi queat ullum unquam idolum sive a Iudaeis sive ab

alia gente nomine Iahve esse appellatum. Quare cum reliquis (cfr *Ians. Schm. Gutb.* etc.) illud nomen hic vocari *incommunicabile* tenemus, quo populi generatim pro suae quisque linguae indole « eum qui est » (τὸν ὄντα) supremumque rerum « artificem » (τὸν τεχνίτην) designare solent, quem homines, dummodo sana utantur mente, non cognoscere nequeunt (cfr 13,1 ; *Rom.* 1,18 sq.) ; eiusmodi enim nomen, quum proprie unam, quae multiplicabilis non est, naturam divinam significet, creaturae aut operi manuum hominum imponere nefas est (cfr *S. Thom.* Sum. th. I. q. 13 a. 9). Attamen praeter speculativos in rebus divinis errores cultus idolorum etiam in vita et moribus practicas sequelas easque gravissimas post se trahit : 22. *Et non suffecerat* (graece *deinde non suffecit*) *errasse eos circa Dei scientiam, Sed et viventes in magno inscientiae* (ἀγνοίας *ignorantiae*) *bello Tot et tanta mala* (τὰ τοσαῦτα κακά melius : *tanta ista mala*) *pacem appellant.* Apte auctor, ut perversas illas sequelas usque ad suam aetatem inter idololatras permansisse significet, in secundo membro formam praesentis temporis adhibet (προσαγορεύουσι), quamvis prioris membri aoristus (οὐκ ἤρκεσε) praeteritum postulare videatur. Duos autem practicos idololatriae effectus notat, quod nimirum non tantummodo vivant in magna morum corruptione (quae hic tropice *magnum ignorantiae bellum* i. e. bellum ex ignorantia veri Dei exortum appellatur), sed etiam diversitate inter bonum et malum aut ignorata aut repudiata tantam illam nequitiam pravitatemque approbare et laudare non vereantur. Similiter S. Paulus ad nostrum locum probabiliter respiciens ethnicos accusat, quod non tantum ipsi illa, quae morte aeterna sint digna, faciant sed etiam illa facientibus plausum dent (*Rom.* 1,32 cfr Comm. in Rom. p. 106 sqq.). Multi quidem « magnum bellum » hic aut rebellionem interpretantur, qua idololatrae opera manuum suarum Deo praeferentes contra Deum insurgant, aut pugnam, quam peccatores contra Dei creaturas (secundum 5,21) sustinere debeant, aut dissidia, quibus inter se de idolorum suorum principatu et praestantia litigent etc. ; verum Sapiens, quid metaphorica sua dictione intelligi velit, satis aperte declarat, quum eam immediate postea verbis *tanta ista mala* explicans animos legentium ad morum corruptionem convertat, quam ad nostram sententiam tum exponendam tum confirmandam iam describere incipit.

23. *Aut enim filios suos sacrificantes aut obscura sacrificia facientes Aut insaniae plenas vigilias habentes* (vel ad primigenium textum accuratius : *sive enim initiationes infanticidales sive clandestina mysteria sive vesanas mirorum rituum commessationes agentes*) 24. *Neque vitam neque nuptias mundas iam custodiunt, Sed alius alium* (ἕτερος

ὁ ἕτερον proprie : *sed alter alterum*) *per invidiam occidit* (lege *aut insidians occidit* ἢ λοχῶν ἀναιρεῖ) *aut adulterans contristat* (ὀδυνᾷ proprie : *vehementi dolore afficit*). Ex ipso iam idolorum cultu illud « magnum ignorantiae bellum » cernitur. Latinus interpres prioris membri sensum generatim quidem attigit, singulas tamen locutiones parum recte expressit. Nam τελεταί proprie initialia seu initiationes valet omnesque ceremonias ritusque ac sacrificia quoque complectitur, quibus aliquis certis mysteris initiabatur (cfr ad *v.* 15 et 12, 4, p. 434); num Sapiens autem de illis mysteriis hoc loco cogitaverit, quae apud antiquos Chananaeos in usu fuisse retulit (12,3 sqq.), an potius de similibus, quae sua aetate ab aliis gentibus peragebantur, non satis liquet; certum est Poenos, Chananaeorum posteros, usque ad 2 saec. p. Chr. Baali pueros immolasse. Deinde κρύφια μυστήρια non sunt *occulta sacrificia,* sed illa « clandestina, lucifuga et nocturna Veneris, Bacchi, Priapi, Cybeles etc., quae plena erant libidinibus et obscoenitatibus ideoque in occultis, umbrosis vel subterraneis locis, saepe etiam noctu tantum, agebantur » (*Lap.*); adiectivo κρύφια (*obscura* vel clandestina) igitur turpiora mysteria distinguuntur a minus turpibus, quae ipsa quoque arcanis vocibus symbolicisque ritibus constabant. Nomine κῶμοι demum, quod hic *vigiliae* sed aliis S. S. locis *comessationes* vel potius *comissationes* (a comissari i. q. κωμάζειν) vertitur (cfr 2 *Mach.* 6,4; *Rom.* 13,3; *Gal.* 5,21; 1 *Petr.* 4,3), auctor non tam epulas compotationesque multam in noctem protractas designat, quam (similiter ac profani scriptores) nocturnas pompas bacchanales ebriorum lascivorumque hominum, qui post copiosa epula in Bacchi vel alius numinis honorem cum taedis instrumentisque musicis temulenta agmina per plateas ducunt (cfr *Gr.* Lex. in N. T.). Ad quarum pomparum indolem illustrandam apposite ea afferuntur, quae *Livius* (l. 39,8) de bacchanalibus romanis tradit : « Venena indidem et caedes, ita ut ne corpora quidem ad sepulturam exstarent; multa dolo, pleraque per vim audebantur; occulebat vim, quod prae ululationibus tympanorumque et cymbalorum strepitu nulla vox quiritantium inter *stupra et caedes* exaudiri poterat. » Merito igitur Sapiens comissationes illas vocat *vesanas* (ἐμμανεῖς) utpote hominum furentium et rabidorum. Difficultatem quandam appositio ἐξ ἄλλων vel ἐξάλλων θεσμῶν creat, quam *Vulg.* haud recte praetermisit. Qui priorem scriptionem praeferunt, aut illos κώμους aliis ritibus atque τελετάς et μυστήρια esse celebratos explicant (*Gr.*) aut aliis i. e. peregrinis legibus stabilitos esse (*Brmstr.*); verum prior explicatio satis esset otiosa, siquidem suos quaeque sollemnitas habere solet ritus proprios; altera autem contextui non accommodaretur, quia auctor non

de certi populi cultu sed de universa idololatria loquitur. Cum plerisque ergo malumus scribere ἐξάλλων (cfr *Nann. Ians.* etc. *Gutb.* etc.); adiectivum ἔξαλλος autem hic non *diversus* (uti *Esth.* 3,8) sed *mirabilis* seu *mirus* (uti *Dan.* 11,36) valere censemus (cfr etiam 3 *Mach.* 4,4 ταῖς ἐξάλλαις τιμωρίαις miris seu inauditis poenis), ita ut comissationum ritus *portentosi* dicantur.

Quibus criminibus cum ipso cultu idolorum connexis Sapiens multa alia adiungit vitia, quibus tota idololatrarum vita inficitur et foedatur : 25. *Et omnia commista sunt,* vel potius ad graecum textum : πάντα δ' ἐπιμιξ ἔχει lege : *omnia autem promiscue occupata tenent sanguis* [et] *homicidium, furtum et fictio* (melius : *fraus*), *Corruptio et infidelitas* (melius : *corruptela, perfidia*), *turbatio* (τάραχος melius hic tropice : *violentia,* quae causa est tumultuum), *periurium*, *Tumultus bonorum* (θόρυβος ἀγαθῶν potius : *vexatio bonorum* sc. hominum), 26. *Dei immemoratio* (ad communem lectionem cfr *VV. LL.* : χάριτος ἀμνηστία lege : *beneficii oblivio*), *Animarum inquinatio, nativitatis* (γενέσεως hic melius : *generis*) *immutatio*, *Nuptiarum inconstantia* (ἀταξία potius : *inordinatio* seu *confusio*), *inordinatio moechiae et impudicitiae* (nomine *inordinatio* praetermisso cfr *VV. LL.* ad graecum textum : μοιχεία καὶ ἀσέλγεια lege : *moechia et luxuria*). Omnia idololatrarum vitia recensere aut singula ad artis regulas accurate disponere Sapiens non magis curavit quam postea S. Paulus in sua ethnicorum morum descriptione (*Rom.* 1,28-31) aut in suo « operum carnis » catalogo (*Gal.* 2,18-21); illa potissimum, quae sua aetate ubique increbuisse conspexit, probabiliter elegit et ad certas classes redegit. A criminibus enim contra proximi vitam exorsus, quae duobus nominibus (αἷμα καὶ φόνος) complectitur, ad crimina contra externa proximi bona statim transit. Praeter *furtum* autem et *fraudem* nominat φθοράν, qua appellatione hic non, uti supra *v.* 12, corrupti mores, sed *corruptelae* designantur, « quae tum in iudiciis, tum in contractibus et commerciis etc. » fiunt (*Vatabl.*), quibusque alter iuribus aut rebus suis evertitur, ἀπιστίαν i. e. fidei violationem seu *perfidiam,* τάραχον, quo nomine hic *violentam* laesionem iurium proximi intelligi censemus, ἐπιορκίαν i. e. *periurium,* in quod infra *v.* 30 sq. acriter invehitur. Quae sequitur locutio θόρυβος ἀγαθῶν a nonnullis, qui genetivum hic neutri generis esse arbitrantur, perturbatio et *confusio rerum bonarum* i. e. opum reique familiaris explicatur et velut complementum praecedentibus membris addi dicitur; sed rectius alii genetivum pro masculino habent eoque *vexationem bonorum hominum* ita designatam vident, ut praecedentia crimina quasi recapitulentur. Postquam deinde *ingratitudinem* (χάριτος ἀμνηστίαν beneficii oblivionem) notavit, carnis vitia recenset,

ψυχῶν μιασμόν i. e. *animarum inquinationem,* quae nefariis cogitationibus et desideriis efficitur, γενέσεως ἐναλλαγήν i. e. *generis immutationem,* in quam Apostolus *Rom.* 1,26. 27) indignabundus magna cum acerbitate invehitur, γάμων ἀταξίαν *nuptiarum confusionem,* « quum scilicet infidelis uxorem repudiat et aliam aliamque pro lubitu ducit, aut uxores suas aliis viris concedunt, uti fecit Cato, aut suas uxores cum uxoribus aliorum permutant aliisque modis similibus » (*Lap.*); quae omnia duobus ultimis nominibus comprehenduntur, μοιχεία καὶ ἀσέλγεια, *adulterium et luxuria* aut si mavis fornicatio.

Omnia autem haec crimina ex idololatria exoriri auctor generali sententia veluti axiomate quodam probat ad illa respiciens, quae *v.* 12 iam monuit : 27. *Infandorum* (ἀνωνύμων) *enim idolorum cultura* (seu cultus θρησκεία) *Omnis mali causa est et initium* (vel potius ordine inverso cum graeco textu : *initium est et causa*) *et finis* (πέρας). Idola ἀνώνυμα vocantur, aut quia ratione deitatis plane nihil sunt (1 *Cor.* 8,4; *Gal.* 4,8) neque habent, unde nomen trahant utpote omni virtute et vita et sensu destituta, ita ut *sine nomine* (בְּלִי שֵׁם cfr *Iob* 30,8) i. e. nihil sint, aut rectius cum *Vulg.* secundum communiorem graeci adiectivi significationem, quia sine nomine i. e. sine honore sunt ac proinde velut turpia et infamia non sunt digna, quae nominentur (*infanda*); revera Iudaei nomina illa, quibus simulacra ab ethnicis appellabantur, pronuntiare religioni sibi duxerunt (cfr *Exod.* 23,13). Porro idololatria *omnis mali initium* (παντὸς ἀρχὴ κακοῦ) est, quia per eam tota hominis malitia primum ac potissimum sese manifestat. Etenim secundum Sapientem (13,1 sqq.) et Apostolum (*Rom.* 1,18 sq.) homines, quum verum Deum, quem ignorare non potuerunt, propter suam iniustitiam neque agnoverunt neque glorificarunt, in eam mentis caecitatem et stultitiam sunt delapsi, ut aeterni Dei gloriam cum hominis perituri brutique animalis simulacris commutarent manuumque suarum operibus cultum soli Deo debitum exhiberent. Propter hoc primum crimen deinde Deus pro sua iustitia gratiis uberioribus efficacioribusque, sine quarum auxilio eos peccata non esse evitaturos praevidit, subtractis aut denegatis eos in omnis generis scelera ruere sivit; unde merito idololatria etiam *causa omnis mali* habetur, quod inter idololatras conspicitur. Unde sua sponte colligitur, idololatriam esse *omnis mali finem* (πέρας) i. e. ultimum et extremum malitiae gradum seu eius consummationem et perfectionem. Similiter *Tert.* (de idol. 1) ad nostram sententiam probabiliter alludens eam vocat « *principale* crimen generis humani, *summum* saeculi reatum, *totam* causam iudicii »; « nam etsi, inquit, suam speciem tenet unumquodque delictum et suo quoque nomine iudicio destinatur, in idololatriae tamen

crimine expungitur » (i. e. notatur) vel uti paullo post habet « omnia (scelera) in idololatria deprehenduntur et in omnibus (deprehenditur) idololatria ». A quibus non multum recedit *Lap.*, si cum *Carth.* « omnia mala ex idololatria oriri ac vicissim in illa terminare et desinere » dicit. Multi quidem cum *S. Thom.* (Sum. theol. 2,2, qu. 92, a. 4 ad 1) *finem* hic idem esse quod scopum vel potius consilium atque idololatriam omnis mali finem appellari arbitrantur, « quatenus aliqua peccata assumebantur in cultum idolorum »; verum hanc explicationem graecum nomen πέρας non admittit. Aliquid miri habet, quod auctor sententiam suam generalem quam tamquam axioma a priore certum adhibuit, ut universam morum ethnicorum perversitatem, quam *vv.* 23-26 adumbravit, ex idololatria exortam esse probaret, iisdem pessimis moribus nunc recapitulatis, uti recte *Gutb.* annotat, quodammodo a posteriore confirmat : 28. *Aut enim, dum laetantur, insaniunt, aut certo* (dele hoc adverbium cfr VV. *LL.*) *vaticinantur falsa, Aut vivunt iniuste, aut peierant cito* (potius : *facile* ταχέως). Dubitari vix potest, quin Sapiens suo εὐφραινόμενοι μεμήνασι (*laetantes vesaniunt*) vesanas (ἐμμανεῖς) bacchantum comissationes suoque προφητεύουσι ψευδῆ *vaticinantur fallacia* superstitiosas hariolationes divinationesque cum puerorum immolationibus aliisque turpium mysteriorum ritibus connexas, quas *vv.* 23,24 notavit, legentibus in memoriam revocare voluerit. Unde iure concludere nobis videmur, eum similiter suo *vivunt iniuste* reliqua crimina ethica *vv.* 25, 26 recensita comprehendisse. Cui explicationi non obstat, quod quarto membro addito (*perierant facile*) unum separatim nominet, siquidem addito illo viam sibi paravit, ut periurii crimen sua aetate latissime inter ethnicos diffusum acrius impugnaret ac simul unam ex causis indicaret, quibus idololatria facta est fertilissima vitiorum mater.

Illa quippe aetate inter ethnicos eruditiores plurimi erant, qui ne popularium invidiam in se concitarent, sacris publicis quidem intererant idolisque externum cultum exhibebant, quamvis ea nihil esse nisi inanima simulacra, quibus nihil competeret divinae virtutis, persuasum haberent neque proinde quidquam ab eis sibi mali timerent. Eiusmodi autem homines animo auctoris obversati sunt in hac periurorum increpatione, quae suo modo ad alia ethnicorum crimina recte extenditur : 29. *Dum enim confidunt in idolis, quae sine anima sunt, Male iurantes noceri se non sperant,* vel ad graecum textum accuratius et clarius : *inanimis enim confisi idolis si male iurant, se damnum non esse passuros* ἀδικηθῆναι *expectant.* Impios istos « idolis confidere » catachrestice dici clarum est, quatenus nimirum, quum falsos istos deos velut testes invocant, se eis fiduciam habere simulant. Verbum

ἀδικεῖν, quod proprie valet *iniuriam inferre,* hic uti saepe apud profanos ac sacros scriptores (cfr *Luc.* 10,19; *Apoc.* 6,6; 7,2 sq. etc.) latiore nocendi seu damnum inferendi significatione adhibitum est. Recentiores quidem unus alterve (*Blois*, p. 406 sq. *Siegfr.*) propria significatione retenta explicare malunt : periuri isti idolis iniuriam se intulisse non putant (« ils croient n'avoir commis aucune injustice envers les idoles » *Blois*, l. c.); attamen quamvis sententiam ita explicari posse non negaverim, non video rationem, qua a tradita et communi explicatione recedere cogamur. Quum enim monent auctorem, si de futuro damno periuris imminente loqui voluisset, pro infinitivo aoristi (ἀδικηθῆναι) infinitivum futuri adhibere debuisse, non meminerunt Graecos frequenter verba sperandi ut alia quaedam cum inf. aoristi loco infinitivi fut. construere atque hanc constructionem in iuniore Graecismo esse communem (cfr *Win.* Gr. p. 310 sqq.; *Bl.* Gr. p. 157). Ceterum nova haec explicatio in nostra quasi continetur seu supponitur; cfr *Lap.* : « idololatrae ideo facile peierant ruuntque in quaevis scelera, quia non timent sua idola utpote inanima, quae iniuriam sibi periurio aliisque sceleribus illatam non sentiunt ideoque ulcisci nequeunt » (cfr *Bar.* 6,34).

Vanam vero hanc eorum fore spem minitatur, siquidem utriusque criminis, idololatriae et laesae fidei poenas sint luituri : 30. *Utraque ergo illis evenient digne,* vel potius ad graecum textum : ἀμφότερα δὲ αὐτοὺς μετελεύσεται τὰ δίκαια lege : *propter utraque* (sc. crimina) *autem eos persequentur dignae poenae, Quoniam male senserunt de Deo attendentes idolis Et iuraverunt iniuste in dolo contemnentes iustitiam* (melius : *sanctitatem*). Parum recte Vulg. primum sententiae membrum reddidit, non attendens verbum μετέρχεσθαι, si persequendi significatione sumitur, duplicem admittere accusativum, scil. personae, quam quis persequitur, et criminis, propter quod eam persequitur (cfr *Eurip.* Orest. 423 : ὡς ταχὺ μετῆλθον σ' αἷμα ματέρος θεαί sc. Ἐρινύες : « quam cito persecutae sunt *te propter matris caedem* deae » sc. Furiae. Quam constructionem hic quoque habemus, ita ut ἀμφότερα (*utraque* sc. crimina) et αὐτούς (illos sc. qui per idola peierant) a verbo μετελεύσεται (persequentur) pendeant, atque dictio τὰ δίκαια (proprie : illa quae iuste debentur, hic ergo *iustae poenae*) sit verbi subiectum, id quod articulus quoque praefixus docet. Quae autem sint duo crimina, duobus membris parallelis explicatur : praeprimis *male senserunt de Deo* (κακῶς ἐφρόνησαν περὶ Θεοῦ) i. e. improbo dolosoque animo sibi falsam Dei notionem formarunt (cfr ad 1,1), quum *per idola iurantes* operibus manuum suarum theoretice et practice id attribuerent, quod solius Dei veri est, ut nimirum supremus sit et infallibilis testis

veritatis; deinde *periurarunt*, quum iniusto ac malo dolo contemnerent *sanctitatem* (ὁσιότητος) i. e. sancta Dei praecepta, quae cordibus suis habent inscripta quibusque fidem laedere prohibentur. Utriusque igitur criminis debitas poenas dabunt atque vehementur errant, si ob idolorum, quae inanima recte dicunt, imbecillitatem sibi impunitatem promittunt; 31. *Non enim iuratorum* (τῶν ὀμνυμένων) *virtus sed peccantium poena* (δίκη) *Perambulat* (ἐπεξέρχεται lege : *persequitur*) *semper iniustorum praevaricationem*. Nomine τῶν ὀμνυμένων ut latino *iuratorum* idola designantur, per quae aliquis iurat (cfr Ζεὺς ὀμνύμενος Aristoph. Nub. 1241; numina iurata *Ovid.* ep. 2,25); illa utique, quum omni vita et virtute careant, periuros punire nequeunt, sed poena a vero Deo peccantibus statuta semper persequitur impiorum delictum usque dum illud vindicaverit. Egregie *S. Aug.* (serm. 180,13), ut fideles, qui per idolum falsa iurantes se non peierare arbitrabantur, a gravissimo hoc errore revocet, « non te, inquit, audit lapis loquentem, sed punit te Deus fallentem ».

4) Quanto felicior status Israelitarum, quos Deus ab isto simulacrorum cultu servavit immunes (15,1-6).

15,1. Tu autem, Deus noster, suavis et verus es, Patiens et in misericordia disponens omnia. 2. Etenim si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam : Et si non peccaverimus, scimus quoniam apud te sumus computati. 3. Nosse enim te consummata iustitia est, Et scire iustitiam et virtutem tuam radix est immortalitatis. 4. Non enim in errorem induxit nos hominum malae artis excogitatio, Nec umbra picturae, labor sine fructu, Effigies sculpta per varios colores, 5. Cuius aspectus insensato dat concupiscentiam, Et diligit mortuae imaginis effigiem sine anima. 6. Malorum amatores digni sunt qui spem habeant in talibus, Et qui faciunt illos et qui diligunt et qui colunt.

15,1. Σὺ δὲ ὁ Θεὸς ἡμῶν χρηστὸς καὶ ἀληθὴς, Μακρόθυμος καὶ ἐν ἐλέει διοικῶν τὰ πάντα. 2. Καὶ γὰρ ἐὰν ἁμάρτωμεν, σοί ἐσμεν, εἰδότες σου τὸ κράτος· Οὐχ ἁμαρτησόμεθα δὲ, εἰδότες, ὅτι σοὶ λελογίσμεθα. 3. Τὸ γὰρ ἐπίστασθαί σε ὁλόκληρος δικαιοσύνη, Καὶ εἰδέναι τὸ κράτος σου ῥίζα ἀθανασίας. 4. Οὔτε γὰρ ἐπλάνησεν ἡμᾶς ἀνθρώπων κακότεχνος ἐπίνοια, Οὐδὲ σκιαγράφων πόνος ἄκαρπος, Εἴδος σπιλωθὲν χρώμασι διηλλαγμένοις· 5. Ὧν ὄψις ἄφροσιν εἰς ὄνειδος ἔρχεται, Ποθεῖ τε νεκρᾶς εἰκόνος εἶδος ἄπνουν. 6. Κακῶν ἐρασταὶ ἄξιοί τε τοιούτων ἐλπίδων, Καὶ οἱ ὁρῶντες καὶ οἱ ποθοῦντες καὶ οἱ σεβόμενοι[1].

1. *VV. LL.* — 1. ἐν ἐλέει διοικῶν B^2 multique minusc. et *Vulg.*; ἐλέει διοικῶν (misericordiâ disponens) B A C. aliique : nihil interest; minus apte ℵ habet καὶ ἐλεήμων διοικῶν. — 2. οὐχ ἁμαρτησόμεθα δὲ εἰδότες (non peccabimus autem scientes) B^2 ℵ A C. et minusc. omnes, It. (cfr *S. Aug.* de fide et opp. 22,41) *Copt. Arm. Shex.* Parum apte *Vulg.* cum *Ps. Aug.* (Soliloquia 24) hoc membrum priori conformavit : *et si non peccaverimus, scimus* etc. — 4. Pro σκιαγράφων πόνος ἄκαρπος (pictorum labor inutilis)

Turpibus autem perversisque idololatrarum moribus consideratis Sapiens sese continere non iam potest, quin clementiam misericordiamque Dei praedicet, qui filios Israel in vera fide conservaverit, qua vitam aeternam sint consecuturi (*vv.* 1-3); neque permiserit, ut falsorum deorum illecebris irretiti cum ethnicis spem suam in idolis ponentes pereant (*vv.* 4-6).

1. *Tu autem, Deus noster, suavis* (χρηστός) *et verus es, Patiens* (μακρόθυμος potius : *longanimis*) *et in misericordia disponens omnia.* Suo *tu autem* (σὺ δέ) auctor verum Deum non tantum idolis sed omnibus falsis diis opponit, quorum cultus totam illam, quam modo descripsit, morum perversitatem invexit. Studiose autem eum vocat *Deum nostrum*, utpote qui populum Israel prae aliis omnibus nationibus sibi in peculium elegerit (*Exod.* 19,5) secumque arctius coniunxerit. Ad Moysis deinde verba (*Exod.* 34,6), ut videtur, respiciens eius celebrat *benignitatem* (χρηστός cfr *Rom.* 2,4 τὸ χρηστὸν τοῦ Θεοῦ « benignitas Dei »), qua peccatores ad poenitentiam adducit, eius *veracitatem* i. e. fidelitatem (ἀληθής) qua omnibus suis stat promissis, eius patientiam vel potius *longanimitatem* (μακρόθυμος) qua peccatores non statim punit, sed quasi dissimulatis eorum peccatis interim tolerat ac patienter eorum poenitentiam exspectat, universam demum eius *misericordiam* (ἔλεος), qua omnia regens ac disponens etiam suorum miseratur, si eos punire cogitur (cfr 11,10 sq. 24 sqq.). Cur vero haec Dei attributa hoc in loco celebret, statim explicat : 2. *Etenim* (καὶ γάρ ad 12,3 hic melius : *nam etiam*) *si peccaverimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam* (σοῦ τὸ κράτος proprie cum *S. Aug.* de fide et opp. 22,41 : *tuam potentiam* s. *virtutem*); *Et si non peccaverimus, scimus* (ad graecum textum testatiorem cfr *VV. LL.* : εὐχ ἁμαρτησόμεθα δὲ εἰδότες

Vulg. legit : σκιὰ γραφῶν πόνος ἄκαρπος *umbra picturae labor sine fructu*); similiter interpres dictionem εἴδος σπιλωθέν (imago picta) non recte expressit suo : effigies sculpta. — 5. ἄφροσιν B C. 23 et multi minusc. *Syr. Arm. Copt.;* rectius singul. ἄφρονι cum ℵ A multisque minusc. *Vulg. Shex. Ar. Aeth.;* sequitur enim verbum sing. ποθεῖ. — Porro pro εἰς ὄνειδος (in opprobrium) quod B cum uno alterove minusc. exhibet, aptius legi videtur εἰς ὄρεξιν (in concupiscentiam) cum ℵ A C 23, multis minusc., *Vulg. Syr. Arm. Copt. Shex. Ath.* — 6. κακῶν ἐρασταὶ ἄξιοί τε τοιούτων ἐλπίδων (malorum amatores *et* digni qui tales habeant spes) est communis lectio, quam etiam optimus *Vulg.* codex *Amiat.* cum nonnullis aliis retinet. Librarii autem quidam sive ex negligentia sive ex corrigendi libidine copulam *et* praetermiserunt eiusque loco verbum *sunt* suppleverunt; unde factum est, ut antiquiores latini interpretes (*Hugo C. Lyran. Carth.*) qui sententiam non esse completam arbitrati sunt, scribendum duxerint : *morte digni sunt*, quam lectionem *Vulg. Sixt.* quoque adoptavit, *Vulg. Clem.* autem improbavit.

lege cum *S. Aug.* l. c. : *non peccabimus autem, scientes*) *quoniam apud te sumus computati* (vel potius ad graecum : ὅτι σοὶ λελογίσμεθα proprie : *quoniam in rationes tuas relati* i. e. *tuum peculium* seu *tui sumus*). Prioris membri nexum causalem (per γάρ *enim*) cum praecedente sententia *Gutb.* hac ratione bene declarat : « benignitas et fidelitas et misericordia Dei erga Israelitas ex eo cognoscitur, quod eos etiam si peccaverint non deleat uti ethnicos, sed semper tamquam peculium suum conservet, quatenus potentiae suae cognitione eos non ad desperationem venire permittit, sed ad poenitentiam agendam adducit ». Revera foederis, quod cum eis pepigit, semper memor eos etiam, quum peccassent, non reiecit, sed promissis suis stans pro misericordia sua eos ipsis poenis, quas eis infligere coactus est, sicut pater filios erudivit ac probavit (cfr ad 11,10 sq.). Vulgatae interpres nomen κράτος, quod alibi latino *virtus* recte vertit (cfr 11,22 [21]; 15,3) hic *magnitudinem* ideo probabiliter interpretatus est, ut omnia attributa, quae *v.* 1 recensita sunt, comprehenderet; quae interpretatio satis quidem apta est; quoniam tamen auctor potissimum de misericordia agit, cum *S. Aug.* propriam significationem *potentiae* seu *virtutis* melius retinebimus ad ea respicientes, quae antea inculcavit, potentiam divinam fundamentum ac radicem esse divinae misericordiae (cfr 11,24 sqq.; 12,16). Accommodate *S. Aug.* (l. c.) Sapientis dictum verbis Apostoli (1 *Ioan.* 2,1) illustrat : « haec scripsi vobis, ut non peccetis, sed si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum, et ipse est exoratio (ἱλασμός cum *Vulg.* melius : *propitiatio*) pro peccatis nostris »; his quippe verbis, uti recte addit S. Doctor, Apostolus « non id agit, ut cum securitate peccemus, sed ut recedentes a peccato, si quod admissum est, propter illum advocatum, quem non habent infideles, minime de indulgentia desperemus ». Qua prioris membri explicatione supposita Sapiens altero membro secundum graecam lectionem, quam etiam latinum interpretem secutum esse testimonio S. Augustini constat, statim fiduciam suam exprimit, futurum esse, ut populus Israel, quamvis sese utpote Dei peculium, si peccaverit, misericordem iudicem habere sciat, non peccet (*non peccabimus autem*) idque ideo, quia sciat se Dei esse (*scientes quod tui sumus*) i. e. se ipsa sua electione tot divinis miraculis et beneficiis comprobata obligatum esse, ut ab omni peccato sese abstinens divinorum praeceptorum custodia et impletione sanctus fiat (cfr *Levit.* 11,44 sq.; 19,2; 20,7 sq.).

Latina secundi membri lectio (*si non peccaverimus, scimus, quoniam apud te sumus computati*) procul dubio librario debetur, qui alterum stichum priori conformandum duxit. Antiquiores interpretes, qui eam sequuntur, plerique duos modos inter se

opponi arbitrantur, quibus quis ad Deum pertineat, uti *Lap.* cum *Est. Castro* etc. : « si peccemus, tui sumus per potentiam, quia in manus iustitiae tuae potentis incurrimus; si non peccemus, tui sumus per gratiam et adoptionem; sive ergo peccemus, sive non peccemus, tui sumus »; at oppositionem hanc non ex verbis auctoris desumi, sed in illa ingeri clarum est, quum eadem plane notio tum dictione *tui sumus* (σοί ἐσμεν) tum dictione *apud te sumus computati* (σοὶ λελογίσμεθα) exprimantur. Neque nobis probatur, quod *Gutb.* (qui tamen aeque atque *Est. Castro* etc. graecam lectionem pro genuina habet) secundo latino membro significari putat, nos si non peccamus *magis* ad Deum pertinere; nam ne id quidem verbis latinis exprimitur.

Fiduciam, qua populum suum non amplius peccaturum asseveravit, temerariam non esse, sed solido fundamento niti, auctor axiomate illo allato probat, quod in priore libri parte satis explanavit : 3. *Nosse enim te consummata* (ὁλόκληρος *integra* seu *perfecta* cfr 1 *Mach.* 4,47; 1 *Thess.* 5,23; *Iac.* 1,4) *iustitia est, Et scire iustitiam et virtutem tuam* (ad graecum solummodo lege : *et scire virtutem tuam*) *radix est immortalitatis.* Ex tota libri doctrina clare elucet, cognitionem Dei virtutisque illius, quae perfecta iustitia sit ac vitam aeternam producat, non esse sterilem illam, quae in contemplatione tantum versatur, sed actuosam illam, qua homo ad Deum amandum eiusque praecepta adimplenda impellitur (cfr ad 1,1). Haud igitur immerito multi interpretes ad nostram sententiam illustrandam Domini verba afferunt : « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum » (*Ioan.* 17,3). Ante oculos autem Sapiens verisimiliter dictum illud Dei apud *Ierem.* 9,24 habuit : « In hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, qui facio misericordiam et iudicium et iustitiam. » In altero sticho aliqui *virtutem* (τὸ κράτος) Dei de sola potentia divina, qua peccatores punit, intelligere volunt (cfr *Gr.*); sed nulla est ratio, cur dictionem non eodem sensu sumamus, qua in sententia praecedente; immo vero latior hic sensus retineatur oportet, siquidem potentia, qua Deus punit, si sola consideratur, timorem servilem ingenerat, qui radix immortalitatis non potest vocari.

Populum Israel autem eiusmodi practica Dei virtutisque eius scientia imbutum fuisse Sapiens etiam ex illius historia confirmat : 4. *Non* (οὔτε *neque*) *enim in errorem induxit nos hominum malae artis* (κακότεχνος *maligna* seu *insidiosa* cfr 1,4) *excogitatio, Nec umbra picturae* (σκιαγράφων cfr VV. *LL.* lege ergo : *nec pictorum*) *labor sine fructu* (ἄκαρπος i. e. perniciosus cfr *Eph.* 5,11), *Effigies sculpta* (σπιλωθέν potius *tincta*) *per varios colores,* 5. *Cuius* (ad graecum : *quorum* sc. colorum) *aspectus insensato dat concupiscentiam* (proprie : *cedit in concupiscentiam*) *Et diligit* (ποθεῖ *cupit*) *mortuae imaginis effigiem sine anima* (inanimam ἄπνουν). Pronomine ἡμᾶς auctorem non inte-

grum populum sed eius partem aliquam designare satis patet. Neque enim auctor ignorare potuit, quam propensi semper ad idola colenda filii Israel fuissent et quoties inde ab eorum exitu ex Aegypto usque ad babylonicum exilium atque etiam postea magnus eorum numerus Domino Deo suo relicto idolis vicinarum gentium sese dedisset; verum iis ipsis quoque temporibus, quibus integer populus ad idololatriam defecisse videbatur, nonnulla eius pars in lege sua permanens genua sua non incurvavit ante Baal aliaque idola (cfr ex. gr. 3 *Reg.* 19,10-18 et *Rom.* 11,1 sqq.). Suo *nos* ergo Sapiens verum Israel designat, i. e. illos Israelitas, quos Deus omni tempore in populo suo electo habuit adoratores. Eodem scilicet dicendi genere utitur, quo prophetae, qui frequenter toti Israeli salutem promittere videntur, aliis autem in locis solas « reliquias » (seu « electos ») salutem adepturas esse docent (cfr *Rom.* 9-11); tota autem priore libri parte ac praecipue c. 2 satis clare tradit, etiam sua aetate plurimos fuisse Israelitas, qui a practica veri Dei ac potentiae illius scientia longissime aberrarent. Primo suo membro (κακότεχνος ἐπίνοια *malitiosa* seu *insidiosa adinventio*) aperte ad 14,12 respexit, ubi *excogitationem idolorum* (ἐπίνοιαν εἰδώλων) initium dixit fornicationis illius effrenatae ac publicae, quae totum ethnicorum cultum tantopere foedavit; unde quo cum iure eam hic appellet κακότεχνον apparet. Latinus in secundo membro pro genetivo σκιαγράφων (*pictorum*) ut editor *Complut.* male legit σκιὰ γραφῶν (*umbra picturarum*), quae lectio aptum sensum vix praebet, lectio vero graeca tam plana et obvia est, ut vix non ab omnibus praeferatur (cfr *Lap.* etc.). Praeterea interpres in tertio membro erravit, quum σπιλωθέν latino *sculpta* redderet; verbum σπιλοῦν autem semper valet *maculare* seu fingere, atque verisimile est, auctorem hoc verbum elegisse, ut aversionem suam ab idolo coloribus illito clarius manifestaret (cfr 13,14). Eiusmodi quippe idola affabre facta et coloribus exornata reliquis perniciosiora esse Sapiens denuo (cfr 14,19 sq.) docet, ob aliam tamen hic rationem; namque *eorum aspectus insensatos homines ad concupiscentiam invitat*, i. e. venerem insipientium libidinem adeo accendit, ut mortuae imaginis inanimam effigiem, rem igitur, quae plane nihil est, velut vivam amatoris affectu prosequantur et ab ea usum veneris petant. Cuius nefarii facinoris exempla varia ex antiquis scriptoribus ethnicis (*Philosteph. Posidipp.* etc.) *Clem. Alex.* (adhort. ad *Gent.* 4), *Arnob.* (adv. gent. VI, 12) aliique nobis conservarunt. Egregie autem *Les.* ad h. l. annotat : « Pour nous, si chrétiens que nous soyons, les peintures et les sculptures qui portent le réalisme jusqu'à la réalité, n'ont rien perdu de leur danger, et la réserve en pareille matière ne saurait excéder ».

lure demum ex sua dissertatione de perniciosis idololatriae effectibus auctor colligit, quid de idololatris ipsis sit sentiendum : 6. *Malorum amatores digni sunt, qui spem habeant in talibus* vel potius ad graecum textum cum *Amiat.* et aliis quibusdam codd. Vulg. : *Malorum amatores et digni, qui spem habeant in talibus* (ad literam : dignique talibus spebus scil. sunt), *Et qui faciunt illos* (melius : illa sc. idola) *et qui diligunt et qui colunt.* Secundum hodiernam *Vulg.*, quae copulae *et* inter *amatores* et *digni* verbum *sunt* substituit, idololatria significaretur esse poena criminum antea patratorum. Secundum graecam vero lectionem subiectum sententiae altero eius sticho « qui faciunt idola et qui amant et qui colunt ea » exprimitur ac priore « malorum amatores dignique talibus spebus » eius praedicatum, ita ut idololatrae omnes, qui quocumque modo partem quandam in idololatria propaganda aut exercenda habent, vocentur *amatores malorum* i. e. amasii malitiae (cfr ad 8,2 ἐραστὴς τῆς σοφίας) *et digni, qui in idolis spem suam ponant.* Qua ultima dictione auctor ad initium huius sectionis (de pretiosorum idolorum cultu 13,10) respicit, ubi eos, qui opera manuum hominum deos appellant, infelices esse ac spem suam in mortuis ponere docuit. Apte igitur hac sententia totam sectionem secundam terminat, at simul quoque orationem traducit ad tertiam sectionem, quae est de infimo et abiectissimo idololatriae genere.

3. — *De luteorum figmentorum et animalium cultu stulto ac funesto* (15,7-19).

15,7. Sed et figulus mollem terram premens laboriose Fingit ad usus nostros unumquodque vas, Et de eodem luto fingit Quae munda sunt in usum vasa, Et similiter quae his sunt contraria : Horum autem vasorum quis sit usus, iudex est figulus. 8. Et cum labore vano deum fingit de eodem luto ille, Qui paulo ante de terra factus fuerat, Et post pusillum reducit se unde acceptus est, Repetitus animae debitum quam habebat. 9. Sed cura est illi, non quia laboraturus est, Nec quoniam brevis illi vita est, Sed concertatur aurificibus et argentariis; Sed et aerarios imitatur, Et gloriam praefert, quoniam res supervacuas fingit. 10. Cinis est enim cor eius, et terra supervacua spes illius, Et luto vilior vita eius, 11. Quoniam ignoravit

15,7. Καὶ γὰρ κεραμεὺς ἁπαλὴν γῆν θλίβων ἐπίμοχθον Πλάσσει πρὸς ὑπηρεσίαν ἡμῶν (ἕν) ἕκαστον, Ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ πηλοῦ ἀνεπλάσατο Τά τε τῶν καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη, Τά τε ἐναντία πάνθ' ὁμοίως, Τούτων δὲ ἑκατέρου τίς ἑκάστου ἐστὶν ἡ χρῆσις, κριτὴς ὁ πηλουργός. 8. Καὶ κακόμοχθος θεὸν μάταιον ἐκ τοῦ αὐτοῦ πλάσσει πηλοῦ, Ὃς πρὸ μικροῦ ἐκ γῆς γεννηθεὶς Μετ' ὀλίγον πορεύεται ἐξ ἧς ἐλήφθη, Τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέος. 9. Ἀλλ' ἔστιν αὐτῷ φροντὶς οὐχ ὅτι μέλλει κάμνειν, Οὐδ' ὅτι βραχυτελῆ βίον ἔχει, Ἀλλ' ἀντερείδεται μὲν χρυσουργοῖς καὶ ἀργυροχόοις, Χαλκοπλάστας τε μιμεῖται, Καὶ δόξαν ἡγεῖται, ὅτι κίβδηλα πλάσσει. 10. Σποδὸς ἡ καρδία αὐτοῦ καὶ γῆς εὐτελεστέρα ἡ ἐλπὶς αὐτοῦ, Πηλοῦ τε ἀτιμότερος ὁ βίος αὐτοῦ. 11. Ὅτι ἠγνόησε τὸν πλάσαντα αὐτὸν, Καὶ τὸν ἐμπνεύσαντα αὐτῷ

qui se finxit, Et qui inspiravit illi animam quae operatur, Et qui insufflavit ei spiritum vitalem. 12. Sed et aestimaverunt lusum esse vitam nostram, Et conversationem vitae compositam ad lucrum, Et oportere undecunque etiam ex malo acquirere. 13. Hic enim scit se super omnes delinquere, Qui ex terrae materia fragilia vasa et sculptilia fingit. 14. Omnes enim insipientes et infelices supra modum animae superbi, Sunt inimici populi tui et imperantes illi; 15. Quoniam omnia idola nationum deos aestimaverunt, Quibus neque oculorum usus est ad videndum, Neque nares ad percipiendum spiritum, neque aures ad audiendum, Neque digiti manuum ad tractandum, Sed et pedes eorum pigri ad ambulandum; 16. Homo enim fecit illos, Et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos. Nemo enim sibi similem homo poterit deum fingere. 17. Cum enim sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis. Melior enim est ipse his quos colit, Quia ipse quidem vixit, cum esset mortalis, illi autem nunquam. 18. Sed et animalia miserrima coluntur : Insensata enim comparata his, illis sunt deteriora. 19. Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona potest conspicere. Effugerunt autem Dei laudem et benedictionem eius.

ψυχὴν ἐνεργοῦσαν, Καὶ ἐμφυσήσαντα πνεῦμα ζωτικόν. 12. Ἀλλ' ἐλογίσαντο παίγνιον εἶναι τὴν ζωὴν ἡμῶν, Καὶ τὸν βίον πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ· Δεῖν γάρ φησιν ὅθεν δὴ κἂν ἐκ κακοῦ πορίζειν. 13. Οὗτος γὰρ παρὰ πάντας οἶδεν ὅτι ἁμαρτάνει, Ὕλης γεώδους εὔθραυστα σκεύη καὶ γλυπτὰ δημιουργῶν. 14. Πάντες δὲ ἀφρονέστατοι καὶ τάλανες ὑπὲρ ψυχὴν νηπίου, Οἱ ἐχθροὶ τοῦ λαοῦ σου καταδυναστεύσαντες αὐτόν. 15. Ὅτι καὶ πάντα εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἐλογίσαντο θεούς, Οἷς οὔτε ὀμμάτων χρῆσις εἰς ὅρασιν, Οὔτε ῥῖνες εἰς συνολκὴν ἀέρος, Οὔτε ὦτα ἀκούειν, Οὔτε δάκτυλοι χειρῶν εἰς ψηλάφησιν, Καὶ οἱ πόδες αὐτῶν ἀργοὶ πρὸς ἐπίβασιν. 16. Ἄνθρωπος γὰρ ἐποίησεν αὐτούς, Καὶ τὸ πνεῦμα δεδανεισμένος ἔπλασεν αὐτούς, Οὐδεὶς γὰρ αὑτῷ ὅμοιον ἄνθρωπος ἰσχύει πλάσαι θεόν. 17. Θνητὸς δὲ ὢν νεκρὸν ἐργάζεται χερσὶν ἀνόμοις. Κρείττων γάρ ἐστι τῶν σεβασμάτων αὐτοῦ, Ὧν αὐτὸς μὲν ἔζησεν, ἐκεῖνα δὲ οὐδέποτε. 18. Καὶ τὰ ζῶα δὲ τὰ ἔχθιστα σέβονται, Ἄνοια γὰρ συγκρινόμενα τῶν ἄλλων ἐστὶ χείρονα. 19. Οὐδ' ὅσον ἐπιποθῆσαι ὡς ἐν ζώων ὄψει καλὰ τυγχάνει, Ἐκπέφευγε δὲ καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἔπαινον καὶ τὴν εὐλογίαν αὐτοῦ [1].

1. *VV. LL.* — 7. ἕκαστον B 23 aliqui minusc.; ἓν ἕκ. ℵ A C multi minusc. — Nil refert, utrum legatur ἑκατέρου (—ων) — ἑκάστου A B C, an ἑτέρου (—ων) — ἑκάστου ℵ 23. — 8. θεὸν μάταιον : Vulg. omittit adiect. — 10. Particula *enim* solum in textu lat. habetur. — γῆς εὐτελεστέρα *terrâ vilior : Vulg. Arm.* haud recte *terra supervacua* (in casu nomin.). — 11. τὸν πλάσαντα B ℵ 23, etc. *Vulg. Syr. Arm.*; minus significanter τὸν ποιήσαντα A C, *Ar.* — 12. ἐλογίσαντο B^1 ℵ AC 23, verss.; — ἴσατο B $ℵ^1$ melius, quia ante et post de solo figulo (φησιν omnes praeter A C cum nonnullis minusc., *Arm. Shex. Aeth.*) — 17. πάντες δὲ ἀφρονέστατοι B ℵ 23, minusc. *Vulg. Syr. Arm. Ar.* (ita optime); πάντων δὲ ἀ. A C, pauci minusc.; πάντως δὲ ἀ. aliqui minusc., *Shex.* — τάλανες ὑπὲρ ψυχὴν νηπίου B ℵ 23, plerique minusc.; minus apte τ. ὑ. ψυχὰς νηπίων A C, aliqui minusc.; *Vulg.* mire : « infelices supra modum animae superbi ». — καταδυναστεύσαντες B^1 ℵ C, aliqui minusc.; rectius οἱ κ. B $ℵ^2$ 23; *Vulg.* male praeponit *et.* — 15. ὅτι καὶ πάντα B ℵ 23, aliqui minusc., *Shex.*; melius ὅτι πάντα C A, plerique minusc., *Vulg. Syr. Arm.* — 16. Textus graecus cum *Vulg.* consonat (αὑτῷ vel, ut alii scribunt, αὐτῷ in contextu non differunt); aliorum textuum differentias nihil attinet enumerare. — 17. θνητὸς δὲ ὤν; *Vulg.* male : cum *enim* sit mortalis. — τῶν σεβασμάτων αὐτοῦ, ὧν αὐτὸς μέν κτλ. Haec lectio, quam B cum plerisque exhibet

Tertio igitur in loco Sapiens ad infimum idololatriae genus transiens abiectorum illorum simulacrorum, quae ex vili materia ab indocto opifice confecta plane nihil quo se commendarent habebant, atque brutorum foedorumque animalium cultum exagitat. A labore autem describendo figuli exorditur, qui ex eodem luto, ex quo vasa qualiacunque, etiam idola operose fingit non pietate, verum ambitione et avaritia impulsus (*vv.* 7-13); deinde idola ipsa, quae ne membris quidem suis uti queant, homine a quo formantur, longe inferiora et viliora esse monet (*vv.* 14-17); demum in animalium cultum, cuius stultitiam supra (12,24 sqq.) iam omnes quasi limites transgressam esse monuerat, velut in stupiditatis culmen acriter invehitur (*vv.* 18-19), atque hac increpatione ad thema suum revertens infelicissimam idololatrarum istorum sortem cum felici statu Israelitarum, adoratorum veri Dei, sequenti paragrapho comparare pergit.

In praecedentis sectionis principio (13,11-16 auctor lignei cuiusdam simulacri fabricationem Isaiam (44,12-20) imitatus acerbe iam irrisit, ut universi cultus idololatrici stultitiam illustraret; at iste lignator non consulto neque data opera idolum sibi confecerat, verum duro labore fatigatus, ut quietis tempus tereret, truncum nodosum neque ad quidquam utilem manu rudi artisque imperita sculpens incertam quandam imaginem quasi casu et fortuito formaverat, quam deinde coloribus illitam pro sua stupiditate velut deum colere coepit. Plane diversum autem est exemplum, quod nunc affert, ut non solam stupiditatem, sed etiam impietatem illorum, qui eiusmodi idola prudentes scientesque fabricant, demonstrans eos iure inter idololatras primo in loco (*v.* 6. οἱ ῥῶντες) esse nominatos confirmet; 7. *Sed et* (lege *etenim*) *figulus mollem terram premens laboriose Fingit ad usus nostros unumquodque vas; Et de eodem luto fingit quae munda sunt in usum vasa Et similiter quae his sunt contraria* (ad graecum *sed ex eodem luto formare solet* [aor. gnom.] *et vasa, quae mundis usibus inserviant, et contraria* [i. e. quae contrariis, ergo immundis, usibus inserviant], *omnia eodem modo*); *Horum autem vasorum quis sit usus* (ad graecum melius : *horum autem utrorumque quis uniuscuiusque sit usus*), *iudex est figulus*, qui nimirum ipsa forma, qua fingit singula, suum cuique assignat usum. Apostolus nostram sententiam, una tamen cum *Is.* 45,9, ante oculos verisimiliter habet, ubi figuli similitudine supremum dominium ac libertatem perfectam Dei Crea-

aptum sensum non gignit; quare cum ℵ legendum est : τῶν σεβασμάτων, ἀνθ' ὧν αὐτὸς μέν κτλ. cfr *Comm.* — 18. De varia huius *v.* lectione cfr *Comm.*

toris et Gubernatoris asserens hominem absurde et impie agere docet, quoties divinae providentiae ordinem in iudicium vocare et iniustitiae arguere audet (*Rom.* 9,20 sq.; cfr Comm. in Rom. p. 509 sqq.). Sapiens vero hac sententia figulo ipsi plenam attribuens libertatem, ut pro arbitrio ex eadem massa vasa tum mundis tum immundis usibus destinata fingat, etiam eius arbitrio relictum esse insinuat, ut ex eodem luto vasa impiissimo usui destinata i. e. idola conficiat, utique summo suo cum damno. Hinc per καί consecutivum (i. q. *et ita*) pergit : 8. *Et* (ita) *cum labore vano deum fingit de eodem luto* (ad graecum : *et ita male laborem suum impendens deum vanum ex eodem fingit luto*) *ille, Qui paulo ante de terra factus fuerat, Et post pusillum reducit se* (i. e. *abit* sc. in eandem terram), *unde acceptus est* (melius : *ex qua sumptus est* cfr *Gen.* 3,15), *repetitus animae debitum quam habebat* (clarius : *quum repetitum fuerit debitum animae ab eo*). Anima quippe velut depositum vel debitum quoddam consideratur, quod creditori repetenti restituatur oportet (cfr *v.* 16 τὸ πνεῦμα δεδανεισμένος qui spiritum mutuo accepit sc. a Deo; *Luc.* 12,20 « hac nocte animam repetunt a te ») ; quibus ex verbis *S. Ambr.* (de bono mortis 10,43) haud male animae immortalitatem colligit : « Numquid dixit : morietur in te anima tua? Non, sed reposcetur a te. Quae data est, reposcitur vel repetunt a te; repetitur enim anima, non interimitur. Quae repetitur, manet, quae interimitur, non manet; quomodo enim interimitur, de qua dixit Sapientia Dei (*Matth.* 10,28) non esse timendum quemquam, qui potest corpus occidere, animam autem non potest? »

Itaque non minus stultus quam impius dicendus est figulus, qui etsi ex terra desumtus in eamque mox rediturus ne sibi ipsi quidem vitam dederit aut conservare queat, nihilominus sese ex eadem vili massa deum quendam immortalem fingere posse opinatur. At praeter impiam hanc stultitiam, quam ipse parvi pendit neque curat, alia quoque vitia in eo notari merentur : 9. *Sed cura est illi, non quia laboraturus est* (οὐχ ὅτι μέλλει κάμνειν hic melius : *non quod vita defuncturus est*), *Nec quoniam* (potius *quod*) *brevis illi vita est, Sed concertatur* (melius : *concertat*) *aurificibus et argentariis, Sed et* (cum Graecis omisso *sed* lege nudum *et*) *aerarios imitatur Et gloriam praefert* (ad graecum : *et gloriam aestimat*), *quoniam* (aptius : *quod*) *res supervacuas* (κίβδηλα) *fingit.* Verbum κάμνειν proprie quidem valet *laborare* seu defatigari, translate autem aegrotare, vita defungi; atque haec altera significatio, quam interpres noster etiam supra v. 4,16) praetulit, nostro contextui procul dubio magis congruit, sive praecedens sententia sive alter, qui sequitur, stichus considerantur :

« neque enim quod moriturus sit, quando anima eius a Creatore reposcitur, neque quod brevis sit eius vita curat ». Leve in sententia adest anacoluthon, quatenus negatio sententiis secundariis inserta potius principali inseri debuit : « non autem est illi cura, quod interiturus sit... sed concertat aurificibus » etc. Pro sua ergo stultitia reliquis neglectis id praeprimis figulo curae est, ut cum germanis artificibus, qui ex materiis pretiosis eleganti manu idola conficiunt, concertans eorumque opera artificiosa imitans gloriam sibi acquirat idolis adulterinis confictis : κίβδηλα quippe i. e. *adulterina* (gefälscht) idola a figulo ficta ideo vocantur quia spumâ auri vel argenti vel colore quodam illita externam speciem idoli pretiosi prae se ferunt, quamvis non sint nisi lutea (cfr νόμισμα κίβδηλον nummus adulterinus); hanc autem imitandi artem a figulis aegyptiis valde excultam fuisse, multa eorum opera superstita docent (cfr *Wilkinson* Ancient Egyptians II. p. 148, ed. 1878 apud *Deane* i. h. l.).

Qua stulta et impia figuli ambitione quodammodo irritatus Sapiens pravum perversumque eius animum acriter increpat : 10. *Cinis est enim cor eius et terra supervacua spes illius Et luto vilior vita eius;* 11. *Quoniam ignoravit qui se finxit, Et qui inspiravit illi animam quae operatur* (ψυχὴν ἐνεργοῦσαν), *Et qui insufflavit ei spiritum vitalem.* Ex graeco : *Cinis cor eius, et terrâ* i. e. pulvere *abiectior spes eius, Et luto vilior vita eius; Nam ignorat* (aor. gnom.) *eum qui eum finxit* etc. Ad *Is.* 44,20 (sec. LXX) uti videtur respiciens *cinerem* vocat *cor* idoloplastae, quippe quod in vana captanda gloriola, quae nihil est et ad nihil valet, totum versetur; *spem eius* quoque dicit *pulvere abiectiorem*, quia id hominum genus aut nullam habet spem (3,13) aut plane inanem, utpote in mortuis quibus nulla est potentia positam (13,10), ac totam *vitam eius*, quae ad nihil ei prodest, *viliorem luto,* ex quo saltem vasa ad varios vitae usus apta fingit. Omnis autem haec perversitas radicem suam in eo habet, quod Deum Creatorem suum, quem tam facile cognoscere potuit (13,9), sua ipsius culpa ignorat. Dubium non est, quin auctor in hominis creatione describenda mosaicam relationem (*Gen.* 2,7) in mente habuerit (ἔπλασεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, χοῦν ἀπὸ τῆς γῆς, καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς· καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν) ac verisimile quoque est, eum mosaicis verbis adductum esse, ut corporis ex terra formati animationem et vivificationem duobus stichis exponeret (ἐνέπνευσε ψυχὴν ἐνεργοῦσαν, ἐνεφύσησε πνεῦμα ζωτικόν) atque hac ratione luto plane inerti et inanimo, ex quo corpus hominis formatum est (*v.* 8), fortius opponeret animam actuosam ac vivam. Cave tamen ne auctorem hic trichotomiam docere hominique duas animas, vegetativam ac sensi-

tivam rationalemque, tribuere cum nonnullis arbitreris; duo enim principia constitutiva hominis Sapiens semper distinguit, corpus et animam (cfr 1,4; 8,19 sq.; 9,15) atque nomina ψυχή et πνεῦμα per totum librum promiscue de una anima humana usurpat (cfr ex. gr. *vv.* 8 et 16; 16,14 etc.).

Attamen non ambitione tantummodo sed turpis quoque lucri studio ductus figulus vilia sua et adulterina idola finxit; quum enim sese a Deo creatum esse sua culpa ignoraret, etiam ad quem finem vita in hac terra sibi esset data et hominum convictus institutus non intelligens se a natura non esse generatum nisi ad bona huius terrae undique conquirenda ac fruenda stulte ac impie sibi persuasit. Quos practicos errores auctor errori theoretico, ex quo profluunt, ignorationi Dei Creatoris, non sine emphasi opponit : 12. *Sed et aestimaverunt* (vel secundum probabiliorem lectionem graecam : ἀλλ' ἐλογίσατο rectius : *sed aestimavit*) *lusum esse vitam nostram Et conversationem vitae compositam ad lucrum* (graecus stichus accuratius et clarius vertitur : *et humanum convictum esse mercatum quaestuosum*), *Et oportere* (graece : δεῖν γάρ φησιν, lege ergo : *oportere enim ait*) *undecumque etiam ex malo acquirere* (πορίζειν *quaestum facere* cfr πορισμός quaestus, lucrum, 13,19; 14,2). Duplicem igitur errorem Sapiens notat; ac primo quidem figulus vitam, quam hac in terra singuli vivimus (τὴν ζωὴν ἡμῶν), rem seriam esse non perspicit, cuius bono usu homines secundum Dei Creatoris voluntatem suam quisque aeternam salutem acquirere debent, verum illam velut puerorum lusum (παίγνιον) considerans puero similis vitam suam ita degit, quasi non esset generatus nisi ad ludos et iocos et bonorum huius terrae non tam usum prudentem et modestum quam fruitionem voluptariam. Neque minus graviter in convictus humani fine statuendo erravit, quum universam hominum societatem non esse diceret nisi mercatum, ad quem omnes conveniunt, ut vendendo aut emendo atque etiam fraudando et fallendo (uti figulus ipse adulterinis suis idolis) suum quisque lucrum quaerant atque hac ratione opes colligant, quibus frui possint. Nomen βίος in hoc sticho a multis quidem proprio suo sensu *vitae* velut synonymum praecedentis (ζωή) sumitur; rectius tamen illud hic (uti supra 10,8 et 14,21) metonymice convictum humanum ac societatem significare dicemus; quam interpretationem *Vulg.* sua dictione *conversatio vitae*, minus tamen clare, indicat. Neque clarius *Vulg.* alteram dictionem (πανηγυρισμὸν ἐπικερδῆ) suo *composita ad lucrum* exprimit, quamvis id quod auctor hac sententia vult, in universum satis assequatur. Etenim πανηγυρισμός est celebratio πανηγύρεως cuiusdam, πανήγυρις autem proprie dicit « totius

populi conventum sive ad publicos ludos (uti olympiacos etc.) faciendos sive ad alias sollemnitates peragendas »; quoniam autem cum ludis istis, ad quos ingens hominum multitudo confluebat, nundinae et mercatus coniungi solebant, nomina πανήγυρις et πανηγυρισμός de hisce mercatibus quoque usurpari coepta sunt. Complementi gratia demum Sapiens inter eos, qui hoc magno mundi mercatu fraude quaestum facere student, etiam figulum, utpote deorum fabricatorem, esse diserte monet, ut illud *ex malo* explicet : 13. *Hic enim scit se super omnes delinquere* vel potius, uti ad graecum : οὗτος γὰρ παρὰ πάντας οἶδεν, ὅτι ἁμαρτάνει (cfr *VV. LL.*) legatur oportet : *hic enim super omnes* (i. e. omnibus melius) *scit se delinquere Qui ex terrae materia* (ἐκ ὕλης γεώδους *ex materia terrena*) *fragilia vasa et sculptilia* (i. e. idola) *fingit*. Ad ea ergo, quae ab initio dixerat (*vv.* 7, 8) respiciens Sapiens figulum diserte accusat, quod *ex malo quaestum faciat*, quandoquidem omnibus melius scire possit ac debeat, adulterina sua idola nihil esse et ad nihil valere, utpote ex eodem vili luto atque reliqua sua vasa fragilia conficta.

Descripta figuli idoloplastae perversitate Sapiens similiter ac supra, postquam lignatoris simulacrum irrisit (13,16 sqq.), stupiditatem exagitat eorum, qui opera ab hominibus formata hominibusque longe inferiora divinis honoribus colere et ab iis auxilium sibi expetere non verentur, qui ne sua quidem ipsorum membra movere queunt: 14. *Omnes enim insipientes et infelices supra modum animae superbi Sunt inimici populi tui et imperantes illi*, 15. *Quoniam* etc. Ita quidem nostra *Vulg.*, sed parum recte; ad genuinum enim textum graecum (cfr etiam *VV. LL.*) legatur oportet : *Omnes autem sunt insipientissimi* (i. e. *perquam insipientes*) *et infelices supra animam infantis* (scilicet) *Hostes populi* tui, *tyranni eius*, 15. *Quoniam omnia idola nationum deos aestimaverunt, Quibus neque oculorum usus est ad videndum, Neque nares ad percipiendum* (potius *ad attrahendum* εἰς συνολκήν) *spiritum, neque aures ad audiendum, Neque digiti manuum ad tractandum* (seu *ad contrectandum*), *Sed et pedes eorum pigri ad ambulandum*. Utrum latinus interpres primum membrum non satis intellexerit (sicut etiam multi graeci librarii, qui pro πάντες scribere maluerunt πάντων aut πάντως cfr *VV. LL.*), an iuniores librarii eius versionem corruperint, definiri nequit. Antiquiores commentatores, quibus graecus textus ignotus erat, in dictione illa (*infelices supra modum animae superbi*) explicanda frustra operam suam posuerunt (cfr ex. gr. *Bonav. Lyr.* etc. « infelices ii qui superbiores sunt, quam anima cuiuspiam possit praesumere », aut *Carth.* « infelices qui ultra propriam conditionem et potestatem se

extollunt » etc.); iuniores autem plerique dictionem quidem istam secundum genuinam graecam magis minusve accurate exposuerunt, verum latina versione in errorem inducti constructionem sententiae non perceperunt. Neque enim animadverterunt, subiectum esse πάντες (*omnes*), quae vox duabus appositionibus (οἱ ἐχθροὶ τοῦ λαοῦ σου et οἱ καταδυναστεύσαντες αὐτόν *hostes populi tui, tyranni eius*) accuratius definitur; praedicatum vero reliquis verbis (copula εἰσίν suppleta) exprimi (εἰσὶν ἀφρονέστατοι καὶ τάλανες κτλ. *insipientissimi sunt et infelices* etc.). Sicut deinde magnus insipientiae gradus hostium Israelis superlativo vel potius elativo significatur (*insipientissimi* i. q. valde seu perquam stulti) ita summa quaedam infelicitas verbis ὑπὲρ ψυχὴν νηπίου significatur. Namque infantis anima infelix appellari meretur, quatenus in ignorantiae tenebris iacet ac facile a quolibet decipitur (cfr 12,24), quamdiu intellectiva sua potestate ob organorum imbecillitatem nondum uti potest; longe autem infeliciores sunt cuncti idololatrae, quoniam non obstante rationis usu, qua universas res visibiles earumque ordinem ac leges etc. investigant, non tantummodo adeo sunt hebetes, ut sempiternam Creatoris virtutem ac divinitatem in mundo visibili manifeste revelatam singulis quoque hominibus aeque obviam atque ad salutem consequendam necessariam non percipiant (cfr ad 13,1 sq. 9 etc.; *Rom.* 1,20), verum etiam sua insania tam longe a veritatis via aberrant, ut praeter inanimata ac vilia suarum manuum opera simul reliquarum gentium simulacra qualiacunque deos esse existiment, licet illis nihil virtutis divinae inesse ignorare nequeant; illa enim omnia ne uno quidem suo membro uti posse vident, ut Sapiens *Ps.* 113^{b} 4 sqq. et *Bar.* 6,7 sqq. imitatus non minus acerbe quam facete monet.

Restat quaestiuncula, de quibus hostibus et oppressoribus Israelis hic agatur. Nonnulli solos Aegyptios vel potius Ptolemaeos eorumque asseclas tum aegyptiacos tum graecos intelligunt. Genuina tamen graeci textus lectio (*omnes... hostes populi* cfr *VV. LL.*) omnino prohibet, quominus hanc explicationem adoptemus; ea enim vis est vocabuli πάντες in principio sententiae positi, ut illud ad unam gentem coarctare non liceat. Rectius igitur auctorem cunctas gentes idololatricas, quae populum Israel ob eius in unum verum Deum fidem ab eius exitu ex Aegypto usque ad suam aetatem impugnarunt et oppresserunt, suo πάντες comprehendisse dicemus, ita utique, ut ad Aegyptios, utpote primos et ultimos totius seriei, praecipue attenderit. Animadvertatur tamen etiam oportet, Sapientem de propria cultuum variorum permixtione nequaquam loqui; suo quippe πάντα τὰ εἴδωλα τῶν ἐθνῶν ἐλογίσαντο θεούς eam directe carpit stultitiam, qua ethnici, etiamsi solos suos quaeque gens deos nationales colere et in auxilium vocare solerent, tamen aliorum populorum idolis qualibuscumque divinitatem non negabant, sed ea pro veris deis agnoscebant atque hoc modo infinitam multitudinem deorum statuebant, qui divinitate fere aequales maxime potestate ac virtute ad certas regiones vel gentes vel res limitata inter se

simili modo quo populi ipsi inter *se* concertabant (cfr 3 *Reg.* 20,23; 4 *Reg.* 17,24 sqq.; 18,33 sqq. etc.).

Ut autem idololatrarum stultitia clarius illucescat, auctor falsos eorum deos, utpote opera manuum hominum, vi originis suae iam omni vita necessario carere homineque factore suo inferiores esse addit : 16. *Homo enim fecit illos, Et qui spiritum mutuatus est, is finxit illos; Nemo enim sibi similem homo* (vel ad graecum clarius : *nullus enim homo sibi similem*) *poterit deum fingere*. Duo argumenta hac sententia comprehenduntur, quum particula γάρ tertio sticho inserta non confirmationem praecedentium stichorum afferat, sed particulae γάρ primo in sticho positae parallela altero argumento vilitatem idolorum probet. Prius argumentum in aperto est : homo quippe spiritum vitae non ipse sibi tribuit, sed veluti mutuum quoddam a Creatore suo accepit, neque summus illius dominus est, sed Creatori reposcenti illum suo tempore reddere tenetur (cfr ad *v.* 8); fieri ergo nequit, ut homo operibus manuum suarum vitam propriumque motum tribuat; id enim solius est Dei, qui vi naturae suae plenitudinem vitae ex semetipso habet. Neque minus in aperto est alterum argumentum : idoloplastes nimirum ne id quidem efficere potest, ut idolum, quod fingit, fiat homo vivus sibi similis; ergo multo minus efficere potest, ut idolum sit deus; si enim cum idolo suam, quam habet, animam communicare non potest, multo minus ei tribuere potest deitatem. Eadem porro alio modo Sapiens exponit sequenti sententia : 17. *Quum enim* (*quum autem* δέ) *sit mortalis, mortuum fingit manibus iniquis; Melior enim est ipse his, quos colit; Quia* (cfr *VV. LL.*) *ipse quidem vixit* (*quum esset mortalis*[1]), *illi autem nunquam*. Quod argumentum *Lact.* (Divin. instit. II. 2) fuse et egregie hunc in modum explanans : « homo igitur, inquit, idolorum quasi parens putandus est, per cuius manus nata sunt, per quem speciem, figuram, pulchritudinem habere coeperunt. Et ideo melior est, qui fecit, quam illa, quae facta sunt. Et tamen factorem nemo suspicit aut veretur; quae fecit, timet, tamquam plus possit esse in opere quam in opifice. Recte igitur Seneca : simulacra, inquit, deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis stipem iaciunt, victimas caedunt; et quum haec tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt. Quid inter se tam contrarium, quam statuarium despicere, statuam adorare, et eum ne in convictum quidem admittere, qui tibi

1. Tria vocabula quae uncis inclusimus delenda sunt, quia neque in graeco textu aliisque versionibus habeant, cui respondeant, neque in antiqua Vulg. legebantar, uti ex *S. Cypr.* (Testim. III. 59) et *Firmici Materni* (de err. prof. rel. 19) apparet.

deos faciat? Quam ergo vim, quam potestatem habere possunt, quum ipse qui illa fecit non habeat? Sed ne haec quidem dare hic potuit, quae habebat : videre, audire, loqui, movere. Quisquamne igitur tam ineptus est, ut putet aliquid esse in simulacro dei, in quo ne hominis quidem quidquam est praeter umbram? »

Ad proprium demum operis sui thema reversurus Sapiens longae digressioni finem imponit brevi sed acri increpatione abominandi cultus brutorum animalium, cuius commemoratione (12,24-27) ad universae idololatriae perversitatem et stultitiam hoc loco exagitandam adductus erat. Illis enim quae continuo coram oculis suis agebantur spectatis indignabundus addit ; 18. *Sed et animalia miserrima colunt* (vel potius ad graecum textum accurate et nervose : *et vero etiam*[1] *animalia colunt, res odiosissimas*). Dictio τὰ ἔχθιστα nimirum, quum substantivo τὰ ζῶα sit postposita ab eoque coniunctionis δέ insertione separata, hic non tam velut illius attributio (*animalia odiosissima*) quam velut illius appositio sumatur oportet (*animalia, res odiosissimas*). Nam *Gutb.*, qui hunc locum egregie explanavit, optime annotat, nomine τὰ ζῶα hic universum animalium genus declarari neque recte a plerisque interpretibus sensu, ut ita dicamus, partitivo ita explicari, ut animalia ab Aegyptiis culta tamquam odiosissima a reliquis distinguantur, quae non colebantur. Etenim omnis generis animalia (utilia ac nociva, pulchra et foeda, mansueta et fera, stupida ac sagacia) ab Aegyptiis inter deos esse numerata auctor inter eos degens ignorare non potuit; si autem ex iis, quae colebantur, foediora aut perniciosiora aut stupidiora sola designare voluisset, modo quo supra (12,24), ubi de solis bestiolis ad puniendos Aegyptios a Deo adhibitis loquitur, dictione τὰ ἐν ζώοις ἔχθιστα usus esset. Animalia igitur hic prae rebus, quibus divinus honor attribuebatur, res odiosissimae dicuntur; cur vero hac ratione illis infimus et turpissimus locus assignari debeat, auctor altero sticho explicat, de cuius tamen genuina lectione et interpretatione disceptatur.

Ad graecorum codd. fidem omnes quidem hodie critici editores legendum esse consentiunt : ἀνοίᾳ γὰρ συγκρινόμενα [sc. τοῖς ἄλλοις] τῶν ἄλλων ἐστὶ χείρονα i. e. *Ad stultitiam enim quod attinet,* animalia *si* [cum aliis rebus] *comparantur, aliis his sunt inferiora.* Cui lectioni ex versionibus *Shex.* omnino, atque ex parte etiam *Syr.* et *Ar.* favent, qui tamen particula γάρ omissa nomen ἀνοίᾳ ad praecedens membrum erronee trahunt. Ab ea autem dissentiens latinus interpres videtur

1. De particularum καὶ... δέ, si eadem in sententia coniunguntur, vi augente cfr *Winer* Gr. p. 412 sq.

legisse : ἄνοια γὰρ συγκρινόμενα κτλ., quum verteret : *Insensata enim comparata his* (vel potius : *aliis*) *illis sunt deteriora;* ἄνους s. ἄνους quippe valet i. q. *insensatus* seu *brutus* (cfr *Os.* 48,11 ἄφρων καὶ ἄνους בְּסִיל וּבַעַר *stultus et brutus* instar pecoris; *Ps.* 7,11 ὡς περιστερὰ ἄνους כְּיוֹנָה פוֹתָה sicut columba stolida etc.). Quae lectio aptissimum praebet sensum, si nomine *insensatorum* seu brutorum hic totum animalium genus (similiter ac praecedente τὰ ζῶα) significari tenemus. Profecto enim animalia, licet natura sua, utpote vita proprioque motu praedita, inanimis rebus praestent, cultus tamen ratione eis inferiora vocentur oportet. Namque in idolis inanimis, quoniam falsorum deorum aut hominum celebriorum imagines habentur, veneratio sponte sua ad id refertur aut saltem referri potest, quod per ea repraesentatur, ergo ad aliquid quod perfectius homine aut saltem ei aequale putatur; animalia vero, quoniam in iis praeter eorum naturam et operationes nihil reperitur, ad quod veneratio referri possit, per se sola coluntur, ergo aliquid quod longe infra hominem est. Unde eorum cultum ipso vilissimorum simulacrorum cultu stultiorem et indigniorem esse manifestum est atque facile intelligitur, cur Sapiens indignabundus conqueratur, quod Aegyptios rebus indignissimis et odiosissimis honores divinos tribuere non pudeat. Iam vero lectio graeca, quae quum maiore auctoritate munita sit praeferri meretur, eundem sensum praebet, dummodo attendatur nomen ἀνοίᾳ hic ad idololatras vel potius ad eorum cultum esse referendum atque nomen τὰ ζῶα velut huius membri subiectum ex priore supplendum esse : *ad stultitiam* enim idololatrici cultus quod attinet, animalia *si comparantur cum aliis rebus,* quae coluntur, *aliis his sunt inferiora,* animalium ergo cultui infimum locum esse assignandum. Hanc autem explicationem omnino totius digressionis compositio ac structura postulat. In eo enim Sapiens totus est, ut universae quidem idololatriae stultitiam demonstret, singulis tamen eius speciebus eum, qui illis competit, stultitiae gradum tribuat; ab astrorum enim cultu, quem minus abiectum diserte docet, exorsus secundo loco nominat idola affabre facta et pretiosa, tertio idola lutea ac rudia, atque quarto demum ac ultimo animalia. Illud autem nunc probat, quod iam 12,24 asseruit, Aegyptios suo animalium cultu ipsos erroris ac stultitiae limites quodammodo transgressos esse.

Plerique quidem iuniores ac moderni, qui graecum textum secuti sunt, hic de animalium stupiditate agi arbitrati significari volunt « animalia ab Aegyptiis culta, si stupiditatis ratione cum aliis comparantur, quae ab eis non colebantur, hisce esse inferiora i. e. stupidiora » (cfr *Castro, Lorin. Lap. Calm. Les.* etc. — *Grot. Bois, Siegfr.*). Verum haec explicatio auctorem id ignorasse supponit, quod eum ignorare non potuisse iam monuimus, scilicet Aegyptios praeter animalia quaedam stupidiora

(uti crocodilos) etiam alia haud pauca coluisse, quae non cultis erant callidiora et sagaciora (uti serpentes, canes etc.). Quam difficultatem ut effugiant, aliqui moderni (*Bois, Siegfr.*) auctorem de una alterave tantummodo specie animalium cogitasse ac locutum esse volunt; at hoc effugium non minus erroneum quam arbitrarium est; sententia enim, uti ad priorem stichum ostendimus, universalis est, atque tantum abest, ut eam ad solum crocodili cultum restringere liceat, ut simili modo, quo priores sectiones de omnium astrorum et omnium idolorum, hanc de omnium animalium cultu intelligere debeamus. De antiquiorum interpretum explicationibus cfr *Lap.*

Stultissimum autem et abiectissimum esse animalium cultum Sapiens ex eo confirmat, quod bruta etiam pulchritudine careant, qua idola affabre facta homines alliciant (cfr 14,20; 15,5), et insuper divina laude et benedictione sint privata : 19. *Sed nec aspectu aliquis ex his animalibus bona* (καλά i. e. *pulchra*) *potest conspicere* (cum optimo Vulg. cod. *Amiat.* lege : *concupiscere*); *effugerunt autem* (cum textu graeco adde : *etiam*) *Dei laudem et benedictionem eius.* Prius membrum graecum (οὐδ' ὅσον ἐπιποθῆσαι ὡς ἐν ζώων ὄψει καλὰ τυγχάνει), quod latinus interpres non nisi incomplete et satis vage expressit, hoc modo construendum et vertendum est : οὐδὲ τυγχάνει καλὰ (ὄντα) ὅσον (i. g. ἐπὶ τοσοῦτο ὥστε) ἐπιποθῆσαι ὡς ἐν ζώων ὄψει *: neque contingit, ut sint adeo pulchra, ut concupiscantur, quatenus id animalium respectu* (ἐν ὄψει i. q. ἐν συγκρίσει cfr 7,8 sq.) *fieri potest.* Acerba cum ironia auctor ad nefarium illud crimen, quod *v.* 5 notavit, alludere videtur, ut animalium cultores eandem ac pulchrorum simulacrorum adoratores excusationem stultitiae suae habere neget. Illud ὡς ἐν ζώων ὄψει plerique moderni comparative sumunt (« ut concupiscantur, sicut id in aliorum animalium aspectu fieri potest »), sed parum recte, quia in toto hoc loco nullum habetur vestigium comparationis inter animalia, quae colebantur et non colebantur. Similiter alterum membrum multi explicant ad maledictionem provocantes, qua Deus serpentem, quae Evam seduxit, laude et benedictione sua privavit (cfr *Osor. Ians. Sa.* etc. — *Gr. Siegfr. Zöckl.* etc.); sed de solo serpente hic non agi patet. Melius quidem alii sententiam illam afferunt, qua Deus post et propter protoparentum peccatum toti terrae maledixit (*Gen.* 3,17 sqq.); minus tamen haec quoque explicatio nobis probatur, quia sola tetra foedaque animalia ab Aegyptiis culta esse supponit, auctor autem optime scivit eos etiam pulchrioribus quibusdam divinum honorem tribuisse. Itaque sententiam hanc ad eam doctrinam censemus esse exponendam, quam Sapiens antea (14,7. 8) tradidit, Deum nimirum creaturis omnibus benedicere, quibus homines ea ratione, qua Deus vult, et ad eum finem, quem manifestavit, utun-

tur, omnibus vero maledicere, quae contra divinam voluntatem ad finem malum, quem Deus abhorret, atque potissimum ad idololatriam adhibentur; omnia igitur animalia, quumprimum divinis honoribus coluntur, eo ipso Dei laude et benedictione privantur. Quem in sensum haud male iam *Lorin.* « animalia, inquit, ab Aegyptiis culta effugerunt Dei laudem et benedictionem, quum ipsamet sibi Dei laudem usurparent, quae eis delata est ab illis, qui mutaverunt gloriam Dei in similitudinem imaginis non tantum corruptibilis hominis, sed et volucrum et quadrupedum et serpentum » (*Rom.* 1,23) [1].

§ 7. — *Novis exemplis ex historia exitus Israelitarum desumtis excellentia sapientiae explanatur* (16,1-19,20).

Auctor ad abominandum animalium cultum, cuius foeditas (12, 24 sqq.) ei ansam praebuerat de universae idololatriae perversitate disserendi, ultimis duabus sententiis (15,18 sq.) reversus apte iam argumentum operis sui resumit sapientiaeque virtutem ac praestantiam, quam ex historia exitus Israelitarum ex Aegypto explanare coeperat (10,15-12,27), aliis exemplis illustrare pergit. Quae quamvis ex eadem historia sint desumta, nequaquam tamen, uti moderni acatholici (*Gr. Zöckl. Siegfr.*) asserunt, priorum sunt molesta quaedam taediique plena repetitio et explicatio, sed prioribus confirmandis et expoliendis inserviunt neque tantum poetica quadam cum licentia, immo audacia proponuntur et exornantur, sed etiam non minore cum subtilitate quam pietate ita examinantur et perpenduntur, ut minutissima quaeque istis in eventibus a Deo ad populum suum erudiendum et consolandum ordinata esse appareat. Deum quippe eiusdem generis res, quibus velut totidem flagellis Aegyptios voluntati suae resistentes

1. Expositio auctoris haec mihi videtur a simplici verborum sensu recedere. Ego textum graecum malim ita vertere atque interpretari : 18. *Et vero etiam ea animalia quae sunt odiosissima* (sive active = in hominem infensissima, ferocissima, sive passive = ea quae homo maxime odisse atque abominari solet) *colunt : Brutalitate* (ἀνοίᾳ) *enim comparata* cum aliis, illa odiosissima quae venerantur animalia *sunt aliis deteriora*; 19. *Nec pulchra sunt* (οὐδὲ καλὰ τυγχάνει sc. ὄντα), *ita ut aliquis* propter eorum venustatem ad ea alliciatur seu *ea adamet, uti* saepe fieri solet *in aspectu animalium; Verum* (*effugerunt* ἐκπέφευγεν i. e.) *expertia facta sunt laudis Dei et benedictionis eius.* Culmen igitur insaniae idololatrarum Sapiens videt in eo quod ne ab eorum quidem brutorum religioso cultu abhorrent quae homini maxime horrori esse solent (ut serpentium, crocodilorum); itaque ne eae quidem bestiae, quae, cum aliis quae etiam coluntur animalibus comparata, sunt longe brutiores, suis cultoribus carent. Hic cultus est maxime abominabilis, quia in eo prorsus abest ea species excusationis quam aliquis forte habere potest, si colit animal venustum (cfr 13, 3 sqq.); coluntur enim vel ea animalia quae sunt tam foeda ut laus et benedictio Dei iis fere nulla collata esse videatur, vel ea quibus maledictio Dei inflicta est (Gen. 3,14), qua fiebant ceteris horribiliora. — *Editor.*

gravissime cruciavit, Israelitis sibi obtemperantibus in prosperitatem ac salutem vertisse, Sapiens nonnullis plagis accuratius explanatis ostendit chronologico utique ordine plagarum beneficiorumque non observato. A muscis enim locustisque ac ranis exorsus — 1 animalia Aegyptiis cultoribus suis in perniciem cessisse, Israelitis vero amica et salutaria fuisse declarat (16,1-15); deinde — 2 coelum in Aegyptios fulmina et grandines effudisse, Israelitis autem manna, cibum angelorum, pluisse (16,16-28); — 3 Aegyptios horrendis tenebris esse cruciatos, Israelitas in luce degisse et in deserto columnam ignis ducem itineris habuisse (17,1-18,4); — 4 angelum exterminatorem cunctos Aegyptiorum primogenitos interemisse, Israelitis autem impiis deletis reliquo populo parcere debuisse (18,5-25). Demum — 5 admirabili populi israelitici transitu per mare Rubrum, Aegyptiorum autem eodem in mari interitu horrendo adumbratis auctor eos propter suam crudelem hospitum oppressionem iuste punitos esse sorte Sodomitarum comparata demonstrat (19,1-16). In *epilogo* autem eam quae ex toto hoc tractatu elucet quamque aliquoties iam indicavit, doctrinam repetit : Deum nimirum pro supremo suo rerum dominio suaque sapientia iisdem uti rebus ad impiorum crimina vindicanda et piorum merita remuneranda (19,18-20). Unde praeter epilogum quinque habemus huius paragraphi sectiones.

1. — *Animalia Aegyptiis funesta et perniciosa, Israelitis amica et salutaria* (16,1-15).

16,1. Propter haec et per his similia passi sunt digne tormenta, Et per multitudinem bestiarum exterminati sunt. 2. Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, Quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, Escam parans eis ortygometram, 3. Ut illi quidem concupiscentes escam Propter ea, quae illis ostensa et missa sunt, Etiam a necessaria concupiscentia averterentur. Hi autem in brevi inopes facti, Novam gustaverunt escam. 4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem; His autem tantum ostendere, quemadmodum inimici eorum exterminabantur. 5. Etenim cum illis supervenit saeva bestiarum ira, Morsibus perversorum colubrorum exterminaban-

16,1. Διὰ τοῦτο δι' ὁμοίων ἐκολάσθησαν ἀξίως, Καὶ διὰ πλήθους κνωδάλων ἐβασανίσθησαν, 2. Ἀνθ' ἧς κολάσεως εὐεργετήσας τὸν λαόν σου, Εἰς ἐπιθυμίαν ὀρέξεως ξένην γεῦσιν, Τροφὴν ἡτοίμασας ὀρτυγομήτραν, 3. Ἵνα ἐκεῖνοι μὲν ἐπιθυμοῦντες τροφὴν Διὰ τὴν δειχθεῖσαν τῶν ἐπαπεσταλμένων Καὶ τὴν ἀναγκαίαν ὄρεξιν ἀποστρέφωνται, Αὐτοὶ δὲ ἐπ' ὀλίγον ἐνδεεῖς γενόμενοι Καὶ ξένης μετάσχωσιν γεύσεως. 4. Ἔδει γὰρ ἐκείνοις μὲν ἀπαραίτητον ἔνδειαν ἐπελθεῖν τυραννοῦσι, Τούτοις δὲ μόνον δειχθῆναι πῶς οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν ἐβασανίζοντο. 5. Καὶ γὰρ ὅτε αὐτοῖς δεινὸς ἐπῆλθε θηρίων θυμὸς, Δήγμασί τε σκολιῶν διεφθείροντο ὄφεων, Οὐ μέχρι τέλους ἔμεινεν ἡ ὀργή σου. 6. Εἰς νουθεσίαν δὲ πρὸς ὀλίγον ἐταράχθησαν, Σύμβολον ἔχοντες σωτηρίας, εἰς ἀνάμνησιν ἐντολῆς νόμου σου. 7. Ὁ

tur. 6. Sed non in perpetuum ira tua permansit, Sed ad correptionem in brevi turbati sunt, Signum habentes salutis ad commemorationem mandati legis tuae. 7. Qui enim conversus est, non per hoc. quod videbat, sanabatur, Sed per te omnium salvatorem : 8. In hoc autem ostendisti inimicis nostris, Quia tu es, qui liberas ab omni malo. 9. Illos enim locustarum et muscarum occiderunt morsus, Et non est inventa sanitas animae illorum, Quia digni erant ab huiuscemodi exterminari. 10. Filios autem tuos nec draconum venenatorum vicerunt dentes : Misericordia enim tua adveniens sanabat illos. 11. In memoria enim sermonum tuorum examinabantur, Et velociter salvabantur, Ne, in altam incidentes oblivionem, Non possent tuo uti adiutorio. 12. Etenim neque herba neque malagma sanavit eos, Sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. 13. Tu es enim, Domine, qui vitae et mortis habes potestatem, Et deducis ad portas mortis et reducis : 14. Homo autem occidit quidem per malitiam, Et cum exierit spiritus, non revertetur Nec revocabit animam quae recepta est : 15. Sed tuam manum effugere impossibile est.

γὰρ ἐπιστραφεὶς οὐ διὰ τὸ θεωρούμενον ἐσώζετο, Ἀλλὰ διὰ σὲ τὸν πάντων σωτῆρα. 8. Καὶ ἐν τούτῳ δὲ ἔπεισας τοὺς ἐχθροὺς ἡμῶν, Ὅτι σὺ εἶ ὁ ῥυόμενος ἐκ παντὸς κακοῦ. 9. Οὓς μὲν γὰρ ἀκρίδων καὶ μυιῶν ἀπέκτεινε δήγματα, Καὶ οὐχ εὑρέθη ἴαμα τῇ ψυχῇ αὐτῶν, Ὅτι ἄξιοι ἦσαν ὑπὸ τοιούτων κολασθῆναι. 10. Τοὺς δὲ υἱούς σου οὐδὲ ἰοβόλων δρακόντων ἐνίκησαν ὀδόντες, Τὸ ἔλεος γάρ σου ἀντιπαρῆλθεν καὶ ἴασατο αὐτούς. 11. Εἰς γὰρ ὑπόμνησιν τῶν λογίων σου ἐνεκεντρίζοντο, Καὶ ὀξέως διεσώζοντο, Ἵνα μὴ εἰς βαθεῖαν ἐμπεσόντες λήθην Ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας. 12. Καὶ γὰρ οὔτε βοτάνη οὔτε μάλαγμα ἐθεράπευσεν αὐτούς, Ἀλλὰ ὁ σὸς Κύριε λόγος ὁ πάντα ἰώμενος. 13. Σὺ γὰρ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις, Καὶ κατάγεις εἰς πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις. 14. Ἄνθρωπος δὲ ἀποκτέννει μὲν τῇ κακίᾳ αὐτοῦ, Ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα οὐκ ἀναστρέφει, Οὐδὲ ἀναλύει ψυχὴν παραληφθεῖσαν, 15. Τὴν δὲ σὴν χεῖρα φυγεῖν ἀδύνατόν ἐστιν[1].

1. *VV. LL.* — 16,1. διὰ τοῦτο δι' ὁμοίων (*propter hoc* per his similia) est codd. graec. et verss. et *Vulg. Sixt.* communis lectio ; *Vulg. Clem.* copulam *et* inserit : *propter haec et per his similia.* — 2. εἰς ἐπιθυμίαν (in concupiscentiam) B ℵ 23, aliqui minusc., *Arm.* ; sed οἷς εἰς ἐπιθυμίαν (quibus in concupiscentiam) A complur. minusc., *Vulg. Aeth.* ; quae lectio, si praefertur, in sticho praecedente pro partic. εὐεργετήσας legatur oportet 2. pers. sing. εὐεργέτησας, ut ℵ quoque habet verbum finit. εὐεργέτησεν. — 3. Pro accus. τροφήν (*escam*) ℵ 23 et minusc. quidam habent genet. τροφῆς, sensu non mutato. — διὰ τὴν δειχθεῖσαν (propter ostensam sc. escam) B ℵ A, haud pauci minusc., forte etiam 23 (δεχθῆσαν) ; ex verss. *Vulg. Syr. Copt. Arm.* ; at διὰ τὴν εἰδέχθειαν (propter foeditatem) cum sat multis minusc. et vers. *Shex.* Priorem lectionem utpote maiore testium auctoritate munitam recte *Sw.* recepit ; alteram explicatu faciliorem receperunt edit. *Sixt. Tisch. Deane* ; cfr *Comm.* — αὐτοὶ δέ (ipsi autem) B 23. *Shex.* ; rectius : οὗτοι δέ (hi autem) ℵ A C, multi minusc. *Vulg. Syr. Copt. Arm.* — 5. δήγμασί τε (morsibusque) : sola *Vulg.* particulam τε perperam omisit ; similiter *Vulg.* in principio sui *v.* 6 particulam advers. *sed* posuit, quam cum omnibus codd. graecis reliquae quoque verss. ignorant. — 6. σύμβολον ἔχοντες σωτηρίας (*signum habentes salutis*) B et nonnulli minusc., *Vulg.* ; minus recte σύμβουλον ἔχοντες σωτηρίας (consiliarium habentes salutis) ℵ A 23 aliqui minusc., edd. *Ald.*

Sapiens illis, quae de Aegyptiis animalium cultoribus per vilia animalia ex talionis lege cruciatis antea fusius retulit (11,15 sqq.; 12, 24 sqq.), una sententia recapitulatis (*v.* 1) hac in sectione duo exponit beneficia similiter per animalia Israelitis divinitus collata. Statim enim ab eorum peregrinationis initio Deus, antequam eos manna nutrire coepisset, esurientibus coturnices misit, quibus satiarentur (*vv.* 2-4). Versus finem autem, quum nova generatio, quae summa miracula per Moysen in Aegypto et in exitus principio patrata non viderat, etiam murmurare coepisset, serpentes quidem misit, quorum morsibus multi interfecti sunt; simul tamen in medio populo serpentem aëneum erigi iussit, cuius pio aspectu ii, qui a serpentibus morsi erant, sanarentur. Quem eventum auctor primum paucis sententiis in universum proponit (*vv.* 5-8), atque uberius deinde explanat (*vv.* 9-15), ut clarius omnibus innotescat, hanc calamitatem nequaquam severi iudicis poenam, sed admonitionem benigni patris ac proinde verum beneficium fuisse.

Argumentationem suam dissertatione de omnimoda idololatriae pravitate interruptam auctor ita resumit, ut antea dicta paucis comprehendat et cum digressionis fine arcte connectat : 1. *Propter haec* (διὰ τοῦτο scil. propter abominandam foeditatem cultus animalium modo [15,18 sq.] commemoratam) *et per his similia* (coniunctione *et* deleta cfr *VV. LL.* ad graec. δι' ὁμοίων lege : *per similia* i. e. uti ex altero membro apparet : *animalia* cultis similia) *passi sunt digne tormenta* (seu *merito castigati sunt* ἀξίως ἐκολάσθησαν), *Et per multitudinem bestiarum exterminati sunt,* vel potius ex graeco : *et per multitudinem vilium cruciati sunt.* Namque verbum βασανίζειν (a nomine βάσανος de quo cfr ad 3,1) non exterminandi seu interimendi, sed proprio sensu probandi et explorandi, translato autem cruciandi et torquendi vim habet (cfr 12,23); nomine κνωδάλων autem, de cuius significatione ad 11,16 (15) diximus, auctor se de iisdem, de quibus antea, vilium bestiolarum (ranarum, muscarum, locustarum) plagis loqui indicat, quae cruciandis potius quam interimendis Aegyptiis

Sixtina Tisch. etc. — 9. Pro μυιῶν (*muscarum*), quae communis est lectio, ed. *Aldina* cum paucis minusc. et *Arm.* perperam legit μυῶν (murium). — 11. Verbum ἐνεκεντρίζοντο (proprie : aculeis configebantur) *Vulg. Clem.* liberius vertit : *examinabantur, Vulg. Sixt.* parum recte : exterminabantur. — ἀπερίσπαστοι (non abstracti ab aliqua re i. q. eius participes) est communis lectio; 23 cum uno alterove minusc. et *Arm.* minus apte ἀπερίστατοι (non circumdati i. q. inopes). — 12. ὁ πάντα ἰώμενος (*qui sanat omnia*) B ℵ 23, aliqui minusc., *Vulg.*; pro quo ὁ πάντας ἰώμενος (qui sanat omnes) A C, aliqui minusc.; quid aliae verss. legerint, incertum est.

erant destinatae. Attamen contrario modo animalia ex divina voluntate sese ad Israelitas habuerunt : 2. *Pro quibus tormentis bene disposuisti populum tuum, Quibus dedisti concupiscentiam delectamenti sui novum saporem, Escam parans eis ortygometram,* vel ad graecum textum (cfr *VV. LL.*) : *cuius castigationis loco beneficia praestitisti populo tuo, quibus* (i. e. *cui*) *ad* (seu secundum) *avidum eorum desiderium mirabilem cibum parasti in alimentum, coturnices.*

Ad quam versionem pauca annotasse iuverit. Dictio nimirum ἐπιθυμία ὀρέξεως (proprie : *cupiditas desiderii* seu appetitus; male *Vulg.* « concupiscentia delectamenti sui », siquidem ὄρεξις [a verbo ὀρέγεσθαι *appetere*] non « delectamentum » sed appetentiam seu desiderium valet cfr 14,2) non est pleonastica sed pro ἐπιθυμητικὴ ὄρεξις posita vehementiam desiderii seu appetitus, ergo avidum desiderium declarat atque apte distinguitur a sequente ἀναγκαία ὄρεξις (*v.* 3) i. e. a « necessario appetitu » seu naturali fame, quae consueto cibo deficiente exoritur. Deinde nomen γεῦσις proprie quidem valet *saporem,* uti a *Vulg.* hic et minus recte *v.* 20. vertitur, translata tamen significatio *escae* seu cibi (qua *Vulg. v.* 3 recte utitur) etiam huic loco magis convenit. Qui cibus porro ξένος i. e. peregrinus vel *novus* (cfr *Vulg.* hic et *vv.* 3, 16; 19,5) vocatur, non tam ut Israelitis plane incognitus seu inusitatus fuisse, quam ut eis ex insperato et mirabiliter datus esse significetur. Demum ὀρτυγομήτρα, quamvis proprie avem a coturnice diversam designet eaque maiorem, quae agmina coturnicum ducere dicitur (unde germ. Wachtelkönig, gall. roi des cailles), ab Alexandrinis tamen ad hebr. שְׂלָו (coturnix) reddendum semper adhibetur, uti a *S. Hier.* « coturnix » (cfr *Exod.* 16,13; *Num.* 11,31. 32; *Ps.* 104 [105], 40); revera iunioribus Graecis ὀρτυγομήτρα idem fuit atque ὄρτυξ ὑπερμεγέθης « coturnix praegrandis » (cfr *Hesych.*; et *Hagen,* lex. bibl. I. 1001).

Iamvero Deus tam diverso modo Aegyptios et Israelitas eo consilio tractavit 3. *Ut illi quidem* (sc. Aegyptii) *concupiscentes escam* (i. e. quum escam concupiscerent) *Propter ea, quae illis ostensa et missa sunt* (διὰ τὴν δειχθεῖσαν τῶν ἐπαπεσταλμένων, quo in membro ad partic. τὴν δειχθεῖσαν nomen praecedens τροφήν suppleatur oportet, genetivus autem τῶν ἐπαπεσταλμένων appositivus seu epexegeticus est cfr ad 3,5; 5,22; 7,5; unde accuratius vertes : « *propter cibum ostensum, animalia* nimirum *immissa* »; si autem faciliorem lectionem : διὰ τὴν εἰδέχθειαν τῶν ἐπαπεσταλμένων cfr *VV. LL.* praefers, verte : *propter foeditatem animalium immissorum*) *Etiam a necessaria concupiscentia averterentur* (ad graecum : καὶ τὴν ἀναγκαίαν ὄρεξιν ἀποστρέφωνται accuratius : *etiam a necessario desiderio se averterent,* i. e. ne naturali quidem cibi desiderio obtemperarent); *Hi autem* (sc. Israelitae) *in brevi* (ἐπ' ὀλίγον lege : *ad breve tempus*) *inopes facti Novam gustaverunt escam* (ad graecum : καὶ ξένης μετάσχωσι γεύσεως melius : *etiam mirabilis participes fierent cibi*; latinus interpres graecam constructionem neglexit). Animalibus igitur Deus, simili modo quo aquis (cfr

ad 11,5 sqq.) pro diverso suo fine usus est, ut Aegyptios, qui illa colebant, puniret, populo autem suo benefaceret; idque iustissime : *4. Oportebat enim illis sine excusatione quidem supervenire interitum exercentibus tyrannidem* vel ad graecum clarius : *oportebat enim illis quidem* (sc. Aegyptiis) *inevitabilem inopiam supervenire*, quia *oppressores erant; His autem* (sc. Israelitis) *tantum ostendere* (rectius : *ostendi* sc. oportebat ἔδει ... δειχθῆναι), *quemadmodum inimici eorum exterminabantur* (lege : *cruciabantur* ἐβασανίζοντο cfr ad *v.* 1). Eadem ratione auctor supra (cfr ad 11,9) dixit, Deum siti, qua Israelitae in deserto premebantur, eos edocere voluisse, quantopere oppressores passi essent, quando aquae Nili in sanguinem versae sunt.

Deus Israelitis in deserto peregrinantibus bis coturnices misit, prima vice quando Aegyptum vix egressi, cibis quos secum abstulerant consumtis, in deserto Sin gravi fame premebantur et abundantiae ciborum, quibus in Aegypto fruiti erant, recordati contra Moysen murmurare coeperant (*Exod.* 16); altera autem vice anno post Legem acceptam, quando manna, quo quotidie divinitus nutriebantur, pertaesi loco « cibi illius levissimi » carnes sibi postulabant (*Num.* 11). Dubitari non posse censeo, quin Sapiens de solo priore eventu hic cogitaverit. Etenim coturnices, quae ea occasione toti populo gravi fame laboranti missae sunt, non minus quam manna, quod eadem die promissum et die insequente dari coeptum est, omnibus vere fuerunt beneficio; quum autem altera vice mitterentur, piis solis Israelitis beneficio, reliquis omnibus qui carnes sibi postulaverant gravi poenae fuerunt (*Num.* 11,33 sq.). Accedit, quod ex *vv.* 3, 4. apparet, de coturnicibus hic agi, quae populo missae sunt, postquam brevi tempore fame pressus experientia didicerat, quantopere Aegyptii, oppressores sui, passi essent, quamdiu animalibus sibi immissis impedirentur, ne naturale cibi desiderium explerent. Atqui non fames sed gula et cupedia vice altera vulgus filiis Israel admixtum impulit, ut carnes postularent, quamquam manna eis praesto erat. Ad hunc igitur secundum eventum auctor infra (19,11 sq.) respexisse dicendus est; ibi enim de iis agit, qui coturnices acceperunt, postquam ἐδέσματα τρυφῆς (i. e. cibos delicatos) postularunt.

Difficultatem quandam in primo membro *v.* 3 creat lectio διὰ τὴν δεχθεῖσαν (τροφὴν) τῶν ἐπαπεσταλμένων (« *propter cibum ostensum* », nimirum propter animalia immissa), quam ob testium eam tuentium maiorem numerum et auctoritatem praeferendam ducimus. Namque animalia illa Aegyptiis data non erant in alimentum, neque proinde apparet, cur illorum foeditas eos a fame consuetis cibis sedanda avertere potuerit. Animadverte autem, ranas et muscas non tantummodo domos et cubicula, sed etiam furnos, in quibus panes coquebantur, vasaque, in quibus farina aliaque cibaria asservabantur, ingressas esse (*Exod.* 8,5. 24) et ideo alimenta omnia foedasse ac spurcasse, quin etiam cum eis esse permixtas; unde facile intelligitur, quod Aegyptios eiusmodi cibis vesci taeduerit; neque quidquam miri in eo est, quod auctor poetica cum audacia istas ranas muscasque vocet « cibum eis ostensum ».

Altero exemplo, quod priori velut confirmatio quaedam particulis καὶ γάρ adiungitur, quae hic (uti 12,3; 15,2 etc.) latinis *nam etiam*

respondent, Sapiens ipsas quoque serpentes (*Num.* 21,4 sqq.), quamvis Israelitis eodem modo, quo muscae et locustae Aegyptiis (*Exod.* 8,20 sqq.; 10,12 sqq.), in poenam et internecionem immissae esse viderentur, eis beneficio ac saluti fuisse docet. Primum autem (*vv.* 5-8) paucis universum eventum exponit, ut eum deinde (*vv.* 9-15) accuratius explanet. 5. *Etenim* (vel potius *nam etiam*) *quum illis supervenit saeva bestiarum ira* (ad graecum melius : *quum illis horribilis supervenisset ferarum furor*), *Morsibus* (graece : *morsibusque*) *perversorum* (σκολιῶν *tortuosorum*, vel tropice : *insidiosorum* seu *perniciosorum*) *colubrorum exterminabantur* (lege *exterminarentur*); 6. *Sed non* (coniunctione *sed* deleta cfr cfr *VV. LL.* lege solum : *non*) *in perpetuum* (graece : *usque in finem* i. e. usque ad internecionem cfr ad 19,1) *ira tua permansit, Sed ad correptionem in brevi* (πρὸς ὀλίγον *ad breve tempus*) *turbati sunt, Signum habentes salutis, ad commemorationem mandati legis tuae;* 7. *Qui enim conversus est* (sc. *ad istud signum*), *non per hoc* (διὰ τοῦτο proprie : *propter hoc*) *quod videbat sanabatur, Sed per te* (διὰ σέ proprie : *propter te* vel potius tua voluntate et efficacia) *omnium salvatorem;* 8. *In hoc autem* (καὶ ἐν τούτῳ δέ cfr ad 15,18; melius : *sed et in hoc*) *ostendisti* (ἔπεισας *persuasisti*) *inimicis nostris, Quia tu es, qui liberas ab omni malo.* Quamquam primae sententiae (*vv.* 5.6ª) constructionem latinus interpres nonnihil perturbavit, nihilominus idem fere sensus, qui graeco textu, etiam latino exprimitur. Namque ad ea respiciens, quae *vv.* 3, 4 de populo Israel brevi tempore fame presso atque coturnicibus missis mox recreato retulit, auctor Deum simili modo tunc quoque egisse monet, quando versus peregrinationis finem murmurationibus ad iram provocatus ignitos quidem serpentes in eos immisit illorumque morsibus multos percuti et mori permisit, mox tamen populi poenitentia ac precibus Moysis commotus iram deposuit. Brevi enim tantum tempore admonitionis causa (εἰς νουθεσίαν cfr 11,11 [10] ὡς πατὴρ νουθετῶν « sicut pater monens ») conturbati ac territi sunt (ἐταράχθησαν), siquidem Deus serpentem aheneum, cuius aspectu vulnerati sanarentur, in eorum medio erigi iubens signum salutis eis exhibuit, ut tum calamitate immissa tum oblata salute eis in memoriam revocaret, Legis suae praecepta, ne perirent, sancte eis esse observanda (εἰς ἀνάμνησιν ἐντολῆς νόμου σου). Sollicite autem praecavens, ne quis aheneo serpenti ipsi magicam (ut ita dicam) sanandi virtutem quandam attribuat, Sapiens eum vocat *signum* seu *symbolum salutis* (σύμβολον σωτηρίας) explicationisque gratia addit illos, qui eum aspiciebant, non propter illud, quod oculis suis conspexerunt, sanatos esse, sed soli Deo omnium salvatori salutem suam debere; Deum autem, quum ita ageret, etiam Aegyp-

tios aliosque Israelitarum hostes docere voluisse, se solum esse, qui ab omni malo homines posset liberare.

Cum bonis nonnullis codd. (ℵ A 23) editio Sixti V., quam *Tisch.* secutus est, pro σύμβολον σωτηρίας (*signum* salutis) exhibet σύμβουλον σωτ. (*consiliarium* salutis); sed parum verisimile est, auctorem serpentem aheneum hic in personam constituere voluisse, quum huic prosopopoeiae explicatio *v.* 7 addita non consonet; quare lectionem, quam B. et *Vulg.* tuentur, moderni editores plerique (*Fr. Reusch, Sw. Deane*) iure merito retinuerunt. — Recte *P. de Humm.* (Comment. in lib. Numer. p. 240) « signum, inquit, selegit Deus eius formae, a qua etiam plaga proficiscebatur. Sicut decreverat Deus per *hominem* redimere, quos perdiderat *homo*, et per *lignum* reparare damnum a *ligno* profectum, ita decrevit *serpentis ahenei* specie sanare malum a *serpentibus* inflictum. Neque putes hanc serpentis speciem ideo fuisse minus aptam, quod ea in paradiso daemon hominem deceperit; si enim *homo* et *lignum*, quae ipsa quoque in hominis ruinam conspiraverant, assumebantur salutis instrumenta, cur non item assumeretur *serpens?* » Sunt autem, qui serpente aheneo, qui pro signo elevatur, ipsum « magnum draconem, serpentem antiquum, qui vocatur diabolus » velut devictum venenoque suo privatum repraesentari arbitrentur; sed quamvis huic explicationi per se nihil obstare videatur, nihil quoque adest, quo probabilis reddatur. Certum vero est, aheneum serpentem typum esse Christi in crucem acti, « ut per mortem suam destrueret eum, qui habebat mortis imperium i. e. diabolum » (*Hebr.* 2,14). Egregie *S. Aug.* (in Ioan. tract. 12,11) : « Ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur; *quia sicut Moyses*, inquit, *exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam* (*Ioan.* 3,14). Quomodo qui illum intuebantur serpentem, non peribant morsibus serpentum, sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem; hic autem ait : ut habeant vitam aeternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem et rem ipsam : figura praestabat vitam temporalem, res ipsa cuius illa figura erat praestat vitam aeternam ». — Obiter annotasse iuverit, *Gr.* rationalisticis suis praeiudiciis seductum a vero longe aberrasse, quum « narratorem pentateuchicum » ipsi serpenti aheneo virtutem sanandi attribuisse, auctorem nostrum ergo, qui serpenti hanc virtutem neget, narrationem « allegorice » interpretatum esse coniiceret; auctor noster enim id solum diserte enuntiat, quod prudens quisque in narratione ipsa satis clare indicatum videt. Verisimile autem est, Sapientem id diserte enuntiare voluisse, quia revera regum tempore Israelitae aheneo illi serpenti, qui asservatus erat, superstitiosum cultum exhibere coeperant, ita ut pius rex Ezechias eum conterere debuerit (4 *Reg.* 18,4).

Qua vero ratione Deus etiam populi sui hostibus sese solum homines ab omni liberare malo persuaserit, Sapiens explicat vilium bestiolarum plagas, a quibus Aegyptii divino auxilio ob suam impietatem privati se defendere non potuerint, cum longe graviore ignitarum serpentium calamitate comparans, cuius remedium Israelitae poenitentia sua mox divinitus obtinuerint : 9. *Illos enim* (vel accuratius : *nam illos quidem*) *locustarum et muscarum occiderunt morsus, Et non est inventa sanitas* (ἴαμα *remedium*) *animae* (τῇ ψυχῇ *vitae*)

illorum, Quia digni erant ab huiuscemodi (vilibus quas coluerant bestiolis cfr 11,16 sq.) *exterminari* (κολασθῆναι lege : *cruciari*); 10. *Filios autem tuos nec draconum venenatorum* (proprie : *ne draconum quidem venenum diffundentium*) *vicerunt dentes; Misericordia enim tua adveniens* (ἀντιπαρῆλθε καί proprie : *exadverso venit* i. e. *opposuit se* scil. mortiferis morsibus *et*) *sanavit illos;* 11. *In memoria* (lege : *in memoriam*) *enim sermonum tuorum examinabantur* (ἐνεκεντρίζοντο melius : *pungebantur*[1]), *Et velociter salvabantur, Ne, in altam incidentes oblivionem* sc. sermonum tuorum, *Non possent tuo uti adiutorio.* Adiectivum ἀπερίσπαστος *valet non distractus* alienis rebus aut obstaculis, *nullo impedimento ab aliqua re vel actione prohibitus* (*Polyb.* 2,67, 7), *assiduo rei vacans aut re occupatus* (cfr *Sir.* 41,1; 1 *Cor.* 7,35; *Epictet.* 3,22, 69). Hinc sunt qui textum graecum ita vertant ἵνα μὴ εἰς βαθεῖαν ἐμπεσόντες λήθην ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας « Ut, non incidentes in altam (tui) oblivionem, Assidue occupati i. e. memores essent tuae beneficentiae » (Arabs : ne... a memoria beneficiorum tuorum distinerentur; itid. vers. angl. : « that not falling into deep forgetfulness, they might be continually mindful of thy goodness »); haec versio et expositio et contextui et vocabulorum sensui optime consonare videtur. Alii (*Schm. Feldm.* — *Gr.* etc.) ἀπερίσπαστός τινος hoc loco volunt esse i. q. *non detractus* seu *non impeditus a re, particeps rei;* unde vertunt : « Ut, non incidentes in altam oblivionem (Legis tuae), participes fierent tuae beneficentiae », et hunc sensum etiam liberior versio latina et syriaca (« ne in profundum ruerent et tui obliviscerentur, qui digni erant beneficiis tuis ») exhibet. Codd. 23 et 253 habent ἀπερίστατοι (pro ἀπερίσπαστοι); quod adiectivum cum valeat « qui non circumstatur », hinc « solitarius, derelictus, inops », sensus oritur : « ut ne ... a beneficentia tua essent derelicti »; at sola versio arm. huic lectioni suffragatur. Unde prima explicatio prioris lectionis tenenda videtur. 12. *Etenim neque herba neque malagma* (μάλαγμα a μαλάσσειν : emplastrum dolorem leniens) *sanavit eos, Sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Inter acatholicos nonnulli auctorem hic incusant, quod *v.* 9. locustarum muscarumque plagis in falsum auctis fidem historicam laeserit, quia homines morsibus bestiolarum istarum occisos esse dicat (cfr *Siegfr.*

1. Verbum ἐγκεντρίζειν (a nomine κέντρον derivatum, quo omne instrumentum pungens designatur, e. gr. aculeus apium et stimulus, quo agricolae iumenta sua stimulant et dirigunt) proprie valet *pungere,* atque translate pungendo inserere surculum quendam in stirpem arboris agrestis (cfr *Rom.* 11,17. 19 etc.). Interpres autem noster, quum illud latine *examinare* redderet, probabiliter significare voluit, hanc calamitatem Israelitis non tam poenae, quam probationi fuisse (cfr 11,10).

Zöckl.). Quae accusatio falsa est. Licet enim Moyses *diserte* de hominibus per eas occisis non loquatur, ex eius tamen narratione (cfr *Exod.* 8,20; 10,17) uti Psalmista (*Ps.* 77,45 « misit in eos coenomyiam, quae eos comederet ») ita noster rite ac legitime collegit, muscas locustasque suis morsibus aut directam aut indirectam mortis causam haud paucis fuisse. Accedit autem, quod inter Iudaeos usque ad saeculum I. p. Chr. oralis traditio fide digna de istis plagis sit conservata, ex qua ex. gr. S. Paulus (2 *Tim.* 3,8) nomina incantatorum, qui Moysis miracula imitari conati sunt, *Fl. Ios.* autem (Antiqu. II. 14.3) et *Philo* (Vita Moys. I. 19 ed. Mang. II. p. 97) suas plagarum descriptiones nostrae consonas hauserunt; unde ne opus quidem est ad auctoris poeticum dicendi genus, nedum ad divinam eius inspirationem appellare, ut historicam eius fidem hac in re vindicemus; Deus quippe, quum pro sua iustitia a contumacibus Aegyptiis poenas peccatis eorum dignas repetere constituisset, velut instrumenta sua, quamvis fortiora et crudeliora ei non deessent, vilissima inter animalia quae adorarant elegit, ut per eadem, per quae peccaverant, eos cruciaret (cfr 11,17 sqq.). Contra vero pro sua misericordia horrendam serpentium calamitatem, qua murmurantes Israelitas corrigere voluit, remedio velociter concesso abstulit, simulac castigationis finem, illis poenitentiam agentibus, attigerat. Id enim in iis castigandis et salvandis propositum ei fuit, ut sermones suos illis in memoriam revocans (εἰς ὑπόμνησιν τῶν λογίων σου) praecaveret, ne in profundam eorum oblivionem lapsi sese divinis beneficiis indignos redderent. Nomine τῶν λογίων (*sermonum* seu *eloquiorum*), si *v.* 6 confertur (εἰς ἀνάμνησιν ἐντολῆς νόμου σου) proxime Legis praecepta designantur; dubitari tamen vix potest, quin eodem nomine, uti saepius (cfr *Ps.* 118,11. 103. 148. 158 etc.) promissiones quoque Legem observantibus factae et comminationes contra eius transgressores enuntiatae connotentur. Ut autem Deum ipsum hominem ab omni malo liberare inculcet, Sapiens repetit, quod supra (*v.* 7) iam monuerat, non serpentem aheneum velut remedium Israelitis propositum sua propria quadam virtute, neque remedium aliquod, quo medici uti solent, sed ipsum Deum suo verbo i. e. sola voluntatis suae omnipotentis manifestatione eos sanasse.

Ut deinde Deum solum omnia sanare confirmet, Sapiens supremum eius in vitam mortemque et consequenter in vivos omnes et mortuos dominium infirmitati hominis opponit, qui non nisi alios occidere potest : 13. *Tu es enim, Domine, qui* (graece brevius : *tu enim*) *vitae et mortis habes potestatem, Et deducis ad portas mortis* (ᾅδου i. e. *inferi*) *et reducis;* 14. *Homo autem occidit quidem per malitiam, Et cum*

exierit spiritus, non revertetur (graece : *sed spiritum qui exiit non reducit* sc. ad pristinum eius habitaculum)[1], *Nec revocabit* (ἀναλύει lege : *revocat* vel potius : *liberat*) *animam, quae recepta est* (graece *animam receptam* sc. ad inferos); 15. *Sed tuam manum effugere impossibile est.* Asseritur hic divinum vitae mortisque imperium iisdem fere verbis, quibus et Anna Samuelis mater (1 *Reg.* 2,6) et pius senex Tobias (13,2) illud celebrarunt qui ipsi liberiore modo sententiam illam expresserunt, quam Moyses Deo loquenti attribuerat (*Deut.* 32, 39 « videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me; ego occidam et ego vivere faciam; percutiam et ego sanabo, et non est, qui de manu mea possit eruere »). Hebraei inferos i. e. omnium mortuorum domicilium, cogitatione sibi fingebant velut magnam civitatem ima in terra sitam, magnis operibus munitam, ita ut nemo effugere posset, portis tamen instructam, per quas mortuorum animae in eam admittebantur (portae inferi cfr *Is.* 38,10 vel frequentius portae mortis cfr *Ps.* 9,14; 106[107],18; *Iob* 38,17). Quoniam apud Psalmistam (ll. cc.) *portae mortis* metaphorice certa et proxima pericula mortis significare videntur, ex quibus Deus homines eripit, nonnulli hanc significationem ad nostram quoque sententiam adhibere voluerunt, idque maxime propter contextum, quatenus nimirum Sapiens hac sententia probare vult, Deum omnia sanare (cfr *Lap.*). Attamen id non minus efficaciter probatur, si cum communiore interpretatione hic de resuscitatione mortuorum agi tenemus; siquidem evidens est eum etiam a praesentissimo quocumque mortis periculo hominem posse servare, qui eam vitae mortisque habet potestatem, ut animum, qui iam ex corpore exiit, ex inferis liberare ac reducere et cum corpore suo iterum unire potest. Atqui hanc potestatem Deo in prima sententia attribui, luculenter ex secunda apparet, in qua homini occidendi quidem facultas tribuitur, sed potestas resuscitandi negatur, quum solius Dei ubique atque etiam in orco praesentis (*Ps.* 138,8) manum nemo, ac ne ipsi quidem animi apud inferos iam recepti, effugere queant.

1. Verbo ἀποστρέφειν, quod et transitivam retrovertendi seu reducendi et intransitivam revertendi significationes habet, latinus noster interpres hoc loco haud recte intransitivam attribuit, quum ipso iam altero sticho parallelo transitiva postuletur; verbum ἀναλύειν deinde, quod noster recte revocandi seu liberandi sensu sumsit, aliqui iuniores *resolvere* interpretari malunt (homo corpus quidem occidere, sed non animam a corpore separatam resolvere i. e. interimere potest cfr Matth. 10,28); sed quomodo haec sententia contextui accommodetur, non explicant.

2. — *Coelum in Aegyptios fulmina grandinesque effudit, Israelitis vero manna pluit* (16,16-29).

16,16. Negantes enim te nosse impii Per fortitudinem brachii tui flagellati sunt, Novis aquis et grandinibus et pluviis persecutionem passi Et per ignem consumti. 17. Quod enim mirabile erat, in aqua, quae omnia exstinguit, plus ignis valebat : Vindex est enim orbis iustorum. 18. Quodam enim tempore mansuetabatur ignis, Ne comburerentur quae ad impios missa erant animalia, Sed ut ipsi videntes scirent, quoniam Dei iudicio patiuntur persecutionem. 19. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique, Ut iniquae terrae nationem exterminaret. 20. Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum, Et paratum panem de coelo praestisti illis sine labore, Omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem. 21. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, Et deserviens uniuscuiusque voluntati, Ad quod quisque volebat, convertebatur. 22. Nix autem et glacies sustinebant vim ignis, et non tabescebant, Ut scirent quoniam fructus inimicorum Exterminabat ignis ardens in grandine Et pluvia coruscans. 23. Hic autem iterum ut nutrirentur iusti, Etiam suae virtutis oblitus est. 24. Creatura enim tibi Factori deserviens, Exardescit in tormentum adversus iniustos, Et lenior fit ad benefaciendum pro his, qui in te confidunt. 25. Propter hoc et tunc in omnia transfigurata Omnium nutrici gratiae tuae deserviebat, Ad voluntatem eorum, qui a te desiderabant, 26. Ut scirent filii tui, quos dilexisti, Domine, Quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, Sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat. 27. Quod enim ab igne non poterat exterminari, Statim ab exiguo radio solis calefactum tabesce-

16,16. Ἀρνούμενοι γάρ σε εἰδέναι ἀσεβεῖς Ἐν ἰσχύϊ βραχίονός σου ἐμαστιγώθησαν, Ξένοις ὑετοῖς καὶ χαλάζαις καὶ ὄμβροις διωκόμενοι ἀπαραιτήτοις, Καὶ πυρὶ κατανα-λισκόμενοι. 17. Τὸ γὰρ παραδοξότατον, ἐν τῷ πάντα σβεννύντι ὕδατι Πλεῖον ἐνήργει τὸ πῦρ, Ὑπέρμαχος γὰρ ὁ κόσμος ἐστὶ δικαίων. 18. Ποτὲ μὲν γὰρ ἡμεροῦτο φλόξ, Ἵνα μὴ καταφλέξῃ τὰ ἐπ' ἀσεβεῖς ἀπεσταλμένα ζῶα, Ἀλλ' αὐτοὶ βλέποντες ἴδωσιν, ὅτι Θεοῦ κρίσει ἐλαύνονται. 19. Ποτὲ δὲ καὶ μεταξὺ ὕδατος ὑπὲρ τὴν πυρὸς δύναμιν φλέγει, Ἵνα ἀδίκου γῆς γεννήματα διαφθείρῃ. 20. Ἀνθ' ὧν ἀγγέλων τροφὴν ἐψώμισας τὸν λαόν σου, Καὶ ἕτοιμον ἄρτον αὐτοῖς ἀπ' οὐρανοῦ ἔπεμ-ψας ἀκοπιάτως, πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύοντα καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν. 21. Ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου τὴν σὴν γλυκύτητα πρὸς τέκνα ἐνεφάνισε, Τῇ δὲ τοῦ προσφερομένου ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετῶν Πρὸς ὅ τις ἐβούλετο μετε-κιρνᾶτο. 22. Χιὼν δὲ καὶ κρύσταλλος ὑπέ-μεινε πῦρ καὶ οὐκ ἐτήκετο, Ἵνα γνῶσιν, ὅτι τοὺς τῶν ἐχθρῶν καρποὺς Κατέφθειρε πῦρ φλεγόμενον ἐν τῇ χαλάζῃ Καὶ ἐν τοῖς ὑετοῖς διαστράπτον, 23. Τοῦτο πάλιν δ' ἵνα τρα-φῶσι δίκαιοι, Καὶ τῆς ἰδίας ἐπιλελῆσθαι δυνάμεως. 24. Ἡ γὰρ κτίσις σοὶ τῷ ποιή-σαντι ὑπηρετοῦσα Ἐπιτείνεται εἰς κόλασιν κατὰ τῶν ἀδίκων Καὶ ἀνίεται εἰς εὐεργεσίαν ὑπὲρ τῶν εἰς σὲ πεποιθότων. 25. Διὰ τοῦτο καὶ τότε εἰς πάντα μεταλλενομένη Τῇ παντο-τρόφῳ σου δωρεᾷ ὑπηρέτει, Πρὸς τὴν τῶν δεομένων θέλησιν, 26. Ἵνα μάθωσιν οἱ υἱοί σου, οὓς ἠγάπησας Κύριε, Ὅτι οὐχ αἱ γενέ-σεις τῶν καρπῶν τρέφουσιν ἄνθρωπον, Ἀλλὰ τὸ ῥῆμά σου τοὺς σοὶ πιστεύοντας διατη-ρεῖ. 27. Τὸ γὰρ ὑπὸ πυρὸς μὴ φθειρόμενον Ἁπλῶς ὑπὸ βραχείας ἀκτῖνος ἡλίου θερμαι-νόμενον ἐτήκετο. 28. Ὅπως γνωστὸν ᾖ, ὅτι δεῖ φθάνειν τὸν ἥλιον ἐπ' εὐχαριστίαν σου, Καὶ πρὸς ἀνατολὴν φωτὸς ἐντυγχάνειν σοι. 29. Ἀχαρίστου γὰρ ἐλπὶς ὡς χειμέριος πά-

bat, 28. Ut notum omnibus esset, quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam Et ad ortum lucis te adorare. 29. Ingrati enim spes tamquam hibernalis glacies tabescet, Et disperiet tamquam aqua supervacua.

χνη τακήσεται, Καὶ ῥυήσεται ὡς ὕδωρ ἄχρηστον [1].

In novae sectionis principio Sapiens septimam describit plagam (*Exod.* 9,15-26), gravissimam nimirum illam tempestatem antea, ex quo Aegyptus incoli coepta est, nunquam observatam (l. c. *v.* 18), quae grandinibus ignibusque coelo demissis totam primarum frugum messem devastans impiis Aegyptiis inopiam famemque attulit (*vv.*16-19). Quam calamitatem ut aggravet, cibi deinde coelestis esurientibus Israelitis in deserto dati singularem excellentiam celebrat (*vv.* 20, 21) atque accuratius exponit, qua ratione duobus illis in eventibus Deus supremo suo dominio suaque omnipotentia eodem ignis elemento ad hostium cibum destruendum et ad populi sui cibum servandum uti voluerit (*vv.* 22-26). Sectionem autem terminat tropologica interpretatione diversi modi, quo terrestris ignis et calor solis Deo ita disponente, in manna egerit (*vv.* 27-29).

Nonnulli novam sectionem a *v.* 15 inchoandam ducunt, quoniam *vv.* 16 sq. utpote causali particula (γάρ *enim*) cum eo connexi non sint

1. *VV. LL.* — 16. ἀπαραιτήτοις B ℵ etc.; ἀπαραιτήτως A et minusc. aliquot. In hodierna *Vulg.* vocabulum deest; olim adfuisse *Reusch* recte coniicit ex codicis unius lectione *sine excusatione*, ad quam cfr *v.* 4. — 18. ἵνα... βλέποντες εἰδῶσιν (ut videntes scirent) B A etc. *Vulg.*; ... ἴδωσιν (... ut videntes viderent) B^{2} ℵ minus apte. — ἐλαύνονται : A ἐλαύνωνται. — 19. φλέγει : *Vulg.* minus recte *exardescebat*, in melioribus codd. *ardebat.* — γεννήματα ℵ A, γενήματα B C, *nationem* (numero sing.) *Vulg.* — 20. ἔπεμψας B; παρέσχες ℵ B C 23, *Vulg. Syr. Arm. Shex.* — πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν (omni *congruum* gustui) B C 23, πρ. π. ἁρμονίαν γ. (sc. ἰσχύοντα) (pollentem *congruentid* ad omnem gustum) ℵ; etiam interpretes *lat. Shex. arm.* ita legisse (*Gutb Feldm.*), est valde incertum. — 21. ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου : C omittit σου, pro quo aliqui minusc. habent αὐτοῦ (sc. panis); *Vulg.* μέν omittit, δέ in *et* vertit. Patres quidam africani (*Vigil. Thaps.* c. Varim. I. 44; c. Pallad. Ar. II. 4; *S. Phoebad.* de Filii divin. 4) legebant mire « substantia mea dulcedo mea est », aut (*S. Fulg.* c. Arian. Obi. 4; *S. Phoebad.* c. Arian. 7) « substantiam tuam et dulcedinem tuam ostendebas », quae altera lectio etiam apud *S. Bonav., Hugonem C. Lyran. Holc. Carth.*, et in ed. *Sixti V* invenitur. — 23. τοῦτο πάλιν δ' B 23; τοῦτο δὲ πάλιν A C *Vulg.* τοῦτο πάλιν ℵ. — ἐπιλελῆσθαι B 23; ἐπιλέλησται ℵ A C; cfr Comment. — 25. τῶν δεομένων (indigentium, vel petentium) B ℵ A C et plerique minusc.; τῶν δεομένων σου (a te petentium) ℵ^{2} 23. cum uno alterove minusc., *Vulg. Syr.* — 26. Pro αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν (genera fructuum), quae communis est lectio quamque *Vulg. Clem.* interpres haud recte vertit : *nativitatis fructus*, perperam A legit : αἱ γενέσεις τῶν ἀνθρώπων (genera hominum).

nisi illius confirmatio (cfr *Les.* — *Gr. Siegfr.* etc.). Verum non satis perpendunt Sapientem universale Dei dominium eo consilio *v.* 15 attulisse, ut praecedentem argumentationem confirmaret; siquidem hominis, cui nulla est in mortuorum animas potestas, omnimoda infirmitas et imbecillitas, si cum infinita Dei potestate componitur, multo clarius percipitur et intelligitur. Apte autem gnomae huic descriptionem novae plagae, quae similiter insigne est specimen infiniti dominii Dei, velut illius confirmationem vel potius illustrationem coniunctione causali subiungit, ut duas priores sectiones arctius connectat. 16. *Negantes enim te nosse impii* (cfr 12,27; *Exod.* 5,2) *Per fortitudinem brachii tui flagellati sunt, Novis* (seu *inauditis* ξένοις) *aquis* (lege : *imbribus* ὑετοῖς) *et grandinibus et pluviis persecutionem passi* (graece plenius *pluviis vexati inevitabilibus*) *Et per ignem consumti.* Duobus epithetis tria illa, quae in plaga erant coniuncta, sc. ὑετοί, χάλαζαι, ὄμβροι, non parum exaggerantur; ξένοι i. e. peregrini imbres dicuntur, non quasi Aegyptiis, ut aliqui volunt (cfr *Schm.* etc.), incogniti fuissent, sed ut eorum violentia solito longe fortior (*Exod.* 9,18) ac proin *mira et inaudita* fuisse significetur; ἀπαραίτητοι autem i. e. *indeprecabiles* seu *inevitabiles* vocantur ὄμβροι, quia neque precibus neque excusationibus averti poterant (cfr ad *v.* 4). Quartum porro, quod similiter grandinem comitatur terribilioremque facit, i. e. fulminum ignem auctor separatim addit, quia de eo uberius agere vult : 17 *Quod enim mirabile* (in graeco superlative : *maxime mirabile*) *erat, in aqua, quae omnia exstinguit, plus ignis valebat; Vindex est enim orbis* (ὁ κόσμος) *iustorum.* Iuniores plerique (*Vatabl. Lap. Calm.* etc. — *Grot.* etc.) aquam virtutem ignis auxisse interpretantur ad ea, quae 3 *Reg.* 18,28 de Elia narrantur, appellantes; qua in explicatione *S. Ephr.* (in *Exod.* 9) iam praeivit. Moderni tamen plerique ad *v.* 19, in quo nostra sententia exponi videtur, et ad 19,19 attendentes potius significari censent, ignem *non obstante*[1] *aqua,* qua undique circumdatus erat, virtutem suam solito magis exseruisse; id quod Moyses quoque insinuat, quum *ignem coagulatum* i. e. globos ignis *media in grandine* apparuisse dicat (*Exod.* 9,42 וְאֵשׁ מִתְלַקַּחַת בְּתוֹךְ הַבָּרָד i. q. ignis se continens i. e. cohaerens seseque conglobans media in grandine). Tantam autem virtutem ignis exserere potuit, quia Deus illam tamquam *vindicem* seu propugnatorem (ὑπέρμαχον) iustorum Israelitarum adhibuit; pro sua enim sapientia ac potentia Deus, quando

1. ἐν (ut hebr. ב) aliquotiens valet *non obstante, trotz, malgré,* ut Deut. 1,32 ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ οὐκ ἐπιστεύσατε Κυρίῳ Crampon : « malgré cela vous n'aviez pas confiance en I. »; *Num.* 14,11; *Iob* 1,22.

mundum i. e. universitatem creaturarum ad repellendos iustorum hostes armat et in societatem armorum admittit (cfr ad 5,18 sqq.), singularum virtutes naturales aut auget aut minuit aut ad arbitrium suum mutat (cfr *infra* ad 19,18 sqq.).

Quam diversa autem ratione Deus ignem suam virtutem exserere voluerit, plagae aegyptiacae manifestant : 18. *Quodam enim tempore* (vel accuratius : *nam modo* ποτὲ μέν) *mansuetabatur ignis* (ἡμεροῦτο φλόξ *mitescebat flamma*), *Ne comburerentur, quae ad impios missa erant, animalia, Sed ut ipsi* (impii) *videntes scirent, quod Dei iudicio patiuntur* (potius : *patiebantur*) *persecutionem;* 19. *Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat undique* (seu : *modo* ποτὲ δέ *vel media in aqua supra ignis virtutem ardet* sc. flamma), *Ut iniquae terrae nationem* (γεννήματα lege : *proventus* seu *segetes*) *exterminaret* (potius *exterminet*). Diversitas temporum duabus in sententiis graecis adhibitorum (in priore ἡμεροῦτο *mitescebat*, in altera φλέγει *ardet*) luculenter docet, auctorem non de eodem igne nec de iisdem plagis in utraque, sed de diversis loqui, quarum priores, quia de iis supra iam dixit (*vv.* 5, 9 sqq.), velut praeteritas, alteram vero, quam expositurus est, velut praesentem mente sibi proponit. A vero igitur praeter antiquiores interpretes latina nostra versione in errorem inductos[1] moderni acatholici (*Gr. Sieg fr. Deane* etc.) longe aberrant, quum nostro loco septimam plagam tam fabulose in falsum auctam esse asserant, ut cum mosaica plagarum descriptione aperte pugnet. Sapiens quippe ex eorum opinione de solo igne cum grandinibus in Aegyptios coelitus deiecto non minus in priore quam in altera sententia loquitur; quare quum nomine animalium in impios immissorum alia designari nequeant nisi ranae et sciniphes muscaeque, supposuisse dicendus est, priores illas plagas toto tempore usque ad septimam perdurasse, quamvis Moyses cunctas ranas muscasque diu antea suis precibus deletas esse diserte tradat (*Exod.* 8,13 sq. 30). Quo autem cum iure auctori nostro, qui per totum opus uti scientissimum ita integerrimum ac diligentissimum Scripturarum expositorem se prodit, aut tam manifestus memoriae lapsus aut eiusmodi error,

1. Inter eos tamen *S. Bonav.* de solo quidem fulminum igne loquitur, at tantum abest ut cum hodiernis acath. priores plagas perdurasse supponat, ut satis miro modo dictione « animalium in impios immissorum » designari putet iumenta, quae Aegyptiis a Deo data, quum ab iis non obstante Moysis monito in agris essent relicta, fulminibus percussa sunt (*Exod.* 9,19. 25). Similiter *Carth. Holc.* vero et *Lyran.* de diversis ignibus locum explicant; *Lyr.* scilicet igni fulminum hic opponi arbitratur serpentes ignitas, quarum morsus Hebraeos pios non occiderint; *Holc.* autem (cfr *Lap.*) animalia immissa interpretatur tres socios Danielis in fornacem babylonicam immissos. Quae uti similia aliorum, qui hic de Sodomis igne destructis etc. loquuntur, non indigent refutatione.

qui denudari a quolibet facile potuit, impingatur, nemo probus prudensque intelliget.

Quoniam igitur temporum diversitas de eodem igne in utraque sententia non agi indicat, cum plerisque iunioribus interpretibus catholicis in priore membro illos ignes significari dici censemus, quos Aegyptii, ut a ranis muscisque se defenderent, ubique accenderant, quorum virtute tamen plagae istae non sunt diminutae, nedum finitae, sive Deus illam miraculo ita cohibuit, ut bestiolae per ignem volitantes non sint combustae, uti aliqui (propter 19,21) arbitrantur, sive copiae bestiolarum tam ingentes, uti alii volunt, fuerunt, ut omnia implentes ne maximis quidem ignibus aut superari aut a damno inferendo arceri potuerint (cfr *Castro, Lorin. Malv. Lap. Calm.* etc., *Schm. Gutb. Les.* etc.). Cui explicationi non obstat, quod Moyses de eiusmodi ignibus nihil tradat; brevi enim tantummodo compendio magna miracula, quae populi exitum praecesserunt et comitata sunt, eo consilio comprehendit, ut eorum memoria Israelitae in veri Dei servitio retinerentur. Ceterum ex eius narratione legitime colligitur, Aegyptios simili modo, quo primam plagam (aquarum in sanguinem versarum) novis puteis fossis irritam facere conati sunt (*Exod.* 7,24), ad reliquas minuendas aut arcendas omnibus usos esse adiumentis; inter ea autem ad noxiarum bestiolarum copias destruendas ignes accensos primum ac potissimum ubique terrarum locum tenere nemo ignorat, ita ut mirum esset, si Aegyptii non eodem subsidio a ranis muscisque sese defendere studuissent. Deus vero, ne illo quidquam efficerent, impedivit, ut se ipsum ista animalia in poenam misisse lucidissime eis demonstraret. In altera autem sententia fulminum ignis cum grandinibus et imbribus de coelo iactus designatur, cuius virtus supra solitum aucta recte dicitur, quatenus eam non modo mediis in pluviis exseruit, sed ipsas quoque virentes segetes combussit. Nomen γέννημα proprie valet omne, quod generatum est ac maxime proventus agrorum seu segetes; quae significatio nostro loco egregie congruit, quum hic proxime virentes hordei et lini segetes (cfr *Exod.* 9,31) fulminum igne consumtae dicantur (de latina versione *nationem* seu *nationes* cfr ad 12,10 *n.*).

Cui calamitati impios Aegyptios sterilitate ac fame affligenti Sapiens eximii illius cibi, quo Israelitae in deserto quadraginta annis nutriti sunt, donum ita opponit, ut quantopere Deus summam suam virtutem in dono illo manifestaverit, clare appareat : 20. *Pro quibus* (vel ad graecum : ἀνθ' ὧν, cfr *v.* 2. ἀνθ' ἧς κολάσεως, clarius : *quarum* sc. segetum devastatarum *loco,* seu : *e contrario*) *angelorum esca nutrivisti populum tuum, Et paratum panem de coelo praestitisti illis sine*

labore (ἀκοπιάτως), *Omne delectamentum in se habentem et omnis saporis suavitatem* (vel potius ex graeco : *omni voluptate* seu *sapore valentem et omni consonum gustui*). Proprium novae escae nomen (*manna*) silentio pro more premens auctor cum Psalmista (*Ps.* 77,34 sq. « pluit illis manna ad manducandum et *panem coeli* ἄρτον οὐρανοῦ dedit eis; *panem angelorum* ἄρτον ἀγγέλων[1] manducavit homo; cfr *Ps.* 104,40 » panis coeli »; *Ioan.* 6,31 « panis de coelo »; 4 Esdr. 1,19 « panis angelorum ») illam vocat *escam angelorum* et *paratum panem de coelo*, ut a naturalibus cibis, qui terra gignuntur aut hominum industria parantur, illam velut rem origine sua supranaturalem distinguat. Temere autem *Gr.* cum nonnullis, uti olim iam aliqui rabbini (apud *Paul. Brug.* in Exod. 16) priore dictione cibum, quo angeli in coelo vescantur, designatum videt, quasi Sapiens ac Psalmista spiritus coelestes materiali cibo indigere putassent (cfr *Tob.* 12,19); neque id dictione ἀμβροσία τροφή (cfr 19,20 *Vulg.* esca bona) probari potest; namque Graecos illo aeque ac similibus tropis (cfr ex gr. θεῖον ποτόν *Hom.* Od. 2,341 et saepius) nihil nisi singularem rei alicuius praestantiam efferre nemo est qui ignoret. Melius quidem antiquiores et iuniores haud pauci praeeunte *Ps. Aug.* (de mirabil. Scr. I. 20) angelorum cibum interpretantur cibum per angelos paratum et subministratum, quoniam Deus in humanis rebus administrandis ministerio angelorum uti soleat. Ceterum apud Psalmistam prior dictio alteri videtur esse synonyma, atque auctor noster utramque transumere potuit, ut supranaturalem ac vere divinam cibi illius originem maiore cum vi assereret, uti similiter divinam plagarum aegyptiacarum originem asseruerat. Deus quippe ipse suum populum in deserto mirabiliter nutrivisse significatur, quum ei *sine labore* i. e. neque aranti neque serenti neque metenti cibum paratum de coelo daret : « vere magnum, inquit *S. Ambr.* (de sacr. IV. 4), et divinum miraculum, quod populo pluit Deus manna de coelo, et non laborabat populus et manducabat ».

Quemadmodum autem origine ita etiam indole manna a communibus cibis plane differre eisque longe praestare tertio sticho additur. Cuius verba graeca : (ἄρτον) πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύοντα καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν, quum a consueto dicendi modo recedant, difficultate quadam

1. Hebraice habetur לֶחֶם אַבִּירִים, quod proprie valet *panis fortium;* sed similiter atque Alexandrini etiam Syrus illud reddit *panis angelorum* et Chaldaeus *panis qui descendit a domicilio angelorum*: angeli etiam *Ps.* 102(103),20 dicuntur גִּבֹּרֵי כֹחַ *potentes virtute.* 4 Esdr. 1,19 : « Ego dolui gemitus vestros et dedi vobis manna in escam; panem angelorum manducastis. »

non carent, quae causa fuit, cur antiquitus iam diversis modis explicarentur. Latinus noster interpres universum sensum eorum satis fideliter exhibet, neque tamen ex eius versione clare apparet, qua ratione locutiones intellexerit; unde sine causa aliqui eum ἰσχοντα pro ἰσχύοντα aut ἁρμονίαν pro ἁρμόνιον in suo codice legisse supponunt (cfr *VV. LL.*). Syrus vertit : « (panem) suaviorem omni suavitate et gustabiliorem omnibus gustabilibus »; sed erronee; nam ἰσχύειν, quoties praevalendi significatione usurpatur, aut genetivum (cfr 19,19 πῦρ ἴσχυεν τῆς ἰδίας δυνάμεως) aut praepositionem (πρός cfr *Ps.* 12,5 vel ἐπί cfr 1 *Mach.* 10,49 etc.) adsciscit. Recte autem hodie plerique auctorem eo solo a consueto dicendi genere recessisse sentiunt, quod loco dativi, quo ad verbum ἰσχύειν addito ea res indicatur qua aliquis valet, accusativum adverbialem seu relationis, graecis scriptoribus usitatissimum, ponere maluerit, ac proin dictio πᾶσαν ἡδονὴν ἰσχύων (omnis saporis respectu valens) sensu vix differat ab usitatiore πάσῃ ἡδονῇ ἰσχύων (omni sapore valens); id autem omnino ei licuisse patet, quoniam etiam synonyma (uti δυνατός potens) et contraria (uti ἀσθενής infirmus) utroque modo construuntur (cfr *Gutb.* etc. — *Gr.*). Nomen porro ἡδονῆς, quod generatim voluptatem designat, angustiore hic, uti *Num.* 11,8, notione *saporis* sumatur oportet; ad eum enim locum, quo Moyses manna saporem definit (καὶ ἡ ἡδονὴ αὐτοῦ [טַעְמוֹ gustus s. sapor eius] ὡς γεῦμα [כְּטַעַם sicut gustus s. sapor] ἐγκρὶς ἐξ ἐλαίου) auctor noster procul dubio respexit, quum Moysis relationem non tantummodo confirmare sed etiam ex certa traditione augere vellet. Atqui si manna omni sapore valebat, sua sponte consequitur, illud etiam omni gustui convenisse et consonum fuisse (ἁρμόνιον πρὸς πᾶσαν γεῦσιν); parum recte autem *Vulg.* nomen γεῦσις hic eodem modo quo supra (*v.* 2) saporem interpretatur, quasi alterum hoc membrum non sit nisi prioris iteratio tautologica et similiter de obiectivo cibi gustu agat; γεῦσις hic sensum gustandi denotat.

Quem admirabilem manna saporem Sapiens accuratius explicat *v.* 21. *Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, Et deserviens uniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat, convertebatur,* vel potius ad graecum expressius ac plenius : *nam substantia tua quidem dulcedinem tuam erga filios ostendit, sed sumentis desiderio subserviens ad quod quisque volebat contemperabatur.* Quid dictio *substantia tua* sc. Dei (ἡ ὑπόστασίς σου) hic valeat, in controversia est. Antiquiores interpretes latini, ut videtur, omnes cum paucis quibusdem PP. afris aut ipsam naturam divinam aut Filium Dei (cfr *Hebr.* 1,3) significari tenuerunt; eorum tamen explicatio iure merito respuitur, quia lectione aperte falsa in errorem sunt inducti

(cfr *VV. LL.*). Ex iunioribus deinde modernisque aliqui aut divinam naturam, quatenus in manna dando sese manifestavit (*Boss. Les.*[2] etc. — *Gr.*[2] *Zöckl.* etc.), aut constantiam benignitatis divinae Hebraeis tot annis manna largientis (*Osor.* etc.) aut potentiam divinam illos sustentantem (*Pin.* etc.) aut fiduciam in Deo collocatam, qua homo quam dulcis sit Deus cognoscat (*Luth. Strig.* etc.), haud rectius indicatam vident. Etenim ut explicationes illas plerasque satis contortas et a contextu alienas esse praetermittamus, earum auctores sententiae totius constructione neglecta non perceperunt, duos stichos, quibus constat, particulis μὲν... δέ ita esse connexos, ut dictio ἡ ὑπόστασίς σου sit utriusque subiectum[1], ac proinde nullam illius significationem hic posse admitti, quae non eadem ratione ad secundi atque ad prioris stichi praedicatum quadret. Atqui divina natura dato manna manifestata aut constantia benignitatis divinae, licet Dei dulcedinem erga filios docere apte dicantur, satis absurde profecto « secundum sumentis desiderium ad omnem, quem vult, saporem contemperari » dicerentur. Cum plerisque igitur iunioribus ac modernis (cfr *Cantac. Vat. Lorin. Ians. Lap. Calm.* etc., *Corl. Schm. Les.*[1] *Gutb.* etc. — *Gr.*[1] *Deane* etc.) omnino teneatur oportet manna simili modo, quo in praecedenti sententia *cibus angelorum* et *panis de coelo* vocabatur, hic *substantiam Dei* vocari, i. e. rem populi sustentandi causa a Deo ipso productam seu alimentum divinitus paratum (cfr *Iud.* 6,4 ὑπόστασις ζωῆς sustentamentum vitae i. e. cibus ad vitam sustentandam necessarius pro hebr. מְחִיָּה quod ibid. 17,10 vertitur τὰ πρὸς ζωήν i. e. quae ad vivendum requiruntur; sim. *Deut.* 11,6 πᾶσα ἡ ὑπόστασις omnis substantia i. e. opes omnes pro hebr. כָּל־הַיְקוּם; in alia versione graeca 1 *Sam.* 9,7 ὑπόστασις respondet hebr. תִּשְׁוּרָה i. e. viaticum seu commeatus etc.). Nonnulli auctorem nomen hoc ideo elegisse putant, ut manna, indole eius admirabili, qua ad edentis arbitrium gustum suum variabat, non obstante, non phantasma quoddam sed « rem vere subsistentem » fuisse significaret, « quae proinde Hebraeos vere pascebat, alebat, roborabat, ut sani ac vegeti fortesque consisterent, cuiusque sapor pariter realis erat et ut ita dicam substantialis non phantasticus aut fictus » (cfr *Lap.* etc.). Quamvis autem ὑπόστασις uti *Suidas* habet « proprie sit res subsistens et essentialis, in qua congeries accidentium tamquam in uno subiecto re et actu subsistit » atque

1. Quoniam participium mascul. ὑπηρετῶν, quod in altero membro legitur, nomini femin. ἡ ὑπόστασις non congruit, aliqui in secundo membro novum subiectum (ὁ ἄρτος panis) ex *v.* 20 supplere volunt (cfr *Gr.*[2]); at Graecis eiusmodi constructiones ad sensum tam usitatae sunt, ut nemo, qui graecis literis est imbutus, participio isto (ὑπηρετῶν pro ὑπηρετοῦσα) offendi queat, quum ἡ ὑπόστασις hic revera illum ἄρτον ἀπ' οὐρανοῦ significet.

hoc sensu eis, quae nonnisi externam rei speciem apparentiamque habent, frequenter opponatur (cfr *Suicer.* Thesaur. II. 1397), nihil tamen nostro in loco adest, quod hanc significationem suadeat, siquidem manna aut ab Iudaeis aut eorum hostibus pro re imaginaria et phantasiae commento habitum esse nusquam traditur.

Divina porro substantia illa, qua Israelitae tot annis in deserto nutriti sunt, sapore suo innato et indito secundum Moysis descriptionem dulcis fuit gustu, utpote similis placentae melle conditae et oleo coctae (cfr *Exod.* 16,31; *Num.* 11,8); unde priore in sticho auctor manna, ut illud tamquam eximium Dei beneficium celebret, ipsam divinam dulcedinem (γλυκύτητα) i. e. benignitatem liberalitatemque, qua Deus filiorum suorum saluti prospiciens optima quaeque dona eis confert, naturali sua indole imitatum esse vel potius effinxisse ac manifestasse aptissime asserit. Praecipuam tamen vim sententiae, si ad eius constructionem et potissimum ad totius, uti decet, sectionis huius finem et contextum animum intendimus, secundo sticho inesse dicamus oportet, qui certo modo oppositus priori ultimum *v.* 20 membrum exponit. Etenim Sapiens, ut Deum suum omnium rerum dominium supremum novo cibo, quo populum suum ab inopia et fame custodivit, non minus clare quam terribili tempestate, qua hostes eius privavit cibo necessario, ostentasse doceat, manna reliqua omnia alimenta qualitate plane admirabili et inaudita longe superasse legentibus in memoriam revocat. Deus quippe secundum traditionem quandam Hebraeorum, quam Philo iam atque post eum talmudici iunioresque doctores iudaici diserte commemorant [1], *S. Ephrem.* autem ab ipso Moyse leviter significatam putat [2], omnipotentia sua effecit, ut manna nativo suo gustu non obstante etiam aliorum alimentorum saporibus valeret, ita ut ad edentium arbitrium (vel ex graeco : τῇ τοῦ προσφερομένου ἐπιθυμίᾳ ὑπηρετῶν ad verbum : sumentis desiderio subserviens), si eis mellis dulcedo non placeret, illum quem sibi quisque appetebat cibum saperet atque sese singulorum gustatui adaptans ad illum, quem quisque volebat, saporem se contemperaret (πρὸς ὅ τις ἐβούλετο μετεκιρνᾶτο).

1. *Philonis* testimonium nobis conservavit *S. Basil. M.* ad Amphiloch. ep. 190 (al. 406) n. 2. (*M.* PP. gr. 32 699); sed cfr etiam Philonis op. ed. Mang. I. 213, ubi habetur allusio ad hanc traditionem.

2. *S. Ephr.* in Exod. 10 : « Subdit Scriptura manna specie quidem coriandrum, mel autem gustu repraesentasse, ut inde intelligeremus manna ad omnem saporem compositum fuisse » ; in Num. 11, n. 2 : « Simile fuisse dicit semini coriandri, quo simul insinuet omnem escam ex manna parabilem fuisse et cibi cuiuslibet saporem, pinguedinem suavitatemque participasse. »

Haec explicatio, quam auctoris verba in suo contextu considerata postulant, inde iam a Patrum aetate [1] inter exegetas communis fuit. Iuniores utique theologi pauci (uti *Cl. de Sainctes, Th. Bosius, Greg. de Valentia* etc.) in suis controversiis cum Protestantibus longius progressi manna ad sumentium arbitrium non tam saporem quam substantiam mutasse et in alios, qui appetebantur, cibos transubstantiatum esse ex hoc loco collegerunt; sed hanc opinionem, quam neque in Sapientis, qui de solo sapore loquitur, neque in Patrum testimoniis, quae allegantur (*S. Aug.* de Trin. III. 1,6; *S. Ambr.* de myst. 9,58) solidum habere fundamentum interpretes iuniores (*Lap. Ians.* etc.) recte iam ostenderunt, velut obsoletam praetermittere licet. Altera autem ex parte interpretes quidam iuniores, quorum nomina quidem *Est.* tacet, quorum sententiam tamen videtur approbare, uti eandem moderni aliqui probant (*Les.* etc.), de miraculo hic agi negantes Sapientem nihil significare volunt, nisi manna tum variis, quibus praeparabatur, modis (prout scil. aut coquebatur aut torrebatur vel frigebatur etc. cfr *Exod.* 16,23) tum variis, quibus temperabatur, condimentis (aut dulcibus aut amaris aut acidis etc.) varios sapores assumsisse, similiter atque quotidie carnes et olera per coqui artem pro variis, quibus illa praeparat et condit, modis varios assumere sapores videmus; hac igitur ratione illud Israelitis peregrinantibus locum omnium ciborum etiam delicatorum tenuisse. Contra quam explicationem urgere nolumus, quod manna non ad coquentis sed ad comedentis (προσφερομένου [2]) arbitrium saporem variasse ab auctore asseratur, sed ad contextum appellasse sufficit, qui hoc loco et in parallelis (*vv.* 24 et sq. et 19,21), uti antea monuimus, de re agi evidenter docet, quae quum sit praeter consuetum rerum ordinem, ostendit Deum esse supremum rerum omnium Dominum, qui creaturis suis eas, quas pro sua sapientia vult qualitates, attribuit aut negat.

At contra communem, quam sequimur, explicationem, aliqui hodie obiiciunt Hebraeorum traditionem de manna saporem suum ad arbitrium comedentium variante aperte pugnare cum mosaica narratione de populo carnes sibi postulante, quia « cibum illum levissimum » fastidiret (*Num.* 11,4 sqq.; 21,5); fieri enim non posse, ut quemquam cibi illius taeduisset, si pro suo libitu cuiuslibet, quod desiderabat, alimenti saporem ei praebuisset. Quae obiectio adeo non est nova, ut inde a *S. Augustino* (Retract. II. 20) interpretes eam commemoraverint; nonne ergo mirum esset, si Sapiens scriptor totius sacrae historiae peritissimus, atque Philo doctoresque alii iudaici, quos eandem atque nostrates Pentateuchi notitiam habuisse nemo negaverit, « apertam » illam pugnam non deprehendissent? Nonne potius dicamus oportet, eos illam vidisse quidem sed neglexisse, quia illam non veram solidamque sed vanam opinatamque esse perspicerent? Ac profecto traditionem illam cum Moysis narratione antiquiores quoque optime conciliarunt idque duplici ratione Praeeuntibus quippe *SS. Aug.* et *Greg. M.* ac *Ps. Hier.* (ll. cc.) manna saporem non ad cuiuslibet hominis, verum ad piorum Israelitarum desiderium naturalem suum saporem dulcem mutasse censent; atque id Sapiens quoque indicat, si

1. Cfr *Origen.* in Exod. hom. 7,8; *S. Ephr.* ll. cc. *S. Basil. M.* l. c.; *S. Greg. Nyss.* de vita Moysis (*M.* PP. gr. 44,367); *S. Aug.* ad inquis. Ian. ep. 54 cp. 3 et Retract. II. 20; *S. Greg. M.* Moral. VI. 16,22; XX. 15,40; XXXI. 15,29; *Ps. Hier.* Breviar. in Psalmos (Ps. 147. *M.* 26,1259) etc.

2. Medium verbum προσφέρεσθαί τι vel τινος valet *cibum sumere* cfr *Pape* Lex. et *Passow.* Lex. s. v., a quibus velut exempla allegantur *Xenoph.* Cyrop. IV. 2,41 (προσφέρεσθαι σῖτον), Memor. III. 11,13; *Flav. Ios.* de bello V. 10. (προσφέρεσθαι τροφῆς).

divinam substantiam (i. e. manna) dulcedinem suam *filiis Dei* (πρὸς τέκνα) i. e. piis Israelitis manifestasse et ad cuiuslibet *ex illis filiis*, qui illud comedebant, desiderium, illud quod desiderabat, sapuisse dicit (cfr etiam *v.* 26). Accedit autem, quod etiam Moyses (*Num.* 11) diserte referat, non ipsos Israelitas sed vulgus promiscuum, quod ex Aegypto proficiscentibus sese adiunxerat, verum ad eos non pertinebat (cfr *Exod.* 12,38), de manna levitate conqueri eiusque loco carnes postulare incepisse, cum vulgo autem promiscuo solos impios Israelitas consensisse iure admittere nobis videmur. Haec difficultatis solutio ex *S. Greg. M.* (Moral. XX. 15) in glossam ord. recepta multis praeplacet; alteram tamen haud improbabilem primus, ut videtur, *S. Bonav.* addidit : « vel dicendum, quod requirebant in cibo non solum delectationem saporis quoad gustum, sed etiam coloris quoad aspectum et odoris quoad odoratum ». Quae uberius explicans *Lap.* (in Num. 11,6) fastidium et murmur populi exortum dicit, « quia odor, color, forma, tenuitas et similes aliae qualitates eadem semper perseverabant in manna, quarum qualitatum iucunda quaedam diversitas allicit magis gustatum. Unde et gulones, praesertim pueri, saepe non tam os et ventrem quam oculos et phantasiam et manus cibo saturare et implere cupiunt ». Neque haec solutio fundamento scripturistico caret, quatenus nostro in loco de solo sapore agitur, murmurantes autem, uti *Holc.* iam annotat, non conquerunt nisi quod « oculi sui nihil aliud respiciant nisi manna » (*Num.* 11,6); traditio igitur, quam Sapiens supponit, cum mosaica relatione non pugnat; eam autem veritati consonare ex libri nostri inspiratione colligimus, de qua in *Prolegom.* § 1, n. 6. disseruimus (cfr *Gutb.*). Demum moderni quidam, qui eiusmodi miraculum, « quo non tam indigenti naturae succurratur, quam immoderata excitetur concupiscentia et cuppedia », Deo indignum videri obiiciunt, infinitam benignitatem ac liberalitatem, qua Deus filios suos tractare solet, nunquam opinor considerarunt. Num forte Domino N. quoque indignum fuisse dicent, quod aquam in Cana non in vinum qualecunque sed in optimum converteret aut esurientes in deserto non panibus solis, sed etiam piscibus multiplicatis satiaret? Num Deo indignum, quod nobis praeter ea, quae ad vitam sustentandam requiruntur, innumera alia praestet, quibus vita nostra iucundior redditur, quamvis quam plurimos iis abusuros esse praeviderit?

Altera porro commemorata mirabili qualitate manna, quod nisi mane colligebatur, primis solis radiis liquefiebat, mane autem collectum tum molis mortariisque comminui tum igne torreri aut coqui poterat (*Exod.* 16,21. 23; *Num.* 11,8), Sapiens donum illud non parum auget ac simul alia ratione septimae Aegyptiorum plagae opponit, quorum fruges ignis mediis in grandinibus ac pluviis combussit : 22. *Nix autem et glacies sustinebant vim ignis et non tabescebant* (seu *liquefiebant* ἐτήκετο), *Ut scirent* (sc. Israelitae), *quoniam fructus inimicorum Exterminabat ignis ardens in grandine Et* (*in*) *pluvia coruscans* (διαστράπτον i. q. perfulgurans), 23. *Hic autem iterum* (τοῦτο δὲ, sc. πῦρ, πάλιν clarius : quoniam *hic* sc. ignis *autem ex altera parte* cfr 13,8), *ut nutrirentur iusti, Etiam suae virtutis oblitus est.* Editores vulgatae Clem. versum 23 puncto a praecedente separarunt, at rectius eum solo commate posito praecedenti adiungimus; namque velut

secundum membrum a dictione *ut scirent* (ἵνα γνῶσιν) pendet et coniunctione *quoniam* (ὅτι) regitur. Id clarum est, si lectionem ἐπιλέλησται (*oblitus est*) maiore testium auctoritate confirmatam (cfr *VV. LL.*) cum plerisque sequimur; neque huic nexui altera lectio ἐπιλελῆσθαι (oblitum esse) ullo modo obstat, siquidem Graeci membrorum parallelorum constructionem variare amant atque post verba cognoscendi haud raro prius membrum coniunctione ὅτι cum verbo finito, alterum accusativo cum infinit. aut vice versa exprimunt (cfr *Win.* Gr. p. 536 sq.; A. Buttm. Gr. p. 328 etc.). Pro duabus autem, quas nomina χιὼν καὶ κρύσταλλος (*nix et glacies*) hic admittunt, significationibus duplici modo sententia nostra explicatur. Namque ante saec. 17 vix non omnes nomina ista sensu proprio interpretantes auctorem hic ad septimam plagam exponendam ita reverti putarunt, ut simili modo quo antea (*vv.* 16 sqq.) ignem fulgurum non esse grandinibus exstinctum dixit, nunc grandines illo igne non esse liquefactas sed eius vim sustinuisse addiderit. Recentiores vero longe plurimi nominibus illis ipsum manna metaphorice significari censent, quod nimirum tum specie externa simile erat nivi vel potius pruinae seu rori congelato (*Num.* 11,7), tum aeque ac glacies calore solis in aquam dissolvebatur (*Exod.* 16,14. 21), tum ab ipso auctore (*infra* 19,21) κρυσταλλοειδὲς εὔτηκτον γένος τροφῆς (i. e. cibi genus glacieforme liquabile) vocatur; unde altero hic exemplo admirabilem manna indolem ac proinde infinitam Dei potentiam illustrari volunt, quae effecit, ut manna, quamvis solis radiis facile liquefieret, vim ignis tamen sustineret eaque coctum aut tostum filiis suis esset nutrimento. Verbis quidem utraque explicatio congruit, sententiae tamen contextu et constructione consideratis secunda a modernis interpretibus iure merito praefertur (cfr *Calm. Corl. Schm. Les. Gutb.* etc. — *Grot. Gr. Siegfr.* etc.). Nulla enim sane auctori fuit causa, cur laudes cibi coelestis vix inchoatas (*vv.* 20, 21) subito interrumperet easdemque non nisi nonnullis, quae de Aegyptiorum poena paullo antea satis clare exposuit, alio modo repetitis (*vv.* 22-24) iterum *v.* 25 resumeret; quae ordinis perturbatio tollitur, si cum modernis metaphorica nominum istorum significatio admittitur, ita ut laudes manna *vv.* 22 sqq. continuentur. Praeterea si prima verba *v.* 22 de septima plaga agere supponuntur, quid hoc in loco *v.* 23 sibi velit, plane non intelligitur; neque enim ex eo, quod grandines igne non sunt liquefactae, cognosci potuit ignem erga manna virtutem suam naturalem oblitum esse i. e. non exseruisse; itaque *v.* 23 a verbis ἵνα γνῶσιν (ut cognoscerent) non penderet, sed parenthesis quaedam nescio cur inserta haberi deberet; id quod dicere absonum esse nemo non videt. Aptis-

simus vero secundum alteram interpretationem est nexus; manna quippe, quamvis sicut glacies facile liquefieret, igne non liquefieri videntes Israelitae cognoscere debuerunt, ignem in hostium quidem suorum poenam vel mediis in aquis virtutem solita maiorem ostendisse, quum eorum fruges combureret, in suam ipsorum vero, utpote Dei filiorum, utilitatem virtutem suam ita cohibuisse, ut manna in varia ciborum genera converteret.

Cui explicationi egregie proxima sententia congruit, quae diversam hanc ignis operationem supremo omnium rerum Conditori et Domino deberi confirmat, quippe qui singulis pro suo arbitrio tamquam instrumentis utens iisdem pro diversis, quos eis proponit finibus diversas quoque tribuat virtutes : 24. *Creatura enim* (ἡ γὰρ κτίσις, quum articulus sit genericus, cfr *Win.* Gr. p. 101 etc., hic idem est quod *creatura omnis*) *tibi Factori* (σοὶ τῷ ποιήσαντι sc. αὐτήν accuratius : *tibi qui eam fecisti*) *deserviens Exardescit* (ἐπιτείνεται *intenditur*) *in tormentum* (εἰς κόλασιν cfr 2. *in castigationem*) *adversus iniustos, Et lenior fit* (ἀνίεται *remittitur*) *ad benefaciendum* (εἰς εὐεργεσίαν cfr *v.* 11. *in beneficium*) *pro his, qui in te confidunt* (ὑπὲρ τῶν εἰς σὲ πεποιθότων *iis, qui in te fiduciam posuerunt*). Universalem auctor statuit legem, proxime quidem, uti ex verbis adhibitis (ἐπιτείνεται, ἀνίεται) apparet, ad eas creaturas respiciens, quibus sicut igne Deus iustitiam suam vindicaticam manifestat. Immerito autem interpres vulgatae, quum verbum ἐπιτείνεται latino *exardescit* verteret, de igne diserte agi putavit; simili enim modo, quo 5,18 sqq., auctor Deum fingit bellatorem, qui ad hostes suos feriendos arcum intendit seu adducit (ἐπιτείνει), eum vero, ne filios suos laedat, *remittit* seu relaxat (ἀνίησι cfr *Plut.* de educ. puer. τὰ τόξα ἀνίεμεν, ἵνα ἐπιτεῖναι δυνηθῶμεν). Latius tamen sententiam patere sequentia docent, quibus miraculose quoque illa manna qualitas, quae *v.* 22. commemorata est, ad idem supremum Dei dominium refertur : 25. *Propter hoc et tunc in omnia transfigurata Omnium nutrici gratiae tuae deserviebat Ad voluntatem eorum qui a te desiderabant,* 26. *Ut scirent filii tui quos dilexisti, Domine, Quoniam non nativitatis fructus pascunt homines, Sed sermo tuus hos, qui in te crediderint, conservat.* Exactius ex graeco : *Propter hoc* (sc. secundum eandem legem universalem) *tunc quoque* haec creatura, sc. manna, *in omnia transfigurata* (seu se transformans) *Omnia nutrienti dono tuo serviebat secundum voluntatem egentium* (aut : *te rogantium*; cfr *VV. LL.*), *Ut discerent filii tui, quos dilexisti, Domine, Quod non generationes fructuum pascunt homines, Sed sermo tuus tibi credentes conservat.* Subiectum huius sententiae iterum esse ἡ κτίσις (*creatura v.* 24) nexus et constructio extra dubitationem ponunt; illud

autem hic de toto creaturarum genere explicari non posse, sed de solo manna intelligi debere plerique consentiunt interpretes. Difficultatem tamen quandam dictio ἡ παντοτρόφος δωρεὰ Θεοῦ creat, siquidem δωρεά proprie valet *donum* (id quod datur), unde aliqui moderni dictione illa ipsum manna significari atque nomine ἡ κτίσις hic, ne manna sibi ipsi deservire dicatur, omnes vires naturae comprehendi volunt (cfr *Gr.* etc.). Attamen neque vires naturae τῷ manna deservierunt neque manna *omnium nutrix* apte appellatur; quapropter cum latino interprete nomen δωρεά hic *gratiam* interpretari malumus, gratiam autem cum plerisque cath. commentatoribus non donum gratis datum intelligimus, sed « gratuitam Dei voluntatem bona gratis largientem » (*S. Aug.*) vel forte melius beneficam Dei providentiam, quae vera est omnium nutrix (cfr *Lap. Gutb.* etc.); neque obstat propria nominis δωρεᾶς significatio, quippe quod etiam aliquoties *donationem* valeat (cfr *Ephes.* 4,7). Itaque Deus, quemadmodum pro sapienti suo consilio singulis creaturis eam quam vult indolem tribuit earumque, ut finibus, quos eis proponit, assequendis sint idoneae, vires auget aut minuit, ita etiam manna *sese in omnia transformare*[1] i. e. saporem suum nativum in cibi cuiuscunque, quem edentes appetebant, saporem transmutare atque hac ratione *suae gratiae omnes nutrienti secundum eorum, qui eo indigebant, voluntatem deservire voluit.* In tanto autem miraculo patrando praeter alia id quoque spectavit, *ut filii sui discerent,* se ipsum, uti τῷ manna varios pro edentium libitu sapores, ita frugibus terrae virtutem nutriendi largiri ac proinde non tam fruges terrae quam suam ipsius providam omnipotentiam homines nutrire et conservare. Secundum loquendi modum Hebraeorum « quo solent, quum unum alteri praeferunt, non illud magis, hoc minus affirmare, sed illud affirmare omnino, hoc omnino negare » (*Maldon.* in Matth. 9,13), particulae οὐκ-ἀλλά hoc loco, uti saepe, non valent *non ... sed,* verum latinis *non tam... quam* potius respondent (cfr *Win.* Gr. p. 461 sqq.; *Beel.* Gr. p. 499 sq.). Neque enim auctor frugibus veram nutriendi virtutem negare, sed ad ultimam istius causam, quae est Dei omnes suas creaturas conservantis et in omnibus operantis voluntas, legentium animos convertere vult. Ceterum Moysis de manna loquentis verbis utitur (*Deut.* 8,3), quibus Dominus ipse quoque postea primam satanae tentationem repulsurus erat (*Matth.* 4,4). Nomine ῥῆμα (*verbum*) autem, quo Alexandrini et *S. Hieron.*

1. εἰς πάντα μεταλλευομένη : hic verbo e contextu alia significatio quam *immutare* convenire non potest; nec ulla versio discrepat. Unde *potest* — at non debet — etiam 4,12 haec significatio supponi. Quae quum nusquam praeterea inveniatur (v. *Bailly,* Dictionnaire grec-français, 2. éd., p. 1262), supponendumne, primitus scriptum fuisse μεταλλοιουμένη? [*Ed.*].

dictum mosaicum recte suppleverunt (in textu quippe hebr. non habetur nisi « omne quod procedit ex ore Dei »), voluntatem significari, quae verbis manifestari solet, in aperto est.

Qui Sapientis argumentationem, quam modo attigimus, attente perpenderit, is profecto non mirari non poterit, quod moderni quidam catholici interpretes illum varios sapores, quos pios Israelitas, quum manna comederent, pro suo quemque desiderio percepisse retulit (*v.* 21), non Deo praeter consuetum naturae ordinem in creatura sua operanti, sed homini illam variis modis praeparanti et condienti attribuisse sibi cum Estio persuadeant (cfr ad *v.* 21).

Argumentationem suam altera miraculosa cibi illius coelestis qualitate, quam *v.* 22 secundum nostram nominum (χιὼν καὶ κρύσταλλος *nix et glacies*) explicationem iam commemoravit, ita nunc confirmat, ut simul ex ea praeceptum legentibus utilissimum derivet : 27. *Quod enim ab igne non poterat exterminari* (vel potius : *quod enim ab igne non corrumpebatur*); *Statim* (ἁπλῶς *simpliciter*, i. e. *sine mora*) *ab exiguo radio solis calefactum tabescebat* (*liquefiebat* ἐτήκετο), 28. *Ut notum omnibus esset, quoniam oportet praevenire solem ad benedictionem tuam* (rectius : *ad gratias tibi agendas*) *Et ad ortum lucis te adorare* (ἐντυγχάνειν σοι proprie : *precandi causa te adire* cfr 8,21). Hac sententia praecedentem confirmari particula γάρ (*enim*) docet; confirmationem autem in eo esse patet, quod saporum cibi divinitus dati varietas non minus quam diversitas operationis caloris in eundem cibum non nisi supremo omnium rerum Domino attribui debeat, utpote qui solus pro suo arbitrio vires creaturis inditas augeat aut minuat. Ex eo porro quod manna, quantumvis ignis calorem sustineret, Deo tamen ita disponente primis solis radiis liquefieret ideoque summo mane conquirendum esset, Sapiens tropologice quidem sed legitime colligit, etiam mane iam Deo, illius uti omnium, quibus per diem fruimur, datori gratias esse agendas eumque similiter mane iam precibus esse adeundum. Proxime autem de gratiis Deo agendis auctorem cogitasse ratio addita evidenter declarat : 29. *Ingrati* (ἀχαρίστου) *enim spes tamquam hibernalis glacies tabescet* (seu *liquefiet* ταχήσεται) *Et disperiet* (ῥυήσεται proprie : *profluet* vel potius *profundetur*) *tamquam aqua supervacua* (ἄχρηστον *inutilis*). Pulchra hac metaphora, quam ipsum argumentum ei praebuit, Sapiens, uti *S. Thom.* (Summ. theol. II. 22, qu. 107, a. 4) recte monet, significat, quid ingratus per se mereatur eique saepe iusto Dei iudicio accidat; qui enim pro accepto beneficio gratias non agit, dignus non censetur, qui novum quod sibi sperat obtineat, neque conqueri ei licet, quod non novis beneficiis sed gravi poena afficiatur. Attamen Deus « benignus

est super ingratos (τοὺς ἀχαρίστους) et malos » (*Luc.* 6,35) ac « solem suum oriri facit super bonos et malos et pluit super iustos et iniustos » (*Matth.* 6,45); quare ii quoque, qui filii Altissimi esse cupiunt, ipsis inimicis benefacient, nihil ac ne gratum quidem animum ab eis, at a Domino, cuius agendi rationem imitari student, magnam mercedem exspectantes (*Luc.* l. c.).

Quoniam latina versio pro εὐχαριστία exhibet *benedictio*, antiquiores (cfr *Bonav. Holc. Carth.* etc.), quum ad contextum et maxime ad *v.* 29 non satis attenderent, ipsum manna, utpote donum gratis datum, hic *benedictionem* vocari arbitrati sunt, ita ut nihil hoc loco inculcetur, nisi manna mane circa ortum solis colligi debuisse. Recte vero iidem (cfr *Carth.*) dictione ad *ortum lucis* (πρὸς ἀνατολὴν φωτός) non loci situm sed certum tempus designari monuerunt; id enim parallelismus membrorum (solem gratiarum actione praevenire, ad ortum lucis, igitur aurorae tempore, Dominum precibus adire) extra dubitationem ponit. Itaque a vero aberrant moderni quidam rationalistae (*Nachtig. Eichh. Gfrör. Zell. Keerl.* etc.), qui ex hoc loco auctorem nostrum aut therapeutam aut Essenum fuisse desumere volunt, quia utrique ad orientalem mundi plagam conversi preces fundere soliti sint. *Lap.* quoque, quamvis dictionem ipsam recte interpretetur, multa ad eam affert de Christianorum antiquo more orandi ad orientem, quae quia huc non spectant, praetermittimus.

3. — *Aegyptii triduanis tenebris perterriti sunt, Israelitis in luce degentibus* (17,1-18,4).

Ad paenultimam plagam, qua Deus Pharaonem obduratum eiusque populum afflixit, transitu facto Sapiens triduanarum tenebrarum horrores, quos Moyses (*Exod.* 10,21-23) leviter tantum adumbravit, poetica cum libertate accuratius depingit et quasi sub oculos subiicit (17,1-6); eodem autem terrore ipsos quoque magos percussos esse, ita ut omnibus essent derisui, monet praecipuamque tanti timoris causam in mala eorum conscientia sitam fuisse addit (17,7-14). Deinde communi omnium timore ac praecipua illius causa recapitulatis (17,15-20) Aegyptiorum calamitati felicitatem opponit Israelitarum, qui et tenebrarum triduo consueta luce fruebantur et in deserto peregrinantes lucis columnam ducem habebant (18,1-4). — In hac quoque tenebrarum descriptione auctorem veritatis fidem non servasse, sed rem supra quam fieri liceat exaggerasse moderni rationalistae asserunt (cfr *Gr. Siegfr. Zöckl.* etc.); qui vero ad *poeticam* huius ac praecedentium sequentiumque expositionum indolem animum intenderit, is nihil quod cum mosaica narratione non consonet in ea inveniet, praesertim si memor est haud omnino pauca mosaicae aetatis facta ab Israelitis orali traditione esse conservata, uti iam antea monuimus, atque nonnulla alia, quae Moyses diserte non refert, legitima argumentatione ex brevi eius narratione desumi; hinc etiam *Philo*

(Vita Moysis I. 21 ed. Mang. II. pag. 100), quamvis poetico scribendi genere non utatur, in sua tenebrarum descriptione quaedam cum nostro libro consona sed a Moyse non expressa refert.

1) *Aegyptiorum vulgus triduanis tenebris perterritum* (17,1-6).

17,1. Magna sunt enim iudicia tua Domine, et inenarrabilia verba tua : Propter hoc indisciplinatae animae erraverunt. 2. Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctae, Vinculis tenebrarum et longae noctis compediti, Inclusi sub tectis, fugitivi perpetuae providentiae iacuerunt. 3. Et dum putant se latere in obscuris peccatis, Tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt, paventes horrende Et cum admiratione nimia perturbati. 4. Neque enim quae continebat illos spelunca sine timore custodiebat; Quoniam sonitus descendens perturbabat illos, Et personae tristes illis apparentes pavorem illis praestabant. 5. Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen praebere, Nec siderum limpidae flammae Illuminare poterant noctem illam horrendam. 6. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus : Et timore perculsi illius, quae non videbatur, faciei, Aestimabant deteriora esse quae videbantur.

17,1. Μεγάλαι γάρ σου αἱ κρίσεις καὶ δυσδιήγητοι· Διὰ τοῦτο ἀπαίδευτ ι ψυχαὶ ἐπλανήθησαν. 2. Ὑπειληφότες γὰρ καταδυναστεύειν ἔθνος ἅγιον ἄνομοι, Δέσμιοι σκότους καὶ μακρᾶς πεδῆται νυκτός, Κατακλεισθέντες ὀρόφοις, φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας ἔκειντο. 3. Λανθάνειν γὰρ νομίζοντες ἐπὶ κρυφαίοις ἁμαρτήμασιν, Ἀφεγγεῖ λήθης παρακαλύμματι ἐσκορπίσθησαν, θαμβούμενοι δεινῶς Καὶ ἐνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι. 4. Οὐδὲ γὰρ ὁ κατέχων αὐτοὺς μυχὸς ἀφόβως διεφύλασσεν, Ἦχοι δὲ καταράσσοντες αὐτοὺς περιεκόμπουν, Καὶ φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο. 5. Καὶ πυρὸς μὲν οὐδεμία βία κατίσχυε φωτίζειν, Οὔτε ἄστρων ἔκλαμπροι φλόγες Καταυγάζειν ὑπέμενον τὴν στυγνὴν ἐκείνην νύκτα. 6. Διεφαίνετο δ' αὐτοῖς μόνον αὐτομάτη πυρὰ φόβου πλήρης, Ἐκδειματούμενοι δὲ τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως Ἡγοῦντο χείρω τὰ βλεπόμενα[1].

Novae sectionis cum praecedentibus nexu indicato (*v.* 1) Sapiens triduanas tenebras Aegyptiis iure talionis immissas esse duplici ratione probat (*vv.* 2, 3), ut deinde calamitatis istius gravitatem

1. *VV. LL.* — 1. Latina vocabula *verba tua* vel secundum alios codd. *opera tua* in graec. codd. et aliis verss. absunt atque etiam ab uno alteroque bono teste latino recte sunt omissa. — 3. ἐσκορπίσθησαν B 23 cum haud paucis minusc., *Vulg. Syr. Arm. Ar.*; διεσκορπίσθησαν solus ℵ; ἐσκοτίσθησαν (tenebris offusi sunt) A C cum aliis minusc. et *Aeth.*; prima lectio a plerisque merito praefertur (cfr *Reusch Tisch. Sw. Deane*), quia tertia, quam aliqui adoptarunt (cfr *Fr. Gr. Zöckl.* etc.) a librario videtur inventa, ut sententiam redderet clariorem; cfr *Comment.* — 4. ἀφόβως (*sine timore*) B ℵ cum nonnullis minusc., ἀφόβους (non timentes) A C 23 cum plerisque minusc.; altera lectio praeferri solet velut usui dicendi auctoris magis consentanea (cfr 10,5; 14, 23). — B et nonnulli minusc. : ἦχοι δ' ἐκταράσσοντες B[1] A C 23 et multi minusc. : ἦχοι δὲ καταράσσοντες, ℵ etc. ἦχοι δὲ ταράσσοντες. — 6. ἐκδειματούμενοι δὲ (perculsi autem terrore) B cum plerisque minusc., sed ἐκδειματούμενοί τε (perculsique terrore) ℵ A 23 cum *Vulg.*

enucleatius exponat. Spectris enim quae undique sibi apparere opinabantur, sonitibusque terribilibus eo magis conturbati sunt, quia caliginem nulla ratione dispellere poterant (*vv.* 4-6).

17,1. *Magna sunt enim iudicia tua, Domine, et inenarrabilia verba tua* in graeco textu : *Magna enim* sunt *decreta tua* (αἱ κρίσεις σου) *et explicatu difficilia* (δυσδιήγητοι) : *Propter hoc indisciplinatae animae erraverunt*. Nomine « iudiciorum » Dei Sapiens hoc loco non tam sententias Dei iudicis intelligit pro sua iustitia impiis (Aegyptiis) debitas poenas irrogantis piisque (Israelitis) praemia merita tribuentis (uti multi interpretantur cfr *Lap.* etc. — *Gr.* etc.), quam Dei universorum domini et gubernatoris consilia ac decreta, quibus cunctae res humanae sapientissima cum providentia ab aeterno sunt dispositae (cfr *Ps.* 35,7; 18,9 etc.); proxime autem modum considerat rationemque agendi, qua Deus populum suum ab Aegyptiorum servitute liberare statuerat[1] (cfr *Gutb.* etc.). Pharaoni enim eiusque subditis Deus variis aerumnis portentosis, quae a levioribus incipiens et ad graviores progrediens eis immisit, sed etiam ad eorum precationes mox sustulit, sese clarissime manifestavit idque eo consilio, ut veri Dei, quem ignorarant, omnipotentia summaque misericordia, idolorum vero, quae colebant, omnimoda inanitate cognitis et agnitis ab opprimendis Israelitis desisterent eosque in pace abire libentibus animis permitterent. At sua ipsorum pervicaci malitia divinum hoc consilium irritum reddiderunt, quum veri Dei maiestatem cognitam agnoscere recusarent (cfr ad 11,14; 12,23). Quamdiu enim plagis immissis premebantur, duri eorum animi emolliri quidem et mitigari videbantur, siquidem Moysen, ut a suo Deo illarum finem impetraret, rogabant; vix autem plagis cessantibus Pharao cum suis in Deum ingratissimi sese magis offirmarunt et occaecarunt; unde ea, quae ad eorum salutem divinitus erant antecedenter ordinata, ipsi in suam perniciem et interitum converterunt. Quo facto exemplum ac probatio exstiterunt sententiae modo (16,29) enuntiatae; hinc particula *enim* (cui *Corl.* substituit *profecto*).

Priorum igitur plagarum, quarum gravitatem hucusque adumbravit, ordine et infelici exitu consideratis Sapiens ad duas ultimas ac

1. S. Paulus (*Rom.* 11,33) nostrum locum, ut nonnullis videtur (cfr *Gutb.* etc.), ante oculos habuit, quum *iudicia Dei* (τὰ κρίματα Θεοῦ) incomprehensibilia vel potius inscrutabilia (ἀνεξερεύνητα) vocaret. Animadverte tamen, Apostolum proxime divina illa considerare consilia, quibus omnia sapientissime et misericordissime ita sunt disposita, ut Iudaei et Ethnici, qui diverso plane modo a Deo aberrantes sua caecitate et pertinacia sese salutis adipiscendae incapaces reddiderant, eadem via, scilicet gratis per fidem, ad Deum reducerentur (cfr *nostrum comm.* in ep. ad Rom. p. 627 sqq.).

gravissimas (ad triduanas scil. tenebras subitamque primogenitorum mortem) transiturus apposite innuit, occasionem quidem, cur Pharao eiusque subditi essent occaecati longiusque a Deo recessissent, eis divina fuisse *consilia magna et explicatu difficilia,* quae quo tenderent ex eorum effectibus, quos erant experti, cognoscere poterant sed noluerant (διὰ τοῦτο... ἐπλανήθησαν *ideo* i. e. ob consilia Dei non intellecta *erraverunt*); simul tamen iisdem verbis aperte declarat, veram occaecationis et aberrationis eorum causam fuisse eorum ipsorum malitiam et impietatem; aberrasse enim dicuntur, quia erant *animae indisciplinatae* (ψυχαὶ ἀπαίδευτοι). Ἀπαίδευτος enim in s. Scriptura non tam *rudem literarum,* quam *impium* notat, qui *nullius virtutis exercitio est eruditus* : *Prov.* 5,23; 15,12. 14; 17,21; *Eccli.* 6,21 (24); 11,3; 20,26; 22,3; unde etiam *Suidae* ἀπαίδευτος idem est qui ἄτακτος. Ceterum etiam apud *Xenoph.* (de republ. I. 5) ἀπαιδευσία valet i. q. ἀταξία i. e. incondita et dissoluta vivendi ratio vel impietas, eandemque vim nomen habet *Eccli.* 4,30(25); 21,27(24); 23,17(13) etc.

Quae explicaturus auctor exponit, quomodo culpabilis haec Aegyptiorum occaecatio se manifestarit et quam severa poena Deus eam ex talionis lege vindicaverit : qui enim prioribus, quas experti erant, plagis non eruditi Israelitas in servitute retinere conabantur, ii ipsi tenebris quasi vinculis ligati in domibus suis velut servi fugitivi retinebantur. 2. *Dum enim persuasum habent iniqui posse dominari nationi sanctae* — vel ad graecum accuratius : *opinati enim se posse opprimere gentem sanctam iniqui* (i. e. pro sua iniquitate) — *Vinculis tenebrarum et longae noctis compediti* (ad graecum proprie : *vincti tenebris et longae compedibus noctis constricti*), *Inclusi sub tectis, fugitivi* (φυγάδες) *perpetuae providentiae iacuerunt.* Quodsi ad verborum ordinem in primo membro attenderis, forte miraberis, quod nomini ἄνομοι (*iniqui*), licet locum subiecti tenere videatur, ultimus locus sit assignatus; auctor autem haud dubie illud dictionem ἔθνος ἅγιον (*populum sanctum*) sequi voluit, ut clarius opinionis absurditas pateret, quum sanctos ab iniquis opprimi iniustissimum sit; nomen ἄνομοι igitur hic non tam est verum ac proprium totius sententiae subiectum, quam subiecti taciti appositio quaedam. Quam apto porro tropo Sapiens illos, quos ob tenebrarum triduanarum densitatem sese a loco, in quo quisque erat, movere non potuisse Moyses refert (*Exod.* 10,23), velut tenebrarum captivos sua quemque in domo iacentes describat, non est, quod moneamus. Levem tamen difficultatem dictio φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας (*fugitivi aeternae providentiae*) creat, quae ab interpretibus diversimode explicatur. Equidem ad 10,10

respiciens, ubi Iacob fratris sui irae se subtrahens φυγὰς ὀργῆς τοῦ ἀδελφοῦ (*fugitivus irae fratris*) appellatur, Aegyptios hic eo nomine appellari censeo, quia se divinae providentiae ordini i. e. magnis et explicatu difficilibus iudiciis Dei, quae intelligere noluerunt, se subtrahere conabantur; qua significatione supposita *Lorin.* totam sententiam egregie in hunc modum exponit : « Aegyptii quum se putarent posse fugere Dei providentiam et vindictam, ab ea velut rei servique fugitivi comprehensi tenebris velut catenis constricti in domos suas quasi in carceres coniecti sunt » (similiter *Schm. Gutb. Crampon*). Quia φεύγω valet etiam *in exsilium mittor* seu *exsulo*, φυγάς *exsul* (cfr lexx.), alii (*Ians. Corl. — Grot. Farrar,* versio angl.) fugitivos divinae providentiae volunt esse i. q. divinitus exclusi a providentiae beneficiis, *Nann.* vero minus recte « relegatos a divinae providentiae cognitione, de cuius oculis et aspectu male sentiebant ». [Ex tertia verbi φεύγειν significatione *accusor, in iudicium vocor* hic aptus eliceretur sensus : *ab aeterna Providentia in ius vocati. Editor*].

Tenebrae autem Aegyptiis etiam peccatorum respectu, quae in nocturnis suis mysteriis perpetrare soliti erant (cfr 14,25), talionis poena fuerunt : 3. *Et dum putant se latere* (i. e. *quia latere se arbitrabantur*) *in obscuris* (ἐπὶ κρυφαίοις lege : *in occultis* i. e. occulte commissis) *peccatis, Tenebroso oblivionis velamento dispersi sunt paventes horrende Et cum admiratione nimia perturbati.* Ad graecum : καὶ ἐνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι lege : *et spectris perturbati*; scil. nomen ἔνδαλμα, quod in iuniore graecitate idem valet, quod εἴδωλον (simulacrum, phantasma, spectrum) nostro interpreti aeque ac syro ignotum fuisse videtur; unde prior legendum esse ἐν θαύμασι *in admiratione* forte suspicatus est, alter illo omisso vertit : « et perterriti et deiecti sunt ». Sententiae sensus in aperto est, licet dictio ἀφεγγεῖ λήθης παρακαλύμματι, quo pertineat et quid proprie valeat inter commentatores non satis constet.

Alii enim illam ad prius membrum trahunt et explicationis causa verbo λανθάνειν additam esse volunt, ut Aegyptii putasse dicantur, se quum in occulto peccarent, quasi in tenebroso oblivionis velo tectos latere Deum omniscium, similiter atque impii illi « quorum sunt in tenebris opera et qui dicunt : Quis videt nos et quis novit nos? » (*Is.* 29,15; cfr *Iob* 24,15). Quae explicatio omnino admittenda esset, si altero membro pro ἐσκορπίσθησαν (*dispersi sunt*) legere liceret ἐσκοτίσθησαν : *tenebris* divinitus *offusi sunt,* quia in latebris se occultarunt, ne peccata sua a Deo conspicerentur, sed oblivioni darentur. At lectionem hanc sufficiente auctoritate non esse munitam monuimus (*VV. LL.*); invecta quippe videtur a librario, qui non intellexit, quomodo auctor illos, quos *v.* 2 tenebris in suas domos compactos

dixit, nunc tenebris dispersos dicere potuerit. At eo ipso, quod suam quisque in domum erant inclusi neque amplius cum aliis congredi coetusque celebrare poterant, *tenebroso oblivionis velamento*, i. e. triduanis istis tenebris, *dispersi* aptissime asseruntur; quin etiam illi ipsi, qui eadem in domo versabantur, tenebrarum terrore adeo sunt perturbati, ut mutuo commercio frui non magis possent, quam si varios essent per locos dispersi. Tenebrae autem *velamentum oblivionis* vocantur, quatenus terroribus suis effecerunt, ut singuli suis ipsorum tantummodo rebus occupati ac distenti omnium aliorum obliviscerentur. Ceterum *Nann.* haud male coniecit, λήθης hic nomen proprium esse et inferorum amnem designare, cuius aquas umbris defunctorum eas gustantibus plenam rerum praeteritarum oblivionem afferre mythologi aiunt; metonymice autem nomen Λήθης orcum ipsum significare (uti apud poetas latinos Styx aliquoties pro orco usurpatum legitur), ita ut tenebrae illae triduanae quasi ex inferis ascendisse dicantur (cfr *v.* 13 νὺξ... ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν ἐπελθοῦσα nox... ex invincibilis orci recessibus ascendens).

Inanibus autem rerum, quas se illa in caligine videre rebantur, speciebus Aegyptios potissimum perturbatos esse Sapiens ultimo *v.* 3 membro (καὶ ἐνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι) iam indicavit, accuratius autem sequentibus explanat primum monens eos nullum invenisse locum, in quo ab eiusmodi spectris tuti essent : 4. *Neque enim quae continebat illos spelunca* (μυχός *latebra*) *sine timore* (*illos*) *custodiebat, Quoniam sonitus descendens perturbabat illos* (ad graecum : ἦχοι δὲ καταράσσοντες [vel ἐκταράσσοντες cfr *VV. LL.*] αὐτοὺς περιεκόμπουν rectius : *sed sonitus cum strepitu descendentes* [vel *vehementer perturbantes*] *circumstridebant illos*), *Et personae tristes illis apparentes pavorem illis praestabant* vel ad graecum potius lege : *et spectra tetricis vultibus miserabilia apparebant* (illis). Interpres Vulg. sensum sententiae nonnullis vocabulis minus apte redditis aliquantulum obscuravit. In primo membro μυχός latino *spelunca* redditur, qua significatione utique a poetis aliquoties usurpatum legitur, at proprie *penetrale* vel intimum domus recessum valet, neque dubium est, quin auctor nomine illo hic cuncta latibula complecti voluerit, in quae Aegyptii se isto triduo receperant (cfr *Hesych.* : οἱ μυχοί. οἱ ἐνδότατοι καὶ ἀπόκρυφοι τόποι). In altero deinde membro interpres nexum adversativum in causalem convertit ac praeterea vim verbi περιεκόμπουν non expressit, quippe quo Aegyptios se a sonitibus illis perturbantibus non potuisse tueri significetur, quia undique illos circumstreperent. In tertio demum *spectra* (φάσματα) proprie sunt personarum species seu formae aut per somnum aut per vigiliam oblatae, i. e. aut somniantium visa aut simulacra, qualia homines formidolosi saepe se videre

arbitrantur. Quae apparuisse dicuntur ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις i. e. *miserabilia tristibus vultibus,* ita ut aspicientium mentes maestitia et timore implerent. Scilicet κατηφής (ex κατά et φάος) proprie dicit eum qui *oculis* ex tristitia vel moerore *deiectis* incedit, ergo miserabilem; ἀμείδητος autem (α privat. et μειδᾶν subridere) idem est, quod *non subridens,* ergo tristis vel tetricus.

Utrum autem illa φάσματα, quae per vigiliam ab Aegyptiis conspecta esse Sapiens haud obscure indicat, mere imaginaria fuerint solique formidini originem debuerint an in rerum natura exstiterint oculisque corporeis conspici potuerint, interpretes dissentiunt. Priorem sententiam antiquiores fere omnes tenent (cfr *Rhab. S. Bonav. Holc. Carth.* etc.) eique omnino favere appellatio φάσμα videtur, siquidem non minus quam nomen φάντασμα, quod *v.* 15 de eadem aut simili re positum est, eas fere solas quas phantasia creat visiones denotat. Alteram tamen interpretationem iuniores plerique cum ***Tostato*** praeferunt (cfr *Perer. Ians. Castro, Lorin. Lap.* etc.; ex modernis *Schm.* etc.); quin etiam aliqui definire volunt, quaenam illa spectra re fuerint (sc. aut puerorum in Nilo mersorum aut Aegyptiorum prioribus plagis interfectorum animae, aut falsorum deorum imagines etc.); at recte *Calm.* « incertissima, inquit, haec omnia sunt, de quibus tacere ac dubitare praestat quam ea, quae ignorantur, asserere ».

Illa autem φάσματα, quaequae illorum fuit natura, Aegyptiis eo maiorem incusserunt pavorem, quo incertiore lumine conspiciebantur. Toto quippe illo triduo consuetum lumen, quo homines res clare vident et discernunt, quum terrestre tum coeleste plane defecit : 5. *Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen praebere* (κατίσχυε φωτίζειν i. e. igni terrestri non inerat vis satis fortis ad caliginem illam depellendam), *Neque siderum limpidae* (ἔκλαμπροι lege : *fulgidae*) *flammae illuminare poterant* (ὑπέμενον verte : *audebant*) *illam noctem horrendam,* acsi sol ipse et stellae vires suas tenebris istis vincendis impares existimassent. Pro consueto autem lumine iucundo immania fulmina subinde emicabant, quae eorum terrorem augebant : 6. *Apparebat autem* (δέ) *illis subitaneus ignis timore plenus* vel ad graecum accuratius : *interlucebat* (sc. inter tenebras) *autem illis tantummodo spontanea* (seu sponte exorta) *pyra terrore plena, Et timore perculsi illius, quae non videbatur, faciei* (graece ἐκδειματούμενοι δὲ τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως clarius : *exterriti autem visione illa non clare cognita*), *Aestimabant deteriora esse* (quam re erant), *quae videbantur* (τὰ βλεπόμενα *ea qua conspiciebantur*).

Particulis μέν... δέ lumini consueto, quod *v.* 5 defuisse asseritur, *fulgura* (*v.* 6) opponuntur, quae *sola* (μόνον; *Vulg.* hoc adverbium indebite omittit) illo triduo ex tenebris erumpebant easque subinde vincebant. Illa tamen Aegyptiis non consolationi sed maiori terrori fuisse auctor ipso nomine (αὐτομάτη πυρά *pyra sponte exorta*) iam declarat; namque nomen πυρά, proprie « lignorum struem ad cadavera concre-

manda accensam » valet ac proinde fulmina illa quasi conglobata fuisse vastisque incendiis similia indicat, quae incertum sinistrumque lumen spargebant; *sponte exortam* autem pyram dicit, quatenus fulmina mediis ex tenebris, modo hic modo illic, subito et improviso effulgentia neque minus subito evanescentia causam suae originis non prodebant (in oppositione ad lumen igne productum aut stellis diffusum). Attamen ad eiusmodi fulgores, quamvis immanes, quum nonnisi minimis temporis punctis luceant, res conspiciuntur quidem, sed non accurate cognoscuntur; unde etiam Aegyptii spectra, quae se videre arbitrabantur, ad fulmina, quae sola isto triduo lumen quoddam praebebant, clare cognoscere non poterant, sed incerta eorum visione exterritis id accidebat, quod formidolosis accidere solet, ut ea quae vix conspiciunt graviora existiment quam revera sunt. Cum *Lorin. Lap. Tir.* etc. auctorem verba βλέπειν et θεωρεῖν ita distinguere censemus, ut prius latino *conspicere* congruat, alterum autem, quod proprie *spectare* valet, idem sit quod *assidue et diligenter videre* seu clare cognoscere. Ceterum in altero membro *v.* 6 genetivus τῆς μὴ θεωρουμένης ὄψεως a plerisque pro genetivo causae recte habetur, uti versione nostra indicavimus; quod vero *Gutb.* obiicit, propter particulam negantem μή adhibitam membrum illud conditionate esse sumendum, id difficultatem non creat, quia scriptores iuniores, qui dialecto κοινῇ utebantur, ante *omnia* participia particulam μή ponebant (cfr *Bl.* Gr. p. 248).

2) *Aegyptiorum magi non minore tenebrarum terrore perculsi* (17,7-14).

17,7. Et magicae artis appositi erant derisus Et sapientiae gloriae correptio cum contumelia. 8. Illi enim qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, Hi cum derisu pleni timore languebant. 9. Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, Transitu animalium et serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant : Et aerem, quem nulla ratione quis effugere posset, negantes se videre. 10. Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis : Semper enim praesumit saeva, perturbata conscientia. 11. Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum. 12. Et dum ab intus minor est exspectatio, Maiorem computat inscientiam eius causae, de qua tormentum praestat. 13. Illi autem, qui impotentem vere noctem, Et ab infimis et ab altissimis inferis supervenientem, Eundem somnum dormientes, 14. Aliquando monstrorum exagitabantur timore, Aliquando animae deficiebant traductione; Subitaneus enim illis et insperatus timor supervenerat.

17,7. Μαγικῆς δὲ ἐμπαίγματα κατέκειτο τέχνης, Καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος. 8. Οἱ γὰρ ὑπισχνούμενοι δείματα καὶ ταραχὰς ἀπελαύνειν ψυχῆς νοσούσης, Οὗτοι καταγέλαστον εὐλάβειαν ἐνόσουν. 9. Καὶ γὰρ εἰ μηδὲν αὐτοὺς ταραχῶδες ἐφόβει· Κνωδάλων παρόδοις καὶ ἑρπετῶν συριγμοῖς ἐκσεσοβημένοι, 10. διώλλυντο ἔντρομοι, Καὶ τὸν μηδαμόθεν φευκτὸν ἀέρα προσιδεῖν ἀρνούμενοι. 11. Δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία μαρτυρεῖ καταδικαζομένη, Ἀεὶ δὲ προσείληφε τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει. 12. Οὐδὲν γάρ ἐστι φόβος, εἰ μὴ προδοσία τῶν ἀπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων. 13. Ἔνδοθεν δὲ οὖσα ἧττων ἡ προσδοκία, Πλείονα λογίζεται τὴν ἄγνοιαν τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας. 14. Οἱ δὲ τὴν ἀδύνατον ὄντως νυκτὰ Καὶ ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν ἐπελθοῦσαν, Τὸν αὐτὸν ὕπνον κοιμώμενοι, 15. Τὰ μὲν τέρασιν ἠλαύνοντο φαντασμάτων, Τὰ δὲ τῆς ψυχῆς παρελύοντο προδοσίᾳ, Αἰφνίδιος γὰρ αὐτοῖς καὶ ἀπροσδόκητος φόβος ἐπῆλθεν[1].

1. *VV. LL.* vide in pagina sequenti.

In primis, quibus a Deo puniebantur, calamitatibus Pharao eiusque populus ad magos suos confugerant, ut ab eis auxilium aut saltem solatium sibi exquirerent (*Exod.* 7,22; 8,7. 18); verum malefici isti, sicut eo tempore, quo ulcerum pestilentia grassabatur, coram rege apparere non potuerunt utpote eodem morbo conflictati (*Exod.* 8,11), ita Aegyptiis tenebrarum horrore perturbatis nullo fuerunt adiumento, quia maiore quam illi terrore erant perculsi. Quantopere autem timuerint, Sapiens graphice describit duabus particulis (*vv.* 7-9 et 13-14), quas parenthesi quadam separat, qua maiorem eorum metum ex mala eorum conscientia exortum esse declarat (*vv.* 10-12).

1. *VV. LL.* — 9. ταραχῶδες (terrificum) B A C cum plerisque minusc. *Copt. Aeth. Shex.*; sed τερατῶδες (prodigiosum seu monstruosum) ℵ 23 cum *Vulg.* (quae legit : *ex monstris*) *Syr. Arm.* — συριγμοῖς (sibilationibus) B ℵ^2 et minusc. aliqui; eodem sensu συρισμοῖς ℵ A C et alii minusc. — Graecae editiones a vocabulis διαλλυντο ἔντρομοι (*tremebundi peribant*) perperam novum versum incipiunt; nos Vulgatae numerationem per totum caput retinebimus. — 10. B A C 23 legunt adverbium ἰδίως (proprie seu per se), ℵ edit. Compl. etc. dativum ἰδίῳ (proprio) μαρτυρεῖ (testatur) B 23, multi minusc. et verss. *Vulg. Syr. Ar.* sed μάρτυρι (testi) ℵ A. alii minusc. et Compl. et vers. *Arm.* (*Vulg.* neque ἰδίως neque ἰδίῳ exprimit; C solus habet μαρτυρία testimonium). Hinc plerique legunt : δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία, μαρτυρεῖ καταδικαζομένη (Edd. *Sixtinae.* — *Tisch. Sw. Deane* etc.), alii : δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πονηρία μάρτυρι καταδικαζομένη; utra sit praeferenda cfr *Comment.* — Nostra Vulgata in duorum ultimorum vocabulorum versione multum variat : dat testimonium *condemnationis* vel *condemnationi* vel *condemnata* aut *data est in condemnationem omnium.* Praeterea priori *v.* 10 sticho multi codd. et fere omnes antiquiores interpretes latini hanc sententiam praemittunt : « *frequenter enim praeoccupant pessima redarguente conscientia* » (cfr *Rhab. S. Bonav. Hugo C. Lyr. Holc.* etc.), quae a Sixto V in suam editionem recepta a correctoribus Clementinis merito expuncta est, quia nihil est nisi liberior alterius stichi versio, quae a margine in textum irrepsit. — Praeterea *Vulg.* in altero sticho pro δέ (autem) indebite legit : γάρ (*enim*), uti etiam pro προσείληφε (adiunxit) minus apte προείληφε (praesumsit), quod solus ℵ^2 habet. — Addamus Vulgatae textum etiam in *vv.* 11-14 parum accuratum esse : in *v.* 11 ante nomen *proditio* antiquiores interpretes omnes cum nonnullis codd. inserunt : *praesumtionis adiutorium et*; in *v.* 12 pro *inscientiam* (ἄγνοιαν ignorantiam) alii legunt : *in scientiam,* alii : *conscientiam,* alii : *potentiam;* in *v.* 13 pronomen *qui* indebite est insertum, nisi cum nonnullis pro participio *dormientes* (κοιμώμενοι) legere mavis : *dormierunt*; porro pro *impotentem vere noctem* (ἀδύνατον ὄντως νύκτα) aliqui legunt : *in potentem venerunt noctem* vel *in potenti venerunt nocte;* pro *ab infimis* nonnulli : *ab infirmis;* nomen *inferis,* quod *Vulg. Clem.* exhibet, multi omiserunt; *ab infimis et ab altissimis,* quum idem valeant, duplex eiusdem vocabuli videtur versio; in *v.* 14 pro *traductione* lege *proditione* (προδοσία). — 13 (14) Pro ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν (*ex impossibilis orci penetralibus*), quae communis est graecorum uncialium lectio, aliqui minusc. habent : ἐξ ἀδυνάτων ᾅδου μυχῶν (ex impossibilibus orci penetralibus) atque coniici licet, *Arm.* et *Vulg.* candem lectionem exprimere voluisse. — 14(15) ἐπῆλθεν (*supervenerat*) B A C aliqui minusc.. *Vulg. Copt. Aeth.*; sed ἐπεχύθη (superfusus est) ℵ cum nonnullis minusc. et *Shex.*

Tantus magis erat timor, ut omnibus essent risui : 7. *Et magicae artis appositi erant derisus* — vel potius loco huius mendosae versionis ad graecum textum : μαγικῆς δὲ ἐμπαίγματα κατέκειτο τέχνης vertendum est aut : *magicae artis illusiones*, quibus nimirum magi, quum Moysis miracula imitarentur, eum irridebant (cfr *Corl. Gutb.* etc.), aut : *magicae artis praestigiae*, i. e. incantationes, quibus magi utebantur (cfr *Vat. Ians.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.) *prostratae iacebant* — *Et sapientiae gloriae correptio cum contumelia* (ad graecum : καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονείας ἔλεγχος ἐφύβριστος clarius : *et iactantiae de sapientia erat correptio contumeliosa*). In priore membro levem difficultatem nomen ἐμπαίγματα creat, quod proprie *illusiones* vel *irrisiones* valet, hic autem idem esse quod *praestigiae* a multis haud inepte putatur. Quidquid autem de accurata illius vi statuitur, tota sententia apertissime docet, magicam artem ad tenebrarum terrorem depellendum nihil omnino valuisse magosque suis de ea iactationibus sese risui omnium exposuisse. Quae interpretatio sequentibus confirmatur : 8. *Illi enim, qui promittebant timores et perturbationes expellere se ab anima languente, Hi cum derisu pleni timore languebant* (οὗτοι καταγέλαστον εὐλάβειαν ἐνόσουν accuratius : *iidem ridiculo metu seu ridicula timiditate languebant*) ; iure igitur aliis risui erant, qui ad illud « medice cura te ipsum » non attendentes in aliis eum morbum se curaturos esse promittebant, quo ipsi sua arte non obstante paene enecabantur. 9. *Nam etsi nihil illos ex monstris* (μηδὲν... τερατῶδες *nihil monstruosi* seu *portentosi* vel μηδὲν... ταραχῶδες *nihil turbulenti* seu *terrifici* cfr *VV. LL.*) *perturbabat, Transitu animalium* (κνωδάλων *bestiolarum* cfr ad 11,6) *et serpentium sibilatione commoti* (ἐκσεσοβημένοι potius : *exterriti*) *tremebundi peribant, Et aërem, quem nulla ratione quis effugere posset negantes se videre* (graece : *et ipsum aërem nulla ex parte evitabilem aspicere recusantes*). Tanta igitur erat eorum timiditas, ut puerulis similes in locis, in quibus nihil quod timerent aderat, ad levissimum sonitum ab animalculis transvolantibus aut a reptilibus sibilantibus excitatum paene morerentur atque mediis in tenebris spiritum quasi intercluderent, quum ipsum aërem veluti rem periculi plenam horrerent.

Quem insanum magorum pavorem Sapiens apposite hoc loco ex mala eorum conscientia exortum esse quasi parenthetice addit. 10. *Cum sit enim timida nequitia, dat testimonium condemnationis; Semper enim* (lege : *autem* δέ) *praesumit saeva* (προείληφε τὰ χαλεπά, sed melius : προσείληφε τὰ χαλ. *adiungit saeva* seu ferocia) *perturbata conscientiâ* (seu accuratius : *coacta a conscientia* συνεχομένη συνειδήσει). De genuina prioris stichi lectione non constare diximus (*VV. LL.*) ;

latina autem, quam ex *Vulg. Clem.* transcripsimus, neque cum praecedentibus neque cum sequentibus satis apte cohaeret. Quare antiquiores Latini, qui graecum textum ignorarunt, non tantummodo, ut priorem stichum cum praecedente sententia connecterent, ei liberiorem secundi stichi versionem praemiserunt, sed ultima quoque eius verba diversimode reddiderunt; iuniores autem plerique alterutram ex duabus, quas graeci codd. subiiciunt, lectionibus recte adoptarunt. Utra autem eligatur, ad sensum quidem haud multum refert, quum fere eundem exprimant; priorem tamen praeferimus, quia tum meliore testium auctoritate munitur, tum clarior esse ac nervosior videtur. Legimus ergo : δειλὸν γὰρ ἰδίως πονηρία· μαρτυρεῖ καταδικαζομένη, sententiolam autem, quamvis parva sit, colo post nomen πονηρία posito in duo membra completa cum *Gutb.* distribuimus, quorum alterum priori asyndete subiungitur (de cuius asyndeti usu cfr *Win.* Gr. p. 501); unde haec erit eius versio : *timida* (δειλόν proprie : *aliquid timidi* seu *ignavi*) *enim per se* (seu *ex natura sua*) *est improbitas;* (id) *testatur quum condemnatur;* nam improbi, quamvis saepe audaciam simulent, se tamen vi improbitatis timidos et ignavos esse ipsi produnt, quum primum meritis poenis plectuntur. Alteram vero lectionem (δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πονηρία μάρτυρι καταδικαζομένη) vertere poteris : *timida enim est improbitas proprio teste* (i. e. suo ipsius testimonio) *condemnata*; attamen miri aliquid haec habet sententiae constructio, quia non satis apparet, cur auctor interposito subiecto (πονηρία) dativum μάρτυρι a suo attributo (ἰδίῳ) separaverit, neque satis clare haec constructio improbitatem *naturaliter* ignavam esse exprimit. Id autem Sapientem efferre voluisse, alter stichus ostendit, quo nequitia *semper,* i. e. etiam ante suam condemnationem timere asseritur : *semper autem,* etiam quando meritis poenis nondum addicta est, *adiungit saeva a conscientia coacta*; conscientia (συνείδησις[1]) scilicet non solum tamquam testis peccatori crimina in memoriam revocat, sed etiam tamquam iudex poenas meritas ei demonstrat, ac proinde necessario efficit, ut angoribus de culpa commissa timores poenarum promeritarum adiungens maiore metu percellatur.

Impietatem autem natura sua timidam esse definitione quadam descriptiva timoris confirmat, illo nimirum eius effectu indicato, quem

1. Nomen συνείδησις, quo praesertim S. Paulus, sed etiam aliquoties SS. Petrus, Ioannes et Lucas *conscientiam* designant, in graeco Test. Vetere non legitur nisi *Eccle.* 10,20; ibi autem hebr. מַדָּע respondet, quod a *S. Hieron.* ibi recte latino *cogitatio* redditur. Sapiens igitur primus hanc nominis significationem a Chrysippo stoico (obiit 208 a. Chr.) iam adhibitam in biblicam graecitatem invexit.

in magis adfuisse superiora manifeste docent : 11. *Nihil enim est timor nisi proditio cogitationis auxiliorum.* 12. *Et dum ab intus est minor exspectatio, Maiorem computat inscientiam eius causae, de qua tormentum praestat.* Ex textu graeco ita interpretabimur : 11. *Nihil enim est timor nisi proditio auxiliorum ratiocinii* (= auxiliorum a ratiocinio subministratorum); 12. *Intus autem cum minor est exspectatio* sc. auxiliorum, *Maiorem* (*haec*) *aestimat ignorantiam causae tormentum praestantis.*

In timoris effectu describendo auctor metaphora utitur ab ignavis militibus desumta (cfr *Lap.* etc.); sicut enim isti arcem, unicum suum praesidium, hostibus produnt ac dedunt, ita homo timore correptus rationem, quae sola ei modos periculi, quod timet, avertendi subministrat, quodammodo prodit, illius scilicet usu quasi se abdicans, ita ut amenti fiat similis. De magno, ne dicam, summo timore hic agi tum totus contextus declarat tum verba ipsa docent, quibus timor vocatur proditio *omnium auxiliorum* (τῶν βοηθημάτων); haec enim hic est articuli vis. Ac profecto timor si levis est, mentem acuit et ad auxilia quaerenda impellit (cfr *S. Thom.* Summ. Theol. I. II. q. 44, a 2); crescente autem timore usus rationis magis magisque impeditur; unde consequens est, ut *exspectatio auxiliorum*, quippe quae ratio excogitare ac subministrare debeat, simul in *animo diminuatur.* Decrescente autem auxilii ac salutis spe seu, quod idem est, crescente timore homo ita perturbatur, ut anxietatis, qua cruciatur, causam, quia eam nec clare videt neque perspicit, magis magisque in animo suo augeat, i. e. maiorem in dies sibi fingat. Simili modo auctor, quo antea, abstracto (ἡ προσδοκία) pro concreto (ὁ προσδοκῶν) usus est, ut legentis animum ad spei notionem adverteret; etiam τὴν ἄγνοιαν τῆς αἰτίας (*ignorantiam causae*) pro τὴν ἄγνωστον αἰτίαν (ignoratam causam) dicere maluit, siquidem haec ipsa ignorantia causae ad metum augendum non parum conferre solet. Nomine ἡ βάσανος (de cuius significatione diximus ad 3,1) proxime significari videtur *anxietas,* qua homo timore correptus cruciatur.

A communiore hac loci interpretatione, quae verbis et contextui apprime congruit, praeter antiquos Latinos erroneis codicum suorum lectionibus in errorem inductos (cfr *VV. LL.*) haud pauci quoque iuniores modernique magis minusque recedunt. Quidam iuniores (*Nann. Clar. Ians. Calm.* etc., quibuscum *Gutb.* consentit) ad nomen ἡ προσδοκία non genet. τῶν βοηθημάτων (*auxiliorum*), sed ex suis genetivum τῶν κακῶν (*malorum*) supplent, at ipsa iam nominum προδοσία et προσδοκία paronomasia auctorem ad priorem dictionem respexisse clare ostendit; minus recte deinde comparativum ἥττων, qui proprie valet *peior* aut in oppositione ad πλείων, uti hic, *minor*, idem esse volunt ac *victus* (cfr *Nann.*) aut *minus sibi confidens* (cfr

Gutb.); namque a profanis quidem scriptoribus *devicti* interdum tropice οἱ ἥττονες vocantur (cfr *Xenoph. Anab.* V. 6,32), sed tropicum hunc usum hoc loco supponere vel ideo non licet, quia consueta eius significatio, dummodo genetivus τῶν βοηθημάτων suppleatur, aptissima est. Alii demum (cfr *Lap.*[2] *Les.* etc. — *Gr. Siegfr.* etc.) genetivum τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας (*causae cruciatum praebentis*) non ad nomen τὴν ἄγνοιαν (*ignorantiam*) pertinere volunt, sed a comparativo πλείονα dependentem faciunt, ut sententia verti debeat : minor spes auxiliorum efficit, ut homo timidus *ignorantiam* (auxiliorum) maiorem habeat quam causam ipsam, qua cruciatur; quam explicationem vix minus quam ea, quam supra exposuimus, aptam esse libenter fatemur.

Brevi hac terminata expositione causae, qua magorum timor auctus est, Sapiens in illo describendo pergit : **13.** *Illi autem qui* (graece solum : *illi autem* sc. magicae artis cultores cfr *vv.* 7, 8) *impotentem vere* (ἀδύνατον ὄντως *vere impossibilem*) *noctem Et ab infimis et ab altissimis inferis supervenientem* (graecam lectionem : καὶ ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν ἐπελθοῦσαν verte : *et ab impossibilis orci penetralibus advectam*), *Eundem somnum dormientes,* **14.** *Aliquando* (τὰ μέν melius *partim*) *monstrorum exagitabantur timore* (τέρασιν ἠλαύνοντο φαντασμάτων accuratius : *prodigiis spectrorum* seu *prodigiosis spectris exagitabantur*), *Aliquando* (τὰ δέ *partim*) *animae deficiebant traductione* (τῆς ψυχῆς παρελύοντο προδοσίᾳ proprie : *animae proditione dissolvebantur* ad instar paralyticorum, i. e. deficientibus animis enervabantur); *Subitaneus enim illis et insperatus* (lege : *inexspectatus* seu *inopinatus* ἀπροσδόκητος) *timor supervenerat.* Multum interpretes in dictionibus ἀδύνατος νύξ et ἀδύνατος ᾅδης explicandis laborant; difficultatem tamen, quam iis creari non negamus, satis facile removeri censemus, dummodo memores simus, ἀδύνατον (*impossibile*) per hyperbolen illud quoque apte vocari, quod sive in bonam sive in malam partem mensuram omnem ita excedit, ut neque cogitatione comprehendi neque verbis plene exprimi posse videatur; haud dissimili sensu Latini adiectivum *impotens* adhibent, ubi de *dominatione impotentissima* i. e. tam superba et insolenti et crudeli, ut paene cogitari nequeat, loquuntur, aut de impotenti crudelitate, iniuria, rabie (vel etiam de impotenti laetitia). Quo hyperbolico loquendi usu supposito triduana illa *nox,* quae non tantummodo duratione sua, sed maxime terroribus, quos secum attulit, omnia longissime excessit, quae de nocte loquentes cogitare solemus, ac similiter *orcus,* cuius perpetuas tenebras horridosque, qui finem non sunt habituri, cruciatus nonnisi imperfectissime animo nobis effingere valemus, apte *impossibilis* vocatur. Per immanissimam igitur illam noctem, quae ex immanissimo tartaro in terram ascendisse videbatur, magi *eundem somnum,* quem reliqui Aegyptii, dormivisse dicuntur (ὕπνον κοιμώμενοι cfr *Ioan.*

11,13 ἡ κοίμησις τοῦ ὕπνου); reliquorum autem Aegyptiorum somnus, uti ex superiore descriptione elucet (*vv.* 4-6), maiore cum iure quam ille philoctetaeus ὕπνος ἄϋπνος (*somnus insomnis* cfr *Soph.* Philoct. 837) dici merebatur; atque magos quoque illa atrocissima nocte neque placido gravique somno sopitos esse neque quietem pacemque invenisse Sapiens diserte docet, quum eos similiter ac plebem partim prodigiosis spectris, quae se continuo videre opinabantur, exagitatos esse, partim animis deficientibus velut paralyticos iacuisse addat; tantus enim erat terror, quo subito et inopinato erant correpti.

In explicatione dictionum ἀδύνατος νύξ et ἀδ. ᾄδης quorumdam iuniorum (*Ians. Boss.* etc. — *Grot.* etc.) opinio, qui ἀδύνατος idem quod *intolerabilis* (ἀδύνατος τλῆναι impossibilis toleratu) esse arbitrantur, tamquam arbitraria a modernis iure negligitur. Atque maiore cum iure coniectura a *Castro* excogitata spernitur, qui adiectivo significationem *infirmi* attribuit, quae ei re competit, sed eam in contrariam convertit, quum adiectivum hic per metonymiam (causae et effectus) positum dicit, ut potentem designet, qui Aegyptios miseros infirmosque reddiderit. — Alii iuniores (apud *Lap.*) et haud pauci moderni (*Schm. Les.* etc. — *Gr. Siegfr. Deane Zöckl.* etc.) noctem illam proprio sensu *infirmam* vocari volunt, quia per se vere infirma fuerit neque sua ipsius virtute cuiquam nocere potuerit, ac similiter infernum infirmum dici opinantur, quia « inferorum regnum non sit in terra » (1,14). Attamen Sapiens, qui non tantummodo spectrorum, sonituumque terrores, quos nox illa secum attulit, sed timorem quoque, quem triduanae tenebrae ipsae et plebi et magis incusserunt (*vv.* 2, 3, 9) clare et dilucide describit, si *noctem vere infirmam* dicere voluisset, pugnantia locutus esset. Atque infernus quoque, quamvis eius *regnum* non sit in terra, infirmus i. e. potestate nocendi hominibus in terra degentibus privatus, inepte diceretur; ceterum auctor, quum infernum diceret ἀδύνατον, de potestate, qua hominibus nocere potest, non cogitavit, sed eius diritatem et atrocitatem denotare voluit; tenebras quippe, quibus Aegyptii tantopere terrebantur, ex inferno, in quo perpetuae sunt tenebrae, in terram quasi ascendisse dicit; suam igitur ipsius tenebrarum descriptionem infirmasset, si infernum proprio sensu infirmum dixisset. Quae quum ita sint, *Gutb.*, ut infirmi significationem retinere possit, Sapientem per ironiam his dictionibus usum esse coniicit; magos scilicet plebi promisisse, se tenebrarum illarum pericula amoturos esse ac proinde illas *infirmas* proclamasse, auctorem autem ipsis eorum verbis per irrisionem repetitis ostendere voluisse, quam turpiter errassent. Cui explicationi prioribus utique meliori id tamen obstare censemus, quod nox vocetur ὄντως ἀδύνατος, illud ergo, quod adiectivo ἀδύνατος exprimitur, *reapse* (non ficte aut opinate) nocti attribuatur; infirmitas autem nocti illi re non competebat.

3) *Universi Aegyptii eidem insano terrori obnoxii* (17,15-20).

17,15. Deinde si quisquam ex illis decidisset, Custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. 16. Si enim rusticus quis erat aut pastor, Aut agri laborum operarius praeoccupatus esset, Ineffugibilem

17,16. Εἶθ' οὕτως, ὃς δήποτ' οὖν ἦν, ἐκεῖ καταπίπτων Ἐφρουρεῖτο εἰς τὴν ἀσίδηρον εἱρκτὴν κατακλεισθείς. 17. Εἴ τε γὰρ γεωργὸς ἦν τις ἢ ποιμὴν, Ἢ τῶν κατ' ἐρημίαν ἐργάτης μόχθων, Προληφθεὶς τὴν δυσάλυ-

sustinebat necessitatem. 17. Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati. Sive spiritus sibilans, Aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, Aut vis aquae decurrentis nimium, 18. Aut sonus validus praecipitatarum petrarum, Aut ludentium animalium cursus invisus, Aut mugientium valida bestiarum vox, Aut resonans de altissimis montibus echo : Deficientes faciebant illos prae timore. 19. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine Et non impeditis operibus continebatur. 20. Solis autem illis superposita erat gravis nox, Imago tenebrarum, quae superventura illis erat. Ipsi ergo sibi erant graviores tenebris.

κτον ἔμενεν ἀνάγκην. 18. Μιᾷ γὰρ ἁλύσει σκότους πάντες ἐδέθησαν· Εἴ τε πνεῦμα συρίζον Ἢ περὶ ἀμφιλαφεῖς κλάδους ὀρνέων ἦχος εὐμελής, Ἢ ῥυθμὸς ὕδατος πορευομένου βίᾳ, Ἢ κτύπος ἀπηνὴς καταῤῥιπτομένων πετρῶν, 19. Ἢ σκιρτώντων ζώων δρόμος ἀθεώρητος, Ἢ ὠρυομένων ἀπηνεστάτων θηρίων φωνή, Ἢ ἀνταναklωμένη ἐκ κοιλότητος ὀρέων ἠχώ, Παρέλυσεν αὐτοὺς ἐκφοβοῦντα. 20. Ὅλος γὰρ ὁ κόσμος λαμπρῷ κατελάμπετο φωτὶ, Καὶ ἀνεμποδίστοις συνείχετο ἔργοις. 21. Μόνοις δὲ ἐκείνοις ἐπετέτατο βαρεῖα νύξ, Εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους, Ἑαυτοῖς δὲ ἦσαν βαρύτεροι σκότους [1].

Postquam tum plebis tum magorum terrores separatim adumbravit, Sapiens utrosque eodem modo tenebrarum calamitate oppressos recapitulatione quadam complectitur, ut in sequente pericope (18 sqq.) communem Israelitarum continua in luce degentium felicitatem communi miseriae Aegyptiorum triduana caligine perterritorum opponat. Itaque primum verba Moysis (*Exod.* 10,23) quodammodo explicans universos Aegyptios irruentibus tenebris subito quasi in carcerem

1. *VV. LL.* — 15(16). In priore sententiae membro (εἶθ' οὕτως ὃς δήποτ' οὖν ἦν ἐκεῖ καταπίπτων ἐφρουρεῖτο) interpungendo interpretes inter se dissident. *Vulgat.* sua versione (*deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur*) se vocabula ἦν ἐκεῖ καταπίπτων coniunxisse et non nisi post καταπίπτων comma posuisse ostendit; quam interpunctionem etiam multi editores praetulerunt (*Holm. Field. Tisch. Sw.* etc.); ei tamen obstat, quod participium praesens cum verbo εἶναι coniunctum (ἦν καταπίπτων) actionem *durantem* exprimere soleat (cfr *Win.* Gr. p. 326 sq. etc.), id quod ad nostrum locum non quadrat. Alii igitur comma post ἐκεῖ poni iubent (*Fr. Gr.* etc.), ut sensus sit : « quicunque erat ibi, cadens custodiebatur » ; id autem minus aptum videtur, quia omnes Aegyptii *ibi*, i. e. iisdem in conditionibus fuerunt. Quare melius cum *Gutb.* et *Deane* comma post ἦν ponemus et ἐκεῖ ad verbum ἐφρουρεῖτο trahemus : « quicumque demum erat, cadens ibi custodiebatur ». — 16(17). δυσάλυκτον (*difficilem evitatu; Vulg. : ineffugabilem*) est communis lectio, pro qua ℵ A male δυσάληκτον. — 18(19). ἀπηνεστάτων θηρίων φωνή (saevissimorum animalium vox) communior quidem est lectio; ob stilisticam tamen rationem praeferenda videtur lectio ab A et *Vulg. Arm.* exhibita : ἀπηνεστάτη θηρίων φωνή (*valida* melius : saevissima animalium vox). — ἐκ κοιλότητος ὀρέων (ex cavitate seu ex cavernis montium) B ℵ A 23, plurimi minusc.; minus recte : ἐκ κοιλοτάτων (e montibus valde concavis), quam minusc. quidam et *Arm.* habent et *Vulg.* sua versione ab altissimis montibus supponere videtur. — 20(21). Pro communi lectione ἐπετέτατο (suspensa vel *superposita erat*) ℵ habet ἐπέκειτο (superiacebat).

inclusos esse repetit (*vv.* 15-17ª); tum pavore illo vano, quem populo suo Legem non observanti Deus comminaturus erat (*Levit.* 26,36; cfr *Ps.* 52,6), Aegyptios correptos esse pulchre illustrat (*vv.* 17ᵇ-18); demum communem timorem non parum auctum esse addit, quoniam Aegyptii sese solos illa caligine, quae futuras tenebras perpetuas eis praesagiebat, opprimi compertum habebant (*vv.* 19, 20).

15. *Deinde si quisquam ex illis decidisset, custodiebatur* vel ad meliorem lectionem graecam (cfr *VV. LL.*) : εἰθ' οὕτως, ὃς δήποτ' οὖν ἦν, ἐκεῖ καταπίπτων ἐφρουρεῖτο accuratius : *deinde sic* (sc. quum res ita se haberent) *quicumque demum fuit, ibi deficiens* (proprie : *cadens* scil. animo) *Custodiebatur in carcere sine ferro reclusus* (ad graecum : melius : *in carcerem ferro carentem* vel ferro non munitum *inclusus*). Animadverte particulas εἶτα οὕτως (*deinde ita*) sermonem ad novam hanc pericopen ita traducere, ut secunda (οὕτως) duas praecedentes in mentem revocet et confirmet; unde eo quem indicavi modo apte reddi videntur. Porro particulae δήποτ' οὖν, si pronomini relativo subiunguntur, similiter atque pron. indefin. τις et encliticum περ (ὅστις, ὅσπερ), sed his maiore cum vi, illud ad singula totius classis, quam relativum respicit, membra ita referunt, ut nullum excipiatur. Omnes igitur et singuli Aegyptii, sive plebeii erant sive optimates, sive divites sive pauperes, sive rudes sive docti, subito irruentibus tenebris eo in loco, in quo ab iis deprehendebantur, deficientes (animis quasi fracti[1]) veluti captivi custodiebantur, neque vinculis ferreis ad quemquam retinendum opus erat. Quae uberius sequentia exponunt : 16. *Si enim* (vel ad graecum εἴτε γάρ, quod alteri εἴτε *sive v.* 17ᵇ respondet, rectius : *sive enim*) *rusticus* (seu : *agricola*) *quis erat aut pastor Aut agri laborum operarius* (ἢ τῶν κατ' ἐρημίαν ἐργάτης μόχθων accuratius : *aut per desertum,* in quo nimirum divitum Aegyptiorum praedia ac pascua late patebant, *durorum laborum operarius*) *praeoccupatus esset* (dele verbum *esset,* quia ad tria protaseos membra pertinet verbum ἦν *erat,* primo membro insertum, apodoseos autem verbum ἔμενεν *sustinebat* statim sequitur, atque participium προληφθείς *praeoccupatus* i. e. a tenebris *deprehensus,* antequam illud animadverteret, pertinet ad apodosim), *Ineffugibilem sustinebat necessitatem* (τὴν δυσάλυκτον ἔμενεν ἀνάγκην); 17ª. *Una enim catena tenebrarum omnes erant colligati.*

Aegyptii deinde universi, sicuti e loco, in quo quisque erat, rece-

1. Haud pauci participium καταπίπτων proprio cadendi sensu explicant et alii quidem cadentes in terram, alii cadentes in tenebrarum illarum angustias; at καταπίπτειν etiam de iis, qui animis cadunt vel deficiunt, usurpatur; cfr οἱ καταπεπτωκότες i. q. afflicti seu animis fracti apud *Libanium.*

dere tenebris prohibiti sunt, ita iisdem tam vano et inani pavore perculsi sunt, ut timerent, ubi non erat timor, atque suavibus iucundisque rebus pariter ac tetricis horrendisque exagitarentur; id auctor variis enumeratis sonitibus explanat, quibus cunctos perterritos esse antea (*v.* 4) declaravit. Ad sententiae constructionem praemonuisse iuverit septem prioribus stichis totidem exprimi subiecta, quae ultimo octavi stichi vocabulo (ἐκφοβοῦντα *perterrentia*) comprehenduntur et in dictione παρέλυσεν αὐτούς (*enervarunt illos*) suum habent praedicatum. 17ᵇ. *Sive spiritus sibilans, Aut inter spissos arborum ramos avium sonus suavis, Aut vis aquae decurrentis nimium, 18. Aut sonus validus praecipitatarum petrarum, Aut ludentium animalium cursus invisus, Aut mugientium valida bestiarum vox, Aut resonans de altissimis montibus echo : Deficientes faciebant illos prae timore.* Quae ad textum graecum accuratius ita reddemus : *Sive aura sibilans, Aut inter frondosos* (ἀμφιλαφεῖς) *arborum ramos avium cantus suavis, Aut murmur aquae decurrentis cum impetu, Aut fragor vehemens* (κτύπος ἀπηνής) *praecipitatarum petrarum, Aut exsilientium* (σκιρτώντων) *animalium cursus non conspicuus* (ἀθεώρητος), *Aut rugientium saevissimarum* (secundum aliam lectionem *saevissima*) *ferarum vox, Aut repercussa ex cavitate* i. e. ex cavernis montium *echo :* haec omnia *perterrentia* (ἐκφοβοῦντα) *enervarunt illos* (παρέλυσεν αὐτούς).

Non minus igitur insanus, quam magorum timor similibus exemplis *v.* 9 illustratus, metus fuit reliqui populi; quare Sapiens, uti ibi (*v.* 10 sqq.) praecipuam aucti timoris causam conscientiam malam fuisse declaravit, eandem causam cunctis Aegyptiis communem fuisse hic apte addit : 19. *Omnis enim orbis terrarum limpido* (potius : *splendido* λαμπρῷ) *illuminabatur lumine Et non impeditis operibus continebatur* (ad graecum accuratius : *et non impeditis instabat operibus* cfr *Act.* 18,5. Paulus συνείχετο τῷ λόγῳ instabat verbo i. e. doctrinam christ. praedicare pergebat); 20. *Solis autem illis superposita erat gravis nox* (βαρεῖα νύξ), *Imago tenebrarum, quae superventura illis erat* (ad graecum : εἰκὼν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς διαδέχεσθαι σκότους rectius : *imago caliginis illos suscepturae*); *Ipsi ergo* (potius : *autem* δέ) *sibi erant graviores* (βαρύτεροι) *tenebris.* In reliquis orbis partibus illo triduo vicissitudines dierum noctiumque continuari neque alios populos tenebris a consuetis suis laboribus retineri Aegyptii ignorare non potuerunt, quia teste Moyse (*Exod.* 10,23) « omnibus filiis Israel lux erat in suis habitationibus »; Israelitae autem eo tempore non omnes terram Gessen incolebant, sed plurimi duris laboribus per Pharaonem addicti per totam Aegyptum dispersas habebant habitationes, in quibus consuetam vitam agentes consuetosque labores con-

tinuantes a vicinis suis oppressoribus non conspiciebantur quidem, sed audiebantur (18,1). Ex hac autem Israelitarum, qui medii inter illos aut in extremis terrae Gessen finibus degebant, exceptione Aegyptii etiam clare cognoverunt, caliginem illam obscurissimam, quae nulla luce vincebatur (*v.* 5), nihil habere commune cum tenebris istis magis minusve opacis, quas saepe a m. Aprili ad m. Iunium pulveris nubes vento Chamsin ex deserto advectae uno alterove die per varios Aegyptii tractus ita diffundere solent, ut integra regio, quam ventus ille infestat, nullo loco excepto obscuretur. Itaque fieri non potuit, quin Aegyptii solem ipsum, qui sub nomine Ra inter eorum deos principatum tenebat et per totam terram templa sua quin etiam in aliorum deorum fanis saltem aediculam quandam specialem habebat, plane devictum illis tenebris ac profligatum videntes eas pro poena a vero Deo, quem agnoscere noluerant, sibi immissa haberent, quae quamvis gravis esset, graviorem tamen, aeternas quippe inferorum caligines, praesagiret. Unde se ipsos criminaque sua respicientes conscientiae morsibus cruciabantur atque sibi ipsi maiori quam tenebrae fastidio erant.

4) *Israelitae et tenebrarum triduo et in deserto luce divina sublevati* (18,1-4).

18,1. Sanctis autem tuis maxima erat lux, Et horum quidem vocem audiebant, sed figuram non videbant. Et quia non et ipsi eadem passi erant, magnificabant te : 2. Et qui ante laesi erant, quia non laedebantur, gratias agebant, Et ut esset differentia, donum petebant. 3. Propter quod ignis ardentem columnam Ducem habuerunt ignotae viae, Et solem sine laesura boni hospitii praestitisti. 4. Digni quidem illi carere luce et pati carcerem tenebrarum, Qui inclusos custodiebant filios tuos, Per quos incipiebat incorruptum legis lumen saeculo dari.

18,1. Τοῖς δὲ ὁσίοις σου μέγιστον ἦν φῶς· Ὧν φωνὴν μὲν ἀκούοντες, μορφὴν δὲ οὐχ ὁρῶντες, Ὅ τι μὲν οὖν κἀκεῖνοι ἐπεπόνθεισαν, ἐμακάριζον. 2. Ὅτι δὲ οὐ βλάπτουσι προηδικημένοι, εὐχαριστοῦσιν, Καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο. 3. Ἀνθ' ὧν πυριφλεγῆ στύλον, Ὁδηγὸν μὲν ἀγνώστου ὁδοιπορίας, Ἥλιον δὲ ἀβλαβῆ φιλοτίμου ξενιτείας παρέσχες. 4. Ἄξιοι μὲν γὰρ ἐκεῖνοι στερηθῆναι φωτὸς καὶ φυλακισθῆναι ἐν σκότει, Οἱ κατακλείστους φυλάξαντες τοὺς υἱούς σου, Δι' ὧν ἤμελλε τὸ ἄφθαρτον νόμου φῶς τῷ αἰῶνι δίδοσθαι[1].

1. *VV. LL.* — 1. ὧν φωνὴν μὲν ἀκούοντες quorum vocem *quidem* audientes; solus B omittit μέν; — ὅ τι μὲν οὖν (quodcunque quidem) B ℵ multi minusc. et Ald. *Syr. Ar. Arm. Shex. Aet.*; minus apte, ut videtur, ὅτι μὲν οὐ (quod quidem non) A, aliqui minusc. et Compl. *Vulg. Copt.*; cfr *Comment.* — 2. εὐχαριστοῦσιν (gratias agunt) B ℵ, unus alterve minusc.; sed ηὐχαρίστουν (gratias agebant) A 23 plerique minusc.; quid verss. legerint, non constat, siquidem εὐχαριστοῦσιν procul dubio est praesens hist. et ab interpretibus apte imperfecto reddi potuit; quare etiam ad sensum nihil refert, utra lectio praeferatur — Ad *Vulg. Clem.* quod attinet, interpretes participia

Priore in particula (*vv.* 1, 2) Aegyptiis triduana caligine afflictis *sancti* (i. e. Israelitae, cfr ad 10,15 λαὸς ὅσιος populus a Deo in peculium electus specialemque in tutelam susceptus) opponuntur, quippe qui eodem triduo luce consueta sint fruiti et ideo ab ipsis oppressoribus suis, quum id animadverterent, laudibus ornati. Quoniam haec sententia, quae ob continuam singulis in membris contentionem et comparationem duorum populorum aliquantulum obscurior est, a Vulgatae interprete non recte est translata, accuratiorem eius versionem praemittere obscuritatesque eius paucis insertis notis explanare non inutile erit. Primigenius autem textus horum versuum (pag. 567 et *VV. LL.*) recte hoc modo vertitur : 1. *Sanctis tuis autem maxima erat lux* (cfr *Exod.* 10,23); *Quorum* (scil. sanctorum i. e. Israelitarum) *vocem quidem audientes, figuram autem non videntes* (Aegyptii, utpote tenebris ipsi obvoluti, illos) *Quaecunque quidem illi quoque passi erant* (i. e. non obstantibus tormentis, quae toto oppressionis tempore Israelitae tolerare debuerant), *beatos praedicabant* (quia a tenebrarum plaga essent exempti); 2. *Quod autem* (nunc oppressores suos tenebris impeditos) *non laederent, quamvis antea* (ab ipsis sc. Aegyptiis) *iniuriis affecti, gratias agebant Et* (pristinarum) *inimicitiarum veniam petebant* (proprie : *et quod inimice* cum illis *egissent, veniam rogabant*).

Praeeunte *Gutb.* in tertio *v.* 1 sticho pro coniunctione ὅτι (*quod* seu *quia*) quam graecae editiones omnes exhibent, pronomen indefinit. ὅ τι (*quodcunque*) legendum esse supposuimus; id enim codices antiqui, qui continue scripti singulas voces spatiolis non distinguunt, omnino permittunt, particula οὖν autem, quam meliores codices et multae verss. addunt (ὅ τι μὲν οὖν cfr *VV. LL.*) haud dubie postulat. Etenim particulam istam hoc loco non esse conclusivam (i. q. *igitur*) omnes consentiunt, quum nihil praecedat, ex quo conclusio derivari queat; quare ad indefinitam pronominis significationem fortius efferendam addita dici debet (cfr ad 17,15[16] ὅς ὃν ποτ' οὖν). Antiquitus quidem iam aliqui librarii et translatores, quia quid οὖν sibi hic vellet, non intellexerunt, ei negationem οὐ substituerunt : ὅτι μὲν οὐ κἀκεῖνοι ἐπεπόνθεισαν ἐμακάριζον (Aegyptii Israelitas, *quia non illi quoque* tenebrarum calamitatem *passi erant, beatos praedicabant*); verum huic explicationi plusquamper-

ἀκούοντες et ὁρῶντες verbis finitis (*audiebant, videbant*) reddens minus recte secundum stichum a sequentibus separavit; hinc idem tertio sticho pronomem *eadem*, vel ut aliqui codd. habent, *per eadem* indebite inseruit, uti etiam pronomen *te* male addidit; nusquam in Scriptura Deus μακαρίζεσθαι (beatus praedicari) dicitur, et emendatiores codd., teste *Luc. Brug.* omittunt pronomen *te*. Porro *v.* 2 pro *laedebantur*, quae communis videtur latinorum codd. lectio, legatur oportet *laedebant* (βλάπτουσι), atque *v.* 3 loco *propter quod* rectius ponitur *pro quo* vel *pro quibus* (ἀνθ' ὧν cfr ad 16,20); verbum *habuerunt* autem delendum est, quia omnes huius sententiae accusativi, ut *Lap.* recte iam monuit, a verbo *praestitisti* (παρέσχες) dependent. — 4. B ℵ² A 23 σκότει, B ² et nonnulli minusc. ἐν σκότει : nihil interest.

fectum (ἐπεπόνθεισαν *passi erant*) prorsus repugnat. Namque Aegyptios durantibus tenebris haec dixisse, stichus secundus evidenter docet; unde aut praesens aut imperfectum scribendum erat; quod autem aliqui plusquamperfectum pro imperfecto positum esse coniiciunt, id plane absonum est; pro impeditioribus quippe plusquamperfecti formis Graeci interdum quidem faciliores et usitatiores imperfecti vel aoristi formas usurpant, at nunquam plusquamperfecto vice imperfecti vel aoristi utuntur. Verbum ἐπεπόνθεισαν igitur non nisi de calamitatibus, quas ante tenebrarum plagam Israelitae passi sunt, recte intelligitur; unde consequens est, ut negatio in hoc sticho locum non habeat.

Cum nonnullis iunioribus (***Vat.*** *Nann. Castro* etc.) et modernis (*Gutb.* — *Gr. Deane* etc.) ultimum sententiae stichum (καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο) interpretati sumus; verbum passivum διαφέρεσθαι enim id valet quod « inimicitias suscipere inter se » vel etiam « litigare » et ab *Hesych.* ad 2 ***Mach.*** 3,4. verbo μάχεσθαι explicatur; Aegyptii igitur tenebris oppressi mutato animo erga Israelitas eam iam exhibere benevolentiam coeperunt, quam abeuntibus largitate sua demonstrarunt (*Exod.* 12,32 sqq.). Haud recte aliqui ad *Exod.* 10,7 respicientes Aegyptios petiisse opinantur, ut Israelitae a se discederent et locorum distantia a se separarentur (*Castro*[3] *Corl.* etc. — *Luth.* et plerique acath.); hanc enim significationem verbum διαφέρεσθαι non admittit. Alii demum verba illa secundum Vulgatae interpretationem explicant : « et ut esset differentia, gratiam petebant » i. e. « petebant, ut Deus hoc discrimen differentis providentiae, puta castigationis Aegyptiorum et servationis Israelitarum, continuaret et perpetuum faceret » (*Lap. Boss. Calm. Schm. Les.*); attamen, quamvis verbum διαφέρειν in act. et med. valeat *differre*, haec significatio a passivis temporibus aliena est.

Ultimae autem huius opinionis patroni etiam in eo errant, quod cum Vulgata Israelitas putant Deum magnificasse, quia ipsi tenebris non essent afflicti, ei gratias quoque egisse, quod licet antea ab Aegyptiis dure tractati essent, nunc tamen tenebris non laederentur, eumque demum rogasse, ut sibi diversam hanc sortem continuaret. Quae omnia procul dubio ab auctore apte dici potuerunt, sed ab eo dicta non esse cum aliis versionibus textus primigenius clare docet, quippe qui eam explicationem nullo modo admittat. Vulgatae autem lectio in eundem fere ac graeca sensum trahi poterit, dummodo in tertio sticho pronomen *te*, quod accuratiores codd. latini non habent, omiseris et in quarto pro *laedebantur*, quod quum graeco βλάπτουσι respondeat, certe interpreti nostro non debetur, scripseris *laedebant*; tunc enim nihil amplius obstabit, quominus Aegyptii pro subiecto verborum *audiebant, videbant, magnificabant, gratias agebant, petebant*, ut in graeco textu admittantur.

In altera sectionis particula (*vv.* 3, 4) Sapiens nubium ignisque columnam, qua Deus populum suum per desertum duxit, velut alterum beneficium opponit tenebrarum plagae Aegyptiis ex talionis lege inflictae : 3. *Propter quod ignis ardentem columnam Ducem habuerunt ignotae viae Et solem sine laesura boni hospitii praestitisti.* Cuius sententiae loco ad graecum textum accuratius rectiusque lege : *Pro quibus* (sc. tenebris cfr ad 16,2. 15) *flammeam columnam, Ducem quidem ignoti itineris, Solem autem innocuum honorificae peregrinationis praestitisti.* Quibus hoc beneficium a Deo sit praesti-

tum, Sapiens non indicat, quia nemini id potuit esse ignotum; in eo autem describendo ea sequitur, quae Moyses (*Exod.* 13,21 sq.; 14,19 sq.; 40,32 sqq.; *Num.* 9,17 sqq.) et Psalmista (*Ps.* 77,14; 104, 39) de eo tradunt. Primarius columnae finis erat, ut Israelitas per ignotas deserti vias duceret stationesque commodas indicaret, in quibus ea, quae sibi atque etiam gregibus erant necessaria, invenirent; hinc columna vocatur *dux ignoti itineris*. At protectioni quoque populo fuit; nam « columnae dux, inquit *Lap.*, et motor erat angelus, qui eius ignem noctu ita attemperabat, ut Hebraeos illuminaret, sed non ureret; ac per diem nubem ita dilatabat, ut quasi umbraculum a solis aestu protegeret »; hinc *sol innocuus peregrinationis honorificae* vocatur. Nomen ξενιτείας, uti latinum *peregrinatio* vitam designat in aliena terra peractam; hoc igitur loco totum tempus, quo Israelitae in deserto degebant; quod *honorificum* (φιλότιμον) seu gloriosum appellatur non tantummodo propter insignia et continua miracula, quibus Deus populum suum aluit et protexit, sed maxime ob legem in monte Sinai datam et toto peregrinationis tempore uberius excultam et auctam.

De hac enim Sapientem cogitasse ex sequente sententia apparet, qua Aegyptios ex iure talionis in tenebrarum custodiam inclusos esse dicit, quia futuros Legis praecones in captivitatem redegissent; per quae quis enim peccat, per ea punietur (11,17). 4. *Digni quidem* (forte melius : *Digni enim* μέν γάρ) sc. erant *illi carere luce et pati carcerem tenebrarum* (graece : *et in tenebrarum custodia haberi*), *Qui inclusos custodiebant* (melius : *custodierant*) *filios tuos, Per quos incipiebat incorruptum legis lumen saeculo dari* (rectius : *per quos futurum erat ut incorruptibile legis lumen mundo daretur* ἤμελλε... δίδοσθαι). Contraria sorte Israelitarum, quam praecedentes tres versus proponunt, poena Aegyptiorum antea descripta etiam acerbior videtur. Cur tantam poenam commeruerint iam auctor explicaturus est (γάρ). Ad suam enim descriptionem, qua tenebras Aegyptiis velut carcerem fuisse ostendit (17,2. 15), respiciens hanc captivitatem eis iustissimo reciprocatu ob crudelem Hebraeorum captivitatem decretam esse colligit. Particula autem μέν (*quidem*), quum sequenti δέ (*vv.* 5) respondeat, duas sectiones de plaga nona et de decima arctius connectit atque utraque calamitate par pari relatum esse innuit : « in tenebrarum quidem custodiam inclusi sunt, quia Hebraeos captivos retinere studebant; quia autem Hebraeorum filios occidere decreverant, eorum primogeniti occisi sunt ». Porro *lex* haud semel in Scriptura lumini comparatur (*Prov.* 6,23; *Ps.* 18,9; 118,105; *Is.* 5,2) atque *incorruptibilis* (i. e. perpetuo duratura) et in totum mundum

transitura saepe praedicitur (*Is.* 2,2 sqq.; *Mich.* 4,1 sqq. etc.); Christus quippe non venit solvere legem sed adimplere i. e. ad plenam absolutamque perfectionem adducere (*Matth.* 5,17).

4. — *Aegyptii communi primogenitorum strage puniti, Israelitis poena debita Aarone precante remissa* (18,5-25).

Aegyptios subita primogenitorum suorum morte similiter atque triduana, quam modo descripsit, caligine, et totius sui exercitus interitu in mari Rubro, quem mox (19,1 sqq.) descripturus est, secundum talionis legem afflictos esse praefatus (*v.* 5) Sapiens primum conspectu quodam historico acerbitatem decimae plagae adumbrat (*vv.* 6-13), ut deinde horrores noctis illius, quae omnes Aegyptiorum domus luctu implevit, accuratius depingat (*vv.* 14-19); severissimo autem huic iudicio divino misericordiam opponit, qua Deus Israelitis, quum ob Core sociorumque eius mortem contra Moysen rebellassent (*Num.* 19), poenam meritam, Aarone precante et incensum offerente, remittere dignatus est (*vv.* 20-25). Tripartita ergo est haec sectio.

1) *Communis primogenitorum mors quam acerba Aegyptiis fuerit poena* (18,5-13).

18,5. Cum cogitarent iustorum occidere infantes, Et uno exposito filio et liberato, in traductionem illorum, Multitudinem filiorum abstulisti, Et pariter illos perdidisti in aqua valida. 6. Illa enim nox ante cognita est a patribus nostris, Ut vere scientes, quibus iuramentis crediderunt, animaequiores essent. 7. Suscepta est autem a populo tuo Sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio. 8. Sicut enim laesisti adversarios, Sic et nos provocans magnificasti, 9. Absconse enim sacrificabant iusti pueri bonorum, Et iustitiae legem in concordia disposuerunt : Similiter et bona et mala recepturos iustos, Patrum iam decantantes laudes. 10. Resonabat autem inconveniens inimicorum vox, Et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium. 11. Simili autem poena servus cum domino afflictus est, Et popularis homo regi similia passus. 12. Similiter ergo omnes uno nomine mortis

18,5. Βουλευσαμένους δ' αὐτοὺς τὰ τῶν ὁσίων ἀποκτεῖναι νήπια, Καὶ ἑνὸς ἐκτεθέντος τέκνου καὶ σωθέντος εἰς ἔλεγχον, Τὸ αὐτῶν ἀφεῖλω πλῆθος τέκνων, Καὶ ὁμοθυμαδὸν ἀπώλεσας ἐν ὕδατι σφοδρῷ. 6. Ἐκείνη ἡ νὺξ προεγνώσθη πατράσιν ἡμῶν, Ἵνα ἀσφαλῶς εἰδότες οἷς ἐπίστευσαν ὅρκοις, ἐπευθυμήσωσι. 7. Προσεδέχθη δὲ ὑπὸ λαοῦ σου Σωτηρία μὲν δικαίων, ἐχθρῶν δὲ ἀπώλεια. 8. Ὧ γὰρ ἐτιμωρήσω τοὺς ὑπεναντίους, Τούτῳ ἡμᾶς προσκαλεσάμενος ἐδόξασας. 9. Κρυφῇ γὰρ ἐθυσίαζον ὅσιοι παῖδες ἀγαθῶν, Καὶ τὸν τῆς θειότητος νόμον ἐν ὁμονοίᾳ διέθεντο, Τῶν αὐτῶν ὁμοίως καὶ ἀγαθῶν καὶ κινδύνων μεταλήψεσθαι τοὺς ἁγίους, Πατέρων ἤδη προαναμελπόντων αἴνους. 10. Ἀντήχει δ' ἀσύμφωνος ἐχθρῶν βοή, Καὶ οἰκτρὰ διεφέρετο θρηνουμένων παίδων. 11. Ὁμοίᾳ δὲ δίκῃ δοῦλος ἅμα δεσπότῃ κολασθείς, Καὶ δημότης βασιλεῖ τὰ αὐτὰ πάσχων. 12. Ὁμοθυμαδὸν δὲ πάντες ἐν ἑνὶ ὀνόματι θανάτου νεκροὺς εἶχον ἀναριθμήτους· Οὐδὲ γὰρ πρὸς τὸ θάψαι οἱ ζῶν-

mortuos habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant; Quoniam uno momento, quae erat praeclarior natio illorum, exterminata est. 13. De omnibus enim non credentes propter veneficia, Tunc vero primum, cum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse.

τες ἦσαν ἱκανοί, Ἐπεὶ πρὸς μίαν ῥοπὴν ἡ ἐντιμοτέρα γένεσις αὐτῶν διεφθάρη. 13. Πάντα γὰρ ἀπιστοῦντες διὰ τὰς φαρμακείας Ἐπὶ τῷ τῶν πρωτοτόκων ὀλέθρῳ ὡμολόγησαν Θεοῦ υἱὸν λαὸν εἶναι [1].

Oratione a nona plaga ad decimam apte traducta (*v.* 5) Sapiens, ut huius atrocitatem demonstret, celeberrimae illius noctis, quae Israelitis quidem libertatem attulit, cunctos autem Aegyptios communi omnium primogenitorum strage afflixit et compressit, historiam duabus quasi picturis comprehendit. In quarum priore, non tam ut temporis ordinem observet (coena quippe paschalis antecessit morti primogenitorum cfr *Exod.* 12,21 sqq.), quam ut priorum felicitate demonstrata lugubrem alterorum sortem augeat, Israelitas nobis exhibet ista nocte, quam patriarchis iam praedictam ipsi velut sibi salutarem, funestam autem hostibus advenire cupierunt, pascha celebrantes foederique, quod cum Deo mox pacturi erant, praeludentes ac carminibus patriarcharum merita laudantes (*vv.* 6-9). Quibus laetis Israelitarum cantibus obstrepuisse deinde refert dissonos Aegyptiorum filios suos lugentium eiulatus (*v.* 10); omnes enim eorum primogenitos sine ullo aetatis aut ordinis discrimine eodem mortis genere interiisse, ut vivi mortuis sepeliendis non sufficerent (*vv.* 11, 12); tantam autem cladem effecisse, ut populus Israel tandem ab eis tamquam Dei filius agnosceretur (*v.* 13).

Prima huius sectionis sententia cum superioris ultima (*v.* 4) tum

1. *VV. LL.* — 5. Particulam δ' (autem), quae praecedenti μέν (*quidem v.* 4) respondet, Vulgata nostra cum ℵ et paucis minusc. indebite omittit. — 7. προσεδέχθη B ℵ cum nonnullis minusc.; προσεδέχθη δέ A 23, multi minusc. et verss. — 8. ὡς γάρ (*sicut enim*) B ℵ A, haud pauci minusc., *Vulg. Ar.*; ᾧ γάρ (quo enim), quae lectio sequentis membri τούτῳ (eo) accuratius respondet, 23, multi minusc., *Arm. Shex. Copt. Aeth.*; non obstante antiquiorum codd. et *Vulg.* auctoritate, alteram lectionem genuinam esse cum *Feldm.* censemus. — 9. τὸν τῆς θειότητος νόμον (divinitatis legem i. e. divinam l.) A B 23, multi minusc. *Ar. Aeth.* et unus cod. *Vulg.* (cfr *Reusch*); sed τὸν τῆς ὁσιότητος νόμον (*iustitiae legem* i. e. sanctam legem) ℵ, multi minusc.; *Vulg. Syr. Copt. Arm. Shex.* cfr *Comment.* — πατέρων ἤδη προαναμελπόντων αἴνους (patribus iam praecinentibus laudes) B ℵ, aliqui minusc.; lege : πατέρων ἤδη προαναμέλποντες αἴνους (patrum iam praecinentes laudes) cum A $\aleph^2$ multis minusc., *Vulg. Syr. Copt. Shex. Aeth.*; librarii errore 23 habet : προαναμέλποντος. — 10. οἰκτρὰ διεφέρετο, B nonnullique minusc.; lege : οἰκτρὰ διεφέρετο φωνή (miserabilis spargebatur vox) cum ℵ A 23 plerisque minusc. *Vulg. Arm. Ar.* etc.

grammatice (particulis μέν... δέ) tum argumento suo arcte est connexa; altero enim exemplo Deum paria paribus referre illustrat : 5. *Quum cogitarent* (vel ad graecum : *illis autem, quum decrevissent*) *iustorum* (*sanctorum* ὁσίων cfr *v.* 1) *occidere infantes, Et uno exposito filio et liberato in traductionem* (graecum membrum verte : *et quum unus expositus puer esset et servatus in convictionem*) *illorum, Multitudinem filiorum abstulisti Et pariter* (ὁμοθυμαδόν *coniunctim*) *illos perdidisti in aqua valida* (i. e. in mari cfr *Exod.* 15,10). Ad graecam constructionem animadverte, accusativum βουλευσαμένους αὐτούς a verbis ἀφείλω et ἀπώλεσας dependere; namque verb. med. ἀφαιρεῖσθαι cum duplici accus. construitur (ἀφαιρεῖσθαι τινά τι i. q. alicui aliquid auferre). Utrum deinde dictio εἰς ἔλεγχον (Vulg. : *in traductionem*) cum participio σωθέντος, quod praecedit, an cum sequenti verbo ἀφείλω coniungendum esset, antiquitus iam dubitatum est (cfr *S. Bonav. Holc.* etc.); iuniores tamen ac moderni plerique (*Vat. Nann. Ians. G. Lap. Boss.* etc. *Schm. Gutb. Les.* etc.) priorem nexum recte praeferunt, quamvis Vulg. sua interpunctione secundum indicet, re enim vera si secundus admittitur, non apparet, cur Moysis servatio hic sit commemorata, ac praeterea ἔλεγχος non tam *poena* valet, uti adversarii volunt, quam *convictio* (cfr ad 11,7); Moyses quippe in Nilo expositus sed in vita servatus hoc in loco tamquam testis irrefutabilis affertur decreti illius, quo Pharaonis praedecessor quidam pueros Hebraeorum aquis Nili suffocari iusserat. Itaque Aegyptii, sicut prima plaga, aquis fluminis in sanguinem conversis, secundum talionis legem puniti sunt pro infanticidali illo decreto (cfr ad 11,5 sqq.), ita idem crimen secundum eandem legem in iis plaga ultima, primogenitorum occisione, vindicatum est, cui auctor interitum exercitus in mari Rubro adiungit, ut plenior habeatur criminis et supplicii reciprocatio.

Quibus de interna decimae plagae indole praemissis ad cladem ipsam depingendam transit; ob duplicem tamen causam supra indicatam ab Israelitis orsus, quam accepta grataque his ea nox fuerit, paucis adumbrat. 6. *Illa* (*enim*) *nox ante cognita est a patribus nostris, Ut vere* (melius : *certo* ἀσφαλῶς cfr *Act.* 2,36 ἀσφαλῶς-γινωσκέτω) *scientes, quibus iuramentis crediderunt, animaequiores essent* (ἐπευθυμήσωσι *bono laetoque animo essent*); 7. *Suscepta est* (vel si mavis : *exspectata est*) *autem a populo tuo Sanitas* (σωτηρία *salus*) *quidem iustorum, iniustorum* (potius : *inimicorum* ἐχθρῶν) *autem exterminatio;* 8. *Sicut enim laesisti adversarios, Sic et nos provocans magnificasti* (8. melius ex graeco — cfr *VV. LL.* — *Quo enim punivisti adversarios, Eo nos ad te vocans glorificasti*). Asyndete (particula *enim* in Vulg. indebite est inserta) et cum emphasi expositio inchoatur; magnam enim vim

habet dictio ἐκείνη ἡ νύξ, qua (quum de nocte quadam nondum esset sermo) significatur nox omnibus Israelitis notissima, quae eis libertatem a servitute attulit et aditum aperuit ad perpetuam terrae eis promissae possessionem. Quanti autem momenti in eorum historia nox illa fuerit, ex eo primo desumi vult, quod Patriarchis iam sit praedicta. Multi quidem ad *Exod.* 11,4 sqq. et 12,21 sqq. provocantes nomine *patrum nostrorum* hic non patriarchas sed mosaicae aetatis Israelitas ab auctore designari arbitrantur (*Castro, Lap. Boss. Calm.* etc. *Corl. Schm.* etc. — *Gr. Siegfr. Zöckl.* etc.); at erronee. Etenim quod Israelitae immediate antea de hac plaga similiter ac de prioribus a Moyse sint edocti, id sane dignum non erat, quod velut res gravissima hic emphatice commemoraretur. Accedit autem quod Israelitae, quamvis saepe honorificis *populi* vel *filiorum Dei, sanctorum, iustorum* nominibus ab auctore exornentur, nusquam tamen per totum librum *patres nostri* ab eo appellantur; quin etiam hoc ipso in loco *patres nostri* et *populus Dei* aperte distinguuntur et certo modo inter se opponi videntur : *patres* illam noctem praecognoverunt, *populus Dei* autem noctis illius salutem accepit (vel saltem sibi exspectavit). Quare cum antiquioribus (*S. Bonav. Holc.* etc.) etiam iuniores ac moderni aliqui (*Lorin.* etc.; *Gutb. Les. Deane*) de patriarchis hic agi iuremerito tenent, qui ex praedictione Abrahamo iam facta (*Gen.* 15,13 sqq.) illa, quae ista nocte tum suis posteris tum eorum oppressoribus eventura erant, clare cognoverant, ita ut auctor illos *hanc noctem* cognitam habuisse sine ullo scrupulo dicere potuerit, etsi illa nocturno tempore eventura esse ignoraverint. Accurata autem hac eventuum praedictione aliae promissiones magis vagae, quae abrahamitico semini terram Palaestinae datum iri eodemque in semine omnes gentes benedictionem esse accepturas praenuntiabant, simili modo sunt confirmatae, quo Deus promissionem suam se Moysen in Israelitis ex Aegypto educendis adiuturum esse, accurata praedictione sacrificii confirmavit, quod Moyses post populi liberationem in ipso monte Horeb, in quo Deus ei apparuit, oblaturus esset (*Exod.* 3,11 sq.; cfr etiam *Is.* 7,10 sqq. et similia vaticinia). Patriarchae igitur eventibus illius noctis antea cognitis certiores sunt redditi de divina origine aliarum promissionum, quas Deus iuramento addito eis fecerat (*Gen.* 22,16 sqq.; 26,3 sqq.; 28,13 sqq.), ita ut bono laetoque animo sese suaque omnia Dei omniscii et omnipotentis arbitrio permitterent. Israelitae autem, quum illa nox iam advenisset, bona exspectarunt (vel acceperunt), quae secum afferre debuit, suam ipsorum salutem et interitum hostium. Ea enim ratione Deus pro sua sapientia omnia dirigit, ut idem, quo impios punit, piis sit saluti; eademque nox, quae Aegyptiis magnam cladem

inflixit, Israelitas propius ad Deum adduxit et nova gloria illustravit.

Quae ut confirmet, Sapiens Israelitas nobis ostendit illa nocte primo celebrato paschate magna cum laetitia foedus cum Deo quasi inaugurantes : 9. *Absconse* (κρυφῇ) *enim sacrificabant iusti pueri bonorum* (ἀγαθῶν scil. patriarcharum), *Et iustitiae* (ὁσιότητος vel divinitatis θειότητος cfr *VV. LL.*) *legem in concordia disposuerunt* (potius : *constituerunt* διέθεντο) : *Similiter et bona et mala recepturos iustos* (graecum textum : τῶν αὐτῶν ὁμοίως καὶ ἀγαθῶν καὶ κινδύνων μεταλήψεσθαι τοὺς ἁγίους clarius vertes : legem constituerunt, *ut eorundem pariter et bonorum et periculorum participes fierent sancti;* aptius tamen ultima dictio τοὺς ἁγίους ad sequens trahitur membrum; lege ergo : *sanctas*) *Patrum iam decantantes* (potius : *praecinentes* προαναμέλποντες) *laudes.* Agnorum paschalium mactatio nocte exitus a Deo perenniter instituta (*Exod.* 12,1-24) verum et proprium erat sacrificium (cfr *Exod.* 12,27; *Deut.* 16,2. 5 sq. etc.); quia autem sacerdotium aaroniticum nondum erat institutum, « in illo paschate (ut *Philo* in *Exod.* I. 10. ed. Auch. p. 455 recte monet) universus populus sacerdotio levitico honoratus est; omnes enim per se peregerunt sacrificium ». Singuli nimirum patres familias in sua quisque domo agnos mactare et cum suis manducare iussi sunt, neque cuiquam ista tota nocte e domus ostio egredi aut ex agni carnibus quidquam foras efferre licuit; unde auctor illos *absconse* seu occulte sacrificasse dicit.

Moderni quidam (*Schleussn. Gr. Siegfr.* etc.) consuetam dictionis ὅσιοι παῖδες ἀγαθῶν interpretationem (*sancti filii bonorum* scil. patrum) reiiciunt quia pii iustique in nostro libro nusquam ἀγαθοί appellentur; genetivum ἀγαθῶν igitur hic non masc. sed neutri generis esse atque Israelitas ipsos filios *bonarum rerum* i. e. salutis seu benedictionum illis destinatarum simili modo vocari volunt, quo impii appellentur υἱοὶ vel τέκνα ἀπωλείας (filii perditionis cfr *Is.* 57,4 sec. LXX; *Ioan.* 17,5). At parum recte. Licet enim Israelitae et patriarchae aliis in libri locis potius ὅσιοι vel δίκαιοι quam ἀγαθοί vocentur, tam communis tamen vulgarisque est ethica illa adiectivi ἀγαθός significatio (*probus honestusque*) apud sacros et profanos scriptores, ut nemo mirari possit, quod noster eam hic adhibuerit (cfr similem dictionem *Plat.* Phaedr. p. 274 A : δεσπόται ἀγαθοὶ καὶ ἐξ ἀγαθῶν domini boni et ex bonis orti). Porro, quod caput est, Iudaei hellenistae pro patriae linguae suae indole interdum quidem, ut maiore cum vi adiectivum aliquod efferant, nominibus υἱός et τέκνον (sed nunquam παῖς) addito genetivo nominis abstracti illam notionem exprimentis utuntur (ex. gr. υἱοὶ ἀπειθείας i. q. ἀπειθεῖς inobedientes; τέκνα ὑπακοῆς i. q. ὑπήκοοι obedientes cfr *Win.* Gr. p. 223); at ne unum quidem exemplum afferi potest, quo eos in eiusmodi dictionibus genetivum neutr. adiectivi concreti pro nomine abstracto usurpasse probetur; unde *Gutb.* et *Deane* istum usum loquendi, quem adversarii supponunt, inauditum et barbarum appellant.

Quamquam filii Israel, quamdiu in Aegypto degebant, proculdubio

privatis familiarum vel etiam tribuum sacrificiis Deo patrum suorum cultum debitum tribuerunt, hoc tamen pascha, quod universi eadem nocte et iisdem ritibus facere iussi sunt, primum fuit, quo in unum populum uniti Deo suo, a quo vocati erant, quodammodo publice sese consecrarunt. Id Sapiens innuit, quum eos illa nocte *legem divinitatis* vel *iustitiae* (τὸν τῆς θειότητος vel ὁσιότητος νόμον) *in concordia* (ἐν ὁμονοίᾳ i. e. concordia inter se coniunctos et unitos) *sibi constituisse* dicit. Utrum priorem lectionem, quae divinam legis originem effert, an alteram, quae eius sanctam indolem sanctumque finem declarat, praeferendam dicas, nihil interest, quum utraque aequali testium auctoritate sit munita. Antiquiores interpretes alii de agno paschali mactando (ut *S. Bonav.*), alii de exitu praeparando (ut *Lyr.*) hanc legem egisse putarunt; sed auctor ipse argumentum eius exponit : *ut pariter eorundem bonorum et periculorum participes fierent.* Quae verba nimis ieiune interpretantur, qui iis nihil nisi armorum praedaeque iis acquirendae communionem (*Grot.*) aut etiam bonorum, quae Deus miraculis daturus erat (manna, coturnices etc.), societatem (*Gr.*) significari opinantur. Rectius cum iunioribus plerisque et nonnullis modernis dicemus, omnes Israelitas ipso paschate, quod ex Dei praecepto uniti celebrarunt, sese obligasse ad veri Dei cultum unanimiter et sancte retinendum et consequenter ad rerum omnium communionem tum in exitu, tum in itinere, tum in terrae promissae ingressu, ut ergo tamquam unus populus bonorum eorumdem et periculorum similiter fierent participes (*Lap.* cfr *Vat. Castro, Ians. G.; Gutb. Les.*).

Sicut hodie, ita Christi Domini quoque aetate Iudaeos in coena paschali magnalia, quae Deus in patribus operatus est, hymnis celebrare solitos esse nemo ignorat (cfr *Matth.* 26,30); eiusmodi autem carmina paschalia etiam Ezechiae tempore iam commemorantur (cfr 2 *Paral.* 30,21); iure igitur Sapiens eadem ratione, qua reliqui ritus sacri a mosaica legislatione originem suam trahunt, hunc hymnorum in coena paschali cantandorum ritum, quamvis in Exodo mentio eius non habeatur, a prima paschatis celebratione initium sumsisse docet; ac revera memoria rituum in primo paschate observatorum perire vix potuit, quia quotannis patres familias eos filiis suis exponere debebant (*Exod.* 12,25 sq.; cfr *Deut.* 6,20 sqq.). Facile quoque intelligitur Israelitas celebrato paschate, quod certum eis erat liberationis iamiam instantis pignus, longa illa nocte, qua omnibus ad iter antea praeparatis iussum Moysis, ut iter ingrederentur, laeti exspectabant, sua quasi sponte in laudes patrum prorupisse, quibus haec nox praenuntiata erat et qui pia sua fide tantum beneficium posteris suis

meruerant. Alii minus, opinor, apte *laudes patrum* (πατέρων αἴνους) interpretari malunt hymnos a patriarchis in laudem Dei compositos et posteris per avorum manus traditos aut etiam hymnos a Moyse et Aarone eo consilio compositos, ut filiis Israel ea nocte ad Deum laudandum eique gratias agendas inservirent (cfr *Lap.*). Quae omnia cum certitudine definiri non posse patet.

Ultimis verbis auctor ad primogenitorum stragem adumbrandam iam transiit; neque enim temere participio προαναμέλποντες (*praecinentes*) usus est, sed ad *Exod.* 11,6 et 12,30 respiciens Israelitis laetos suos cantus continuantibus lugubres Aegyptiorum respondisse eiulatus significare voluit (cfr *Vatabl. Nann.* etc.) : 10. *Resonabat* (ἀντήχει i. e. velut echo quaedam ex adverso remittebatur) *autem inconveniens inimicorum vox* (lege : *dissonus inimicorum clamor,* ἀσύμφωνος ἐχθρῶν βοή), *Et flebilis audiebatur planctus ploratorum infantium* vel ad graecum accuratius : *et miserabilis huc illuc ferebatur vociferatio de pueris, qui plorabantur.* Namque « a primogenito Pharaonis, qui sedit in throno, usque ad primogenitum ancillae, quae fuit ad molam », cuncti subita morte correpti sunt; « neque erat domus, in qua non iaceret mortuus » (*Exod.* 11,5; 12,30); unde Sapiens : 11. *Simili autem poena* (ὁμοίᾳ δὲ δίκῃ proprie : *simili iudicio* cfr ad 1,8; 11,21 [20]) *servus cum domino afflictus est, Et popularis homo* (δημότης) *regi similia* (potius : *eadem quae rex* βασιλεῖ τὰ αὐτά) *passus;* 12. *Similiter ergo* (lege : *coniunctim autem* ὁμοθυμαδὸν δέ) *omnes uno nomine mortis* (ἐν ἑνὶ ὀνόματι θανάτου i. e. *eodem mortis genere,* repentina nec exspectata morte ab angelo exterminatore inflicta cfr *v.* 15) *mortuos habebant innumerabiles; Nec enim ad sepeliendum vivi sufficiebant, Quoniam uno momento quae erat praeclarior natio illorum* (ἡ ἐντιμοτέρα[1] γένεσις αὐτῶν clarius : *nobilissima proles eorum*) *exterminata est.* Tanto mortuorum numero rite sepeliendo vivos non fuisse idoneos facile intelliget, qui considerat, quanta cum cura et diligentia Aegyptii corpora mortuorum ad sepulturam praeparare soliti sint (cfr *Hagen* Lexic. I. c. 134 sq.); quo autem cum iure *Siegfr.* illa auctoris verba « a historica veritate abhorrere » ex *Num.* 33,4 colligat, nemo intelliget, nisi quis forte illis significari falso statuerit, primogenitos istos omnes omni sepultura caruisse (cfr 19,3). Gravitas decimae plagae ex hac descriptione satis iam elucet; ut autem eam reliquis omnibus graviorem fuisse confirmet, Sapiens quomodo illa Aegyptiorum affecerit animos addit : 13. *De omnibus enim non cre-*

(1). In hellenistica graecitate superlativum fere exolevisse eique substitutam esse formam comparativi, v. *Blass* Gr. § 11,3.

dentes propter veneficia, Tunc vero primum, quum fuit exterminium primogenitorum, spoponderunt populum Dei esse; sed huius versionis parum rectae loco ad graecum textum lege cum *Vatablo* etc. : *quum enim propter praestigias* (magorum) *omnia credere recusarent, post cladem* (potius : *propter cladem* ἐπὶ τῷ ὀλέθρῳ) *primogenitorum populum* (Israel) *filium Dei esse professi sunt.* Magi quippe *veneficiis* i. e. artibus suis (cfr ad 12,4) priores plagas imitati effecerant, ut Aegyptii omnes plagas a Moyse similibus artibus productas esse opinarentur neque proinde eas a vero Deo sibi esse immissas crederent. Licet enim triduanis tenebris ad eam fidem magis minusve animi eorum inclinarentur (cfr ad *v.* 1 sq.), contumacia eorum non est fracta nisi clade primogenitorum; sed ne tunc quidem perfecte (cfr 19,1 sq.); interim tamen non verbis quidem, sed re, nimirum ipsa populi dimissione, illum *filium Dei* i. e. Deo carissimum et speciali in tutela esse professi sunt. Procul dubio in his verbis scribendis auctor ante oculos illa habuit, quibus Moyses Pharaonem alloqui iussus est (*Exod.* 4,22 sq.).

Latinam nostram versionem, quae verbum ὁμολογεῖν (consentire, confiteri) latino *spondere* (i. q. promittere) erronee reddit et accusativum υἱόν (*filium*) praetermittit sicuti antiquiores interpretes (qui insuper in suis codicibus pro *veneficia* habuerunt *beneficia* illudque nomen de priorum plagarum relaxatione interpretabantur) Aegyptios putaverunt promisisse, se deinceps populum Dei futuros esse, « i. e. promiserunt se Dei mandatum facturos, quod erat de dimissione populi, vel se Deo Hebraeorum credituros, si liberarentur » (S. *Bonav.* cfr *Hugo C. Holc. Carth.* etc.).

2). *Quam horrenda Aegyptiis nox illa fuerit, qua primogeniti eorum caesi sunt* (18,14-19).

18,14. Cum enim quietum silentium contineret omnia, Et nox in suo cursu medium iter haberet, 15. Omnipotens sermo tuus de coelo, a regalibus sedibus, Durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit, 16. Gladius acutus insimulatum imperium tuum portans, Et stans replevit omnia morte. Et usque ad coelum attingebat stans in terra. 17. Tunc continuo visus somniorum malorum turbaverunt illos, Et timores supervenerunt insperati. 18. Et alius alibi proiectus semivivus, Propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis. 19. Visiones enim, quae illos turbaverunt, haec praemonebant, Ne inscii, quare mala patiebantur, perirent.

18,14. Ἡσύχου γὰρ σιγῆς περιεχούσης τὰ πάντα Καὶ νυκτὸς ἐν ἰδίῳ τάχει μεσαζούσης, 15. Ὁ παντοδύναμός σου λόγος ἀπ' οὐρανῶν ἐκ θρόνων βασιλείων Ἀπότομος πολεμιστὴς εἰς μέσον τῆς ὀλεθρίας ἥλατο γῆς. 16. Ξίφος ὀξὺ τὴν ἀνυπόκριτον ἐπιταγήν σου φέρων, Καὶ στὰς ἐπλήρωσεν τὰ πάντα θανάτου· Καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ' ἐπὶ γῆς. 17. Τότε παραχρῆμα φαντασίαι μὲν ὀνείρων δεινῶς ἐξεταράξαν αὐτούς, Φόβοι δὲ ἐπέστησαν ἀδόκητοι. 18. Καὶ ἄλλος ἀλλαχῆ ῥιφεὶς ἡμίθνητος, Δι' ἣν ἔθνησκεν αἰτίαν ἐνεφάνιζεν. 19. Οἱ γὰρ ὄνειροι θορυβήσαντες αὐτοὺς τοῦτο προεμήνυσαν, Ἵνα μὴ ἀγνοοῦντες δι' ὃ κακῶς πάσχουσιν, ἀπόλωνται [1].

1. *VV. LL.* v. in proxima pagina.

In priore sectionis particula (*vv.* 14-17) Sapiens magnifica descriptione verbum Dei velut bellatorem armatum inducit, qui media nocte repente ex inopinato in Aegyptum adveniens omnia repleverit caede : 14. *Cum enim quietum silentium contineret omnia* (περιεχούσης τὰ πάντα omnia amplecteretur) *Et nox in suo cursu* (ἐν ἰδίῳ τάχει in celeri suo cursu cfr ad 2,23) *medium iter haberet* (vel *media esset* μεσαζούης), 15. *Omnipotens sermo tuus* (ὁ παντοδύναμός σου λόγος) *de coelo a regalibus sedibus* (ἐκ θρόνων βασιλείων) *Durus debellator in mediam exterminii* i. e. perniciei addictam *terram prosilivit,* 16. *Gladius acutus* (lege : *gladium acutum*) *insimulatum imperium tuum portans, Et stans* (στάς melius : *consistens*) *replevit omnia morte, Et usque ad coelum attingebat, stans in terra* (ad graecum textum : καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δ' ἐπὶ γῆς vividius et grandius : *et coelum quidem attingebat, stabat autem in terra*). Primis duobus stichis tempore, quo « sermo Dei » in Aegyptum descenderit, descripto Sapiens egregie imprudentem Aegyptiorum socordiam notat; *media* quippe *nocte* Dominum ad primogenitos caedendos adventurum esse Moyses Pharaoni praedixerat (*Exod.* 11,4); Aegyptii autem verbis eius despectis nec de calamitate sibi praedicta solliciti solitae quieti sese tradiderant; unde media nocte, cunctis alto somno oppressis atque silentio, quod nulla re turbabatur, per totam regionem obtinente adventus Domini, quo erat inopinatior, eo maiorem creabat terrorem. Quam terribilis autem fuerit, tota descriptio declarat. In qua adornanda auctorem angelum illum ante oculos habuisse, quem David « vidit stantem inter coelum et terram et evaginatum gladium in manu eius versum contra Ierusalem » (1 *Paral.* 21,16), multi interpretes recte tenent. Haud recte tamen antiquiores aliqui (*Holc.* etc.) etiam hic de angelo agi arbitrati sunt; neque enim usquam in Scripturis angelus aliquis vocatur *verbum* vel *sermo Dei* (ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ) neque *omnipotens* vocari potest. Alii autem antiquiores *omnipotentem Dei sermonem* interpretati sunt « unigenitum Dei Filium, Verbum Dei » (*Carth.* etc.), neque negari

1. *VV. LL.* 14. νυκτός... μεσαζούσης τὰ πάντα (nocte... mediante omnia) solus B, qui verba τὰ πάντα ex priore sticho perperam repetiit. — 16. Pro communi lectione ἐπιταγήν (*imperium* seu iussum) A cum paucis minusc. erronee habet ὑποταγήν (obedientiam). — 17. δεινῶς (vehementer sc. turbati sunt) B 23 aliqui minusc.; sed lege : δεινῶν horribilium sc. somniorum) cum ℵ A, multis minusc., *Vulg. Syr. Copt. Arm.* — 18. Utrum in secundo sticho singul. ἔθνησκεν... ἐνεφάνιζεν (*moriebatur... demonstrabat*) cum B 23 etc., an plur. ἔθνησκον... ἐνεφάνιζον cum ℵ A etc. legas, nihil interest, quia subiectum ἄλλος ἀλλαχῆ ῥιφείς (i. q. alius huc, alius illuc proiectus) utramque constructionem admittit; cfr *Kühner* griech. Gramm. § 509. — In fine sententiae Vulg. genetivum *mortis* tautologice addidit.

potest verba ipsa, si per se sumuntur, hanc explicationem admittere [1]. Nihilominus Sapientem simili ratione, qua alii sacri scriptores (cfr *Is.* 55,11 ; *Ps.* 147,15. 18 etc.) nomine *verbi* seu *sermonis Dei* (τοῦ λόγου vel τοῦ ῥήματος τοῦ Θεοῦ) hic divinae voluntatis manifestationem intellexisse atque per prosopopoeiae figuram divinum decretum de primogenitorum morte velut agens finxisse cum plerisque pro certo tenemus (cfr ad 9,1). Itaque eadem omnipotens Dei voluntas sese manifestans seu idem *omnipotens Dei verbum,* in quo seu per quod omnia sunt creata (9,1), quodque uti omnia conservat (16,26) et omnia sanat 16,12), ita uno momento omnia potest perdere (12,9), hic fingitur *durus* seu horridus (ἀπότομος cfr ad 5,21) *bellator* (cfr *Exod.* 15,3), qui a coelo e regio maiestatis suae throno (ἐκ θρόνων βασιλείων cfr ad 5,19) in mediam terram interitui devotam, i. e. in Aegyptum omnium primogenitorum caede quasi devastandam, prosiliverit, ergo media nocte ex inopinato advenerit, atque secum tamquam *gladium acutum* ferens verum ac sincerum seu, si mavis, integrum et incorruptum (ἀνυπόκριτον cfr ad 5,19) puerorum caedendorum imperium illudque exsequens omnes domos impleverit morte. Ad terrorem autem tam severi iudicii augendum, sed simul ad potentiam Dei talem legatum mittentis clarius demonstrandam incredibilem bellatoris magnitudinem depingit, qui stabat (βεβήκει [2]) *quidem in terra, capite autem coelum attingebat* [3].

Altera in particula (*vv.* 17-19) terrores cum puerorum morte coniuncti paucis adumbrantur : 17. *Tunc continuo* (sc. statim ut decretum divinum exsecutioni mandari coeptum est) *visus somniorum malorum* (δεινῶν *horribilium*) *turbaverunt illos Et timores supervenerunt insperati* (aptius : *inexspectati* ἀδόκητοι). In textu graeco particulis μέν... δέ duo stichi (causa et effectus) inter se quasi opponuntur, siquidem auctor hac constructione causam, quae primogenitis formidinem inie-

1. Bene *Deane,* recens libri nostri interpres anglicanus, ad haec verba adnotat : « The expressions in this passage are certainly applicable to the Word of God in the language of S. John » ; et ad tertium stichum *v.* 16 monet : « With our later knowledge of the Personality of the Word of God it is easy to see here an adumbration of the doctrine of the Second Person of the holy Trinity, who is God in heaven even while He walks on earth as man ». Approbari autem nequit testimonium alterius Anglicani (*Bp Bull* Defensio fidei Nic. I. 1,28) a Deane allegatum : « It is clear that the author is speaking of a personally subsisting Word (λόγος ἐνυπόστατος) ; and it is not less evident, that it is not some ministering angel, as Grotius would have it, but a divine Person, that is designated in this place ; for the author calls this Word *Almighty* and also assigns Him a *royal throne in heaven* ».

2. Perfectum βεβηκέναι (proprie *ivisse*) saepe id valet quod *stare* aut in aliquo loco esse [etiam 4,4 : *editor*] ; plusquamperfectum autem apud Hellenistas plerumque augmento caret : cfr *Blass.* Gr. p. 27 ; *Win.* Gr. p. 70 etc. ; *Helbing* Gr. p. 70.

3. Velut similia interpretes descriptiones allegare solent Discordiae ex *Hom.* Iliad. IV, 443 (οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει) et Famae ex *Virg.* Aeneid. IV. 17 (« Ingreditur solo et caput inter nubila condit »).

cit, i. e. *horribilia somnia,* potissimum premere voluit; quare etiam, ut hoc breviter attingamus, lectio δεινῶν contextui magis quam altera (δεινῶς) congruit. Quam horribilia autem illa somnia fuerint et quas species primogenitis obtulerint, exponit *v.* 18. *Et alius alibi proiectus* (ἄλλος ἀλλαχῆ ῥιφείς i. q. alius huc iactatus alius illuc) *semivivus* (vel potius *semimortuus* ἡμίθνητος), *Propter quam moriebatur, causam demonstrabat mortis* (ἐνεφάνιζεν *manifestabat*; genetivus *mortis* deleatur oportet; nam dictio : « propter causam mortis mori » est nuda tautologia). Somniis igitur edocti sunt non tantummodo sibi nunc moriendum esse, sed etiam hanc suam mortem poenam esse non tam sibi quam parentibus suis ac toti suo populo. 19. *Visiones enim* (vel potius : *somnia enim* οἱ γὰρ ὄνειροι), *quae illos turbaverunt, haec praemonebant* (τοῦτο προεμήνυσαν *hoc portenderunt* scil. ob quam causam iamiam essent morituri), *Ne inscii, quare male patiebantur* (κακῶς πάσχουσιν), *perirent.* Moysi mortem primogenitis denuntianti neque ipsi neque eorum parentes fidem tribuerant; hinc filii somniis de instanti morte et de eius causa edocti sunt, ut parentes per filios suos morientes de hac causa certiores facti omnipotentiam Dei populum suum defendentis agnoscere cogerentur.

3). *Israelitis ob Core occisionem seditionem moventibus poena debita remittitur* (18,20-25).

18,20. Tetigit autem tunc et iustos tentatio mortis, Et commotio in eremo facta est multitudinis; Sed non diu permansit ira tua. 21. Properans enim homo sine querela deprecari pro populis, Proferens servitutis suae scutum, Orationem et per incensum deprecationem allegans, Restitit irae, et finem imposuit necessitati, Ostendens quoniam tuus est famulus. 22. Vicit autem turbas, non in virtute corporis, nec armaturae potentia, Sed verbo illum, qui se vexabat, subiecit, iuramenta parentum et testamentum commemorans. 23. Cum enim iam acervatim cecidissent super alterutrum mortui, Interstitit et amputavit impetum, Et divisit illam quae ad vivos ducebat viam. 24. In veste enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum; Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta, Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.

18,20. Ἥψατο δὲ καὶ δικαίων πεῖρα θανάτου, Καὶ θραῦσις ἐν ἐρήμῳ ἐγένετο πλήθους· Ἀλλ' οὐκ ἐπὶ πολὺ ἔμεινεν ἡ ὀργή. 21. Σπεύσας γὰρ ἀνὴρ ἄμεμπτος προεμάχησε, Τὸ τῆς ἰδίας λειτουργίας ὅπλον, Προσευχὴν καὶ θυμιάματος ἐξιλασμὸν κομίσας, Ἀντέστη τῷ θυμῷ, καὶ πέρας ἐπέθηκε τῇ συμφορᾷ, Δεικνὺς ὅτι σός ἐστι θεράπων. 22. Ἐνίκησε δὲ τὸν ὄχλον οὐκ ἰσχύϊ τοῦ σώματος, οὐχ ὅπλων ἐνεργείᾳ, Ἀλλὰ λόγῳ τὸν κολάζοντα ὑπέταξεν, Ὅρκους πατέρων καὶ διαθήκας ὑπομνήσας. 23. Σωρηδὸν γὰρ ἤδη πεπτωκότων ἐπ' ἀλλήλων νεκρῶν, Μεταξὺ στὰς, ἀνέκοψε τὴν ὀργὴν Καὶ διέσχισε τὴν πρὸς τοὺς ζῶντας ὁδόν. 24. Ἐπὶ γὰρ ποδήρους ἐνδύματος ἦν ὅλος ὁ κόσμος Καὶ πατέρων δόξαι ἐπὶ τετραστίχου λίθου γλυφῆς, Καὶ μεγαλωσύνη σου ἐπὶ διαδήματος κεφαλῆς αὐτοῦ. 25. Τούτοις εἶξεν ὁ ὀλοθρεύων, ταῦτα

25. His autem cessit qui exterminabat, et haec extimuit; Erat enim sola tentatio irae sufficiens.

δὲ ἐφοβήθησαν. Ἦν γὰρ μόνη ἡ πεῖρα τῆς ὀργῆς ἱκανή [1].

Severo Dei iudicio, quo Aegyptiorum contumacia fracta est, insignis opponitur misericordia, quacum Deus grave populi sui peccatum punivit. Quum enim Core eiusque asseclae, quia principatum et sacerdotium ambierant, partim terrae hiatu hausti, partim incendio absumti essent (*Num.* 16,1-40), insequenti die Israelitae cuncti contra Moysen et Aaronem queritati sunt, quod ipsi « populum Dei » interfecissent, atque magna coorta seditione duo fratres ad tabernaculum foederis confugere sunt coacti. Quapropter Deus totum populum igne

1. *VV. LL.* — 20. In primo sticho A B 23 et haud pauci minusc. omni temporis indicatione carent; cum ℵ autem et nonnullis minusc. cunctae verss. *Vulg. Syr. Arm. Copt. Shex.* legerunt τότε (*tunc*), ℵ [2] vero cum aliis quibusdam minusc. : ποτέ (aliquando). Plerique moderni primam lectionem praeferunt; sed potissimum ob versionum auctoritatem unius ex antiquissimis codd. gr. testimonio confirmatam retinendam secundam censemus, ex qua duarum reliquarum origo facile explicatur. Quoniam scilicet primogenitorum clades et seditio Core aliquot annorum intervallo separantur, nonnulli librarii duo ista facta per particulam τότε (tunc) haud recte uni eidemque tempori attribui putabant ideoque particulam aut omiserunt aut in indefinitam (aliquando) transmutarunt; attamen de rebus agitur, quae tredecim circiter saeculis ante Sapientis aetatem gestae sunt, unde nihil miri in eo est, quod duas res per particulam illam priscae illi peregrinationis periodo attribuat, quae a decima plaga initium sumsit. — ἡ ὀργή (ira) sine addito, B A et multi minusc., sed lege : ἡ ὀργή σου (*ira tua*) cum ℵ 23 nonnullis minusc. *Vulg. Syr. Arm. Shex.* — 21. σπεύσας... προεμάχησε (properans... propugnavit) est communis omnium graec. codd. ac verss. lectio, quam etiam antiqui quidam codd. latini a Reusch collati a *Vulg.* interprete expressam esse testantur; reiicienda ergo hodiernae *Vulg.* lectio : *properans... deprecari pro populis,* qua primus stichus quidem, qui completam sententiolam constituit, duobus sequentibus conformatur, totius autem sententiae constructio turbatur (cfr *Comm.*). Parum recte quoque latinus interpres unicum graecum participium κομίσας duobus latinis (*proferens* et *allegans*) reddidit; prius latinum omittatur et secundo accuratior versio (*ferens*) substituatur oportet. — 22. τὸν ὄχλον (turbam seu *turbas*) B ℵ A 23, plerique minusc. et verss. omnes; cui dictioni, quum aptum sensum non praebeat, aliqui iuniores librarii arbitrarie substituerunt nomen τὸν ὀλοθρεύοντα (exterminatorem) ex *v.* 25 desumtum; moderni multi (*Reusch. Feldm.* etc. — *Brmstr. Fr. Gr.* etc.) duabus primis literis nominis ὄχλον transpositis legendum esse coniiciunt τὸν χόλον, quae coniectura nobis probatur cfr *Comment.* — 24. ἐπὶ τετραστίχου λίθου γλυφῆς (in quadristicho lapide sculpturae i. e. sculpto) B ℵ, nonnulli minusc., sed ἐπὶ τετραστίχου λίθων γλυφῆς (in quadristicho lapidum sculptorum) A C 23, multi minusc. et omnes verss. Differentia nullius est momenti; in priore lectione τετράστιχος est adiectivum et genetivo singul. λίθου duodecim gemmae, quae erant in rationali (*Exod.* 28,17 sqq.) colliguntur; in altera autem supponitur substantivum τετράστιχον et gemmae singulae plurali λίθων distinguuntur. — 25. ἐφοβήθησαν (timuerunt) B ℵ et nonnulli minusc.; lege ἐφοβήθη (*timuit*) cum ℵ [2] A 23, multis minusc., *Vulg. Arm. Copt. Shex. Aeth.*

delere decrevit; at iubente Moyse Aaron sumto thuribulo cum igne sacro celeriter ad populum, quem ignis iam vorare coeperat, reversus medius inter mortuos et vivos stans Deum incenso oblato placavit eumque permovit, ut filios Israel in gratiam suam reciperet (*Num.* 16,41-50). Huius igitur facti summam Sapiens prima in sententia brevissime complexus (*v.* 20), generali conspectu quid Aaron ea occasione egerit et obtinuerit proponit (*v.* 21) ac singulatim deinde eius precationem incensique oblationem ac sacerdotalem dignitatem vestibus eius sacris indicatam adumbrat (*vv.* 22-24), quibus armis ira Dei devicta est (*v.* 25).

Magna cum prudentia, uti *Lap.* iam apposite monet, Sapiens horrendae cladi, quae tot primogenitos Aegyptios abstulit, similem subiungit, qua paullo post Israelitae in deserto afflicti sunt, quindecim fere hominum millibus incendio consumtis. Ne quis enim illis inter se collatis erronee colligat, Deum pari ira qua in populi sui adversarios, in suum populum ipsum animadvertisse, tota secundae cladis descriptio iram divinam, quae in priore misericordiam vicerit, in hac a misericordia victam esse ostendit. Id iam ex prima sententia luculenter apparet, qua auctor sequentis suae expositionis summam ita complectitur, ut nemo dubitare possit, quin Israelitarum poena, quamvis gravis esse videatur, non fuerit nisi paterna admonitio (cfr 11,10). 20. *Tetigit autem tunc* (cfr *VV. LL.*) *et iustos tentatio mortis, Et commotio* (θραῦσις melius : *plaga*) *in eremo facta est multitudinis* (in multitudine); *Sed non diu permansit ira tua.* Appellatio *iustorum* qua filii Israel eo ipso, quo puniuntur, tempore tamquam cultores Dei ab impiis idolorum cultoribus distinguuntur, sola iam hanc cladem non in eorum interitum sed emendationem esse insinuat. Praecipue tamen descriptio ipsa cum superiore (*v.* 15 sq.) comparetur oportet : medios in Aegyptios « verbum Dei » velut durus pugnator gladio acuto instructus subito insiluit omniaque morte implevit; Israelitas vero dumtaxat *tentatio mortis tetigit* (ἥψατο... πεῖρα θανάτου cfr *v.* 25. ἡ πεῖρα τῆς ὀργῆς). Sicuti febricitans febri tentari i. e. vexari ac periclitari dicitur, ita iusti illi tentabantur morte; neque haec mortis tentatio populum oppressit sed tantummodo *tetigit.* In altero utique sticho facta esse dicitur θραῦσις (proprie *confractio*) multitudinis; sed hic, ut *Num.* 16,46. 48. 50, sensu mitiore pro calamitate vel plaga dicitur. Sicut autem per se levis, ita etiam duratione brevis fuit; nam *non diu permansit ira* divina vel potius uti *v.* 25 vocatur *tentatio irae,* quia statim sedata est, quumprimum Aaron pro populo intercessit.

Cuius intercessionis generalem conspectum proxima sententia per imaginem pugnae ab Aarone contra iram divinam susceptae quinque stichis ita exhibet, ut primo pugnae factum asseratur, secundo et tertio tota Aaronis armatura atque duobus ultimis felix pugnae exitus enarrentur. Quam aptam sententiae constructionem omnium graecorum codd. et versionum atque quorundam quoque antiquae Vulgatae testimonio confirmatam (cfr *VV. LL.*), ut retineamus, pauca in hodierno Vulgatae textu emendemus oportet. 21. *Properans enim homo sine querela deprecari pro populis* vel ad graecum textum : *properans enim vir irreprehensibilis propugnavit* i. e. tamquam propugnator filiorum Israel processit contra divinam iram eos invadentem. Iam quomodo *vir irreprehensibilis* (i. e. integer, culpae expers) munere propugnatoris functus sit, exponitur : *Proferens* (dele hoc participium cfr *VV. LL.*) *servitutis suae scutum* (graece : suae liturgiae [ministerii sacerdotalis] arma), *Orationem et per incensum deprecationem* (καὶ θυμιάματος ἐξιλασμόν clarius : *et incensi expiationem*) *allegans* (κομίσας lege : *ferens*) *Restitit irae et finem imposuit necessitati* (τῇ συμφορᾷ lege : *calamitati*) *Ostendens, quoniam tuus est famulus* (scil. sincerus θεράπων cfr 10,16). Nomen λειτουργίας, quod apud profanos scriptores proxime munus publicum propriis sumptibus administratum et latiore sensu quodvis munus designat, a LXX (ut iam in papyris graecis aegyptiacis) sacra munera designat, sc. sacerdotum et levitarum; nostro loco Aaronis sacrum munus summi sacerdotis indicatur. Nomine ὅπλον appellabant ut quaevis utensilia atque instrumenta, ita potissimum militis arma et tela. Hoc posteriore sensu hic, quum Aaron propugnator fuisse divinaeque irae obstitisse dicatur, vocabulum accipiendum est (cfr 4 *Mach.* 17,11 τῷ θυσιαστηρίῳ καθωπλισμένον thuribulo armatum). Aaronis autem una arma (τὸ ὅπλον) contra iram divinam erat oratio cum incensi expiatione.

Sic igitur armatus Aaron 22. *Vicit autem turbas* (seu *turbam* τὸν ὄχλον, aut melius, cfr *VV. LL.*, τὸν χόλον *iram*) *non in virtute corporis nec armaturae potentia, Sed verbo* (λόγῳ) *illum qui se vexabat* (τὸν κολάζοντα cum bonis aliquibus codd. latinis a *Reusch* collatis concinnius : *punitorem*) *subiecit, Iuramenta parentum* (πατέρων patriarcharum) *et testamentum* (seu *foedera* διαθήκας) *commemorans*. Sententia per se clara est. Aaroni, utpote populi propugnatori, quum pugnaret non contra homines, sed contra iram divinam et plagam divinitus inflictam, quam auctor pro more suo in personam constituit (τὸν κολάζοντα *punitorem* seu castigatorem), arma humana vel, ut cum S. Paulo (2 *Cor.* 10,4) loquamur, « arma militiae carnalia », uti sunt corporis robur et scuta telaque ab hominibus fabricata, nulli fuerant

utilitati; quare ex armorum generibus sacro suo ministerio propriis ante omnia precationem elegit. Deum igitur (pariter ac Moyses simili in occasione *Exod.* 33,13) rogavit, ut Abrahami, Isaaci et Israelis recordaretur, servorum suorum, quibus per semetipsum iurasset, sese eorum semen esse multiplicaturum et in terram promissam introducturum, et quibuscum etiam aeque ac nuper in monte Sinai cum semine ipso foedera iniisset. Quae precatio ad iram divinam placandam suffecit atque calamitati finem imposuit.

Nomine λόγου (verbi) hic precationem designari omnes consentiunt, uno excepto *Cantacuz.*, qui arbitratur de *contione* agi qua Aaron turbas rebellantes (τὸν ὄχλον) ad oboedientiam revocasset; at Israelitae, quum Aaron ad eos reverteretur, non iam de rebellione cogitabant, sed de vita sua solliciti erant (cfr *Num.* 16,47 sq.). — In nostra explicatione utique seriam interpreti difficultatem creat lectio τὸν ὄχλον, quam omnes veteres et plerique iuniores codices graeci atque omnes veteres versiones tuentur. Quis est iste ὄχλος quem Aaron suae liturgiae armis vicisse dicitur? Ii qui lectionem tanta testium auctoritate confirmatam retinendam censent, dicunt eum vicisse aut generatim *tumultum illum ac seditionem* (*Crampon :* « il vint à bout de cette sédition »), aut — quia evidens est eum non ipsam seditionem suppressisse — seditionis peccatum (*Gutb.*) vel poenam ac peccatum (ut *Deane*) aut *conturbationem i. e. per metonymiam conturbationis autorem*, sc. angelum punitorem (*Schm.*). Sed hae explicationes ex ipsis textus verbis sat difficulter eliciuntur. Unde aliis praeplacet sequi lectionem aliquot codicum minusculorum qui legunt ἐνίκησε τὸν ὀλοθρεύοντα *vicit exterminatorem*, i. e. « Deum castigantem » (*Corl.*) vel angelum punientem (etiam *vers. angl.* « the destroyer »). Nobis vero facillima atque aptissima *Bauermeisteri* coniectura probatur, qui duobus litteris transpositis pro ὄχλον legendum censet ἐνίκησι τὸν χόλον *vicit iram* (*divinam*). Nomen χόλος cum significatione irae saepe quidem a profanis scriptoribus et aliquoties ab aliis antiquis Scripturae interpretibus (*Ag.* Ps. 58,14; *Symm.* Ps. 7,6 etc.) usurpatur, at semel tantummodo in alexandrina versione invenitur (*Eccle.* 5,16 pro hebr. קֶצֶף, quod alibi ab Alexandrinis vertitur ὀργή aut θυμός etc.); unde forsitan librariis versioni alexandrinae transcribendae assuetis magis minusve fuerit ignotum ideoque ab eis in nomen forma quidem simile, significatione autem plane diversum transmutatum. [ὄχλος etiam = *molestia, vexatio alicui illata* (v. lexx.); talem Araon vicit. — *Ed.*]

Precibus autem suis Aaron *incensi expiationem* (θυμιάματος ἐξιλασμόν) adiunxit, quippe qua populus dignus, qui a Deo reciperetur in gratiam, redderetur : 23. *Quum enim iam acervatim cecidissent super alterutrum mortui* (illa sc. quatuordecim millia peccatorum cfr *Num.* 16,49; *Ps.* 105,18), *Interstitit et amputavit impetum* (accuratius : *medius stans intercidit iram* i. e. iter irae populum invadentis), *Et divisit illam, quae ad vivos ducebat viam* (καὶ διέσχισε τὴν πρὸς τοὺς ζῶντας ὁδόν potius : *et interrupit viam* plagae *ad vivos* progredi conantis). Diserta quidem thymiamatis oblati mentio hic non habetur, at ipsis huius sententiae verbis auctor legentibus illa in memoriam revocat,

quae *Num.* 16,47 sq. secundum alexandrinam versionem (hoc loco accuratius quam Vulgata cum primigenio textu consonam) leguntur : « et obtulit incensum et expiavit populum (καὶ ἐξιλάσατο περὶ τοῦ λαοῦ) et stetit medius inter mortuos et vivos et cessavit plaga ».

Porro ut virtutem, qua Aaronis precatio incensique oblatio apud Deum valuerunt, plane singularem exponat, Sapiens illum velut mediatorem a Deo ipso inter se et filios Israel constitutum pro populo intercessisse demonstrat. Ornatum enim, quo indutus propugnatoris munus exsecutus est, describit illis enarratis vestimentis, quae summo pontifici propria summam eius dignitatem mediatoris declarant : 24. *In veste enim poderis, quam habebat* (graece brevius : *in veste enim talari*) *totus erat orbis terrarum* (ὁ κόσμος), *Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant sculpta* (καὶ πατέρων δόξαι ἐπὶ τετραστίχου λίθου vel λίθων γλυφῆς : *et patrum gloriae* i. e. gloriosa nomina *in quadristicho lapide sculpto* vel *lapidum sculptorum* cfr VV. LL.), *Et magnificentia tua in diademate capitis illius sculpta erat.* Annotasse iuverit in primigenio textu nudum verbum ἦν (*erat*) esse praedicatum, a latino igitur interprete uti in primo sticho vocabula *quae habebat,* ita in secundo et tertio sticho praedicata *erant sculpta* et *sculpta erat* esse inserta. Praeter vestimenta sacra omnibus sacerdotibus communia (femoralia, tunicam linteam, balteum i. e. cingulum, tiaram cfr *Exod.* 28,15-22) summus pontifex, quoties sanctuarium ingrediebatur, tribus suo muneri propriis indui debebat, quae auctor ex ordine iam recenset. Prima erat *tunica talaris* (ἔνδυμα ποδήρες usque ad pedes descendens), ex auro et hyacintho et purpura artificiose contexta et in ora inferiore malis punicis et tintinnabulis munita, « ut eorum sonitus audiatur, quando pontifex ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini et non moriatur » (*Exod.* 28,31-35; *Eccli.* 45,10 etc.); in ea autem *totus mundus* certo quodam modo erat effectus, unde a *Clem. Alex.* (Strom. V. 6) recte appellatur « mundi visibilis symbolum ». Hac igitur indutus veste, quae integra secundum expressa Dei praecepta erat confecta, coram Deo sese sistens quasi pro omnibus creaturis a Deo in suam ipsius gloriam conditis legatione fungebatur easque omnes secum habebat Deum deprecantes. Altera deinde vestis erat tiara seu diadema cum lamina aurea ei affixa, cuius inscriptione *sanctum Domino* (קדש ליהוה) sese maiestati divinae singulariter consecratum profitebatur quamque semper in fronte habere iussus erat, ut Domini gratiam populo conciliaret (*Exod.* 28,36-38, *Eccli.* 45,14 etc.). Tertia vestis erat rationale (περιστήθιον seu λόγιον), quod *Ex.* 28,15 sqq. fusius describitur; in eo duodecim gemmis per quatuor ordines dispositis inscripta erant nomina duodecim tribuum seu duodecim patriarcha-

rum, ut hic dicitur. Itaque toto suo ornatu, cuius singulae partes secundum Dei praecepta confectae erant, Aaron sese legitimum ac genuinum *Dei famulum* ac *propugnatorem populi* (cfr *v.* 21) esse demonstrabat, cuius precatio incensique oblatio a Deo despici non poterant. Quapropter auctor particulam terminat felici effectu intercessionis indicato : 25. *His* (scil. vestimentis summam Aaronis dignitatem intercessoris manifestantibus) *autem cessit, qui exterminabat* (ὁ ὀλοθρεύων *exterminator*) *et haec extimuit; Erat enim sola tentatio irae* (ἡ πεῖρα τῆς ὀργῆς cfr ad *v.* 20) *sufficiens*. Incendii poena, qua Israelitae affligebantur, iterum in personam constituitur (cfr *v.* 22), quae Aaronis armis perterrita aufugit; eandem autem dicendi figuram in altero membro habemus. Ira quippe Dei erga Israelitas non fuit nisi tentatio quaedam irae, siquidem « Deus eos perdere nolebat, sed leve aliquod tantummodo irae suae specimen dare; quo discerent, quam gravis esset suus furor, cuius metu in officio continerentur » (*Calm.*); illud enim plane *sufficiens* erat, ut eos ad obedientiam revocaret.

Restat, ut de primo *v.* 24 sticho, quo ὅλος ὁ κόσμος in pontificis talari fuisse asseritur, pauca addamus. Quoniam nomen κόσμος proxime *ornatum* valet, cum verss. *Arm.* et *Shex.* aliqui iuniores cathol. (*Vatabl.* etc.) ac multi acath. (*Luth. Strig. Os.* etc.) hac significatione retenta nihil h. l. doceri volunt nisi omnigena ornamenta illi tunicae infuisse. Quae explicatio, utpote ieiunior et contextui parum consentanea, a plerisque iunioribus omnibusque fere modernis merito respuitur, qui cum verss. *Vulg. Syr. Ar. Aeth.* nomine κόσμου hic uti alibi in nostro libro universitatem creaturarum visibilium aptissime et pulcherrime inter se dispositarum i. e. mundum visibilem seu orbem terrarum designari recte censent; idque quia haec notio non tantummodo loco huic, uti ex superiore interpretatione elucet, apprime congruit, sed etiam consonat cum traditione Hebraeorum, qui *Philone* Iudaeo alexandrino (cfr de profug. 20; de somn. I. 37; de vita Moys. III. 13; de monarch. II. 5 ed. Mang. I. 562. 653; II. 154. 225) et *Fl. Iosepho*, sacerdote ierosolymitano (Antiqu. III. 7,4. 7) testibus in summi pontificis veste mundum repraesentari persuasum habuerunt. Neque id mirum prudenti videri potest. Quum enim Deus tanta cum cura omnia et singula, quae ad cultum suum pertinebant, ipse Moysi praescriberet et tum tabernaculi foederis vasorumque eius tum omnium vestium sacerdotalium etc. materiam, formas, colores, ornamenta minutatim definiret, dubitari nequit, quin his suis praeceptis non solam aedificiorum firmitatem ac pulchritudinem aut decorem dignitatemque vestium sacerdotalium spectaverit, sed simul varias doctrinas symbolice expresserit symbolisque explicatis Moysi aut Aaroni revelaverit, quibus sacerdotes ad sacra sua munera reverenter ac devote obeunda continuo instituerentur et incitarentur. Quid autem convenientius, quam ut Aaron pontifex, typus Christi Domini, qui venturus erat verus ac proprius universi mundi pontifex, in tunica sua totum mundum haberet repraesentatum, quum unicus eo tempore esset veri Dei pontifex ac solus cum eo creaturas conciliare posset? Sapientis igitur testimonio et Hebraeorum traditione mundum totum in pontificis talari effectum esse constat; quomodo autem effectus fuerit, ignoramus. Sapiens enim hac de re nihil tradit, Philo autem et Fl. Iosephus inter se non consentiunt eaque, quae

Clem. Alex. (l. c.) et *S. Hieron.* (ep. 64 ad Fabiol. de veste sacerdotali) referunt, partim a Philone et Iosepho mutuata, partim coniecturae sunt; multae aliae coniecturae apud iuniores inveniuntur, inter quos nonnulli nomine tunicae talaris synecdochice omnia vestimenta sacerdotalia significari erronee statuerunt. Sed his immorari opus non est, quum ad nostram sententiam intelligendam nihil conferant.

5. — *Maris undae viam aperuerunt fugientibus Israelitis, Aegyptios persequentes iuste obruerunt* (19,1-16).

19,1. Impiis autem usque in novissimum sine misericordia ira supervenit. Praesciebat enim et futura illorum; 2. Quoniam cum ipsi permisissent ut se educerent, Et cum magna sollicitudine praemisissent illos, Consequebantur illos poenitentia acti. 3. Adhuc enim inter manus habentes luctum, Et deplorantes ad monumenta mortuorum, Aliam sibi assumserunt cogitationem inscientiae; Et quos rogantes proiecerant, hos tamquam fugitivos persequebantur : 4. Ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas, Et horum, quae acciderant, commemorationem amittebant, Ut quae deerant tormentis, repleret punitio : 5. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret, Illi autem novam mortem invenirent. 6. Omnis enim creatura ad suum genus ab initio refigurabatur, Deserviens tuis praeceptis, Ut pueri tui custodirentur illaesi. 7. Nam nubes castra eorum obumbrabat, Et ex aqua, quae ante erat, terra arida apparuit, Et in Mari rubro via sine impedimento, Et campus germinans de profundo nimio; 8. Per quem omnis natio transivit quae tegebatur tua manu, Videntes tua mirabilia et monstra. 9. Tamquam enim equi depaverunt escam, Et tamquam agni exultaverunt, magnificantes te, Domine, qui liberasti illos. 10. Memores enim erant adhuc eorum, quae in incolatu illorum facta fuerant, Quemadmodum pro natione animalium eduxit terra muscas, Et pro piscibus eructavit fluvius multitudinem ranarum. 11. Novissime autem viderunt novam creaturam avium, Cum adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis. 12. In allocutione

19,1. Τοῖς δὲ ἀσεβέσι μέχρι τέλους ἀνελεήμων θυμὸς ἐπέστη· Προῄδει γὰρ αὐτῶν καὶ τὰ μέλλοντα, 2. Ὅτι αὐτοὶ ἐπιστρέψαντες τοῦ ἀπεῖναι, Καὶ μετὰ σπουδῆς προπέμψαντες αὐτούς, Διώξουσι μεταμεληθέντες. 3. Ἔτι γὰρ ἐν χερσὶν ἔχοντες τὰ πένθη, Καὶ προσοδυρόμενοι τάφοις νεκρῶν, ἕτερον ἐπεσπάσαντο λογισμὸν ἀνοίας, Καὶ οὓς ἱκετεύοντες ἐξέβαλον, τούτους ὡς φυγάδας ἐδίωκον. 4. Εἵλκε γὰρ αὐτοὺς ἡ ἀξία ἐπὶ τοῦτο τὸ πέρας ἀνάγκη, Καὶ τῶν συμβεβηκότων ἀμνηστίαν ἐνέβαλεν, Ἵνα τὴν λείπουσαν ταῖς βασάνοις προαναπληρώσωσι κόλασιν, 5. Καὶ ὁ μὲν λαός σου παράδοξον ὁδοιπορίαν περάσῃ, Ἐκεῖνοι δὲ ξένον εὕρωσι θάνατον. 6. Ὅλη γὰρ ἡ κτίσις ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν διετυποῦτο, Ὑπηρετοῦσα ταῖς ἰδίαις ἐπιταγαῖς, Ἵνα οἱ σοὶ παῖδες φυλαχθῶσιν ἀβλαβεῖς. 7. Ἡ τὴν παρεμβολὴν σκιάζουσα νεφέλη, Ἐκ δὲ προϋφεστῶτος ὕδατος ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη, Ἐξ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ὁδὸς ἀνεμπόδιστος, Καὶ χλοηφόρον πεδίον ἐκ κλύδωνος βιαίου. 8. Δι' οὗ πανεθνὶ διῆλθον οἱ τῇ σῇ σκεπαζόμενοι χειρὶ, Θεωρήσαντες θαυμαστὰ τέρατα. 9. Ὡς γὰρ ἵπποι ἐνεμήθησαν, Καὶ ὡς ἀμνοὶ διεσκίρτησαν Αἰνοῦντές σε Κύριε τὸν ῥυόμενον αὐτούς. 10. Ἐμέμνηντο γὰρ ἔτι τῶν ἐν τῇ παροικίᾳ αὐτῶν, Πῶς ἀντὶ μὲν γενέσεως ζώων ἐξήγαγεν ἡ γῆ σκνῖπα, Ἀντὶ δὲ ἐνύδρων ἐξηρεύξατο ὁ ποταμὸς πλῆθος βατράχων. 11. Ἐφ' ὑστέρῳ δὲ εἶδον καὶ νέαν γένεσιν ὀρνέων, ὅτε ἐπιθυμίᾳ προαχθέντες ᾐτήσαντο ἐδέσματα τρυφῆς. 12. Εἰς γὰρ

enim desiderii ascendit illis de mari ortygometra; Et vexationes peccatoribus supervenerunt, Non sine illis, quae ante facta erant, argumentis per vim fulminum : Iuste enim patiebantur secundum suas nequitias. 13. Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt : Alii quidem ignotos non recipiebant advenas, Alii autem bonos hospites in servitutem redigebant. 14. Et non solum haec, sed et alius quidam respectus illorum erat, Quoniam inviti recipiebant extraneos. 15. Qui autem cum laetitia receperunt hos qui eisdem usi erant iustitiis, Saevissimis afflixerunt doloribus. 16. Percussi sunt autem caecitate; Sicut illi in foribus iusti, Cum subitaneis cooperti essent tenebris, Unusquisque transitum ostii sui quaerebat.

παραμυθίαν ἀνέδη αὐτοῖς ἀπὸ θαλάσσης ὀρτυγομήτρα. 13. Καὶ αἱ τιμωρίαι τοῖς ἁμαρτωλοῖς ἐπῆλθον, Οὐκ ἄνευ τῶν γεγονότων τεκμηρίων τῇ βίᾳ τῶν κεραυνῶν· Δικαίως γὰρ ἔπασχον ταῖς ἰδίαις αὐτῶν πονηρίαις. 14. Καὶ γὰρ χαλεπωτέραν μισοξενίαν ἐπετήδευσαν· Οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγνοοῦντας οὐκ ἐδέχοντο παρόντας, Οὗτοι δὲ εὐεργέτας ξένους ἐδουλοῦντο. 15. Καὶ οὐ μόνον, ἀλλ' ἥτις ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν, Ἐπεὶ ἀπεχθῶς προσεδέχοντο τοὺς ἀλλοτρίους. 16. Οἱ δὲ μετὰ ἑορτασμάτων εἰσδεξάμενοι τοὺς ἤδη τῶν αὐτῶν μετεσχηκότας δικαίων, Δεινοῖς ἐκάκωσαν πόνοις. 17. Ἐπλήγησαν δὲ καὶ ἀορασίᾳ, Ὥσπερ ἐκεῖνοι ἐπὶ ταῖς τοῦ δικαίου θύραις, Ὅτε ἀχανεῖ περιβληθέντες σκότει, Ἕκαστος τῶν αὐτοῦ θυρῶν τὴν δίοδον ἐζήτει [1].

1. *VV. LL.* — 2. ἐπιστρέψαντες τοῦ ἀπεῖναι (quum [Aegyptii] curassent, ut [Israelitae] abessent i. e. proficiscerentur) B ℵ C 23, multi minusc., *Vulg.* (duo codd.) *Syr. Arm. Aeth. Shex.*; minus apte : ἐπιτρέψαντες τοῦ ἀπεῖναι (*quum permisissent, ut se educerent* i. e. abirent) A ℵ[1], aliqui minusc., *Vulg.* (*Clem.* cum plerique codd. lat.). Nonnulli lat. codd. utramque lectionem coniungunt : quum reversi essent (ἐπιστρέψαντες) et permisissent (ἐπιτρέψαντες); cfr *Comm.* — 4. προαναπληρώσωσι, B 23 cum paucis minusc.; lege : προσαναπληρώσωσι (complerant) cum A C B[1], plerisque minusc. et verss.; ℵ exhibet προσαναπληρώσουσι (cfr *Blass.* Gr. § 65,2). — 5. πειράσῃ (tentaret) B ℵ C cum *Syr. Shex.*; rectius legitur περάσῃ (*transiret*) cum A B[1] 23, plerisque minusc., *Vulg. Copt. Arm. Aeth.* — 6. διετυποῦτο (mutabatur) est lectio communis et retinenda; minus recte Complut. cum paucis minusc. et *Vulg.* habet ἀνετυποῦτο (*refigurabatur*). — ταῖς ἰδίαις ἐπιταγαῖς (propriis praeceptis) B C 23, aliqui minusc. et *Ar.*; sed ταῖς σαῖς ἐπιταγαῖς (*tuis praeceptis*) ℵ A, aliqui minusc., *Vulg. Syr. Arm. Copt. Shex.*; utra praeferenda sit, non constat; cfr *Comm.* — 7. Ante ἐξ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ℵ[1] cum nonnullis minusc. et verss. *Vulg. Syr. Arm. Copt. Shex.* particulam καί (*et*) erronee inserit. — 8. πανεθνί vel πανεθνεί B 23 ℵ[1], nonnulli minusc., *Arm.*; πᾶν ἔθνος ℵ A C, plerique minusc., *Vulg. Syr. Ar.* — 9. τὸν ῥυόμενον B A 23, aliqui minusc.; τὸν ῥυσάμενον A C, multi minusc. *Vulg. Arm.*; prior lectio aptior videtur. — 12. A secundo sticho (*et vexationes* etc. καὶ αἱ τιμωρίαι κτλ.) graecae editiones novum versum et multi interpretes novam sectionem inchoant; attamen in versuum numeratione Vulgatam sequi malumus; ab eius tamen ratione interpungendi recedendum hoc loco esse censemus atque *puncto* posito primum stichum a sequentibus separamus. Novam autem sectionem inchoare non licet, quia quae usque ad *v.* 17(18) sequuntur, Aegyptiorum interitum iustum fuisse demonstrant. — (13). γεγονότων (factorum) B 23, aliqui minusc.; sed lege προγεγονότων (antea factorum) cum ℵ A C, aliis minusc., *Vulg. Syr. Arm. Aeth. Shex.* — 14(15) καὶ οὐ μόνον, ἀλλ' ἥτις ἐπισκοπὴ ἔσται αὐτῶν. Ab hac communi lectione non est cur recedamus. Cum *Gutb.* quidem etiam *Sw.* pro ἥτις legere mavult ἤ τις, sed de hac aliisque coniecturis cfr *Comm.* — 16(17) Utrum τῶν αὐτοῦ (melius αὐτοῦ) θυρῶν cum B ℵ 23, an

Arcte haec sectio connexa est cum praecedente, quippe in cuiu principio (18,3) interitus Aegyptiorum in mari velut iusta poena caedis puerorum hebraeorum afferatur, et in cuius fine (18,25) misericordia celebretur, qua Deus Israelitis poenitentibus poenam commeritam remisit. Huic enim misericordiae Sapiens immisericordem iram opponit, qua de Aegyptiis, quoniam decretum suum de Israelitis dimittendis stulte mutarant, totam quam commeruerant poenam repetiit illosque eodem miraculo acerbae morti tradidit, quo populum suum servavit (*vv.* 1-5). Cuius transitus per mare deinde ut admirationem augeat, quaedam de miraculorum ratione ac natura quasi parenthetice inserit. Omnem enim creaturam, ut divinis praeceptis obediret, naturam suam certo modo mutasse nonnullis transitus miraculis ostendit (*vv.* 6-8) aliisque, quae Israelitae in Aegypto iam spectarant (*vv.* 9,10) aut postea visuri erant (*vv.* 11-12[a]) illustrat. Ad propositum autem suum reversus Deum Aegyptios ultimo excidio non tradidisse monet, nisi postquam leviore poena praemissa eos denuo ad poenitentiam revocasset (*v.* 12[b-c]) ac demum iustum eorum interitum fuisse demonstrat criminibus et poenis Aegyptiorum et Sodomitanorum inter se comparatis (*vv.* 13-17).

Israelitas ob severam sed iustam Core poenam seditionem molitos sola divinae « irae tentatio » atque poena pro tanto crimine levis ad debitam obedientiam revocarunt; 1. *Impiis autem* Aegyptiis *usque in novissimum sine misericordia ira supervenit* (melius : *Impiis autem usque ad finem immisericors ira supervenit* ἐπέστη 6,5.8; 18,17 de malis subito in aliquem irruentibus). Dictio μέχρι τέλους cum suis synonymis (ἄχρι vel ἕως τέλους, εἰς τέλος) in Scripturis satis frequens latino *usque in finem* apte redditur, sed quis finis (τέλος) singulis in locis significetur, eorum contextu definiatur oportet. Quo spectato *usque in finem* hic (similiter ac 16,5; *Num.* 17,13; *Ios.* 10,20; 1 *Thess.* 2,16, etc.) idem quod *usque ad interitum* seu internecionem valere recte statuitur. Etenim *de immisericordi ira* hic agitur, qua Deus iudex Aegyptios contumaces, quum decem plagis, quae totidem fuerant divinae misericordiae voces (cfr 11,15-12,2), erudiri et ad sanitatem revocari noluissent, pro sua iustitia merito interitui tradidit atque robore exercitus eorum undis maris rubri deleto potentiam eorum ita comminuit, ut populum suum per multa saecula aggredi non sint ausi. Strage quidem primogenitorum contumacia eorum fracta videbatur; at eorum con-

τῶν ἑαυτοῦ θυρῶν cum A C legatur nullius est momenti, dummodo pron. αὐτοῦ vel ἑαυτοῦ ad ἕκαστος referatur cfr *Comm.*

versionem ad se neque sinceram neque stabilem fore Deus praeviderat et consequenter novum eorum crimen immisericordi ira rependere statuerat. *Praesciebat enim* Deus *et futura illorum* i. e. ea, quae etiam post fucatam suam conversionem gesturi erant. Quaenam haec sint, *vv.* 2, 3 exponunt; praesciebat nimirum, 2. *Quoniam quum ipsi permisissent, ut se educerent,* vel potius ad genuinam lectionem graecam : ὅτι αὐτοὶ ἐπιστρέψαντες τοῦ ἀπεῖναι lege, *quod ipsi* (sc. Aegyptii), *quum sedulo curassent, ut* (Hebraei abirent et) *abessent Et cum magna sollicitudine* (καὶ μετὰ σπουδῆς hic melius : *et festinanter*) *praemisissent illos* (προπέμψαντες), *Consequebantur* (διώξουσι lege : *persecuturi essent*) *illos poenitentia acti* (μεταμεληθέντες rectius : *consilio mutato*).

Participium aor. activi ἐπιστρέψαντες, quod plerique et gravissimi testes criticI tuentur (cfr *VV. LL.*) difficultatem quandam creat, quatenus ei significationem attribuere debemus, quae propria est passivo aoristo (ἐπεστράφην et temporibus medii); attamen grammatici monent, in iuniore graecitate haud pauca verba activa (inter quae etiam est ἐπιστρέφειν cfr *Win.* Gr. p. 236; *Bl.* Gr. p. 178) interdum neutraliter aut reflexive usurpari, ita ut act. ἐπιστρέφειν interdum aut valeat *reverti* (uti nostro in loco aliqui codd. Vulg. exhibent : *quum reversi essent*) aut *sese* vel *attentionem suam ad aliquid convertere* i. e. aliquid sedulo curare (cfr adi. ἐπιστρεφής attentus ad aliquid seu sollicitus de alqo). — Verbum προπέμπειν proprie valet *antea mittere* vel *praemittere*; haud raro tamen apud profanos et Novi Test. scriptores latino *deducere* respondet, ut sit idem quod « aliquem rebus necessariis ad iter instruere » (cfr *Act.* 15,3; 1 *Cor.* 16,6. 11; 2 *Cor.* 1,16 etc.). Nihil autem obstat, quominus verbum eodem sensu hic sumatur; procul enim dubio Sapiens ad *Exod.* 12,31-35 respexit, qui locus huic interpretationi omnino favet; quare etiam veri similitudine non carere censemus eorum opinionem, qui Sapientem simul de vasis aureis argenteisque cogitasse tenent, quae Aegyptii proficiscentibus Israelitis dono dederant (cfr ad 10,17 et *Exod.* 11,2 sq.; 12,35 sq.).

Quam stulte autem Aegyptii prius suum consilium mutaverint, auctor ad *Exod.* 12,21 sqq. et 14,5 sqq. (cfr *Num.* 33,4) respiciens satis acerbe exponit : 3. *Adhuc enim inter manus habentes luctum* (τὰ πένθη plur. : *luctus*) *Et deplorantes ad monumenta* (seu *sepulchra* τάφοις) *mortuorum, Aliam sibi assumserunt cogitationem inscientiae* (ad litteram *alterum sibi arripuerunt* ἐπεσπάσαντο *consilium stultum*), *Et quos rogantes proiecerant* (ἱκετεύοντες ἐξέβαλον *supplicantes eiecerant*)[1], *hos tamquam fugitivos persequebantur*. Stulte iam egerant, quum contra Dei voluntatem multis plagis apertissime manifestatam filios Israel vi

1. Verbum ἐκβάλλειν nonnunquam significationem multo mitiorem prae se fert nec iam latino *eiicere* aequivalet, ut ἐκβάλλειν ἐργάτας εἰς τόν θερισμόν « emittere operarios in messem » *Matth.* 9,38; *Luc.* 10,2; itidem *Marc.* 1,12. 43; *Joan.* 10,4; *Act.* 16,37 (ubi ἐκβ. dicitur de illis verbis πορεύεσθε ἐν εἰρήνῃ); *Iac.* 2,25; in his exemplis fere valet *urgere alqm. ad exeundum*. Etiam in nostro hoc loco verbum aptius in hunc sensum verteretur. — [*Editor.*]

retinerent; stultius autem alterum fuit consilium, quo populum, quem divinis flagellis consternati, ut abiret, suppliciter rogaverant, velut fugitivum servum vi reducere statuerunt. Primi stichi verba : ἐν χερσὶν ἔχοντες τὰ πένθη moderni aliqui (*Schm.* — *Gr. Zöckl. Siegfr.*) pro metaphorica solum participii πενθοῦντες (*lugentes*) circumlocutione inepte habent; neque enim sola *animi maestitia,* sed etiam quodcumque *maestitiae signum* ac praesertim *iusta funebria* seu *funeris exsequiae* nomine πένθος (et latino plur. *luctus*) declarantur (cfr *Gen.* 50,10 : Ioseph *fecit exsequias* [τὸ πένθος] patri suo per septem dies); quam ultimam significationem hoc in loco tum dictio *inter manus habere,* quae ad animi affectum apte transferri nequit, tum pluralis adhibitus articulusque praemissus (τὰ πένθη) postulant. Acriter igitur Sapiens Aegyptios carpit, quod eo tempore, quo ultimae stragis reliquiis nondum remotis in sepeliendis et deplorandis primogenitis erant occupati, spatium iam invenerint novi consilii stulti capiendi, quo maiorem sibi essent paraturi cladem. Altera quoque dictio *sibi arripuerunt consilium stultum* aliquid acerbi habet; verbum enim ἐπισπᾶθαι proprie valet *vi et labore sibi attrahere* (cfr ad 1,12); unde Aegyptii, toties iam cum suo damno potentiam veri Dei experti, operam dedisse et laborem adhibuisse significantur, ut stulto consilio invento Deum ad se castigandos provocarent (cfr 1,16). Eadem tamen dictione Sapiens illos hoc consilium plena cum libertate cepisse clare docens praecavet, ne quem in errorem inducat, si proxima in sententia illos *digna necessitate* ad interitum tractos esse addit (cfr *Gutb.*).

Novi enim consilii originem plenius explicaturus pergit : 4. *Ducebat* (vel potius *trahebat* εἵλκε) *enim illos ad hunc finem* (εἰς τοῦτο τὸ πέρας proprie : *ad hoc extremum* scil. stultitiae) *digna* i. q. commerita *necessitas, Et horum, quae acciderant, commemorationem amittebant* (ad gr. text. omnino legatur oportet : *et eorum, quae acciderant, oblivionem immittebat* ἀμνηστίαν ἐνέβαλε sc. mentibus eorum[1]), *Ut quae deerant tormentis, repleret punitio* (ad gr. text. lege rectius : *ut eam, quae deerat vel defuerat tormentis* i. e. decem plagis, *complerent castigationem*) 5. *Et populus quidem tuus mirabiliter transiret* (παράδοξον ὁδοιπορίαν περάσῃ cfr 5,2 accuratius : *inopinatum iter conficeret*, proprie : iter transiret), *Illi autem novam* (ξένον cfr 16,3.16 *inauditam*)

1. Quoniam interpres noster nomen ἀμνηστία altero in loco, in quo solo (praeter nostrum) in graecis Scripturis legitur, insolito nomine *immemoratio* (14,26) reddidit, iure merito *Reusch* eum similiter hic scripsisse coniicit : *immemorationem immittebat* (i. q. oblivionem iniiciebat), indoctos autem librarios, quos inusitatum illud nomen offendebat, levi mutatione scribere maluisse : *commemorationem amittebant*, quum non animadverterent subiectum totius sententiae esse dictionem *digna necessitas*.

mortem invenirent. Eo ipso quod *necessitas* (ἡ ἀνάγκη), quae Aegyptios traxerit, dicatur ἀξία i. e. *iis digna* vel potius *ab iis commerita*, luculenter apparet hoc loco neque de caeco fato agi, quo regnorum hominumque sortes ita, ut moveri aut mutari nullo modo queant, praefinitae ac praestitutae sint (ut multi olim stulte opinati sunt et hodie opinantur), neque de absoluta quadam necessitate, qua aliquid ita fit aut est, ut sub nulla conditione aliter fieri aut esse possit. De necessitate enim ab Aegyptiorum voluntate pendente eorumque perversitatem consequente Sapiens loquitur; unde eius dictione plerique, etsi non iisdem verbis eam interpretentur, re tamen indurationem cordis a Moyse in sua narratione toties Pharaoni servisque eius attributam significari recte tenent, quippe quae, uti praecedentium eius peccatorum fuerit poena et sequela, ita eundem quasi necessitate quadam ad nova peccata et consequenter ad interitum adduxerit.

Itaque voluntaria cordis obduratio Pharaonem eiusque populum ad interitum traxit; uberiore enim lumine eos privans in altam eos iniecit calamitatum omnium oblivionem, quibus immissis Deus ultricem suam iustitiam, et quibus ad eorum preces subito ablatis misericordiam suam indulgentem clarissime eis manifestaverat. Unde prioris suae stultitiae, qua divinae voluntati toties in suam ipsorum perniciem restiterant, non amplius memores *ad hoc* stultitiae *extremum* (εἰς τοῦτο τὸ πέρας) adducti sunt, ut filios Israel, quos singulariter a Deo protegi experti erant (cfr 18,13) quosque ipsi, ut suis e finibus excederent, suppliciter rogaverant, vi et armis reducere duroque servitutis iugo denuo submittere statuerent. Deus autem eos ita agere sivit, ut pro sua omnipotentia « bene faciens etiam de malo » iustitiae ac misericordiae suae consilia persequeretur. Quae consilia Sapiens tribus ultimis sententiae membris exponens praeprimis id factum esse docet, ut Aegyptii *eam complerent castigationem, quae deerat* vel *defuerat* ταῖς βασάνοις i. e. *tormentis* seu plagis, quibus eo usque afflicti erant. Ipsis quippe Sodomitis inhospitaliores (cfr *vv.* 13 sqq.) Pharao populusque eius *acerbissimam poenam commeruerant,* quum filios Israel, quos ipsi eorum maiores invitaverant et intra fines suos receperant, iam a centum fere annis crudelissima servitute oppressissent; cui poenae solvendae decem plagae eis iam inflictae eo minus sufficere potuerunt, quoniam illis ad corda sua magis induranda abusi sunt, ita ut in contumacia sua perseverantes crudelius quam antea hospites suos opprimerent. Ad complendam ergo castigationem commeritam stultum, quod occaecati ceperant, consilium exsecutioni mandare permissi sunt, ut hac ratione ipsi suum in interitum ruerent. De aeterno tamen singulorum interitu, quem aliqui connotari opinantur (cfr *Lap.*),

hic non agi vix opus est monere; siquidem totus contextus docet, Sapientem de publica quadam et communi calamitate loqui, quae universae nationi aegyptiacae propter commune et publicum eius crimen est inflicta, i. e. de suffocatione totius exercitus aegypticaci in Maris rubri undis. Revera primum sententiae suae membrum duobus reliquis ita explicat, ut Aegyptii duplici poena affecti esse videantur. Haud levi quippe poenae eis iam fuit, quod eo momento, quo se Israelitas inter mare et suum exercitum inclusos in sua potestate iterum tenere opinabantur, sese subito omni sua spe fraudatos esse viderent, quum illis medias inter undas mirabilis via sit aperta, quo incolumes *inopinatum iter conficere* potuerunt. Gravior autem altera fuit poena, quum Pharao eiusque exercitus eandem mirabilem viam ingressi undis, quae eousque velut murus a dextera et a sinistra steterant, in locum suum revertentibus ad unum omnes *inauditam mortem* invenirent (*Exod.* 14,10-28).

Quod Israelitis ergo saluti fuit, id Deus interitui esse Aegyptiis voluit; pro supremo enim suo dominio omnipotentiaque sua vires rerum a se creatarum aut auget aut diminuit aut invertit, ut misericordiae aut iustitiae suae consiliis exsequendis inservire possint. Quam legem *supra* 5,18 sqq. indicatam et 16,24 clarius propositam Sapiens in transitu populi per Mare rubrum observatam esse nunc monet, ut eam nonnullis transitus illius miraculis quasi illustret : 6. *Omnis enim creatura* (accuratius : *tota enim creatio* i. e. creaturarum universitas) *ad suum genus* (clarius : *in proprio suo genere*) *ab initio refigurabatur* (verte : *denuo ut antea formabatur* διετυποῦτο cfr *VV. LL.*), *Deserviens tuis* (ταῖς σαῖς cfr *VV. LL.* vel ταῖς ἰδίαις *suis propriis*) *praeceptis, Ut pueri tui custodirentur illaesi.* Subiectum sententiae tam in graeco quam in latino textu certe *mundum* seu « creaturarum rationis expertium universitatem » designat, ita ut sententia, imperfecto non obstante, certo quodam modo sit universalis; neque enim de solis creaturis in transitu per mare mutatis Sapiens loquitur (*vv.* 7, 8), sed alia miracula similia adiungit, quae transitum antecesserunt et secuta sunt (*vv.* 10, 11). Creaturae porro ἐν ἰδίῳ γένει *in proprio suo genere* i. e. in natura eis propria *denuo ut antea* (πάλιν ἄνωθεν i. q. denuo a principio) *formatae* dicuntur, quatenus viribus earum supra solitum auctis aut diminutis aut mutatis quasi novam naturam ab ea, quam in creatione acceperant, diversam induisse videbantur (uti ignis mediis in aquis ardens vel etiam bestiolas non laedens cfr 16,17 sq., aut undae ex utraque viae parte velut muri stantes etc.). Hac autem nova natura indutae *deserviebant* (ὑπηρετοῦσα) deinde, ut populus Dei custodiretur illaesus, *divinis praeceptis* (ταῖς σαῖς ἐπιταγαῖς) aut secundum

alteram lectionem (ταῖς ἰδίαις ἐπιταγαῖς) iis praeceptis, quae novae illarum naturae conveniebant ideoque eis iam *propriae* dici potuerunt.

Plerique sententiolam hanc participialem (ὑπηρετοῦσα ταῖς σαῖς ἐπιταγαῖς) cum διετυποῦτο (*formabatur*) ita coniungunt, ut creatura divinis praeceptis obediens novam naturam induisse dicatur (*Gutb.* etc. — *Gr.* etc.). Quam explicationem admitti posse non nego; attamen Graeci participium praes. interdum praeterito verbo ita adiungunt, ut actionem designet, quae secuta est (cfr *Bl.* Gr. p. 193, qui pro exemplis allegat *Act.* 14,21 sq. Barnabas et Paulus ὑπέστρεψαν εἰς τὴν Λύστραν, ἐπιστηρίζοντες τὰς ψυχὰς τῶν μαθητῶν, reversi sunt Lystram *confirmantes* i. e. *et confirmabant* post suum adventum animas discipulorum; 18,23. Paulus Antiochia ἐξῆλθεν διερχόμενος καθεξῆς τὴν Γαλατικὴν χώραν, profectus est *perambulans* i. e. *et perambulabat* ex ordine Galaticam regionem etc.); atque hanc constructionem nostro quoque in loco admittendam esse cum *Feldm.* p. 82 sq. censemus. — Praeterea animadverte particulas πάλιν ἄνωθεν (*denuo ut antea* cfr *Gal.* 4,9) non esse pleonastice connexas, ut *Gr.* arbitratur; Sapiens quippe ad primam creaturarum formationem respiciens eas virium suarum mutatione non tantummodo *iterum* formatas, sed etiam *novas* factas esse significat. Iuniores haud pauci, uti etiam versiones *Syr. Ar. Aeth. Shex.* (cfr *Feldm.*) illud ἄνωθεν interpretantur *desursum* i. e. divinitus (cfr *Ioan.* 3,31; 19,11 etc.); verum huic sententiae, in qua auctor Deum ipsum alloquitur (οἱ σοὶ παῖδες), ista particulae significatio parum congruit. — *S. Bonav.* latina versione (*refigurabatur*) in errorem inductus et cum eo nonnulli iuniores ac moderni (*Castr. Lap.*[2] *Calm. Les.* etc.) hac sententia doceri arbitrati sunt, creaturas ad pristinam conditionem, qua non nocebant hominibus, sed eis plane subiectae erant, revocatas esse; contra quam opinionem adnotasse sufficit de mutationibus agi, quae, Israelitis quidem saluti, Aegyptiis autem interitui erant (cfr *v.* 10).

Asyndete et quasi de improviso in textu primitivo quatuor iam adduntur eiusmodi mutationes prodigiosae, quas totus populus per mare transiens spectavit : 7. (*Nam*) *nubes castra eorum obumbrabat, Et ex aqua, quae ante erat, terra arida apparuit, Et in Mari rubro via sine impedimento, Et campus germinans de profundo nimio :* 8. *Per quem omnis natio transivit, quae tegebatur tua manu, Videntes tua mirabilia et monstra.* In universum quidem haec versio primigenio textui respondet; accuratius tamen clariusque ita reddendus videtur : *Nubes castra obumbrans, Ex praeexistente autem aqua aridae emersio terrae spectata est, Ex Mari rubro via non impedita, Et planities viridis* (proprie : herbifera) *ex aestu vehementi,* 8. *Per quem toto cum populo transierunt, qui tua tegebantur manu, Spectantes admirabilia prodigia.* Sententia principalis quatuor stichis constat, qui communi praedicato ἐθεωρήθη (*spectata est*) arcte uniti quatuor mutationes quasi ordine temporis servato exhibent. Prima, quae sese eis spectandam praebuit, fuit *nubes castra obumbrans* (ἡ τὴν παρεμβολὴν σκιάζουσα νεφέλη); de columna nubis et ignis agi patet,

quae populo data quidem erat, ut velut viae dux eum praecederet atque per diem umbra sua a solis ardoribus protegeret, per noctem autem lucem ei praeberet (*Exod.* 13,21 sqq.; *Num.* 9,15 sqq.), quae tamen illa nocte, qua Israelitae ad maris litus castrametati ab Aegyptiorum exercitu premebantur, naturam suam mutasse dicenda est, quum non tantummodo solitum suum locum relinquens se post tergum Israelitarum poneret et ab Aegyptiis insequentibus eos separaret, sed etiam solitam lucem non spargeret; nam « *facta est obscuritas et caligo* (σκότος καὶ γνόφος) *per totam noctem* (proprie : *et nox praeteriit* καὶ διῆλθεν ἡ νύξ) neque accesserunt (duo exercitus) ad invicem per totam noctem ». Hac ratione res refertur *Exod.* 14,20 secundum alexandrinam versionem, quam Sapiens per totum suum librum sequitur quamque nos quoque hic merito praeferimus propter certam massorethicae lectionis mendositatem.

Verba massorethica : וַיְהִי הֶעָנָן וְהַחֹשֶׁךְ וַיָּאֶר אֶת־הַלָּיְלָה (ad literam : *et facta est nubes* i. e. obscuritas *et caligo et illuminavit noctem*) aperte inter se pugnant, nisi quis (utique satis arbitrarie, nisi fallor) ex suis supplere velit : « facta est obscuritas *Aegyptiis* et noctem illuminavit *Hebraeis* ». Similia autem supplementa aliae quoque antiquae versiones postulant, quae hebraica verba satis libere reddunt (uti *Vulg.* nostra : « *et erat nubes tenebrosa* sc. Aegyptiis *et illuminans noctem* sc. Hebraeis »; sim. *Chald. Syr.* etc.) et moderni interpretes, qui lectionis massorethicae punctis et nonnullis literis mutatis vertunt : « *et erat nubes obumbrans* sc. Aegyptios *et illuminans* sc. Hebraeos *tota nocte* » (cfr *de Hummel.* Comment. in Exod. Levit. p. 147). Porro libri nostri quoque commentatores, quorum opera nobis praesto erant, Sapientis verba de nubium columna non nisi ex parte Aegyptiorum umbram spargente exponunt, quoniam ad alexandrinam Exodi versionem, quae sola auctori et primis lectoribus operis nostri praesto fuit, animum non converterunt. Procul quidem dubio etiam miraculum columnae ex una parte lucentis et ex altera tenebras spargentis velut aptum exemplum creaturarum a Deo mutatarum afferri potuit; vehementer tamen dubito, num auctor, si tale miraculum significare voluisset, nudis illis verbis « *nubes obumbrans castra* » usus esset; neque video, quo cum iure dicere potuerit, illud miraculum ab Israelitis *spectatum esse*, cum columna bina castra essent separata.

Peracta deinde noctis parte mutatio altera *ex praeexistente aqua emersio aridae terrae spectata est* (ἐκ προϋφεστῶτος ὕδατος ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη). Sapiens ad *Exod.* 14,21 sq. respicit : « extendit Moyses manum supra mare et Dominus removit mare vehementi vento australi (νότῳ) per totam noctem flante et vertit mare in aridam terram et scissae sunt aquae » (ἐποίησε τὴν θάλασσαν ξηρὰν καὶ ἐσχίσθη τὸ ὕδωρ), ita ut filii Israel progredi possent per scissuram, quum contra ordinarias naturae leges « aqua eis murus esset a dextra et a sinistra ». At maris fundus neque planus neque firmus esse solet, utpote aut

limosus lutulentusque aut saxis rupibusque obsitus aut abruptis hiatibus impeditus; quare tertia mutatio divinitus facta est, quum a populo alveum maris ingresso spectata sit *ex mari rubro via non impedita* (ἐξ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ὁδὸς ἀνεμπόδιστος). Duplex hoc miraculum a *Philone* (de vita Moys. III. 34) poetica cum licentia describitur : « mare, inquit, discinditur, utraque scissurae pars recedit, unde utrinque iuxta scissurae latera per totum tractum consolidantur, ut sint velut muri firmissimi, directa via magnifice paratur, qua inter congelatos parietes populus sine periculo mare transgreditur tamquam in semita trita et in pavimento testaceo. « Neque tamen soli utilitati sed etiam delectationi populi Deum consuluisse ac providisse quartus stichus docet, in quo a populo mare transgrediente spectata dicitur etiam *planities viridis ex aestu vehementi* quasi egressa. Quum cunctus populus cum sarcinis gregibusque sinum maris paucis horis traiicere deberet, satis patet ei non angustam viam sed amplam latamque planitiem inter undas apertam esse. Quo autem sensu vocetur *viridis* (χλοηφόρος proprie : herbifera) in controversia est. Cum antiquioribus enim (*S. Bonav. Lyr. Holc.* etc.) etiam aliqui iuniores ac moderni (*Ians. Calm.* etc.) dictionem pro poetica hyperbole habent, qua significetur, viam illam Hebraeis fuisse velut campum herbas floresque germinantem, quia summa cum alacritate et laetitia per eam transierint. Plerique tamen iuniores ac moderni (cfr *Lorin. Castro, Lap. Pined. Boss.* etc., *Gutb. Les.* etc.) propriam dictionis significationem retinentes alveum maris rubri monent algis fucisque atque corallis quoque, quae arbustorum in modum excrescunt, obsitum esse, ita ut post aquarum recessum campo viridi apte assimiletur. Quae explicatio aptior videtur, quia secundum priorem quartus stichus nihil esset nisi expolitio quaedam tertii; id quod sententiae constructioni non congruit.

Quum autem *manu divina protecti* novam, quae antea fuit mare, planitiem securi *transirent ac stupenda prodigia* suam in gratiam patrata admirabundi *spectarent,* fieri non potuit, quin summa laetitia implerentur Deoque de tanto beneficio gratias agerent; idque re factum esse Sapiens disertis verbis confirmat. Praeprimis enim duabus similitudinibus compendiariis (de quo brachylogiae genere cfr *Win.* Gr. pp. 230. 578 sq.) laetitiam eorum depingit eos comparans cum equis, qui in herboso pascuo non unam post alteram partem quieti depascere sed per totum campum cursitantes alio atque alio loco gramina decerpere solent, et agnis, qui similiter modo huc modo illuc petulantes circumsiliunt, ut ludere potius quam pasci videantur : 9. *Tamquam enim equi depaverunt escam* (ἐνεμήθησαν lege : *pasti*

sunt), *Et tamquam agni exultaverunt* (διεσκίρτησαν proprie : *huc illuc circumsilierunt* seu *persultarunt*) *Magnificantes* te, *Domine, qui liberasti illos* (τὸν ῥυσάμενον αὐτούς — vel ῥυόμενον αὐτούς cfr *VV. LL.* servatorem suum cfr 16,8). Ad priorem similitudinem, quae rara est et aliquid miri habet, eligendam alterique praemittendam auctor forte adductus est recordatione loci Isaiani (*Is.* 63,13 sq.), in quo propheta, ut viae Israelitarum securitatem declaret, *Deum* eos duxisse dicit « per abyssos quasi equos in deserto non impingentes (לֹא יִכָּשְׁלוּ), sicut pecus in campum descendens ». Ultimo porro in sticho Sapiens procul dubio ad canticum respicit, quo Moyses una cum toto populo Deo gratias egit de transitu feliciter peracto (*Exod.* 15,1 sqq.); attamen ei non immoratus laetitiam populi auctam esse addit memoria prodigiorum, quae *in suo incolatu* (ἐν παροικίᾳ αὐτῶν i. e. *in sua commoratione in terra aliena*) patrari viderat : 10. *Memores enim erant adhuc eorum, quae in incolatu illorum facta fuerant, Quemadmodum pro natione animalium* (ἀντὶ μὲν γενέσεως ζώων lege : *loco quidem generis animalium*) *eduxit terra muscas* (σκνῖφας vel σκνῖπα *muscam*) *Et pro piscibus* (ἀντὶ δὲ ἐνύδρων lege : *loco autem aquaticorum* sc. animalium) *eructavit fluvius multitudinem ranarum.* Duplex est huius sententiae expositio, prout in utriusque miraculi descriptione aut subiecta aut obiecta inter se opponi putantur. Cum antiquioribus omnibus, qui solam latinam versionem cognoverunt, etiam plerique iuniores ac moderni, comparatione obiectorum admissa, significari volunt, terram non iam animalium genera produxisse, sed eorum loco muscas, et fluvium non iam aquatica animalia eructasse, sed eorum loco ranas. Quae explicatio mirum est, quod tot amicos invenerit, quoniam non tantummodo inepte supponit, secundum Sapientis sententiam terram genera animalium producere et mare pisces eiicere solere, sed haud minus inepte muscis naturam animalium et ranis, quae utpote amphibia etiam certo modo ad aquatica pertinent, naturam aquaticorum denegat. Omnino igitur cum *Gutb.* tenendum est subiecta inter se opponi. Sapiens quippe, ut prodigia, quibus Aegyptii puniti sunt, eiusdem generis atque illa fuisse ostendat, quae Israelitis saluti fuerunt, in utrisque Deum omnipotentem naturas rerum uno eodemque modo mutasse docet. Pro exemplo igitur naturali origini animantium opponit originem tum muscarum per Aaronis virgam ex terrae pulvere eductarum (*Exod.* 8,16 sq.) tum ranarum, quas fluvius Aarone manum supra illum extendente ebullivit (*Exod.* 8,2-6), atque haec est eius sententia : ex ordinaria quidem naturae lege animantia gignuntur ab animantibus; sed in muscarum plaga non aliquod animantium genus (γένεσις ζώων cfr ad 16,26 αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν

genera frugum; 1,14; 14,6), sed *eius loco terra eduxit muscas,* ac similiter in ranarum plaga non aquatilium animalium genus quoddam (nomen γενέσεως ex priore sticho in secundo suppleri licet), *sed eius loco fluvius ipse ebullivit ranas.* Sapiens igitur verba Moysis (*Exod.* 8,17. 3) proprio eorum sensu interpretatur atque legitime ex eis argumentatur; tota enim narratio mosaica tam immensam fuisse bestiolarum istarum multitudinem prodit, ut secundum consuetum naturae cursum nasci non potuerint.

Quasi confirmationis gratia simile deinde adiungit miraculum, quod Israelitae integro anno postea in deserto viderunt : 11. *Novissime* (ἐφ' ὑστέρῳ pro consueto ἐν ὑστέρῳ i. e. *postero tempore*) *autem viderunt novam creaturam avium* (graece : *viderunt etiam novam originem avium*), *Cum adducti concupiscentia postulaverunt escas epulationis* (ἐδέσματα τρυφῆς proprie : *cibos luxuriae* i. e. *cibos delicatos*); 12. *In allocutione enim desiderii* (εἰς γὰρ παραμυθίαν rectius : *in admonitionem* seu *eruditionem*) *ascendit illis de mari* (ἀπὸ θαλάσσης i. e. *a mari*) *ortygometra* (*coturnix* ὀρτυγομήτρα; singularis, uti patet, sensu collectivo). Ad 16,2 iam monuimus auctorem hoc loco non de priore coturnicum dono loqui, quo Israelitae, quum paucis diebus post maris transitum gravi premerentur fame, refecti sunt (*Exod.* 16,13), sed ad alterum respexisse, quod fuse et accurate a Moyse narratur (*Num.* 11,1 sqq.). Hac enim occasione non fame pressi, siquidem quotidie manna abunde receperunt, sed « cibi levissimi » (uti per contemtum manna appellarunt) pertaesi ac *gulae cupiditate adducti* (ἐπιθυμίᾳ προαχθέντες) sibi non cibum qualemcunque sed carnes velut iucundiorem et delicatiorem escam postularunt. Praeterea priore vice Deus Israelitis, ut famem ad tempus ortam sedarent, unum ex illis coturnicum agminibus adduxit, quae multa quotannis verno tempore, quo conturnices in sedes suas septemtrionales remigrant, in peninsula sinaitica apparent; at secunda vice ingentem coturnicum nubem, quae populo per integrum mensem alendo sufficiebat, trans mare eis afferri voluit. Quam infinitam avium multitudinem a Deo promissam et datam Moyses tamquam rem incredibilem summaque admiratione dignam exponit (*Num.* 11,18-22. 30-32), neque dubium est, quin Sapiens ad eandem respiciens *originem* (γένεσιν, de qua nominis γένεσις significatione cfr ad 6,24; 7,5; 12,10) avium istarum vocet *novam* utpote naturae viribus et ordini non congruam; sicut enim muscarum et ranarum, de quibus modo agebatur, innumera agmina, ita coturnicum eodem tempore in eundem locum vento allatarum copia infinita non nisi miraculo admisso apte explicantur. Quod demum coturnices Israelitis εἰς παραμυθίαν advenisse dicuntur, id

quoque secundo potius quam priori dono congruit. Vulgata quidem sua versione (*in allocutione* vel rectius *allocutionem* desiderii) aves ad populi desiderium sedandum animosque consolandos vel tranquillandos missas esse significat; sed quoniam donum divinum quodcunque desiderium aliquod hominis explet aut homini consolationi est, verba ista, si nihil aliud significarent, supervacanea esse viderentur. Ac profecto nomen παραμυθία ut verbum παραμυθεῖσθαι praeter consolandi etiam admonendi et erudiendi vim habet; atqui ex mosaica narratione apparet, coturnices secunda vice Israelitis non tantummodo ad desiderium eorum explendum, sed etiam ad eos de sua intemperantia et concupiscentia tum admonendos erudiendosque tum castigandos concessas esse (*Num.* 11,19 sq. 33 sq.). Quare contra communiorem sententiam, quae Vulgatae versionem sequitur, Sapientem illis verbis ad hunc miraculi finem allusisse omnino censemus.

A qua brevi digressione (*vv.* 6-12[a]) ad acerbum mortis genus Aegyptiorum (*v.* 5[b]) reversus auctor Deum pro sua misericordia illos antea leviore poena denuo admonuisse addit, ut poenitentiam agentes ab interitu servarentur : 12[b]. *Et vexationes* (αἱ τιμωρίαι accuratius : *et vindictae* i. e. *commerita supplicia* antea iam indicata; attende ad artic.) *peccatoribus supervenerunt, Non sine illis, quae ante facta erant, argumentis per vim fulminum* (ex graeco clarius : *non sine signis per violentiam fulgurum antea exhibitis*); *Iuste enim patiebantur secundum suas nequitias* (ad gr. text. ἔπασχον ταῖς ἰδίαις αὐτῶν πονηρίαις rectius : *patiebantur suis propriis* seu *suis ipsorum nequitiis*), quatenus nimirum suis nequitiis obedientes poenitentiam agere noluerunt, sed in Israelitis persequendis perstiterunt, quamvis Deum pro illis pugnare fulgoribus praemissis clare cognovissent. Misericordiae suae Deum ne in peccatoribus quidem puniendis immemorem esse, sed illos, antequam ad ultimum supplicium progrediatur, levioribus calamitatibus praemissis ad poenitentiam revocare, Sapiens in descriptione tum plagarum aegyptiacarum (11,18 sqq.) tum interitus Chananaeorum (12,8 sqq.) accurate iam exposuit. Eandem doctrinam hoc loco leviter significat, quum ad *Exod.* 14,24 sqq. respiciens tempestatem illam, quae Aegyptios maris alveum ingressos, iam antequam Moyses manuum suarum extensione undas in suum locum reduxit, fulgoribus ac tonitribus suis perturbavit, *signum* (τεκμήριον secundum *Suid.* et *Hesych.* i. q. σημεῖον ἀληθές signum verum seu evidens) vocet ultimi excidii secuturi. De hac tempestate Psalmista quoque loquitur (*Ps.* 76,17-19; ac sim. *Fl. Ios.* Antiqu. II. 16,3), ita ut nulla suppetat ratio, cur cum multis interpretibus antiquioribus et iunioribus Sapientem hic de Sodomis vicinisque civitatibus

igne deletis cogitasse dicamus. Neque enim profecto calamitas illa, qua alius populus quadringentis annis antea in alia terra interemptus est, *signum* evidens vocari potest, quo Aegyptii erudiri debuerint. Immo potius tempestatem illam, quae Aegyptiorum submersionem antecessit, Sapienti terribiliorem istum ignis ac sulphuris imbrem, qui quinque civitates delevit, in memoriam revocasse censemus atque hac ratione eum adductum esse, ut criminibus Sodomitarum et Aegyptiorum inter se comparatis Aegyptios *iuste* punitos esse ostenderet.

Ex *nequitiarum* (τῶν πονηριῶν) autem numero, quibus Aegyptii sibi pararunt interitum, Sapiens in superiore tractatu praeter impium stultumque idolorum bestiarumque cultum (11,16 [15]; 16,1.16 etc.) saevam quoque crudelitatem aliquoties attigit, qua populum Israel, cuius patres ex Palaestina advenientes benigne receperant sedibusque intra suos fines donaverant, a multis iam annis dire oppresserunt (16,4; 17,2; 18,5). Quod crimen, in quo pro sua pervicacia ad extremum usque perstiterunt, quam iuste communi eorum exitio sit punitum, accuratius nunc explicat, Sodomitarum simili crimine similique punitione comparatis. 13. *Etenim detestabiliorem inhospitalitatem instituerunt,* vel ad gr. text. : καὶ γὰρ χαλεπωτέραν μισοξενίαν ἐπετήδευσαν rectius : *etenim ferocius odium hospitum professi sunt* (proprie : *exercuerunt*). Graecum nomen μισοξενία (a μισεῖν odisse et ξένος peregrinus s. hospes) quod hoc solo loco in Scripturis graecis legitur neque ullibi a profanis scriptoribus adhibitum dicitur, ab auctore ipso fortasse fictum est, ut gravissimum fuisse Aegyptiorum crimen ipso vocabulo significaret; latinum nomen *inhospitalitas,* quo sola clementia et humanitas erga peregrinos negatur, a graeci vi longissime abest. Ceterum Sapiens, quum crimen illud vocet *ferocius* (χαλεπώτερον), de Sodomitis (ferocius quam crimen Sodomitarum) non cogitat, quippe de quibus nondum locutus sit; sed sententiola haec universalis est : « ferocius quam unquam visum vel auditum est » [cfr pag. 577 notam 1]. Comparationem stichis proximis ita proponit, ut pro suo more totam sacram historiam iis, qui suum librum sint lecturi, percognitam esse praesumens Sodomitanos, nomine eorum tacito, tamquam iuris hospitum violatores inducat : *Alii quidem* vel potius ad certam gr. lectionem : οἱ μὲν γάρ, quae dictio sequenti οὗτοι δέ respondet, lege : *Nam illi quidem* sc. Sodomitae *ignotos* (τοὺς ἀγνοοῦντας lege : *ignaros* sc. incolarum civitatis) *non recipiebant advenas* (παρόντας rectius : quum adessent i. e. *quum advenissent*); *Alii autem* (lege : *Hi autem* sc. Aegyptii) *bonos hospites* (εὐεργέτας ξένους : *beneficos hospites*) *in servitutem redigebant.* Antiquiores nostri inter-

pretes (*Bonav. Hugo C. Lyr. Holc.*) lectioni Vulgatae (*alii quidem..*; *alii autem*) inhaerentes et nescio quo pacto etiam multi antiquiores acath. (*Luth. Strigel. Osiand. Castellio* etc.) sententiam de duabus classibus Aegyptiorum interpretantur, quorum alii aliis minus inhospitales fuerint; verum ex *v.* 16(17) evidenter apparet in tota hac pericope Sodomitas crudelioribus Aegyptiis opponi. Revera in priore sticho Sapiens ad narrationem de duobus angelis respicit, qui humana induti figura Sodoma advenientes a Lot, qui ibi degebat, honorifice invitati et recepti, a Sodomitis autem ab initio neglecti et postea infestati sint (*Gen.* 19,1 sqq.). Quem locum et proxime quidem *v.* 2 ei ante oculos versatum esse mira appellatio τοὺς ἀγνοοῦντας (*ignaros*) docet, quam noster interpres suo *ignotos* haud recte expressit et pro qua haud pauci aut τοὺς ἀγνοουμένους aut ἀγνώστους aut ἀγνῶτας (ignotos) legendum esse temere coniiciunt. Angeli quippe illi, quum Lot eos in suam domum invitanti se in civitatis platea pernoctare velle reponderent, haud obscure significarunt sese non tantummodo nullum ex Sodomitis cognitum habere, sed neque ullum cum eis commercium habere velle, quia primo mane essent profecturi. Sua appellatione igitur eos quodammodo homines dicens, quibus Sodomitae omnino non erant curae, horum crimen inhospitalitatis minuit; e contrario autem in altero sticho auget Aegyptiorum crimen, quum ad patriarcham Ioseph alludens Israelitas ab illis oppressos vocat illorum benefactores; atque eundem finem prosequitur, quum angelos illos in priore membro velut viatores, qui casu et fortuito advenerint, Sodomis adfuisse (παρόντας), Israelitas vero velut hospites (ξένους) Aegyptum diu iam incoluisse declarat.

Quam comparationem persequens auctor Sodomitis ob minorem eorum culpam poenam quoque leviorem in futuro iudicio attributum iri (*vv.* 14, 15) et certa ratione iam hac in terra attributam esse (*v.* 16) pronuntiat : 14. *Et non solum haec, sed et alius quidam respectus illorum erat* (rectius : *erit*); ad gr. tamen text. vertatur oportet : *et non solum, sed quaecunque* (erit) *indulgentia, erit illis* (sc. Sodomitanis), *Quoniam* (tantummodo) *inviti recipiebant extraneos*; 15. *Qui autem cum laetitia receperunt hos, qui eisdem usi erant iustitiis, Saevissimis afflixerunt doloribus;* sed ultimam hanc sententiam ad gr. text. accuratius et clarius vertes : *Hi autem* (sc. Aegyptii) *qui cum laetitia* (proprie : *cum festivitatibus*) *receperant* (sc. Israelitas), *Hos eorundem iam iurium* (sc. civilium) *participes factos diris vexaverunt laboribus.* Primus stichus sua difficultate non caret. Nullius quidem momenti est ellipsis post particulas οὐ μόνον, quae Graecis est usitata (ex. gr. *Rom.* 5, 3. 11; 8,23; 9,10 etc. cfr *Win.* Gr. p. 543); sua quippe sponte ex prae-

cedentibus suppletur « et non solum saevior fuit Aegyptiorum (quam Sodomitarum) inhospitalitas, sed severior quoque erit eorum poena ». At mirum est, quod auctor in reliqua sententia non probat, Aegyptios graviorem Sodomitis poenam esse luituros, sed e contrario Sodomitas levius quam Aegyptios punitum iri. Haec autem argumentationis inversio aut non perspecta aut neglecta effecit, ut plerique in nostro loco interpretando a vero aberrarent. De Aegyptiis enim in primo stícho non minus quam in tertio et quarto agi arbitrati ideoque nomen ἐπισκοπῆς (de cuius variis significationibus cfr ad 2,20) in malam partem de divina vindicta (uti 14,11) interpretati nescierunt, quid secundus stichus sibi hoc in loco vellet; quare alii textum graecum, quem codices ad unum omnes tuentur, coniecturis emendare conati sunt, alii anacoluthum admittendum esse statuerunt. Verum omnia optime se habent, dummodo inversione illa, quam diximus, admissa, primum membrum uti secundum de Sodomitis explicemus atque nomen ἐπισκοπῆς in bonam partem (uti 2,20; 3,7. 9) de clementia vel indulgentia intelligamus, qua Deus iudex erga illos usurus est peccatores, qui minore quam alii culpa tenentur. Quemadmodum Dominus dicturus erat « tolerabilius (vel remissius ἀνεκτότερον) fore Sodomae et Gomorrhae in die iudicii quam civitatibus, quae Apostolos suos non essent recepturae » aut quam Bethsaidae et Corozain (*Matth.* 10,15; 11,24), ita Sapiens Sodomitas ob minus gravem inhospitalitatem, *quoniam* solummodo *extraneos* (ἀλλοτρίους), quibuscum nullum eis erat commercium, *invite* vel si mavis *inimice* (ἀπεχθῶς) *receperant*, indulgentiam, quaecunque peccatoribus a iusto iudice concedi potest, inventuros esse dicit. Simili autem indulgentia Aegyptios plane indignos esse et secundum iuris rigorem ac severitatem punitum iri duobus ultimis membris indicat, quae nefariam eorum inhospitalitatem nova ratione confirmant et augent. Omnem enim humanitatem exuisse dicendi sunt, qui eos ipsos, quos cum laetitia intra suos fines receperant *iisdemque* secum *iuribus* civilibus (τῶν αὐτῶν δικαίων, *Vulg.* eodem sensu : *iisdem iustitiis* cfr *Deut.* 5,4; 27,10 etc.) frui voluerant, subito et sine ulla ratione crudelissime tractare et velut vilia mancipia horrendis laboribus opprimere ausi sunt.

Interpres Vulgatae utrum in sua versione (*et non solum haec, sed et alius quidam respectus illorum erat*, quoniam etc.) aliam lectionem graecam secutus sit, an illam, quam omnes graeci codd. superstites exhibent (cfr *VV. LL.*), liberius transtulerit, definiri nequit; certum autem est, latina verba, quae in Vulg. Clem. leguntur, ita explicari non posse, ut sensum praebeant, qui contextui congruat. Ad graeci tamen textus sensum ea facile revocabis, si praeprimis pro praeterito *erat* cum « decem exemplaribus fide dignissimis » a *Luca Brug.* collatis aliisque quatuor antiquiori-

bus a *Reusch* additis futurum *erit* restitueris ac deinde vocabula *haec* et *alius* ab interprete vel a librariis indebite inserta deleveris. Inter commentatores, qui Vulgatam sequuntur, unus alterve nomen *respectus* idem valere vult quod *discrimen* (non solum haec fecerunt, sed et aliud discrimen est inter Aegyptios et Sodomitas quoniam etc.); sed hanc significationem latinum *respectus* non minus quam graecum ἐπισκοπή respuit. Longe plerique autem totam sententiam de solis Aegyptiis hunc in modum exponunt : *et non solum* hospites in servitutem redegerunt, sed et alia culpa (vel « perversa intentio » vel « alia ulciscendi ratio » etc.) in Aegyptiis erat, quoniam alii ex eis inviti receperunt Israelitas, alii cum lactitia quidem eos receperunt, sed postea eos oppresserunt « (cfr *Bonav. Holc. Carth.* etc., *Castro, Lap. Tirin. Boss.* etc., *Schm. Les.* etc.). At nomen *respectus*, quum graeco ἐπισκοπή respondeat, hoc loco neque culpam neque perversam intentionem etc. significare potest; praeterea autem oppositio, quam graecus textus inter secundum et tertium stichum indicat, omnino prohibet, quominus secundum stichum de una Aegyptiorum classe explicemus.

Graecam sententiam, quae, si nostra illius explicatio admittitur, plana est et clara, aliqui acath. (*Gr. Siegfr. Zöckl.*) omnino esse perturbatam dicunt; auctorem nimirum asserunt alia ratione crimen Aegyptiorum augere ac proinde scribere voluisse : καὶ οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ μετὰ ἑορτασμάτων κτλ, ut sensus esset : « non solum hospites in servitutem redegerunt, sed etiam eos quos festive receperunt... diris laboribus vexaverunt »; illum autem quum scribere incepisset, subito poenam, quae Aegyptiis deberetur, ac praeterea comparationem cum Sodomitis post particulam ἀλλά, constructione prorsus neglecta, inseruisse. Tam absurdam autem cogitandi scribendique rationem viro attribuere, qui per totum librum sese accuratum ac diligentem scriptorem exhibuit, profecto nefas est. — Alii graecum textum, quasi corruptus esset, emendare conati sunt; inter quos *Grot.* priorem stichum ita legendum esse coniecit : καὶ οὐ μόνον, ἀλλ' εἴ τις ἔστη ἐπισκοπὴ αὐτοῖς, ἐπεί κτλ totamque sententiam hunc in modum interpretatur : « et non solum, *sed si quae poena statuta est* Sodomitis, quia inimice receperunt extraneos, *quanto maiorem poenam luent* Aegyptii, qui hos, quos festive receperunt » etc. Sensus utique aptus neque a nostra interpretatione longe discedit; at vir doctus non videtur animadvertisse, se etiam tertium stichum emendare debuisse, ut apodosis protasi hypotheticae responderet; quare praeter *Calmet.* nemo eius coniecturam approbavit. — Obsoletae etiam iam sunt emendationes a *Grabe, Hengstenberg* aliisque propositae : οὐ μόνον, ἄλλη τις aut οὐ μόνον ἀλλ' ἄλλη τις etc. — Novam autem *Gutb.* excogitavit, quam *Swete*, utpote lectioni antiquorum codicum, qui continue scripti sunt, consonam in suam editionem recepit; pro ἥτις enim legere mavult ἤ τις sententiamque velut interrogationem rhetoricam ita interpretatur : « non solum hoc, sed numquid indulgentia erit illis sc. Aegyptiis, quia Sodomitae quidem invite receperunt extraneos, ipsi autem eos, quos festive receperunt » etc. Quam coniecturam non solum pro superflua, sed etiam pro parum apta habemus; auctori enim, si in primo sticho pronomen αὐτῶν ad Aegyptios referri, secundum autem stichum de Sodomitis intelligi voluit, nullo modo in secundo sticho pronomen οἱ μέν omittere licuit, quod sequenti οἱ δέ responderet; quare *Gutb.* ipse quoque, ut sententia intelligi posset, in sua versione pronomen (*diese*) supplere coactus est, quamvis illud in graeco non esse necessarium multis ostendere conatus sit; necessarium autem est et ob sequens οἱ δέ et maxime ob secundi stichi nexum cum primo.

Levior igitur in futuro iudicio poena erit Sodomitarum quam Aegyp-

tiorum ; quam conclusionem quasi confirmaturus Sapiens unum quoque ex suppliciis, quibus ambo populi iam affecti sunt, priores non nisi leviter attigisse indicat : 16(17).*Percussi sunt autem* (Aegyptii) *caecitate* (lege : *etiam caecitate* καὶ ἀορασίᾳ) *Sicut illi* (sc. Sodomitae) *in foribus iusti* (τοῦ δικαίου i. e. Lot cfr 10,6), *Quum subitaneis cooperti essent tenebris, Unusquisque transitum ostii sui quaerebat* (ad gr. text. accuratius clariusque verte : *quando spissa circumiecti* (i. e. circumdati) *caligine suarum quisque forium ostium quaerebant.* Cum Sodomitarum, qui quum angelos a Lot in suam domum receptos sibi tradi postularent, subita caecitate (ἀορασίᾳ *Gen.* 19,11) percussi ostium domus iusti Lot invenire nequiverunt, calamitate minore gravissimam illam comparari Aegyptiorum, qui triduanis circumdati tenebris sese e loco, in quo erant, non movere neque suas ipsorum domus invenire poterant (*Exod.* 10,21 sqq.), tam clarum est, ut non intelligatur, cur cum antiquioribus (*Bonav. Lyr. Holc.* etc.) iuniores quoque modernique aliqui (*Rib. Est. Boss.* etc. — *Gr. Siegfr. Deane* etc.) alteram quoque sententiae partem de Sodomitis domum iusti Lot frustra quaerentibus interpretari voluerint. Provocant quidem ad pronomen αὐτοῦ (illius), quod antiquissimi codd. (B) tueantur (τῶν αὐτοῦ θυρῶν) ; at etsi ita legendum esset, nihil obstaret, quominus illa verba de Aegyptiis explicarentur, siquidem Graeci haud raro pronomen directum usurpant, ubi nos reflexivum exspectamus (cfr *Win.* Gr. p. 143 ; *Bl.* Gr. p. 163). Haud recte autem ad antiquos illos codd. provocant, qui signis, quibus spiritus asper et lenis distinguantur, omnino carent, ita ut recte legi possit αὐτοῦ, praesertim quum alii antiqui codd. (A C) cum vers. *Vulg. Syr. Ar. Arm.* reflexivum ἑαυτοῦ exprimant. Quibus accedit, quod Sodomitae, quorum oculi solummodo tenebantur, ut portam domus Lot non viderent aut non agnoscerent, dici non possunt ἀχανεῖ περιβληθέντες σκότει (*spissis* vel proprie : late hiscentibus [α intens. et χαίνειν] circumiecti tenebris).

EPILOGUS. — *Deus, supremus creaturarum Dominus, pii populi sui protector* (19,17-20).

17. In se enim elementa dum convertuntur, Sicut in organo qualitatis sonus immutatur, Et omnia suum sonum custodiunt; Unde aestimari ex ipso visu certo potest. 18. Agrestia enim in aquatica convertebantur; Et quaecumque erant natantia, in terram transibant. 19. Ignis in aqua valebat supra suam

18 (17). Δι' ἑαυτῶν γὰρ τὰ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα, Ὥσπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα διαλλάσσουσι, Πάντοτε μένοντα ἦχῳ· Ὅπερ ἐστὶν εἰκάσαι ἐκ τῆς τῶν γεγονότων ὄψεως ἀκριβῶς. 19 (18). Χερσαῖα γὰρ εἰς ἔνυδρα μετεβάλλετο, Καὶ νηκτὰ μετέβαινεν ἐπὶ γῆς. 20 (19). Πῦρ ἴσχυσεν ἐν ὕδατι τῆς ἰδίας δυνάμεως,

virtutem, Et aqua exstinguentis naturae obliviscebatur. 20. Flammae e contrario corruptibilium animalium Non vexaverunt carnes coambulantium, Nec dissolvebant illam, quae facile dissolvebatur sicut glacies, bonam escam. In omnibus enim magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, Et non despexisti, in omni tempore et in omni loco assistens eis.

Καὶ ὕδωρ τῆς σβεστικῆς δυνάμεως ἐπελανθάνετο. 21 (20). Φλόγες ἀνάπαλιν εὐφθάρτων ζώων Οὐκ ἐμάραναν σάρκας ἐμπεριπατούντων, Οὐδὲ τηκτὸν εὔτηκτον κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς. 22. Κατὰ πάντα γὰρ, Κύριε, ἐμεγάλυνας τὸν λαόν σου καὶ ἐδόξασας, Καὶ οὐχ ὑπερεῖδες ἐν παντὶ καιρῷ καὶ τόπῳ παριστάμενος [1].

Initiorum populi Israel adumbratione Sapiens (inde a 10,1) Deum universis creaturis ad pios suos cultores protegendos et ad castigandos impios, suos eorumque adversarios, ita usum esse ostendit, ut carum virtutes pro suo arbitrio immutaret finique suo assequendo accommodaret. Atque hac doctrina, quae ex toto tractatu elucet, quamque supra (5,17 sqq., 16,24) clare iam asseruit, nunc autem velut legitimam conclusionem ex eo colligit ac similitudine illustrat (*v.* 17) exemplisque elementorum praecipuorum aliis virtutibus ornatorum confirmat (*vv.* 18-20), librum suum terminare voluit, ut contribulium suorum, qui eius aetate ab Aegyptiis vexabantur, animos spe auxilii divini erigeret et confortaret.

17. *In se enim elementa dum convertuntur, Sicut in organo qualitatis sonus immutatur, Et omnia suum sonum custodiunt; Unde aestimari ex ipso visu certo potest.* Quae sententia in omnibus quidem *Vulg.* codd. legitur, si autem cum graecis confertur, incompleta et parum accurata dicenda est nec facilis intellectu. Quare graecam sententiam, de cuius auctoritate ob omnium codd. consensum dubitari non licet, interpretari malumus; verum quia haec quoque sua non caret difficultate, duo praemonenda videntur. Ac primum quidem, quia haec sententia neque comparationi Aegyptiorum et Sodomitarum immediate praecedenti neque toti superiori expositioni probandae aut confirmandae idonea esse videtur, sunt qui particulae γάρ hic vim suam etymologice primitivam tribuant (γὲ ἄρα *sane igitur*), ita ut hoc loco ex miraculis supra expositis aliqua doctrina ut legitima conclu-

1. *VV. LL.* — 17(18). γάρ fere omnes gr. codd. exhibent; solus C legit δέ. — 19(20). ἴσχυσεν B 23 et aliqui minusc.; melius : ἴσχυεν ℵ A C, multi minusc. *Vulg.* etc. — σβεστικῆς δυνάμεως (exstinctivae virtutis) B et pauci minusc. et *Syr.*, sed lege : σβεστικῆς φύσεως (*exstinguentis naturae*) cum ℵ A C 23 multis minusc., *Vulg. Arm. Ar. Copt. Shex. Aeth.* — 20(21). Pro οὐδὲ τηκτόν sc. ἦν (neque liquabile sc. erat) quae communis est gr. codd. lectio, forte melius : οὐδ' ἔτηκον (*neque dissolvebant*), quam verss. *Vulg. Arm. Shex.* exprimunt.

sio derivetur; sed haec significatio particulae γάρ assertiva et conclusiva incerta est et a bonis philologis negatur (vide *Zeunium* ad *Viger.* p. 496). Hinc praestat versum ita explicare, ut sit miraculorum modo enarratorum quaedam explicatio atque illustratio, ac si Sapiens dixerit : « Nec mirum est, tanta miracula facta esse a Deoque patrari; *etenim* miracula non sunt ordinis mundi turbatio, sed harmoniae mundi dumtaxat suavis variatio ». Deinde quod maioris momenti est, auctor duo similitudinis membra non separatim exponit, sed satis miro modo in unum confundit : nam duo subiecta quidem, quae inter se similia sint, distinguit (τὰ στοιχεῖα... φθόγγοι ψαλτηρίου); sed unum solum ponit praedicatum, quod grammatice ad prius subiectum referatur oportet (τὰ στοιχεῖα... διαλλάσσουσι πάντοτε μένοντα ἦχῳ), licet propter dictiones suas ex arte musica desumptas proxime ad alterum pertinere videatur, neque ad prius referri queat, nisi dictiones istae sensu translato sumantur (cfr *Gutb.* — *Deane*). Quibus praemissis sententiam hac ratione vertimus : (*Sane igitur* vel melius :) *Etenim elementa, si inter se permutantur* (seu vario modo disponuntur), *Sicuti soni in psalterio* (vario modo inter se connexi), *modulorum genus* (τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα proprie : modulorum *nomen,* sed cfr ad 18,12) *mutant*, *Semper sono inhaerentia* (i. e. omnino tamen tonum sibi proprium retinent); *Id quod plane colligere licet ex consideratione eorum quae facta sunt.* Haec igitur est similitudo : singulae psalterii chordae eundem semper sonum sibi proprium reddunt; hic autem, si cum aliarum chordarum sonis varie coniungitur et permutatur, pro varia coniunctione varia producit modulorum genera, in quibus singulis, quamvis eodem semper modo sonet, diversam tamen habet indolem et quasi diversam virtutem. Similiter elementa mundi, si a supremo suo domino diversimodo coniunguntur et inter se disponuntur, ab eodem aliis et aliis donantur virtutibus, ita ut suam quodque naturam retinens aliis et aliis effectibus producendis idoneum fiat. Sicut psaltes, ut varios melodias producat, non sonorum naturas mutat, sed eos alio ordine inter se coniungit, ita Deus, ut rebus creatis praeternaturales effectus producat, earum naturas non mutat, sed eas pro sua sapientia alio et alio modo disponit.

Antiquiores interpretes (*Bonav. Lyr. Holc.* etc.) in hac sententia interpretanda glossam ordin. sequuntur ex *Rhab.* commentario desumtam : « Sicut in instrumento organi diversi inter se discrepant soni, sed ad concordiam melodiae temperamento consentiunt musici, ita et varia elementa, licet ab invicem discrepent qualitate, ad creatoris sui, servato iure naturae, flectuntur voluntatem; non enim conditor noster creaturam sibi condidit contrariam, sed per omnia voluntati suae fecit consentaneam ». Iuniores autem ac moderni plerique, etiamsi nonnulli graecam quoque

sententiam pro anacoluthica haberent, genuinum eius sensum satis accurate definierunt. In fine tamen scopoque similitudinis indicando multi infelices fuerunt : alii enim illam eo potissimum spectare volunt, ut Deus eadem cum facilitate, qua psaltes eundem tonum ad varios efformandos modulos inflectit, per eandem creaturam diversos effectus producere significetur (cfr *Boss. Les.* etc.); alii illam probare putant, « creatarum rerum ordinem non magis brevi elementorum mutatione turbari quam variis fidium lyrae sonis concentum » (*Castro, Calm.*); quae a contextu aliena sunt. Melius « elementorum in miraculis mutatione non tolli harmoniam universi » hic doceri dicunt *Deres.* — *Heyd. Gutm.* — Ad graecam constructionem quod attinet, multi prius membrum (δι' ἑαυτῶν γὰρ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα), deficiente praedicato, pro elliptico habent atque variis additamentis complere conantur; in altero deinde membro anacoluthum admittere coguntur, quum participium μένοντα nullo modo ad subiectum φθόγγοι referri queat. De plurali διαλλάσσουσι cum plur. neutr. τὰ στοιχεῖα connexo cfr *Bl.* gr. p. 77 sq.; *Win.* gr. p. 479 sq.

Deum porro creaturas suas, earum natura permanente, novis interdum exornare virtutibus, quae eas ad novos effectus, qui naturales earum vires superant, producendos reddant idoneas, Sapiens *certis coniecturis desumi* (εἰκάσαι... ἀκριβῶς; de vi verbi εἰκάζειν cfr ad 8,8; 9,16) asserit *ex eorum, quae facta sunt* i. e. ex miraculorum in Aegypto et deserto patratorum consideratione. Quod assertum statim probat paucis, quae antea iam commemoravit, miraculis breviter repetitis : 18. *Agrestia enim* (χερσαῖα melius : *terrestria;* nam χέρσος i. q. terra firma in oppos. ad mare vel aquas) *in aquatica convertebantur, Et quaecunque erant natantia* (ad gr. : καὶ νηκτά lege : *et natantia*), *in terram transibant.* Ab elemento terrae incipit, ut *v.* 19 ad aquae et *v.* 20 ad ignis mutationes transeat. In secundo sticho explicando omnes consentiunt nomine *natantium* designari ranas, quae iubente Moyse ex Nilo ascendentes terram Aegypti impleverunt et contra naturalem suam indolem domos cubiculaque ingressae in ipsos furnos ciborumque receptacula penetrarunt (cfr *v.* 10; *Exod.* 8,1). Quid autem prior stichus significet, difficilius est dictu, quia neque Moyses neque auctor de terrestribus animalibus, quae facta sint aquatica, quidquam habeat. Unde aliqui auctorem hic de diluvio loqui suspicati sunt (*Boss.* etc.); sed id plane absonum esse patet. Quoniam paullo antea de Sodomitis sermo fuit, aliqui eum ad Pentapoleos interitum respexisse coniecerunt, cuius tempore vallis Siddim (« vallis silvestris ») aquis maris rubri irruentibus conversa est in « mare salis » (cfr *Gen.* 14,3; 18, 10 sqq.; 19,17. 25) : quae coniectura eo se commendat, quod per se ad χερσαῖα supplere licet στοιχεῖα (elementa terrestria) atque ἔνυδρα id valere possit, quod « aquis repleta »; immo omnino admittenda esset, si secundum stichum de via per mare rubrum aperta explicare liceret. At id nullo modo licet; quare ad

communem interpretationem revertamur oportet, quae ad adiect. χερσαῖα nomen ζῶα (animalia) eodem modo quo ad adiect. νηκτά supplet et dictione *animalium terrestrium*, quae in aquatica sint conversa, designata videt pecora armentaque Israelitarum, quae quum per maris alveum traducerentur, eum locum tenebant, qui secundum ordinarias naturae leges solis animalibus aquaticis congruit, atque ideo ipsa quoque certo modo aquatica vocari possunt. Audacissima quidem est haec appellatio; at non minore cum audacia, uti recte *Gutb.* monet, Horatius loquitur, quum in diluvio deucalioneo describendo Proteum dicit pecus suum egisse altos visere montes et pisces summis ulmis haesisse, quae sedes fuerant columbis (*Horat.* Carm. I. 2,7 sqq.). Ceterum omnis difficultas, si quae adest, disparet, ubi primum tropica hac descriptione proprie significari animadvertas, divina virtute mare idoneum esse redditum recipiendis animalibus terrestribus et terram ad recipienda animalia aquatica.

Similiter aquae et ignis vires naturales ab omnipotente Deo interdum mutari Sapiens illis in memoriam revocatis confirmat, quae antea (16,16-24) de grandinum plaga et de manna exposuit. 19. *Ignis in aqua valebat supra suam virtutem, Et aqua exstinguentis naturae* (τῆς σβεστικῆς δυνάμεως melius : *suae exstinctivae virtutis*) *obliviscebatur,* nempe quando Deo ita volente, ignis fulminum imbribus grandinum et aquarum de coelo demissis non impediebatur, quominus Aegyptiorum segetes frugesque combureret, sed mediis in aquis maiorem solita virtutem exserebat (cfr 16,17. 19). Deus autem, sicuti illa in plaga vim naturalem ignis ad puniendos impios auxit, ita eandem aliis occasionibus temperavit non solummodo in impiorum poenam, sed etiam ut pios suos cultores adiuvaret : 20. *Flammae e contrario* (recte ita vertitur ἀνάπαλιν cfr *Suid. Pape* etc.) *corruptibilium animalium Non vexaverunt carnes coambulantium* (ad gr. text. : εὐφθάρτων ζώων οὐκ ἐμάραναν σάρκας ἐμπεριπατούντων accuratius : *non torruerunt* vel *non absumserunt carnes animalium facile corruptibilium, quae in illis* sc. flammis *inambulabant* i. e. commorabantur); *Nec dissolvebant* (οὐδ' ἔτηκον cfr *VV. LL.* proprie : *non liquabant*) *illam, quae facile dissolvebatur sicut glacies, bonam escam* (εὔτηκτον κρυσταλλοειδὲς γένος ἀμβροσίας τροφῆς *crystalliforme* sive *glacieforme cibi ambrosii genus facile liquabile*). Dubium non est, quin auctor in priore membro ad 16,18 respiciat; illo autem in loco non de igne fulminum eum loqui ostendimus, sed de ignibus, quos Aegyptii tempore secundae et tertiae plagarum accenderunt, ut a ranis muscisque sese defenderent; atqui hanc ignium diversitatem, quam ibi ex diversis verborum temporibus (*v.* 18 ἡμεροῦτο *mitigabatur*, *v.* 19 φλέγει *ardet*) legitime

colligi monuimus, hic confirmare licet oppositione, quae inter subiecta habetur (*v.* 19 πῦρ ignis sc. fulminum, *v.* 20 φλόγες flammae ignium ab hominibus accensorum); in nostro enim *v.* 20 nomen φλόγες de communi igne explicandum esse secundus stichus evidenter docet, quippe qui paucis ea comprehendat, quae Sapiens 16,22 sq. (cf *Num.* 11,8) de manna retulit, quod ad primum solis radium dissolvebatur, sed communis ignis vim sustinens in olla coqui aut in furno torreri poterat. Eadem ceterum ratione, qua supra (16,20) manna, ut divinam eius originem assereret, panem angelorum de coelo appellavit, illud hic *genus ambrosii cibi* vocat, simul eius suavitatem indicans, quum ambrosia proprie dicat cibum, quo secundum mythologos ipsi dii immortales delectentur.

Ne quis vero miretur, quod ipsarum creaturarum vires propter filios Israel toties mutatae dicuntur, Sapiens in libri clausula singularem curam providentiamque celebrat, qua Deus semper et ubique populum, quem sibi peculium elegerat, protegere et ab omnibus eius hostibus defendere voluerit : *In omnibus* (κατὰ πάντα i. q. *omni ratione*) *enim magnificasti populum tuum, Domine, et honorasti, Et non despexisti* (οὐχ ὑπερεῖδες melius : *non neglexisti*), *in omni tempore et in omni loco assistens eis.* Cave ne hanc sententiam de solis populi israelitici initiis interpreteris, quasi sit conclusio quaedam ex secunda libri parte deducta; plane enim universalis est; *in omni tempore et in omni loco* Deus populo suo adfuit, atque mirum esse nequit, quod eum etiam in eius initiis tot tantisque miraculis adiuvare voluerit. Quodsi universali hoc sensu, uti verba postulant, intelligitur, sententia simul velut apta clausula totum libri argumentum confirmat, siquidem universa populi israelitici historia tum omnimodam practicae sapientiae utilitatem tum innumera, quae impietas affert, damna demonstrat; certo igitur quodam modo ultima libri sententia primae respondet.

O. A. M. D. G.

INDEX

Praefatio editoris I

PROLEGOMENA

§ 1. — *Quae libri Sapientiae origo, compositio, auctoritas* . . 1

1. — Quis auctor libri sit 1
2. — Quo tempore et loco eum conscripserit 5
3. — Quo consilio scripserit 7
4. — Quae libri sit unitas et quae divisio 9
5. — Adversariorum obiectiones contra libri unitatem 11
6. — De libri Sapientiae inspiratione et canonicitate 14

§ 2. — *Quae sapientia commendetur* 17

1. — De sapientiae practicae commendatione 17
2. — De Sapientia divina personali 22
4. — Adversariorum obiectiones contra libri doctrinam 24

§ 3. — *Quae subsidia critica et exegetica in commentario sint adhibita* 31

1. — De subsidiis criticis 31
2. — De subsidiis exegeticis 32

COMMENTARIUS

PRIOR LIBRI PARS.

Sua ipsius auctoritate auctor studium sapientiae commendat (1,1-6,23) 35

§ 1. — *Sapientiae studiosis improbitas omnis, quia mortem affert, sedulo vitanda est* (1,1-2,25) 36

1. — Libri prooemium (1,1.2) 36
2. — Improbitas omnis, utpote sapientiae impedimentum et causa mortis, vitanda est (1,3-16) 45

1) Cordis et oris pravitas vitanda (1,3-11) 45
2) Ab operibus quoque pravis, quum omnia peccata mortem adducant, declinandum (1,12-16) 62
Excursus de morte in 1,11 sqq 70

3. — Impii propter impia sua principia et consilia morte sunt digni (2,1-25) 73

1) Impia impiorum placita (2,1-5) 74
2) Impia impiorum vivendi et agendi ratio (2,6-20) 82

a) Impii ad vitae delicias perfruendas inter se exhortantur (2,6-9). . . . 83
b) Impii iustum opprimere inter se constituunt (2,10-20). 89
Appendix de prophetica huius pericopes indole 102

3) Sapiens impiis ob impiam eorum vitam mortem denuntiat (2,21-25). 108

§ 2. — *Sortibus contrariis piorum et impiorum inter se comparatis studium sapientiae practicae commendatur* (3,1-5,24). 117

1. — Pii mors transitus est ad vitam beatam, impius debitam poenam luet (3,1-10) 118
2. — Vitam impiorum miseram, iustorum beatam esse exemplis illustratur (3,11-4,6) 133
3. — Sors piorum, etsi praematura mors eos abripuerit, beatior est quam longa impiorum vita (4,7-20) 153
4. — Impiorum ac piorum sortes diversae post mortem (5,1-24). 172

1) Impiorum confusio et desperatio in iudicio (5,1-15). 173
2) Piorum beatitudo futura ac praesens defensio efficax (5,16-24). . 196

§ 3. — *Principes sapientiae practicae diligentissime studere iubentur* (6,1-23) 210

1. — Propter severius quod eos exspectat iudicium studium sapientiae praecipue principibus est necessarium (6,1-12) . . 210
2. — Sapientia facile acquiritur summaque secum affert commoda (6,13-23) 225

Altera libri pars.

Sectio prior. — *Suo exemplo proposito Salomon sapientiam commendat.* 240

§ 4. — *Quid sapientia sit et valeat, Salomon suae sapientiae origine et natura explicatis docet* (6,24-9,19). 240

1. — Salomonis praefatiuncula de tractationis huius fine et argumento (6,24-27). 241
2. — Tractatus exordium de ratione, qua Salomon sapientiae donum acceperit (7,1-14). 246
3. — Divinam sapientiam, humanae matrem, Salomon summis laudibus praedicat (7,15-8,1). 264

1) Deum precatur, ut de sapientia digne dicere valeat (7,15-21). . . 264
2) Salomon divinam sapientiam (notionalem) magnifice describit (7,22-8,1). 278

4. — Cur Salomon cum divina Sapientia uniri et hac ratione vere sapiens fieri cupierit (8,2-18) 301

1) Quam praestans omnibusque utilis sit unio cum divina Sapientia (8,2-8) 302
2) Quot quantaque commoda regibus haec unio afferat (8,9-18). . . . 314

5. — Sola pia precatione ad unionem cum divina Sapientia perveniri Salomon expertus est (8,19-9,19) 326

1) Cur Salomon unionem cum divina Sapientia precibus a Deo obtinere studuerit (8,19-21). 326
2) Precatio, qua Salomon sapientiam impetravit (9,1-19). 334

Sectio altera. — *Utilitatem sapientiae Salomon exemplis ex initiorum populi sui et ex hostium eius historia desumtis commendat* (10,1-19,20) 367

§ 5. — *Quomodo Sapientia inde ab Adamo usque ad Moysen sese piorum salvatricem et castigatricem impiorum exhibuerit* (10,1-12,27) 369

1. — Sapientia patriarchas ad salutem adduxit, impios poenis meritis interemit (10,1-14). 369
2. — Sapientia Israelitas ex Aegyptiorum servitute liberatos in Palaestinam duxit, hostibus eorum iuste castigatis (10,15-12,27) 391

1) Israelitae ex servitute liberati, per mare rubrum traducti, in deserto protecti et adiuti (10,15-11,4) 391
2) Aegyptiorum crudelitas et idololatria secundum legem talionis iuste sed misericorditer vindicatae (11,5-12,2). 401
3) Chananaei similiter cum iustitia et misericordia puniti (12,3-27). . 429

§ 6. — *Digressio de falsorum deorum cultu stulto et pernicioso* (13,1-15,19) 458

1. — De praestantiorum creaturarum cultu (13,1-9). 459
2. — De cultu idolorum arte ab hominibus confectorum (13,10-15,6) 472

1) Quam stultus et impius sit simulacrorum cultus (13,10-14,11). . . 472
2) Simulacrorum origo exemplis illustratur (14,12-20) 490
3) Quantam morum corruptionem idolorum cultus produxerit (14,21-31). 498
4) Quanto felicior status Israelitarum, quos Deus ab isto simulacrorum cultu servavit immunes (15,1-6). 507

3. — De luteorum figmentorum et animalium cultu stulto ac funesto (15,7-19) 512

§ 7. — *Novis exemplis ex historia exitus Israelitarum desumtis excellentia sapientiae explanatur* (16,1-19,20) 524

1. — Animalia Aegyptiis funesta et perniciosa, Israelitis amica et salutaria (16,1-15) 525
2. — Coelum in Aegyptios fulmina grandinesque effudit, Israelitis manna pluit (16,16-29) 535
3. — Aegyptii triduanis tenebris perterriti sunt, Israelitis in luce degentibus (17,1-18,4) 550

1) Aegyptiorum vulgus horrendis tenebris perterritum (17,1-6) . . . 551
2) Aegyptiorum magi non minore tenebrarum terrore perculsi (17,7-14). 557
3) Universi Aegyptii eidem insano terrori obnoxii (17,15-20) 563
4) Israelitae et tenebrarum triduo et in deserto luce divina sublevati (18,1-4) 567

4. — Aegyptii communi primogenitorum strage puniti, Israelitis poena commerita Aarone precante remissa (18,5-25). . . . 571

1) Communis primogenitorum mors quam acerba Aegyptiis fuerit poena (18,5-13) 571
2) Quam horrenda Aegyptiis nox illa fuerit, qua primogeniti caesi sunt (18,14-19). 578
3) Israelitis ob Core occisionem seditionem moventibus poena remittitur (18,20-25) 581

5. — Maris undae viam aperuerunt fugientibus Israelitis, Aegyptios persequentes iuste obruerunt (19,1-16) 588

Epilogus. — *Deus, supremus creaturarum dominus, pii populi sui protector* (19,17-20) 605

O. A. M. D. G.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS475.C6C8 C001 V024
CURSUS SCRIPTURAE SACRAE PARISIIS
3 0311 00015 7904

BS
475
.C6C8 Cornely, Rudolph, 1830-1908
AUTHOR

V.24 CURSUS SCRIPTURAE SACRAE.
TITLE

31072

DATE DUE | BORROWER'S NAME

7331

STUDENT
LIBRARY

3 0311 00015 7904